B. PETRI DAMIANI MONACHI ORDINIS S. BENEDICTI. ... EPISTOLARUM LIBRI OCTO. MULTIS EX...

Petrus : Damiani santo (santo), Costantino Gaetano




NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
14
20 M
4 M

B. PETRI
DAMIANI
MONACHI ORDINIS
S. BENEDICTI.

S. R. E. Cardinalis Episcopi Ostiensis, & Doctoris sanctissimi, ac disertissimi.

EPISTOLARVM LIBRI OCTO.

MVLTIS EX BIBLIOTHECIS COLLECTI, ET Argumentis, Notisque illustrati, atque nunc primum excusi.

OPERA, AC STVDIO


DOMNI CONSTANTINI CAETANI SYRACVSANI
Monachi Catanensis Sancti Nicolai de arena, Casinensis Congregationis, Ordinis Sancti Benedicti.

CVM TRIPLICI INDICE.





PARISIIS,
EX OFFICINA NIVELLIANA.
Apud SEBASTIANVM CRAMOISY via Iacobæa, sub Ciconiis.
M. DC. X.
CVM PRIVILEGIO REGIS.



REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI D. D. NICOLAO BOVCHERAT, ABBATI Cistercij, Doctori Theologo, & in supremo Burgundiæ Senatu Consiliario, totius Cisterciensis ordinis Generali meritissimo,

SEBASTIANVS CRAMOISY, S.



VEMADMODVM varius ac multiplex est hominum in hac vita status atque conditio, Præsul amplissime, ita eorum quoque diuersa planè sunt ingenia, mores & studia; vt non perperam dictum esse videatur illud tritum sermone prouerbium, Quot capita tot sensus. *Quod cum in omnibus artibus verum esse quotidiana rerum experientia comprobetur, tùm maximè in earum disciplinarum studijs, quæ vocantur ingenuæ, licet perspicere. Vnde fit, vt eum sibi quisque Magistrum deligat, quem in ea arte, quam profiteri desiderat nouit esse præcipuum, aut singularem. Qui enim politioris literaturæ venustatem affectant, sicut in Græca facundia Demostenem, sic in Latina dicendi facultate Tullium, vtrumque videlicet eloquentiæ principem, student imitari. Qui autem non tam dictionis, atque verborum sonum, quam rerum ip-*

sarum sensum, sedula inuestigatione perquirunt, sicut οἱ τοῖς φιλοσοφικοῖς *Aristotelem, naturæ genium præ cæteris colunt, sic* οἱ τοῖς ἰατρικοῖς, *Hippocratem & Galenum, aut illorũ saltem alterutrũ, prout in suo sensu vnusquisq; abun-*
Rom. 14. *dat. Enimuerò cùm veteris instrumẽti scriptura sacra pronuntiet, Deũ hominibus tradidisse mũdum hunc disputa-*
Eccles. 3. *tioni eorum; non mirum si in tãta rerum multiplicitate, quas fæcunda immensi huius opificij producit vniuersitas tot hominum ingenia, tàm varijs studiis quotidiè desudant. Sed quod in vno eodemq; vnius sacrosanctæ Theologiæ instituto, tam varia, atque diuersa sint studia professorum, illud certè potius admiratione dignum videri debet, ijs potißimum, qui nondum intelligunt, diuinam hanc Philosophiam esse reginam illam, quam pro-*
Psal. 44. *pheta videbat astantem à dextris Dei in vestitu deaurato, & circundatam varietate, eâque tam multiplici,*
1. Corinth. 12. *vt alij quidem per spiritum detur sermo sapientiæ: alij autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum: alij prophetia: alij genera linguarum: alij autem interpretatio sermonum: vt impleatur, quod de hac sancta Philosophia sub typo libri signandi: vsque ad tempus statutum,*
Daniel 12. *scilicet legis Euangelicæ, prædixit Deus Danieli,* Plurimi pertransibunt *legendo in eo libro, vt ait glosa,* & multiplex erit scientia*: in quo tempore, vnicuique Apostolorum & Apostolicorum virorum data est gratia secundum*
Ephes. 4. *mensuram donationis Christi: cuius dona quantumlibet varia operatur vnus atque idem Spiritus, non conferens ea omnia simul vni aut alteri, sed diuidens singulis, prout*
1. Cor. 12. *vult. Quod & illi quidem intellexisse videntur, qui cælestem hanc & multiplicem scientiam præsignatam fuisse asserunt, in illo fluuio è scriptura sacra, tanquàm è loco*

voluptatis, egrediente, ad irrigandum sacrosanctæ Dei Genes. 2.
Ecclesiæ paradisum: quia sicut ille in quatuor capita, sic ista in tot sensus quadripartita diuiditur; [vt iuxta prouerbium, quot capita, tot sint etiam ibi sensus] historicum, quos videlicet, allegoricum, anagogicum, & tropologicũ: per quatuor illos præcipuos Christianæ fidei & veritatis Euangelicæ doctores, tanquam per totidem alueos, volunt ad nos sic esse deriuatos, vt Hieronymo historicum siue literalem: Augustino, allegoricum: Ambrosio, anagogicum: & magno illi Romanæ sedis, & vniuersalis Ecclesiæ antistiti Gregorio tropologicum siue moralẽ singulariter attribuant. Quod ergo in cæteris diuinæ sapientiæ professoribus, vnumquemq; proprium habere donum 1. Cor. 7.
ex Deo videmus, alium quidẽ sic, alium autẽ sic; id in vnius Petri Damiani scriptis, ac in eius præsertim epistolis non tàm facilè est agnoscere. In illo etenim beatißimo viro nescias quid magis admirari debeas, aut singularem rerum humanarum experientiam, aut sublimem diuinarum notitiam, aut sensuum vbertatem sententiarumque maiestatem, aut dictionis venustatem, cum summa dicendi libertate coniunctam: denique tam multiplex fuit sanctißimi doctoris scientia, & tam varia in omni genere eruditio, vt quod cæteri per partes habuerunt, ille quasi instar omnium, in hoc potissimum opere abundè præstet: in quo quidem non solum historici partes agit, sed concionatoris etiam, atque interpretis plerumque munus exequitur. Ecclesiarum etenim sui temporis tàm priuatarum in eis, quas ad Episcopos, Abbates, Clericos, aliosque eius generis viros direxit, quàm vniuersalis, statum graphicè depingens, vt historicus in eis quas ad summos Pontifices, & Romanæ curiæ Cardinales scripsit epistolis; sæpe etiã,

quasi ex professo, corruptos Ecclesiasticorum mores, tan-
Ps 118. *quam concionator egregius, acerrimè perstringit: interpre-*
tis quoque munus nō omittens, dum ad configendas timore
Dei petulantium hominum carnes, diuersa passim scriptu-
rarum testimonia profert: quibus simul & varijs, ac terri-
Ps. 44. *bilibus supernæ in peccantes animaduersionis exemplis,*
sermonis sui stylum exacuit, vt iaculum in corda inimi-
Num. 25. *corum regis contorquendum: quod spiritu quidem Euā-*
gelico contortum, tàm validè vibrat in libidinosos ac
simoniacos tempestatis illius clericos, vt instar Phinees,
eodem etiam pugione confodiat & nostros (si qui sunt,
immò quia iam permulti sunt) eiusdem criminis reos at-
que flagitij. Ideóque quia hoc opus tantæ eruditionis ple-
num, & ad reformandos hominum, præsertim Ecclesia-
sticorum mores tam necessarium Romæ iam superioribus
annis editum, ex vno tantum, aut altero, quod inde ad
nos vsque peruenit, exemplari; vix dum agnoscebatur
à paucis, & tamen requirebatur à multis: visum est &
doctis simul, & pietatis cultoribus dignum, quod & Ro-
mana editione, in aliquibus librariorum incuriâ fortè
corrupta, emendatius: & duplici, qui in illa desideratur,
rerum scilicet & scripturarum indice auctum ac locuple-
tatum denuò prodiret iu lucem. Quam ego tam deside-
rati operis edendi prouinciam tot ac tantorum virorum
auctoritate, consilioque persuasus, eò suscepi libentius, quò
eam, & multis spero profuturam, & Amplitudini tuæ
sub cuius auspicijs editio nostra prodire gestiebat in publi-
cum, acceptam fore existimaui. Etenim iàm primùm
& de operis editione cogitanti, & de editionis huius nostræ
nuncupatione deliberanti; tu mihi, Præsul amplissime,
præ cæteris eo munere dignus occurristi: tùm quia ipsi au-

ctori gratum me facturum esse confidebam, si præcipuum hoc ingenij sui monumentum, & in vltima senectute sua, tanquam Beniamin, saltem magna ex parte conceptum, vt ex plerisque illius Epistolis, licet colligere, atque eo nomine, vt par est credere, præ cæteris sibi magis dilectum, illius fidei commendarem, qui non solum voti ac instituti professione, sed esset etiam ei generis affinitate coniunctus. Nam licet alia nunc sit Casinensis, cuius ipse erat: alia Cisterciensis familia, cuius tu rector es ac moderator dignißimus, vtraque tamen communem se habere patrem D. Benedictum nunc vsque gloriatur, à quo instituti sui sumens originem, genus etiam ducere non erubescit. Tùm etiam, vt auitæ, quâ parens meus prædecessorem tuum, ordinemque ipsum semper coluit, obseruantiâ, tibi etiam à me quasi succeßionis hæreditario iure debitæ, qualecumque testimonium tuâque pietate dignum, exhiberem. Si enim operam tantùm in eo munere nostram spectes, paruum: si animum, fortasse nõ mediocre: si auctoris dignitatem, magnum: si operis vtilitatem, maximum illud esse comperies. Ideóque, quod nostrum est in eo, Reuerendissime Præsul, non ex rei datæ pretio, sed ex dantis æstimare digneris animo, rogo te atque obsecro: deumque simul obtestor vt te prosperum seruet semper, atque incolumen. Vale ex Bibliothecio nostro. 15. Martij 1610.

Gen. 35.

S. D. N. PAVLO V. PONTIFICI MAXIMO.

CONSANTIVS CAETANVS, Monachus Congreg. Casinen. salutem, & felicitatem a Deo precatur.



IVRE Optimo, Pater Beatissime, laborum meorum primitias tibi degustandas consecro; quippe qui Clementis Octaui locum, munusque amplissimum diuino nutu non modo sortitus es: verum etiam de te optime meriti Pontificis consiliorum, rerumque bene institutarum fautor es, & amplificator. Has inter est Beatus Petrus Damiani, qui vt in lucem ederetur, is mihi auctor maximus fuit. Merito itaque, vt me ab omni obligatione liberem, opus, quod Clementi reddere minime possum, Successori clementissimo refero. Clementis opus dixerim Damianum, quem tanto semper est amore complexus; vt vel in me, qui in eo multum laboraueram, illius beneuolentiæ non parum deriuarit. Sed nescio, an tuum potius illum appellem: nam si personam spectemus, S. R. E. Cardinalis est, & Ostiensis Episcopus; si libri huius consilium, institutio est Ecclesiæ Moderatorum, morumue corruptorum emendatio; si ad quos scribitur viros, Principes sunt, atque in primis Pontifices Maximi: quæ omnia officij tui est curare, dignitatis amplecti. Accedit incredibilis iste tuus ardor animi, studiumque Christianæ Religionis defendendæ, & amplificandæ: qui iure suo talem virum postulabat, qualis Sanctus Doctor commendatur, ac Fidei, ac legis diuinæ defensor acerrimus; vitiosæ viuendi consuetudinis quæ in sua tempora dominabatur, extirpandi studiosissimus;

vt

vt in illius Epiſtolis perſpicere, iucundum erit; vtilius, atque glorioſius imitari. Suſcipe igitur, Pater Sanctiſſime, tuum Damianum, qui tot ac tantis tecum eſt innctus titulis, vt gaudeam me de patrocinio Damiani ſollicitum, te illi ad gloriam: & apud Beatitudinem tuam, illum pro ſuis, alijſq. rebus, quæ apud me ſunt, tuaq. ope, & auxilio indigent, Patronum inueniſſe. Habeo enim præ manibus quam plurium Sanctorum Hiſtorias, quæ non ſine magna ipſorum iniuria, nec non pietatis, ac glorioſæ æmulationis iactura, deſiderantur. Multa ex probatis Scriptoribus notaui adiungēda in Romano Martyrologio, quæ partim ad Sanctorū numerum, partim ad temporū, atque locorū, in quibus glorioſe obiere, pertinent veritatē. Collegi denique non nulla veterū Patrum monimenta, quæ ſi in publicū apparerēt, vel rei nouitate, vel vtilitate multis bonis legentes cumularēt. Atque hi omnes, Pater Sanctiſſime, dū te in Beatæ Virginis, & Apoſtolorum Principis inſtaurandis, ornandiſq. templis occupatū conſpexere, in ſpem certam venerunt, fore, vt in lucem per te, ac vitam reuocarentur: Sanctorumque virorū ſtudium tuis recte factis in hominum animis conceptum, pareret Eccleſiæ vniuerſæ fructus vberes, Auctori vero gloriam ſempiternam. Equidem operam meā, qualiſcumque illa ſit, omnem polliceri poſſum, rem vero ſummam probare, ac fouere, eſt iudicij, ac poteſtatis tuæ. Meū denique eſt, tibi à Deo Opt. Max. firmam valetudinem, conſilijs, ac rebus tuis ſapienter, ſanctèque cœptis, felicitatem precari. Vale.

b

VITA B. PETRI

DAMIANI S. R. E. CARD. EPISCOPI OSTIEN. ET EREMITÆ, PER Ioannem monachum eius discipulum. Ex duobus MSS. Rauennate, & Fauentino.

Domno Liprando Priori, & ceteris Senioribus Eremi Fontis Auellanæ, Ioannes.



PVS mirabile, Patres, quod sanctitati vestræ placuit meæ iniungere paruitati, quam meis sit per arduum viribus, & impar ingenio, ipsemet liquidò perpendo. At quia non præsumo vestro quidquã abnegare imperio, licet sensus hebetudo illustres tanti viri actus inerti deuitet committere stylo, ne dum superiora sibi aggreditur, Lectorem magis ad nauseam, quam ad legendum excitare videatur, confidens tamen de vestris sanctis orationibus, almisque ipsius pij Patris nostri Petri Damiani meritis, ad cuius vos acta exaranda meam obedientiam prouocatis, deuotius aggrediar vestris obtemperare mandatis. Ipsemet enim consultius fore censueram, ea me quouis rudi stylo interim annotare, quo dignè postmodum à peritioribus elucidata scriptoribus, ad notitiam futurorum possent profutura perstringere, quàm imperitiæ notam nimium declinando, intacta prorsus relinquere: ne forte post modicum caligine obliuionis obducta, non paruo mei discrimine de cunctorum omnino laberentur memoria. Nam cum omnibus pateat, neminem gestorum illustrium virorum conscium, absque culpæ macula ignauo silentio tegere, quanto magis constabit, non paruo me obnoxium fore delicto, qui tanto Patri, licet in extremis pene temporibus indiuiduus comes inhæserim, si eius mirabilia gesta silentio præterire, quam diuulgare maluero. Eorum igitur, quæ relaturus sum, partem me ex ipsius ore suscepisse memini, partem ex quodam condiscipulorum meorum, qui eius contubernio ante me, familiarius inhæsere: quædam autem relatu cuiusdam ipsius propinqui, viri grauis, & honesti, quæ videlicet illius conuersionem præcesserant, audiui: cetera quidem propria præsentia ipsemet annotaui. Verum iam nostri sermonis articulus ad historiæ ipsius vertatur exordium.

Vir itaque Dei petrus prænominatus Damiani, famosissimæ Rauennæ Vrbis ciuis haud ignotus, liberalibus apprimè disciplinis imbutus, cum Pythagorici apicis biuium paululum transcendisset, læuum, quem cœperat, consultè relinquens, dextrum callem prudenter arripuit: ipsoque iuuentutis feruore, diuina afflatus gratia, sæculari pompæ renuncians, ad perfectionem monachicam auide conuolauit. Qui nimirum honestis parentibus editus ab ortus ipsius crepundijs, rebus perurgeri cœpit aduersis. Cum eius nempe mater, iam filiorum pertæsa, domo videlicet hæredibus referta, hunc genuisset extremum, vnus liberorum, qui tunc iam grandiusculus adoleuerat, conquestus exclamat: proh pudor, ecce iam tanti sumus, quod in hac domo vix capimur: & quàm male sibi congruunt hæredum turba, & hæreditas? Ad cuius verba mater vehementius indignata, & fœminei liuoris Zelo succensa, complexis manibus, se miseram, seque vlterius viuere vociferatur indignam. Illicò eum, vt ita loquar, ante penè quàm lactaret, ablactat: & quasi numquam ipsum de cetero suis manibus attrectandum, infausta quædam sibimet imprecans, à se prorsus ablegat, sic filium, antequam viuere discat emancipat: & quod possidere solum posset, à possessione materni pectoris exhæredat. Cum igitur perexile illud plasma, quod erat omni nutriciæ sedulitatis officio destitutum, fame, simul & algore nigresceret: & tenuis, non dicam vox, sed quasi sibilus de pectusculo vix adhuc palpitante rauciret, cuiusdam presbyteri fœmina, quæ patrij laris erat quasi vernacula, superuenit: & inhumanam matris suæ duritiam seuera, in quantum licuit, inuectione corripuit: numquid, Domina, inquit, hoc est matris Christianæ, quod non probatur esse Tigridis, vel Leænæ? Illæ parentes enutriunt catulos, & nos ad imaginem Dei conditos, abijcimus è nostris visceribus procreatos? Et hic forte, qui nunc ita proijcitur, si ad ætatis incrementa peruenerit, locum inter suos non infimum obtinebit: cauendum etiam, ne cuius mater esse contemnis filicida meritò iudiceris. Huiusmodi planè verbis vxor presbyteri officio functa est sacerdotis, dum & maternum ad pietatem molliuit affectum, & morientem ad vitam restituit filium. Mox itaque non ignaua virago vlnas fluentibus induuijs expedit; substrata pelle iuxta ignem, puerilia membra distendit; & vndique perungendo corpusculum, non modicæ summæ songiam profligauit. Videres itaque tenellos artus liquescentis aruinæ fomenta combibere, & resumpto vitali calore rubescere, & sic in eo nitorem rudis infantiæ subitò reflorere. Vbi notandum, quia & mater*

De parentibus, ac pueritia B. Viri. Cap. I.

* pariẽtes.

eius facta fuerat Herodias, & illa facta est Elias; sicque per peccatricis mulierculæ studium, & desperatus de mortis faucibus retrahitur, & mater de filicidio liberatur. quæ nimirum iam sese matrem aduertens, quem velut alienum immitis * exploderat, ad piæ mox dilectionis amplexum maternorum viscerum affectibus reuocat, omnemque illi nutriciæ curæ diligentiā instanter exhibere non cessat. Puer autem hac diligentia, donec ablactatur, perfruitur: qua sanè post modicum vtroque orbatus parente, infra pueriles adhuc annos immature priuatur. Eo igitur fraternæ curæ relicto; ô incomprehensibile diuinæ dispensationis arcanum! vnus ipsorum, qui atrox inter ceteros honestis moribus præditos, sub ouina pelle latebat, fraudulenta nunc pietate pro paterna vice educandum suscepit: atque dum sibi cohæredem adoptare se fingit, diræ velut emptitium seruituti * adiicit. Cui socia coniux hærebat, quæ nullis pietatis visceribus ab illius sæuitia differebat. Vterque igitur super innocētem puerum vnanimi feritate crassantes, toruo, ac nouercali eum aspectu tractantes, duris afflictionibus pendulæ illius viribus officiebant: seruorum nempe cibariis, & quæ magis congruerent porcis, malignaque vappa, vsu sustentabant assiduo; pedibus nudis, vestibus ibat incultus, verberibus vapulabat, pugnorum, ac calcium crebris ictibus subiacebat. Porrò cum iam grandiusculus sub tam iniquis licet oneribus fuisset affectus, ad porcos pascendos eiicitur, ceterisque mancipiorum conditionibus indifferenter subiicitur. Quid in his vero considerandum, nisi quod idcirco hunc suum Dominus militem permittebat acriter affici, quo ad spiritalis procinctū militiæ disceret arctius informari; quatenus eius virtus eò robustius arduus postmodum quæque perferret, quò ipse à puero expertus huiusmodi iam fuisset. Hic etiam succinctè, notabile quoddam referre non otiosum putamus.

* exploserat.

* addicit.

Quadam die dum idem præfata adhuc laboraret inedia, casu nummum reperit: & tamquam subitò diues effectus, gratulabundus, quid eo mercari aptius posset, diu mente reuoluere cœpit. nimirum dum suauibus cunctis egeret, dulcis appetitus per mollia quæque puerilem mentem trahebat: quod dum prolixius fieret, ancepsque quod esset eligendum, ambigeret, diuinitus tandem inspiratus, ait: Quid est, quod reuoluo? quidquid horum certè assumam, non erit eius diuturna voluptas; melius ergo est, vt tradam presbytero, qui Deo Sacrificium offerat pro Patre meo. Quid huius pueri simplicitate prudentius? quid hoc egente pupillo frugalius? Et spretis cunctis, quæ peritura cognouit, illud solum elegit, quod mansurum in æternum sperauit. Porro quid hoc

Illius pietas in Patrem defunctum, in litteris profectus, & in seipsum afflictatio. Cap II.

Pueri pietas, ac prudentia.

fuisse putemus, nisi quoddam futurorum præsagium: quod appetitu videlicet æternorum, contemneret temporaliter blandientia? Vt autem ad ordinem redeamus, postquam Domino, qui suorum curam non deserit, ex præfatis etiam calamitatibus eruere placuit ipsum pæne consumptum, ex impiorum laniatibus misericorditer abstraxit; & in germani alterius sinu, Damiani nomine, iam mulcendum tandem, fouendumque locauit. Hic eum itaque chara satis dilectione complectens, tantam ipsius curæ diligentiam impendebat, vt paternum excedere videretur affectum. Quem porro, iam licet grandiusculum, litterarum apicibus tradidit imbuendum, nec non & studiis subinde liberalibus: in quibus scilicet tam docilis, tamque industrius est agnitus, vt ipsis suis doctoribus mirabilis haberetur. Cumque discendi finem ex omni liberali scientia peritus fecisset, mox alios erudire, clientium turba ad doctrinæ ipsius famam vndique confluente, studiosissimè cœpit. Inter ista nimirum dum fauore populari efferretur, dum diuitiarum copia cumularetur, iam pænè potuit horum lenocinio sæculari pompæ subtrahere, aut illecebris venereis illectus implicari. Sed quoniam ex electorum numero nequit vllus prorsus minui, respectu illicò diuino præuentus, ita secum agere cœpit: & cur delecter præsentibus, vti caro suggerit, ætas exposcit? sed numquid his perituris debeo inhærere, & non magis istis renuncians, potiora prouidere? At si fortè postmodum hoc me facturum promitto, quia non multò carius, multóq. Deo acceptius modo agere satago, dum ætas viget, dum prospera mulcent? Iam verò post hæc paulatim inchoat à mundanis studiis remoueri, ac diuinis obsequiis accingi: &, licet exterioris cultus specie adhuc videatur hærere caducis, toto tamen mentis affectu bonis aspirat æternis. Sub mollibus itaque vestibus cilicium induit, ieiuniis, vigiliis, & orationibus solerter insistit. Et quia, calente iuuenta, stimulis acriter vrgebatur carnalibus, mediis noctibus è strato consurgens, aquis se fluuialibus immergebat: in quibus tamdiu nudo manebat corpore donec algentia membra rigerent, noxio recedente calore. Exinde vero regrediens, quæque venerabilia loca psallendo circuiens, totum ante synaxim complebat Psalterium. Eleemosinis quoque pauperum assiduis insistens, ac frequentibus eos conuiuiis pascens, suis lætabatur manibus, eis, tamquam Christo, ministrare deuotus.

Carnis stimulos fluuialibus aquis mersus, extinguit.

Inter hæc sanè non prætereundum puto, quod ædificationi multorum profuturum non ambigo. Quadam die priuatus prandebat, nec quisquam secum præter solum cæcum quemdam præbēdarium discumbebat,

Per sui victoriam liberatur à graui vita periculo.
Cap. III.

qui quotidianus cõuiua ex more sibi aßidere solitus erat. Accidit autẽ, vt tunc nõ amplius, quã vnus triticeæ similaginis panis adesset. Hic itaque illi solus apponitur: quid vero dari poßit mensæ sodali, qui non diuersis à se cibis ali consueuerat, non habetur. Appositus est ergo illi cibarius panis, suppar videlicet, & secundæ conspersionis: quod hic nempe non æquis aspexit oculis, & grauiter tulit; paulatim verò ei pauor incidit, & intra semetipsum cogitare cœpit: Christus, inquit, ad mensam meã inferior mihi est? Ego ne comedam velus herilem panem, & delitiosum; & ille puerorum meorum pane vescetur? Hæc, & his similia cum in pectore suo multa versaret, incidit cogitatio, vt panem illius suo, suumq. illius pane mutaret. Quid igitur ageret? Quo se verteret? tolleret illius panem? sed pudor obstabat; suum comederet? sed conscientia remordebat. Quid plura? Tandem vincit caro, & mens eneruiter obluctata succumbit. Incipiunt igitur vterque comedere: hic scilicet, quasi Dominus, & Princeps mensæ, nitidum; ille vero, clientium, vel mancipiorum more, cibarium. Sed dum comederet sensim pauor accidit, & horror nimius omnium viscerum suorum interna concußit: verebatur enim diuinæ super se motus euigilare sententiam: suspicabatur certè repentinam iustæ seueritatis imminere vindictam. quod & factum est. Os enim piscis gutturi eius pestilenter inhæsit, quod vllis omnino conatibus trahi in interiora non potuit. Gluttiebat ex industria cibum, non descendebat: screabat, tantumdem erat: conabatur emittere, sed affixa pernicies nihilominus immobilis permanebat. Erubescebat tamen dicere, quod intrinsecus patiebatur: clandestinus eum tenebat hamus, & velut incautum piscem, per gulam trahebat ad mortem: vndique illi augmentabantur angustiæ, & non tam mori, quam mortis turpitudo terrebat. Malebat quippe, vt se tela trãsfigerent, quam fœdus prurientis gulæ interitus deturparet. Anhelus anxiebatur spiritus, & mœroris tenebræ ei circa oculos voluebantur. Quid pluribus moror? Tandem Christo detulit, eique se imparem, & si non pane, tamen potestate, liquido cognouit. Bucellam suam pauperi festinus apposuit, eiusq. ante se vicaria permutatione locauit. Et, ô placabilem Deum super malitia nostra! statim ad primum accepti panis gustum pestis illa pertransiuit: & interceptum fragmentum decidens in interiora purgatur. Delitiosus itaque panis ei factus est plaga; grossius vero & durus, medicina. Escam mutauit, & laqueum, qui eum ferialiter astringebat, absoluit. Deposuit superbiam, cælestemq. persensit de humilitate medicinam, & supernæ miserationis medelam. quam

nimirum ut se tam mirabiliter obtinuisse persensit, in sui liberatoris præconium huiuscemodi mox sermone prorupit: Benedictus omnipotens Deus, qui periclitantibus subuenit, & in gaudiũ de mœrore conuertit: arrogantiam calcat, superbiẽtem humiliat, atque misericordiam largitur, quatenus & ipse nos ad misericordiam inuitat: Estote, inquit, misericordes, sicut & Pater vester cælestis misericors est; suæq. tribulationis periculum, quod eatenus erubescendo celauerat, iam cunctis præ gaudio narrat. Quod vis siquidem doloris non valuit, lætitiæ magnitudo extorsit. Et quidem ipsemet tam hoc, quam aliud, quod de eius abiectione recenter nati, superius retuli, suis opusculis exarando inseruit. Luc. 6.

Verum, ut ad suum ordinem noster iam sermo recurrat, hic Christi tyro flammam sui pectoris ad altiora votis attollens assiduis, quod mente conceperat, implere vehementer optabat: scilicet huic sæculo funditus renunciare, habitúmq. militiæ spiritualis assumere. Attamen in patriis finibus prorsus hoc agere recusabat, ne vel affinium, vel necessariorum affectus, quodlibet sibi ad perfectionem tendenti, noxium pareret obstaculum. Hoc autem eo meditante, atque assiduis orationibus exorante, quatenus sibi à Domino aditus panderetur salutis; ecce duo fratres ab Eremo sanctæ Crucis Fontis Auellanæ, cuius fama iam sibi planè innotuerat, illuc directi adueniunt: quos cum diuino nutu obuios habuisset, ac peroptatam conuersationem habere cum eis cœpisset, sui pectoris reuelauit arcanum. Illi verò gratãter audientes, quod panditur, piis eum monitis in idipsum roborando succendunt. Sciscitatur ergo, an sanctus illorum Abbas, cuius fama laudabilis ad ipsius iam notitiam venerat, illum susciperet, si ad ipsius contubernium accedere voluisset; illis quidem annuentibus, atque ipsum hoc persuadentibus, spondet se, diuina opitulante gratia, quantocyus ad eos venturum, ut posit suum implere desiderium: quibus argenteum scyphum obtulit, rogans, quod eum suscipientes, Domno Abbati deferrent. Illi vero vasis amplitudinem cernentes, pondus incusant, viæ longioris impedimentum prætendunt, dicentes, non se posse tanta sarcina grauari, viamq. prolixi itineris impedire. Cumque in suscipiendo eum, precibus instaret; aiunt illi: si ergo nos tantopere cogis, nec tuo vacuos munere prorsus abire permittis, præbe huiusmodi quidquã aliud, quod nos absque viæ dispendio, leuius pro tua deuotione perferre valeamus. Quod ille audiens, vehementer admirari, stupere, secumq. dicere cœpit: qui sunt isti, qui dum pauperes, egeniq. videntur, adeò,

Desiderium renunciandi sæculo, & ingressus in Religionem. Cap. IV.

Argenti cõtemptus maxima persuasio ad salutem.

quæ sunt mundi huius, despiciunt, vt in optimo vase ferendo, assumere vel minimum laborem contemnant? Non ne verè liberos, veréq. dixerim eos beatos, qui tanta fortitudine ambitionis iugum suis è ceruicibus excussisse, tantaq. mentis excellentia vanam mundi pompam calcasse cernuntur? Vnde super hoc plurimum ædificatus, vehementius ad secularis pompæ contemptum succenditur. Ab hinc igitur de sua valdè pollicitatione sollicitus, prius cupit experiri, vtrum cellulæ, quem audierat, laborem perferre sufficeret. Quamdam itaque cellam ingreditur, in qua nimirum quadraginta diebus, ad illius eremiticæ sanctionis instar, non segniter exercetur. Qua scilicet experientia admodum roboratus, nil iam cœpit eremiticam illam austeritatem pertimescere, immo toto eam affectu inhianter appetere. Tempore itaque optato suscepto, quo videlicet id apte peragere, præter scientiam suorum omnium posset, assumens ex suis bonis, quæ voluit, clam iter arripuit. Cum ad Eremum peruenisset, desiderium suæ mentis Senioribus illis aperiens, in illorum consortium se recipi deuotè poposcit: cui mox, quod salubriter postulat, gratanter permittitur: atque vni ex fratribus, pro nouitiorum more instruendus contraditur. Qui cum eum ad cellulam deduxisset, mox vt iussus fuerat, lineis exutum, ciliciòque indutum, ad Abbatem reduxit: quem Abbas cuculla superindui absque mora præcepit. Ipse verò super hoc admirans, dicebat intra se: Quid mihi accidit? non ne debebam prius disciplinæ huius experimentum capere, ac postmodum ad suscipiendum istum vltroneè poscens, accedere? numquid valeo tam subitò præuentus obtemperare? Cumque hoc secum ageret, extemplo in semetipsum reuersus, increpare se cœpit vehementer, & dicere: Numquid, si resposceret, vt plecti capite pro Christo deberes, ita effugeres, obstinatusue resisteres? Quod factum est, non ne paulò ante constanter tibi omnia perpeti promittebas? Cur tam cito eneruiter succumbere non formidas? At si forte illud iudicas noxium, istud admittas libentius; vt quò durius toleras, eò placidius in retributione suscipias.

Antequam Religionem ingrediatur, experientiam sui facit.

His itaque proprijs inuectionibus reflexus, Senioris præcepto illicò acquieuit, placidusque gratanter obtemperauit. Assumpto verò habitu, tantò protinus feruore succenditur; vt corporea cura contempta, sola, quæ sunt spiritus, appeteret: carnem spiritui totis viribus seruire compelleret: delicata, vel sumptuosa cuncta respuens, aspera quæque, & contemptibilia requireret. Porrò, quod dico, hoc intueri vales exemplo: Dum hic esset aliquando cum suo profecturus magistro, molliorem

Progressus in virtutibus, præsertim humilitate, oratione, mortificatione, & obedientia. Cap. V.

scapularem

ſcapularem induere, atque pulchriorem, quam affectaret, equum aſcendere iuſſus eſt. Rogare itaque magiſtrum ſummiſſis cœpit precibus, ne ſibi hoc dignaretur præcipere, quod ipſe nimium, velut indecens, abhorreret. Magiſter verò eius precibus acquieſcere nolebat, ne vilipendere videretur diſcipulum, quem diligebat tamquam vnicum, ſi ſic eum, iuxta ſuum deſiderium, ſecum permitteret incultum procedere. Diſcipulus autem longè aliter ſentiens, totumq. aliorſum conuertens, nimium erubeſcebat ſæcularibus tam apparere nitidulus: ne ipſe, qui olim ſeculo renunciaſſe videbatur, ſecularem pompam adhuc carnaliter quærere putaretur. Quod tamen opprobrium multò magis ille ſubire, quam inobedientiæ notam maluit: quam videlicet incurrere vehementius expauit. Videbatur enim ſibi, prout ipſe referebat vt quicumque illum ſic comptum equitare cernerent, digito demonſtrarent, & velut carnalem ſubſannarent: ſibique non monachi, ſed ſponſi nomen aptarent. Vnde tantus rubor eius ſuffuderat faciem, vt vix caput erigere, vix in quempiam poſſet acies oculorum dirigere. Illis autem regredientibus, cùm ad cœnobium S. Vincentij cui vicina rupis Petra pertuſa vocabulum indidit, peruentum fuiſſet; iam Domini ſeruus vlteriùs ferre nequit ignominioſum nitidulæ veſtis ornatum: occaſione itaque ibidem pauliſper remorandi reperta; magiſter cœpto itinere tendit ad Eremum; ille verò alium ſibi ſcapularem humiliorem ſtamine, & colore acquiſitum, induit: ſicque velut immani ſarcina, qua depreſſus hactenus fuerat leuatus, quantocyus poſt magiſtrum, ad proprium eſt monaſteriũ reuerſus. Nequaquam enim eos æquè poterat qui ſqualidis vtebantur veſtibus, venuſtis ipſe indutus reuiſere: dum moribus ornari potius geſtirent, quam veſtibus. Vt autem ad ſuperiora redeamus, bonæ indolis Chriſti miles tantis illicò ieiuniorum, vigiliarum, cæterarumque afflictionum laboribus ſe cœpit atterere; vt ij, qui diuturnis iam ſtudijs exercitati fuerant, illius mores, & vitam intuentes, ſua cogerentur acta contemnere. Nam dum inolitum vitiorum funditus certaret euellere, cuncta moralium ipſius loci exercitiorum genera totis geſtiebat viribus, indefeſſo operis labore, complere. Porrò loci inſtitutio huiuſmodi fore dignoſcitur, quod bini, diuiſis cellulis, commorantes, die, noctuq à ſpiritali luctamine, velut in acie conſiſtentes, brachia non remittebant. Inexpugnabilibus namque pſalmodiæ, orationis, lectionis, abſtinentiæ obedientiæque armis accincti, aduerſus aëreas poteſtates infœderabiliter dimicabant. Abſtinentiæ verò modus hic erat, vt quatuor in hebdomada diebus pane, & aqua contenti, ter-

Veſtes alicuius pretij abhorret.

Spiritualis Tyronis feruor.

Fõtis Auellani Eremitarum ſanctus viuẽdi modus, atq; exercitia.

tia, & quinta feria pauxillum leguminis sumerent, quod videlicet singuli in suis cellulis decoquebant. Ieiuniorum quippe diebus nequaquam pro suo libito cuiquam de pane sumere licebat: sed id quod præfixa mensura præbebat. Porrò de vini vsu quid memorem, cùm nisi pro Sacrificio, seu forsitan pro ægro, vinum ibidem tunc prorsus deesse feratur? Nudipedalia passim per Eremum cunctis temporibus exercebant: in cellis verò nec caligas induebant. Ceteris autem spiritalibus exercitiis, disciplinæ videlicet metaneis, palmatis, prolixis vlnarum extensionibus, sedulò, prout cuique feruor, virtusque inerant, incumbebant. Porrò vigiliarum hunc morem seruabant, vt signo temporis personante, totum post synaxim Psalterium ante lucem complerent. Petrus verò hoc commune signum longè vigilando præueniēs quidquid tamen noctis post synaxim restabat, continuatis excubiis transigere satagebat: ne communem scilicet videretur canonem soluere, qui ad iniussa quoque se conabatur extendere. Nouerat enim sacratius fore, quod publica lege taxatur, quam quod institutione priuata dependitur; & quod gratuita munera quantumlibet grandia, minimè valeant à mandato legis offerentem absoluere; quo minus quæ lege præfixa sunt, studeat diligenter implere: cui nimirum licet quælibet pro deuotione adiicere, non tamen instituta maiorum propriis amouere. Voluntaria quippe augere meritò possunt, excusare omnino, quæ legis sunt, nequeunt. Denique dum huiuscemodi pernoctaret excubiis, tantam læsi cerebri passionem contraxit, quo vix vel modico somno iam refici posset: atque postquàm, adhibito medicamine, de concepta passione, diuina opitulatione, conualuit, sic iam discretè agere didicit; quatenus & remissionis torporem vitare, & præcipitationis cursum prudenti moderatione cohibere satageret. Qui nimirum dum cellulæ stationem rigida censura seruaret, & post assuetum psalmodiæ, precum, atque orationum persolutum, sedula meditatione lectioni vacaret, tanta diuinarum Scripturarum scientia claruit, quanta sæcularium antea non claruerat.

Fama illius sanctitatis longe diffusa, cogitur aliorum saluti inuigilare. Cap. VI.

Cùm tempus igitur aduenisset, vt lucerna domus Domini erecta super candelabrum omnibus luceret, iubente magistro, paucis illis fratribus exhortationis verba impendere cœpit. Cùmque eius opinio iam latius effusa, crebesceret. Vuido venerabilis Abbas Pomposianus, vir sanctissimus, suos legatos ad huius Abbatem dirigens postulauit; quatenus charitate fratrum, eum ad suum monasterium destinaret, secum-

que aliquandiu remorari permitteret: quo, poscentibus fratribus, verbi sacri erogare pabulum debuisset, eiusque pia petitio charitate, quàm postulat, Deo disponente, minimè frustratur. Illuc enim dirigitur, vbi caterua fratrum centenarium numerum ferebatur implere. Cumque ibidem ferè biennio retentus, non parum fructum ex iacto verbi semine fidelis operator Domino tulisset, accepto Abbatis sui mandato, subnexo etiam obedientiæ verbo, quatenus ad se redire debuisset, licet pluribus obstrictus precibus, teneri vltra nequaquam valuit: sed tāquam vir Deo plenus, obedientiæ per omnia subditus, magistrum non obaudire formidans, festinus ad eum rediuit. Sæpe namque nobis referre solebat, cum sermocinandi occasio id videretur exposcere, quo sui nos exemplo, velut ex propinquo, ad obediētiam efficacius prouocaret: quod si quid olim sibi cum obedientiæ additamento præcipi contigisset, tanto sua viscera verbum hoc illico terrore concuteret, vt nulla iniuncti operis difficultate, ab ipsius executione retardari valeret. Peracto igitur cum suis confratribus permissi temporis spatio, iterum eiusdem rei gratia, ob quam Pomposiam ierat, ad S. Vincentii, cuius supra meminimus, Monasterium pergere iubetur. Quod nempe quanto vel turba monachorum, vel latitudine facultatum cernebatur vberius, tantò se monasticæ normam disciplinæ fore declarabat angustius. Ibi quoque aliquandiu commoratus, nequaquam segnis à Dominicæ vineæ cultura quicuit: donec, cooperante sibi Domino, vberem sui fructum famulatus impenderet.

Obediētiæ studium singulare.

Magister vero eius tantam ipsius prudentiam, ac zelum considerans, lætabatur strenuum se recepisse discipulum, cui tutò committeret ipsius Eremi gubernacula. Assumpto itaque discipulorum consultu, Eremi procurationem ei, licet abneganti, ac renuenti, post se suscipiendam mandauit. Post migrationem verò magistri, regimen loci suscipiens, tàm spirituali, quàm temporali cultu haud modicè dilatauit. Et quia diuina gratia ad vberiorem animarum fructum eius mentem succenderat, cœpit alia loca perquirere, vbi ad seruiendum Deo congregare monachorum copiam posset. In Camarinensi itaque diœcesi aptum quemdam ad eremitarum habitacula locum, iuxta suam vicinā rupem, curiosus indagator inuenit: ibiq. congregatis fratribus, oratorio fūdato, ordinatoq. Priore, sub quo famulari Deo deberēt, rursum ad locum aliū inuestigandum processit. Peruenit igitur ad montem Pregium, in territorio Perusino, ibiq. alia eremitarū fundauit habitacula: vbi videlicet

Creatus Prior, multis monasterijs exædificatis, eremiticam disciplinam amplificat. Cap. VII.

cellulam quandam inuenit, in qua B. Romualdum quondam mansisse ferebant. Quo igitur in loco, alijs locatis fratribus, ad alium rursus demigrans, in Comitatu Fauentino congruum reperit locum, qui nuncupatur* Gamonium: vbi præparatis habitaculis, alios Deo famulaturos constituit. Sed & vicinum huic loco Monasterium, quod Acereta dicitur, construxit. Alterum quoque in Ariminensi territorio, in loco, qui Murcianum nominatur. Huiuscemodi autem studijs assiduis vacare gaudebat: non quæ sua essent, sed quæ Iesu Christi requirens. Porrò quamquam his gerendis prudens Dei seruus instaret, tamen dilectum sanctæ Crucis Fontis Auellanæ locum, & collegium, quod ipse præ omnibus tamquàm vnicum diligebat, crebrò, quocumque diuerteret, visitare curabat. Nequaquàm sanè illorum obliuisci poterat, cum quibus à suæ conuersionis exordio conuersatus fuerat: quosque iussione magistri, sibi commendatos esse recolebat. Quamquàm nec ceteros, quos per diuersa loca discipulos aggregauerat, sua diutius visitatione carere patiens, modò sui præsentia, modò Epistolis, modò dirigendo aliquos spiritualium discipulorum sibi hærentium, omnes paterna sollicitudine cõgruis vicibus inuiseret. Hanc quippe sollicitudinem non solùm proprijs quos ipse fundauerat: sed & pluribus locis alijs tam Cœnobiorũ quam Canonicarum, tanquam communis parens cunctorum, non desinebat impartire, prout cuique videbatur expetere. Sed his paululum intermissis, iam de illis aliqua loquamur, quæ Dominus per eum fecisse dicitur: in quorum sanè relatione, Deo opitulante, quidquam immiscere mendacij velut ex proprio, prorsus vitare curabo: illorum traditione fideliter exequendo, qui se vel ipsis interfuisse, vel ab his, qui interfuerant, accepisse, seu etiam qui erga se ea, quæ memorabant, gesta fuisse dicebant.

*Gauiuniũ.

Philip 2.

Quadam igitur die apud præfatum Gamonium cum in cella consisteret, fratri qui ei ministrabat, ex fonte sibi potum afferre iussit: qui statim pergens festinus iussum compleuit. Quod magistro gustante, vinum esse deprehenditur. Increpare itaque discipulum cœpit, quod pro aqua sibi vinum tulisset. Illi verò asserenti, hausisse se ex fonte, quod obtulerat; eumdem sibi potum magister porrexit, iubens gustando ipsum, experiri: quo valeret, se teste, fallax conuinci. Cui gustanti licet vinum sapuisset, quod erat: nihilominus tamen, vt bene sibi conscius, potum illum ex fonte se hausisse affirmabat. Cumque illi fides nequaquam daretur, alius ad eumdem fontem frater dirigitur, cuius gressus, ne fallere similiter posset, obseruari præcipitur. Qui ergo ex eodem

B. Viri meriti aqua bis in vinum mutatur. Cap. VIII.

fonte, mox pleno vasculo hauriens, concitus rediјt: potum quem hauserat, magistro tradidit. Verùm dum hic quoque potatur, optimã esse vini speciem æquè ferè probatur. Fratres quoque, qui cum eo erant, ex eodem gustantes, vinumque optimum comperiẽtes, Deum præ gaudio collaudauerunt omnes. Quibus Petrus illicò prostratus supplicat, immò sub obedientia interdicit, ac mandat, quatenus se in carne degente, nulli prorsus mortalium, quod factum nouerant, pandant. Quo factum est, quod ad nostram notitiam id, ante ipsius obitum, nequaquam peruenire potuerit: sed postquam illius sepulturam Fauentiæ celebrassemus, indéque redeuntes, apud præfatum Monasterium suum Aceretæ prima mansione hospitaremur, ibidem non solùm istud, sed & alia quædam, quæ, faciente Domino, miraculo huic subdere curabimus, nos addiscere contigit: referentibus eadem quibusdam eiusdem Monasteriј fratribus, nec non & prædictæ Eremi, qui tunc illò conuenerant.

Aliquando Vir Dei buttem vini repositam apud quamdam suam capellam habuerat; accidit autem, vt die quadam militum turma propè ipsam capellam pertransiret: qui dum siti æstuarent, requirunt Presbyterum, si eis vinum præbere posset. Quibus ille respondit: Nil prorsus vini eò loci haberi, præter vnam tinam Domni Petri, quam ipse contingere non auderet. Quo audito, is, qui ceteris præerat, quique vt aiunt, eumdem Virum Dei subexosum habebat, respondit, dicens: Vtique si Domni Petri est, ex ipso ego libentius bibo: moxque sibi famulantibus iussit, quatenus ex vino illo sibi, ac socijs propinare curarẽt. Qui nempe conciti alacriter, vt genus illud hominum solet, ad huiusmodi obsequium currunt, sed euulso tenello, nil prorsus vini suscipiunt: vertuntur ad alium, tantumdem reperiunt: tum cuncta foramina pandunt; & ô prodigium! dolij aditus patent, & liquor interius, ac si quid solidum, nihilominus latet: superius itaque spiramen pandentes, & si quid intus meri contineatur, curiose rimantes, dimidio tantum palmo vas semum inuenerunt. Stupentes ergo huiuscemodi euentum, arbitrantes tamen adhuc, ne quid fortè obstaculi lateret intus, quo liquoris impediretur egressus, ingerunt singulas aditibus patentibus virgas: quibus deductis, eas quidem madere conspiciunt, vinum tamen introrsùm nihilominus hæret inclusum. Illa nimirum virtus, quæ Israëlitico quondã populo rubri maris profunda calcanti, aquarum fluenta, murorum ad instar, dextra, leuaque suspenderat, liquoris huiusmodi fluxum constrinxerat. Et qui hostiles tunc aduersariorum acies,

S. Doctoris vinum ex dolio pervim milites depromere non possunt, quod pius peregrinus deinde potuit. Cap. IX.

Exod. 14.

ne gressus piorum impediri possent, aquis potenter immersit; ipse nunc istorum proteruiæ, ne suo nocerent famulo, mirabiliter obstitit. Nam, vt illorum rabida fames, interempto Dei populo, manubiorum præda satiari nequiuit; sic istorum vesana sitis rapina eius famuli restingui minime valuit. Dum suos itaq. vesanos conatus superna virtute delusos, frustratosq perpendunt, diuinæ cedentes virtuti, confusi arentesq. discedunt. His autem profectis, viator quidam adueniens, eidem flagitabat Presbytero, vt sibi quantolibet vini dignaretur poculo subuenire: cui Sacerdos eadem, quæ prioribus, verba respondit. Cumq. viator precibus instaret, quatenus ex eodem, charitatis sibi gratia, subueniret; Sacerdos quæ militibus illis contigerant, ei seriatim enarrare curauit, ne vltrà sibi importunius insistere debuisset. Ille tamen à sua petitione minime desistens, aiebat Se iam magis ex eius sperare beneficio, quod rapinæ arrogantium ita abstractum fuerat, dum ipse sibi bene notus iam dudum fuisset, suumque frequenter exhibuisset. Iam igitur Presbyter tanta postulatus instantia, fideq. mollitus, licet timide, accessit ad doliũ; & quoniam, vt scriptum est: Superbis Deus resistit, humilibus dat gratiam; liquoris fluxus facilis mox attactu est haurientis manuum secutus. Itaque mitis obtinuit inermis, quod armatis fuerat negatum superbis.

Iacob 4.

Io summa panis carita- te, ciborum copia cælitus affertur. Cap. X.

Dum, quadam die aduesperascente, idem Pater fessus cum eodem, qui hoc mihi retulit, fratre à silua rediisset, sola panis quadra cum crudis oleribus cænanti apponitur: quem ille totum socio largiens, solis oleribus vescens, hortabatur conuiuam, quod patienter illam ferret pauperem cænam, ditiorem habiturus in crastino mensam. Factumque est. Sequenti etenim die tanta est allata ciborum copia, quæ cunctis illic degentibus in plures dies sufficere poterat.

Quidam B. Viri meritis, cui piscem deferebat, a mortis periculo liberatur. Cap XI.

Vir quidam magnus, admodum viro Dei deuotus, onusta piscium exenia in præcipuis ei sollemnitatib. legare consueuerat: accidit autem, vt aliquando, Domini propinquante natale, nequaquàm huiusmodi potuisset pisces inuenire, quos dignè ei posset iuxta morẽ dirigere: cumq. super hoc non modica angeretur molestia tandem in ipsa sacra Dominicæ natiuitatis nocte, grandis ei piscis aduehitur. Exhilaratus ergo, & plurimum gauisus præcepit, vt Dei viro illico deferretur. Porrò nox tetris densata tenebris, nullum stellarum lumen radiabat, via quoque nimis laboriosa & difficilis erat, quam lutuosæ niuis salebra omninò consperserat; piscis tamen portitor nulla difficultate, diei lucem præstolari permittitur. Eo itaque cœpti itineris viam carpente, ad ob-

ſcuram quamdam ripam, profundamque peruenit: cuius extrema dum nimium, velut ignarus, perſequeretur, lapſis repente veſtigiis, in ima præcipitatur; & cùm tantus fuerit caſus, vt ſolui potuiſſent totius corporis nexus, meritis tamen viri Dei, virtute diuina, totus ſeruatur illæſus. Incolumis ergo, & validus, onus excuſſum ceruicibus, lætus reſumpſit, ſicque ad Dei hominem hilariter properauit; Domini ſui munus obtulit; quodq. ex mortis faucibus ipſius fuiſſet meritis ereptus gratias egit. Cui ille, noli, inquit, fili, noli homini deputare peccatori, quod Deus tibi dignatus eſt ſola ſui miſeratione largiri: ei tantum ex collatæ ſalutis munere gratias age, qui numquàm ſibi famulantibus in tribulatione deeſt.

Sanctorum patrocinium.

Hic vnum ex diſcipulis ad quemdam aliquando direxit Abbatem, quem dum in Monaſterio frater ille minime reperiſſet, eum, quò diuerteret, ſollicitus requiſiuit: quod cùm egiſſet, regreſſus ipſius mora adeò protelata eſt, vt die, qua expectabatur, nequaquam redire potuiſſet: cumque ob id de correptione cœpiſſet trepidare, ſuſcepto ſocio, iter ſuum arripuit ſub ſilentis noctis obſcuro: ac dum ſimul paululum proceſſiſſent, eius conuiator paulatim ſe ſubtrahens, furtim abſceſſit. Quo facto, monachus ille viæ, quam cœperat, prorſus ignorans, cœpit vehementer triſtari; cùm nec vlterius progredi, nec regredi, quà venerat, noſſet. In arcto itaque ſitus, hoc à Domino ſupplicans poſtulauit; quatenus iter ſuum meritis illius dirigeret, cui ſatagebat obedientiam exhibere: cumque oratione facta, abire cœpiſſet, quoddam biuium reperit, vbi dum paululum hæſiſſet, ambigens, cuius tramitem terendum aſſumeret, vnum tandem elegit, quem aptiorem ſibi fore putauit: in quem dum conaretur iumentum dirigere, non conſenſit; ſed alterum capiens obſtinatè pergere cœpit. Seſſor verò toto anniſu calcibus, atque verberibus inſtabat ad ſuum votum ipſum reducere; illuc nihilominus tendebat, quo cœperat pergere. Cum autem hac colluctatione diutius certatum fuiſſet, nec tamen rector iumentum ſibi ad obtemperandum, vllo modo reuocare potuiſſet, iam demum ſuſpicatus, ne fortè brutum illud animal ita ſibi contra morem diuino inſtinctu reſiſteret, totas illi laxauit habenas, quatenus iam liberum pergeret, quò ipſum Deus dirigere vellet. Mane itaq. facto, iam luceſcente diluculo, erectis oculis quæque nota conſpexit, ſeſeq diuino munere, rectiſsimo tramite directam fuiſſe agnouit. Ergo ſuas preces magiſtri meritis exauditas eſſe cognoſcens, Deo gratulabundus gratias egit:

Alter in biuio hærēs, eiuſdem ope in iter certū dirigitur. Cap. XII.

Orationes noſtræ meritis Sanctorum exaudiuntur.

nec non & suo magistro, quem adeò dignum Deo fore perspexit.

B. Viri nuncius ex luto extrahitur, & à nocturno timore soluitur: tāti mali auctore per visum à S. Viro virgis admonito Cap. XIII.

Alio quoque tempore quendam nuncium cuidam destinabat Episcopo, qui dum aquæ riuulum in via reperisset, cum quidem facilè transuadauit, sed mox in eius egressu; tanto ipsius equus infigitur luto, vt nullo conamine ex eo potuisset exurgere; eques verò ita se impeditum considerans, & quid ageret, prorsus ignorans, deprecatus est Dominum, quatenus sibi dignaretur illius meritis subuenire, cuius se nouerat obedientiam gerere. Qua supplicatione ad Dominum fusa, confestim equus prosiliens, concitus in aridam exiuit, correptoque spatio agilis ad vrbem peruenit. Cum autem ad Episcopum, cui missus fuerat, peruenisset, nequaquam Episcopum, quem quærebat, inuenit: reperto tamen quodam eiusdem Patruele, honestè ab eo susceptus est. Qui planè pro tanti viri reuerentia, cum omni domus ipsius familia ei officiosissimè deseruiuit; in hoc vno tamen non modico erga eum deliquit, quod dum istum stratum locasset, cunctis recedentibus, solum in spatiosa illa mansione cubantem dimisit. Quod nimirum dum ille persensit, tantus eum horror inuasit, vt vix quantumlibet soporis illa nocte potuisset admittere. Verumtamen nec iuuenis ille impunis euasit, qui eiusmodi erga eum negligentiam duxit. Eadem quippe nocte, dum ille somno resolutus, in stratu suo iaceret; vir Dei Petrus in eum violenter insilijt, dureque virgis validis intentatis, exterruit, eo quod legatum suum tam immaniter sua negligentia contristauit. Qua verò visione completa, illico expergiscens, cæpit diurnam lucem præstolari sollicitus, quod suum hospitem reuisere, & alloqui posset. Primo itaque lucescente diluculo, ad illum properans diligenter eum inquisiuit, quid negligentiæ quidue delicti circa eius fuerat commissum obsequium quod in se Domnus Petrus tam se terribilem inuexerat, tantisque se minis, ac probris obiurgauerat, atque terruerat. Cui protinus ille, tantò, inquit, hac nocte, cunctis vobis recedentibus, solum me relictum fuisse expaui, vt cum graui molestia insomnem penè totā protraxerim noctem. Quibus vicissim reuelatis, admirati viri Dei potentiam glorificauerunt Deum, qui tantis prodigiis se mirabilem in sanctis, & seruis suis ostendit. Cuius vidēlicet signi, is qui missus fuerat, ita est admiratione cōpunctus; vt ad virum Dei reuersus, confestim se illi commiserit, promittens se iam sæculo abrenunciaturum, & regularem habitum ex ipsius benedictione ad famulandum Deo assumpturum. Quod quidem ipse post modicum impleuit: idemque hoc nobis, vt digessimus, ex ordine totam enarrauit.*

* familiare.

Sancti Viri sunt suorū defensores.

Cum tanta

Cum tantæ igitur ipsius sanctitatis ac prudentiæ iam latere fama nō posset: ad aures sanctæ Romanæ Ecclesiæ clara defertur. & quoniam vir tantus Sacerdotio censetur idoneus, atque negotiis Ecclesiasticis quàm maximè necessarius, perductus ad Summum Pontificem tunc Stephanum videlicet nonum; ad suscipiendum Episcopalem cathedram, tam ab Episcopis ceteris, Ecclesiasticis viris, quàm ab ipso quoque Summo Pontifice compellitur. Ipse verò non immemor solitariæ quietis, in qua diuinæ lectioni, & contemplationi suauiter vacare consueuerat, eā amittere, ciuilemq; strepitum repetere, nimium perhorrescens summo, & omni conamine eorum compellationibus resistebat. Qui porrò cernentes nil suis prorsus cohortationibus, nil precibus proficere, iam ei cœperunt excommunicationis sententiam, si obstinatè resistere vltra decerneret, intentare. Quid plura: Dominus tādem Apostolicus vnum super addere statuit, quod ab eo contemni prorsus nequiuit. Sub obedientiæ namque sibi præcepti imperio, vt obtemperans fratribus, placidè quod iubebatur, assumeret: moxque ipsius arripiens dextram, anulo simul dotauit & virga: quibus videlicet arris Ostiensem sibi copulauit Ecclesiam. Episcopatu verò hoc ordine assumpto, illud illicò in se agnouit impletum, quod per visionem sibi fuerat ante triennium reuelatum. Porrò visio talis fuerat, putabat sibi sponsam clarissimam fore dotatam, quam non contingere, nec æquo saltem intuitu valebat inspicere: cui tamen nullatenus renunciare audebat, tamquam sibi iure coniunctæ. Quod huic planè negotio prorsus concinuisse perspeximus. Agnouimus enim ipsum super hoc multoties conquestum fuisse, iniunctæ tamen obedientiæ sarcinam quamlibet onerosam, à suis vmquam ceruicibus excutere minimè præsumpsisse.

Ex obedientia Stephani Papæ IX. creatur S. R. E. Card. Episcopus Ostien. & illius super hac re somnium.
Cap XIV.
Excelsus animus B. Damiani in fugiendis dignitatibus.

Cum se igitur perpendisset istiusmodi iugi nexibus taliter mancipatum, nec iam sibi licere solitæ contemplationi liberè deseruire, arbitratus est præteritorum dispendia, lucris fore sequentium compensanda; quò Rachelis venustati, Liæ posset fœcunditas comparari. Vt fidelis igitur seruus, ac prudens, Dominicæ se familiæ procuratorem constitutum cognoscens, cœpit solerter procurare, quatenus susceptum ministerium taliter sibi commissum impenderet, vt aduentum Dominicum posset intrepidus expectare: tamque plenam, & perfectam annonæ mensuram suis exhiberet conseruis, quò veniēte Domino, mereretur audire: Euge serue bone, intra in gaudiū Domini tui. Nec hoc tamen sibi sufficere iudicās, sit ergà vnius tantum Ecclesiæ plebem, cui videlicet præerat, administrationis suæ curam prætenderet; dum se cunctis sciret obnoxium

Salutē animarum, & Christi, ac B. Virginis cultus amplificationē, cum sua salutis periculo curat.
Cap XV.
Matt. 25. & Luc. 19.

conseruis, in vna secum familia conscriptis, se sollicitum exhibebat: omnesq lucrari Deo cupiens, tamquam sagax rimator piscosi gurgitis, solerter inuestigabat, sicubi pro qualibet sollemnitate populi multitudo cōflueret, quatenus diuini verbi lineam submittens, plures capere, & quasi de mundani æquoris profundo ad superni amoris alta sustollere posset. Huiuscemodi namque lucri gratia, lōgè diurnam lucem multoties eum præuenire conspeximus, si talis conuentus longiusculè fieret, ne competēs sermocinandi sibi hora transiret. Sæpenumerò quoque illum nouimus acribus febribus nocte confectum, mox, orto sole, ingressum Ecclesiam, Missarum inchoasse sollemnia: & vsque sextam ferè horam, edita voce, in aure totius plebis protrahendo sermonem, non paruum nobis ex se præbuisse miraculum; cum & robustiorē viribus, & clariorem eloquio cerneremus quem iam penè defecturum suspicabamur. Quo plane daretur intelligi, nō alium ipsius ore concionari, quàm illum, qui Discipulos suos docens, aiebat: Non enim vos estis, qui loquimini; sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Cuius videlicet eloquia, velut e largissima fontis vena redundantia, singulorum capacitati congrua propinabat. Quæ nimirum etsi aliquando fierent prolixiora, nulli tamen esse poterant onerosa. Quæ nempe onerositas in illius esse posset sermonibus, quibus erectis auribus tamquàm diuinis affectibus, ab omnib. intendebatur? aut infructuosa eius esse poterant verba, cui Sancti cooperabatur Spiritus gratia? Minime. Hinc namque est quod dies Crucis ab innumeris fidelibus hac tota Prouincia ob reuerentiam Dominicæ passionis in abstinentia celebratur. Quam videlicet obseruantiam idem passim omnibus prædicans, hortabatur. Hinc nihilominus constat, quod omnium horarum officia in honore almæ Dei Genitricis in plurib. Ecclesiis instantia, maxima gestum parte dignoscitur. Quod matricum Ecclesiarum Clerum per Romanam Prouinciam vndique sibi contiguam congregatum inspicimus, eosq. nonnulla canonici ritus vestigia, Deo fauente, imitari applaudimus: qui relictis olim cunctis canonicis institutis, & à communis vitæ ordine prorsus recesserant, & in singulis larib. vna cum mulierculis, sæculariter degebant.

Matt. 10.

Ieiunium sextæ feriæ & Horarū B. Virg. institutio, per B. Damianū amplificantur.

In simoniaca quoque labe, & hæresi ac Nicolaitarum euellendis non minimum laborauit: quæ videlicet pestes tam perniciosa consuetudine præualuerant, tamque impunè totam fermè Ecclesiam in omni Romano Orbe fœdauerant, vt vix iam reprehensorem, tamquàm licitæ, formidarent. Quas o Domine o bone Iesu, iam nos per hunc tuum egregium bellatorem, ceterosq. paucos sibi adhærentes, eliminatas esse, te cooperāte,

Simoniacā & Nicolaitarum hæreses euellit: Ambrosianam Ecclesiam cum Romana reconciliat.

Cap. XVI.

gaudemus prostratisq; hilares insultamus. Ob quas nimirum ex Ambrosiana quoque Ecclesia propulsandas, quanto se di crimini immerserit, nequaquam silentio prætereundum putamus. Denique, vt idem in quodam suo libro quem ipse super hoc speciali negotio edidit, cui vocabulum, Actus Mediolani iuxta sui proprietatem, indidit luculenter expressit. Propter has geminas hæreses Simoniacam scilicet, & Nicolaitarum, inter præfatæ Ecclesiæ populum, & clerum non parua fuerat oborta seditio. Quoniam quidem hæc gemina pestis execrabilis ita apud illos inoleuerat, tantamq. libertatem assumpserat, vt ad fœditatis suæ nequitiam peragendam, nequaquam iam latibulum quæreret, sed velut licita, honestaq. negotia, publice exerceret. Nam si quis ad quemlibet Ecclesiasticum erat ordinem promouendus, nullatenus absque vænalitatis commercio ac consecrantis, immò contaminantis manus valebat accedere. Alterius vero fœditas eatenus se impudenter effuderat, vt nuptiæ presbyterorum nil discrepare viderentur ab ambitione sæcularium. Vnde diuino instinctu, tactus zelus fidelium laicorum aduersus detestabiles istas labes pio contigit feruore succendi; vt, pro tantis scelerib. diluendis, Apostolicæ Sedis suffragium requisissent. Ad quod itaque peragendum, summus Pontifex Nicolaus secundus hunc, quẽ tàm sapientiæ, quàm sanctitatis auctoritate præditum nouerat, destinare curauit. Qui cum profectus fuisset, condignaq. sibi, atq. Apostolicæ Sedi prorsus veneratione susceptus, causam sui Apocrisariatus, totius Ecclesiæ auribus intimauit. Quo factum est, vt mox post diem alterum, factione clericorum, repente in populo murmur exoriretur: nõ debere Ambrosianam Ecclesiam Romanis legibus subiacere: nullumq. iudicãdi, vel disponendi ius Romano Pontifici in illa sede competere. Nimis indignum, inquiunt, vt quæ sub progenitoribus nostris semper extitit libera, ad nostræ confusionis opprobrium nunc alteri sit, quod absit, Ecclesiæ subiecta. Postremo tumultuantium clamor attollitur, ad Episcopale palatium vndiq conuenitur; deinde tintinnabula perstrepunt, tubarum clangoribus tota ciuitas intonat. Intentabant, vt ita loquar, ei omnia mortem: & sibi à quibusdam suis dilectoribus, & compatiendo mærentibus, suggerebatur, quod nonnulli eius sitiebant cruorem. Congregato itaq. in Ecclesia clero, & populo, ascendit pulpitum. Quo vix tandem sedato, his verbis exorsus est: Nouerit charitas vestra, dilectissimi, non me pro Romanæ huc Ecclesiæ honore venisse, sed vestram prorsus gloriam quærere: vobis salutem, & gratiam, quæ est in Christo*

* H. b. tom 3. opusc. 5.

Iesu: cum eius auxilio, si permittis procurare. Quo enim pacto honore indiget paruuli hominis, quæ laudum præconia ex ipsius ore sortita est Saluatoris? Quæ autem Prouincia per omnia Regna terrarum ab eius ditione extranea reperitur, cuius arbitrio ipsum quoque cælum & ligatur, & soluitur? Ceteras quippe Ecclesias cuiuscumque dignitatis, siue Rex siue cuiuslibet conditionis homo purus instituit, & prout voluntas erat, aut facultas specialium prærogatiuarum eis iura præfixit; Romanam autem Ecclesiam solus ille fundauit, & super petram Fidei mox nascentis erexit, qui beato cæli clauigero Petro terreni, simul & cælestis Imperij iura commisit. Illius ergo priuilegio fungitur, illius auctoritate fulcitur. Vnde non dubium, quod quisquis cuilibet Ecclesiæ ius suum detrahit, iniustitiam facit: qui autem Romanæ Ecclesiæ priuilegium ab ipso summo Ecclesiarum omnium capite traditum, auferre conatur, hic profectò in hæresim labitur. Fidē quippè violat, qui aduersus illam agit, quæ mater est Fidei: & illi contumax inuenitur, qui eam cunctis Ecclesiis prætulisse cognoscitur. His itaque, aliisq. quampluribus rationib. de prærogatiua, & primatu Sedis Apostolicæ redditis; populus omninò beneuolus redditur, seseq. executurum quidquid iniungere placuisset, vnanimiter pollicetur. Quid multis immoror? Adest Clericorum perplurimus ille cōuentus, qui ex omni Ambrosiana Parochia, quasi ad Synodum, fuerat cōuocatus. Communiter ergo, & sigillatim quisq perquiritur, & vix è tanto numero quispiā promotus ad ordines sine pretio reperitur. Hic itaque quot curis afflictus, quot sit cogitationum stimulis tædiatus, quis explicet? Tàm lata siquidem diœcesis, tàm nobilis Vrbis omnes Ecclesias, vt verbis vtar ipsius, sacris mysteriis quodāmodo prophanare, Christianæ videbatur religionis euersio. Sed & litigiosum erat indulgere paucis, cum ferè omnium esset culpa communis: nec legitimū videbatur diuersam in eos prodire sententiam, cum esset vna omnibus causa. Hoc etiam suas augmentabat angustias, quia nisi qualecumq. decisionis calculum causa ista susciperet, nisi cum magna hominum strage furentis populi se iurgia non sedarent. In arcto itaq positus, quia nō poterat mala illius Ecclesiæ mera canonum auctoritate corrigere, studuit saltem peruersis eius vsibus finē imponere, ac gratuitæ promotionis ordinem futuris temporibus prouidere. Exegit itaque non solum ab Archiepiscopo, verùm etiam à cunctis eius officialibus, ad quos pertinere videbatur, inuiolabilem sponsionem per monimenta litterarum, per sacratæ manus attactū, postremò per Euangelicū Sacramētum, de Simoniaca labe, & Nicolaitarū hæresi ex tunc, & deinceps delēda, funditusq. pro suis

Matt. 16.
Ibid.

Ecclesia Romana a Christo fundata.

Sacri iuramenti antiquitas modus.

viribus fid. liter extirpanda. His verò ita gestis, plurimorum Sanctorum Patrum canonum auctoritas exquiritur: quibus consideratis necessariæ discretionis moderamine visum est, vt omnes illi clerici, accepta pœnitentia, inter Missarum sollemnia reconciliarentur, ornamenta de manu Episcopi, ex auctoritate Toletani Concilij, recipientes. Eis itaque taliter reconciliatis, decretum est, vt non mox passim omnibus redderetur officium: sed his dumtaxat, qui essent & litteris eruditi, & casti, & morum grauitate honesti viderentur. Ceteris autem sufficeret, quod sanctæ Ecclesiæ per diuinam gratiam, essent rursus inserti, à qua eatenus fuerant diuinæ scientiæ fate præcisi. Illi autem Episcopi, quibus administrandi licentia redditur, non ex male mercata veteri ordinatione ad amissum reparantur officium; sed illa potius beati Apostolorum Principis efficacissima auctoritate, quam in B. Apollinarem repentè vsus est, dicens. Surge, accipe Spiritum sanctum, simulque Pontificatum. Hæc autem succinctè perstringere curaui, vt cetera ipsius gesta, horum inspectione possint aduerti. Quo denique modo ego illius acta queam sigillatim exprimere, qui numquam in sancta Ecclesia desistebat, quidquid prauum, quidquid insolens emergebat, euertere; quidquid verò pium, ac religiosum aduertebatur, ad Christi gloriam instituere? In quibus sanè operandis non parua eum facultas diuinitus comitabatur, cum ipsius auctoritatis censura penderet, quid in ea admittendum, quidue agendum canonicis sanctionibus foret. Huic quidem assertioni tota Romanæ Vrbis attestatur Ecclesia, quæ quondam doctrinæ illius splendore illustrata, eiusque auctoritate subnixa, ipsius abscessu & ab exhortationis verbo se penè obmutuisse, & inrecompensabilis auctoritatis munimine caruisse deplorat. Illius nempè auctoritas omnes confutabat errores: vacillantesque confirmans, ambigua stabiliebat: litigantium ora refrænans, superborum colla premebat, mentesque humilium animans, roborabat.

B. Apollinaris à S. Petro ordinatus Episcopus.

Circa misericordiæ quoque opera qualis, quantusque fuerit, quis dignè loquatur? Quis sanè in eleemosynarum studio propensior? quis in abluendis pauperum pedibus deuotior? Quis in vestiendis nudis, in reficiendis egenis, in visitandis ægrotis promptior illo potuit esse vnquam? Ab istiusmodi namque operibus nulla penè illi dies vacabat, vbicumque hoc fieri, temporis, aut loci congruentia permittebat: & dum ista vbinis locorum agere non desisteret, quid putandum, cum apud Episcopum maneret? Ibi siquidem turba pauperum Episcopalia limina quotidie frequentante, alii dapibus appositis reficiebantur, alij accepta stipe reuertebantur: ex quibus, assumptis duodecim eorũ, assiduè pedes lauabat. Præ-

Pietas, ac liberalitas in pauperes, ac religiosos viros Capitul. XVII.

tereà in suis conuiuiolis, quæ semper ex more cum hospitibus communicabat, si qui egeni circumquaque per regionem lectulis decumbebãt, obliuisci ab eo minimè poterant: dum quemlibet suorum, quem timere Deum arctius sciret, ad horum ministerium specialiter deputatũ semper haberet. Huiusmodi quippe studiis assidua exercitatione persistens, talibus gratulabatur latioribus facultates Ecclesiæ thesauris infercire cælestibus, quas scilicet in propriis summoperè deuitabat assumere sumptibus. Aiebat enim se Dominicarum rerum constitutum fore ministrum, non dominum; dispensatorem, non possessorem. Vt autem suorum quoque clientium ad hæc fideliter exercẽda, deuotas mentes accenderet, huiuscemodi eos sermonibus satagebat commonere frequenter: Noueritis filij omnia ista sacra esse, & peccatorum pretia; vnde summoperè cauendum, ne quid horum, auaritia, seu qualibet negligentiæ incuria Christi pauperibus subtrahatur, quibus nostra residua omnia illibata debentur. Cum nobis itaque suppetant, quibus egeni, & miseri valeant refoueri, diligenter exquirite, piè considerate, qui vicinis in regionibus ægrotent: qui vel esuriei, vel penuriæ cuiuslibet angore laborent; quatenus huiusmodi piè compatiẽdo, necessaria ministrantes, æternæ mercedis fructum nobis, vobisque communem in cælestibus acquiratis. Quoniam quidem si modo in seminando fideles nobis cooperatores extiteritis, de communi proculdubiò nobiscum fructu beata in retributione gaudebitis. Huiuscemodi quippe monitis pius Pater suos contubernales ad misericordiæ opera instigabat: Hinc sane pensandum est qualis in exhibendis confratrum necessariis fuisse credatur, qui tantæ benignitatis erga vniuersos extitisse dignoscitur. Verùm quid de cohærentibus sibi memorem? quandoquidem erga cunctos Dei famulos in sacræ militiæ proposito constitutos, eo dilectionis vinciebatur affectu, quo eorum amplius, quàm proprio, gratulabatur solatio.

In suum monasteriũ se recipit, ibiq ieiunijs, oratione, ceterisq. corporis, atq. animi exercitationibus excolitur. Cap. XVIII. Corporis afflictatio.

Porrò, dum ab exterioribus istis, licet sanctis, & Deo gratis, ad dulcia Eremi secreta, tàm pro refectione mentis, quàm pro ablutione cuiuslibet contracti pulueris, redire decreuisset, nimia se inedia cellulæ mactabat ergastulo: quotidie, præter dies festos, ieiunando, cantabro pane cum hesterna aqua vescendo: suoq. corpori, licet senio iam confecto, ac pluribus ferreis nexibus vndique constricto, à disciplinarum, palmatarumq. ictibus nequaquàm suis vicibus indulgendo: iugiq. psallendi, orandi, legendi, atque dictandi studio insistendo. Nec prætereundum, quod in eadem peluicula, qua pauperum pedes lauabat, reficiens, panem comederet, & super bibleam cratem nudam somni quietem caperet. Por-

rò, cum aliquando ad capitulum fratrum accedere decreuisset, facta exhortatione, mox è sede consurgens, de suis se excessibus accusabat: pro quibus disciplinæ iudicium ex more suscipiens geminis vapulabat vtrinque verberibus. Rursumq. in suum locum regrediens, non cessabat eos suis sermonibus informare modò his, modò illis, modò communiter omnibus loquens. Iunioribus ergo dicebat: Scire debetis, filij, vnumquemque vestrum, iàm feruidè, atque strenue sacræ huius oportere militiæ tyrocinia inchoare: tantoq. se, dum corporeæ vires suppetunt, ad celsa tendendo, exercere labore, quo tota series secuturæ vitæ ad fortiter agendum valeat informari, tamquàm impressione veri sigilli. Prouectioribus verò, de conflictu vitiorum, de discretione cogitationum, de compunctionis, seu contemplationis gratia, mentisq. puritate conquirenda, quædam subtilius disserebat. Porrò, cùm in ipsius sermocinationibus eiusmodi locus incideret, quo fratrum mentes ad fortiora qualibet excitari debuissent, hoc dicere solebat: Strenuus quisque diuinæ militiæ prælatus in omni spiritali certamine suas debet vires agnoscere. Ignominiosum quippe valdè est monacho: & spiritalis militiæ professionem habere, & experiendi ignauia, quid in certamine valeat ignorare. Et quidem quid ipse hæc loquendo moneret, discipulis suis liquidò insinuabat exemplis: ex quibus videlicet hæc à nobis fore commemoranda non inaniter puto: nempe vidi illum per quadraginta dies nil quod per ignem transit, in cibo sumpsisse, sed tantum pomis crudisq. terræ nascentibus, absque omni prorsus potu, contentum fuisse. hoc quidem ipse præsens agnoui. Aliud, quod dicturus sum, maioribus meis condiscipulis referentibus audiui: eumdem videlicet totidem aliquando diebus nullo refecisse cibo, nisi parco leguminis infusidario. quod tamen si fortè huiuscemodi nimium se fatigari conspiceret, nequaquàm contemnendum ducebat, imbecillitati corporeæ discreta remissione, aliquatenus subuenire: quo resumptis iterũ viribus, validior ad aliud posset redire certamen. Non vtique vitio, sed virtuti potius adscribendum dicebat: si quis fessa paulo brachia iccircò demittat, vt post, robustior ad fortiter agendum consurgat. Præterea mos illi erat, vt inter diuina tam nocturna, quàm diurna officia nulli podio psallens hæreret. In Quadragesimæ quoque vtriusque initio triduo penitus abstinebat à cibo: ad quod sane licet neminem ipse quoque persuaserit, quiddam tamen ad spiritualis studij prouentum quærentibus, tradendum putauit; quo suscepti ieiunij ipsis posset initiis Domino commendari. Hanc profectò voluntariæ obseruationis normam in nonnullis Monasteriis, pia deuotione amplectentibus,

Spiritualis doctrina pro auditorum captu accommodata.

Rara abstinentia.

In laudib. reuerentia.

excitando instituit, quatenus præfato ieiuniorum triduo, totus conuentus fratrum pariter in claustro rigorem silentii conseruaret. Nec quispiam absque ineuitabili necessitate, calceamita sibi indueret, donec communiter Psalterium diebus singulis compleuissent. Scoparum quoque disciplinam in capitulo cuncti susciperent, in pane solum, & aqua pariter abstinerent.

Ieiunium sexta feria in honore S. Crucis instituit, quod & visionibus cælestib. cõprobatur. Cap. XIX.

Sed & sextam omni tempore feriam, præter paschales, vel ceteros dies solemnes sub eadem tam disciplina, quàm abstinentiæ norma, ob reuerentiam Crucis, illis obseruandam adhibuit. Denique omnis illius exhortatio adeo cooperante Domino fructificasse dignoscitur, vt insigne illud quoque Casini montis Cœnobium tanto eam feruore sumpsisset, quod præfata omnia inter regularia mandata conscribenda statuisset. Hic porrò nequaquam otiosum putamus, quædam reuelationum monimenta, quæ idem ipse scripsit, annumerare, quibus Sanctus ille totus in hac obseruatione sextæ feriæ obnixè fuit solidatus. Ipsa itaque ipsius verba ponamus: In ægrotantium cella senex quidam Pater erat, Leo nomine qui ieiuniis psalmis, & orationibus insistebat attentius: & licet corporeis esset viribus effætus, iuuenili tamen feruidi spiritus erat vigore robustus. Hic proxima nocte, qua statuenda erat hæc censura ieiunij, vidit per somnium, magnum in Ecclesia chorum consistentium fratrum: qui nempe præclaris candidis vestibus luculenter induti, dulcisona satis, atque melliflua melodi concentus suauitate cantabant: illud scilicet Alleluia, quod dicitur: Dulce lignum, dulces clauos, &c. Videbat etiam quod per omnes refectorii mensas panes erant appositi & specie nitidi, & nectarei gustus sapore melliti. Inter fratres etiam vndique discumbentes erat vir, si ritè teneo, valdè præclarus, & insigni decore conspicuus: qui requisitus, vnde tales aduenissent panes, quibus videlicet similes eatenus non vidissent; hi sunt, inquit, panes, quibus

Exod. 16.

filii Israel manna percipientes è cælo, aliti sunt in deserto. Hic quoque vir tulit mensam Abbatis, quæ occidentem versus fuerat constituta, & ad orientalem posuit refectorii plagam: vbi videlicet imago Crucifixi Domini fuerat in pariete per picturam expressa. Perpende ergo mysterium, & mysticæ reuelationis intellige sacramentum. Quid est enim, quod laudes Crucis chorus ille psallentium melodis vocibus concrepabat nisi quia futurum erat, vt dum in honore Crucis sollemne ieiunium instituerent, quàm dulces ei laudum modulos suauiter personarent? Hymnum quippe in beatæ Crucis honore decantat, qui ea videlicet die, qua Christus in Cruce suspensus est ieiunium celebrat. Et quid est, quod

melliti videbantur panes in mensa, nisi vt nimirum dulcia spiritus alimenta comederent, dum per amaritudinem carnis dulces Deo laudum modulos resonarent? Tantò quippe dulcior gustus exoritur in palato cordis, quantò maior amaritudo districtionis perturbat lasciuiam carnis. Quid est etiam, mensam Abbatis sub Crucifixi redemptoris pedibus ponere, nisi per ieiunium sextæ feriæ, quæ dies Crucis est, totum refectorium salutiferæ Crucis signaculo dedicare? Et quid est sub Crucifixi Domini pedibus residere, nisi post eius vestigia tendere: & per eum, quò nos præcessit, tramitem iugiter ambulare.

Verùm ad hoc arctius commendandum, & illud aptissimè contigit, vt sanctus quidam alius frater, Petrus nomine, dum id constitueretur, abesset: qui postea quincta quadam feria regressus, eadem nocte per somnium vidit, quod Domnus Petrus illum ad prandium conuocaret, secumque ipse conuiua discumberet. Sequenti verò die in capitulum veniens, cũ cæteris fratribus disciplinam noui ritus accepit, & sic lætus, & alacer factus, exultauit in Spiritu sancto, dicens: Ecce, Deo gratias, prandium, ad quod me Domnus Petrus Damiani vocauerat. Nec immeritò sanè nostræ carnis afflictio mensa, vel refectio dicitur; quoniam vnde nostrum per continentiam corpus atteritur, inde spiritus supernæ gratiæ pinguedine saginatur. Cũctis itaque huiuscemodi reuelationibus planè noscentibus, ea illis cælitus tradita, quæ per os Beatissimi viri nouiter sibi fuerant promulgata, non solùm ad ipsorum obseruantiam feruentius succensi sunt: verùm etiam eum insuper rogauerunt, vt si quid deesse apud eos adhuc videretur, iniungeret; si quid superfluum, tolleret; quod verò corrigendum foret, cunctis applaudentibus, emendaret. Vnde factum est inter cetera, vt proijcerent copulas, quibus quasi quibusdam pileis, capita contegebant, quo de cetero solis caputiis honesto essent monachorum more contenti. Statuerunt quoque, vt de peregrinis inuolucris vltra iam grandioris pretij vestimenta non emerent: sed ex rusticorum textrinis vilia potius, ac vernacula compararent.

Afflictio carnis est mensa spiritus.

Ipsum verò præfatum Cœnobium (Casinense) *dum aliquando idem Domnus Petrus ex more visitasset, cùm esset ibi, beatissimi Benedicti Basilica fundabatur: quæ auro, ac lapidibus modò adornata, perspicuè cernitur; aliquantos ibi reperit pueros, qui pro vectandis lapidibus venerant, arreptos dæmoniis acriter vexari: quorum, licet modicis artubus, tantùm ab ipsis dæmoniis virium ferebatur, vt à binis, vel ternis robustissimis viris singuli comprehensi, vix aliquatenus possent arctari. Cùm autem die quadam Domnum Petrum ad opus illud intuendum*

Puerosque quosdam a dæmonibus vexatos in Monte Casino, vbi Basilica S. Benedicti ædificanda operam dabãt, liberat. Cap. XX.

contigisset exire, Desiderius venerabilis eiusdem Cœnobii Casinensis Abbas ipsum, vt consueuerat, ex nomine iucundè compellans, ait: Domne petre, cur istos nostros non curas operarios? Cui ille, habent hic, inquit, sanctissimi Benedicti præsentiam, qui eis si velit, valet salutis conferre medelam. Ego enim quid sum? Existimauit tamen Abbas ex eis aliquos ad ipsius fore hospitium dirigendos; quatenus illorum vexationem conspiciens, attentius pro eis, misertus, oraret. Quod quidem ille omnino prohibuit, non sanè inhumanitatis duritia: sed obseruandæ, quòd magis censendum, humilitatis custodia. Verumtamen dum tunc contigisset eum viginti ferè diebus ibidem propter fratrum charitatem mansisse, eodemque spatio dierum, energumenos illos omnes plenè curatos fuisse; quis illud fideliter non credat, quod Cœnobitæ illi tunc temporis asseuerantes aiebant: eum videlicet pro ipsis latenter orasse, sicque eis salutem à Domino impetrasse. At quia nobis difficile, immò impossibile est, illius gesta cuncta narrare: opportunum ducimus iam ad extrema stylum dirigere, & qualiter suum cursum compleuerit, atque hinc ad superna migrauerit, Domino opitulante, depromere.

Vrbem Rauennā Rom. Pōtificis Legatus a censuris, Archiepiscopi vitio obstrictam absoluit. Cap. XXI.

Dum pius igitur Christi Sacerdos huiuscemodi lucrandarum animarum studiis inhianter inhæreret, vitæque præsentis labor extremæ iam penè lineæ moram teneret, iussu Alexandri Secundi Romani Pontificis, Rauennam patriam suam, proficisci præcipitur, rem valde necessariam saluti totius vrbis, cleri, ac populi peracturus. Erat quippè tunc temporis defunctus eiusdem vrbis Archiepiscopus, qui pro sua proteruia, sententia Romanæ Synodi olim fuerat communione priuatus: qui tamen cum nimia temeritate nequaquàm ob illatam sibi sententiam tremefactus, ab Archiepiscopali temperaret officio, consentaneum sibi populum sua contagione miserè fœdauit, totamque Ecclesiam illicitis ausibus prophanauit. Tandem verò, de medio, prophanatore sublato, præfatus Apostolicus tam numerosi populi exitiale contagium fraternis visceribus miseratus, tantum Patrem, qui auctoritate Apostolica eumdem reconciliando, absolueret, illo delegare decreuit: neminem scilicet ad hoc opus gerendum digniorem, vel aptiorem existimans, eò quod is non modica existeret auctoritate subnixus, ac per regenerationis gratiam eiusdem esset Ecclesiæ filius, ipsiusque etiam hortatu, idem sæpenumerò ad hanc clementiam prouocatus. Quam vtique legationem ille, licet iam ætate confectus, vt strenuus filius, maternis beneficiis non ingratus, optato suscepit. Nam gratulabatur se tandem reperisse aliquid, quod ob sui debitum obsequij, piæ posset persoluere matri. Quò cum,

Domino suffragante, prospero peruenisset itinere, in manu ciuium susceptus ingenti cum lætitia. suis causam patefecit accessus: super quo ciues illi immodicè iucundati, immensas Deo, qui eos respexerat, Christique Vicario qui hunc talem & tantum virum ad se direxerat, gratias referentes, præuaricationis suæ pœnitentiam humiliter egerunt: vnde & reatus veniam quam suppliciter postulabant, atque absolutionem, ex Apostolicæ auctoritatis munere, gratulabundi percipere meruere. Absoluto itaque ab excommunicationis illius vinculo, cunctæque Ecclesiæ dono gratiæ maternæ concesso, tota vrbe immanis effecta est exultatio.

Istis verò aliisque nonnullis negotiis, quæ tantum virum gerere decebat patratis, iter suæ legationis, egressus Vrbem, pergere cœpit. Cumq; prima mensione, Fauentiam tenuisset, apud venerabile Monasterium quoddam B. Mariæ Dei Genitricis, quod foris portam nuncupatur, decēter susceptus, mox febre correptus decubuit. Qua nimirum in dies inualescente, circa medium octauæ noctis silentium, quæ Cathedræ B. Petri Apostoli anniuersariæ diei celebritatem ducebat, exitus sui horam appropinquare cognoscens, extemplo nobis lectulo circumstantibus, nocturnum, seu matutinale officium totum peragere iussit: volens vtique prius sollemnitati Apostolicæ vota persoluere, ac sic demum securus abire. Tota ergo peracta synaxi, sanctum, post modicum, Domino spiritum corporeis reddidit nexibus absolutum; vt ea videlicet die qua præsens meruit Ecclesia, in pastorali Petrum Sede locare: eadem Petri discipulum cælestis curia in beata susciperet Sede. Cum ergo ipsius transitus illicò nunciatus in Vrbe fuisset ab iis videlicet, qui circa eamdem domum excubabant, ne vel corpus exanime a suis monachis, qui de vicino ipsius Monasterio aduenerant, furto asportari potuisset, tota ciuitas repentè ad eius exequias, ingenti concursu, læta properauit. Quorum multitudine dum Ecclesia qua locatus fuerat subitò referta fuisset, & qui pio funeri prius accedere vnanimiter gestirent, vndarum more, retrorsum se inuicem repellebant: tantoq. tardior cuique accessus patebat, quātò celerius peruenire tumultuando, satagebat. Quicumque autem ipsum accedere, eiusque loculum merebantur attingere, pia gratulabantur oscula, illatis muneribus, eius pedibus, seu linteaminibus ipsis infingere. Porrò mausoleum interea officiosissimè præparatur. Ab alia siquidem basilica quadam, eminus sita immane labrum lapideum, nitido candore decorum, mira facilitate quantocyus, non absque ipsorum quoque deferentium admiratione, ac si leuissima materies qualibet, aduehitur: atque in ipsa beata Dei Genitricis basilica, à fronte chori, iuxta gradus

Fauentiæ sanctissime moritur, & in templo B. Virginis sūmo cum honore tumulatur. Cap. XXII.

B. Viri funus summa cum pietate celebratur.

videlicet, quibus ad altare ascenditur, decenter componitur: ibique Sacerdotis Christi venerabile corpus, summa cum exultatione cunctorum, reuerenter reconditur; omnibus in psalmis, & hymnis voces in excelsum tollentibus, dignaque Deo gratiarum praeconia totis viribus exhibentibus, cuius munere, tanto se ditatos fore beneficio gratulabantur. Ipsi gloria, laus, virtus, honor, & decus, atque imperium sit nunc, & semper, & omne per æuum. Amen.

B. Petrus Dam. peruisum Abbatem ingratitudinis arguit: eũque gutturis tumore castigat, & sanat. Cap. XXIII.

Sanctis, ac iustis viris gratæ sunt amicorum preces.

Anno millesimo octogesimo incarnationis Domini, mense Augusto, indictione quarta, post decessum supradicti Domni Petri Damiani, erat quidam monachus, qui Abbas olim extitit venerabilis monastery S. Gregorij in Ariminensi territorio constituti. Hic namque vidit Domnum Petrum inter multitudinem candidatorum Episcoporum infulatum sedentem, & tenentem pastoralem virgam in manu, atque docentem eos ea, quæ ad Deum pertinent. Cumque eum idem Abbas summisso vultu salutasset; ait Domnus Petrus ad ceteros Coepiscopos: Iste monachus, quem ego valde dilexi: sed postquam a me recessit, numquam ad me rediit: & non solum ille, sed & alii plures, quos ego educaui, & nutriui, ingrati extitere beneficio. Deinde ait ad illum, Cur, inquit, non ad me in locum, quo eram venisti? At ille dixit: O mi Domine, ex quo a nobis recessisti, locũ, in quo habites, nescimus: quomodo igitur ad te venire potui? Tunc dixit ei Domnus Petrus: O hebes, an nescis, quod in Camera S. Mariæ Virginis habito, & in illius sacrario demoror? Nam in eius domo habito, & illius Camerariũ esse me profiteor. Quem postquam vidit, statim somno est excitatus. Deinde post paululum, rursum obdormiens, vidit eumdem Domnum Petrum talia sibi verba dicentem (nam ita sibi videbatur, quasi ante plures dies hæc eadem ab eo verba audisset) Non ne, inquit, dixi tibi, vt ad me venires? & quare non venisti? At ille tamquam mutus, cœpit stare. Mox Domnus Petrus, quasi cum ira, pupugit eum subtus sinistram auriculam de summitate virgæ, quam manu gestabat: quo ictu ita se sensit esse perturbatum, ac si lancea vel terribili vertice terebratus fuisset. Denique maxilla illius tota cum gutture ita intumuit, vt penè de eius vita desperaretur. Tunc itaq. ante altare illius Ecclesiæ prostratus, ac toto corde ad Deũ conuersus cum magno gemitu dixit: Domine Deus omnipotens, qui cælum, & terram, & cuncta, quæ in eis sunt, condidisti, si tibi seruitus Domni mei Petri, vt credimus, complacuit, libera me per eius merita, ab instanti, quem patior dolore. Dixit hæc, & cœpit stare. Et ecce, non post longum tempus ab eo omnis tumor, & dolor ita aufugit, ac si aliquis veniens,

manu ipsum vulnus, ab eius maxilla, vel gutture auferret. Qui statim cœpit glorificare Deum, ac famulum eius Petrum Damiani, qui eum castigare primò, ad deinde sanare dignatus est. Postera denique die surgens bene castigatus ex verbere, Fauentiam perrexit: & veniens ante altare S. Mariæ foris portam, vbi corpus Domni Petri reconditum fuerat, prostratus humi, ac perfusus lacrymis facie, adorauit, & laudauit, ac benedixit Deum, super iudicia iustitiæ suæ. Dehinc foris egressus ad fratres suos; cœpit narrare Præposito, ac ceteris fratribus omnia, quæ sibi contigerant, Qui audientes, laudauerunt, ac benedixerunt Deum, qui talia per seruum seruum ostendere dignatus est mirabilia. Denique Præpositus cum prædicto Abbate Vgano, qui ita vocabatur, ac fratribus, ingressus Ecclesiam Sanctæ Dei Genitricis, pulsauerunt omnia signa, & posuerunt ceroptata cum luminaribus ante arcam ipsius Sancti Petri Damiani: & celebrantes Missas, obtulerunt sollemnes hostias Deo in odorem suauitatis, pro animæ eius absolutione. Amen.

APPENDIX AD VITAM B. Petri Damiani Ad Lectorem.

HOc te latere noluimus, Amice Lector, eiusdem B. Petri vitã, post præcedentis auctorẽ, qui σύγχρονος illius fuit atque discipulus, stylo etiam prosecutos esse Ioannem Antonium Flauiuium Forocorneliensem, Augustinũ Fortunium Camaldulensem monachum, & Hieronymum Rubeum: ex quorum lucubrationibus fusiùs in editione Romana deductis, quia easdem Damiani res gestas quas eius discipulus, quem secuti sunt, eademque prorsus serie narrant, ea tantùm quæ in superiori deesse videbantur, quæ sanè perpauca sunt, consilio doctiorum discerpsimus; ne eiusdem, narrationis toties repetitæ prolixitas, legentibus ingereret fastidium magis quam legẽdi studium. Quod & in veterum quoque de auctore testimonijs obseruauimus, ex quibus leuitatis causa, ea tantùm selegimus, quæ testium commendat auctoritas, vel quæ ad autoris ipsius commendationem magis faciunt. Hæc verò illa sunt, quæ Appendicis vice gratanter accipies.

EX LIB. V. HISTORIARVM CAMALDVlensium Augustini Fortunij eiusdem congregationis monachi.

Vnde nomē Damiani acceperit.

ERAT Petro alius frater, Damianus nomine, qui aliquot annos à patria abfuerat. Is rediens, & Petri fratris miseratus ærumnas, patrio tactus amore, exemit mox illum de miserabili seruitute, qua major natu frater, cuius curæ post vtriusque parentis obitum vix dum ablactatus puer, commissus fuerat, eum crudeliter depressum tenebat, nouis induit vestimentis, & ad scolam misit in Grammaticis studijs erudiendum: quem cum optimo præditum ingenio cognouisset, & ad amplexandas alias disciplinas idoneum, Fauentiam primùm; deinde Parmam misit, ac fouit, vt doctis viris operam dare commodissimè posset. Vbi cùm breui multum profecisset, nomen Damiani, ab eius nomine sic vsurpauit, vt se Petrum Damiani semper subscriberet. &c.

EX LIB. V. HISTORIARVM RAVENNATVM Hieronymi Rubei.

Damiani zelus pro Ecclesia in Cadalorum pseudo pontificem.

ALEXANDRVM Pontificem grauis interea fatigabat dissentio Cadaloi Parmensis, quem Germani pseudopontificem cum fecissent, à Romanis etiam proceribus recipi studebant. Is verò quanquàm in concilio Mantuæ, anno 1064. habito; quo & Alexander ipse venerat, reiectus, tamen insignia pontificia retinuit. Quamobrem Petrus Damiani Ecclesiæ Dei tantam perturbationem miseratus, ad hominem scribit tribus illum iam conuentibus esse damnatum: & ter, si non iudicio sacerdotum, at saltem legum auctoritate abdicatum.

VETERVM DE B. PETRO Damiani testimonia, ex multis selecta.

S. LEO IX. PAPA IN EPIST. AD eum scripta, quæ habetur inter opera eiusdem S. doctoris.

1. S. Leo Pap. 9. Damiano familiaris A. 1049.

LEo Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto in Christo filio Petro Eremitæ æternæ beatitudinis gaudium: Ad splendidum nitentis pudicitiæ torum, fili carissime, pio certamine, intentionem tuæ mentis peruenisse, libellus, quem contra quadrimodam carnalis contagionem pollutionis honesto quidem stylo, sed honestiori ratione edidisti; manifestis documentis commendat, Subegisti quidem carnis barba-

riem, qui sic erexisti brachium spiritus aduersus libidinum obscœnitatem & post multa. Sed fili carissime, inenarrabiliter gaudeo, quia exemplo conuersationis instruis, quidquid oratoria facultate docuisti: Plus est enim opere docere, quam voce. Quapropter auctore Deo, palmam obtinebis victoriæ: Et cum Dei & virginis filio lætaberis in cælesti mansione: & tot mercedibus eris cumulatus, quot ereptis per te à diaboli laqueis fueris constipatus, & quodammodò coronatus.

ALEXANDER II. PAPA IN QVODAM suo diplomate M. S.

ALEXANDER *Episcopus seruus seruorum Dei, omnibus Eugubinis, clero, & populo, fidelibus videlicet S. Petri, & nostris, salutem, & Apostolicam benedictionem. Non ignoret sancta vestra deuotio, dilectissimi fratres, & filij, quia Ecclesiam carissimi fratris, & coëpiscopi nostri Petri Damiani, in B. Lucæ Euangelistæ nomine consecratam, nec in B. Petri Apostolorum principis nostraque tutela, ac defensione suscepimus, &c.* II: Hic vixit Damiano familiaris A. 1061.

VETERVM DE B. PETRO DAMIANI TESTIMONIA.

DESIDERIVS ABBAS CASINENSIS, S. R. E. Cardinalis lib. 2. dialogorum, M. S.

MVLTORVM *fratrum testimonio didici hæc, quæ nostro curaui annotare libello: & licet Petrus venerabilis Ostiensis Episcopus in sermone, quem in vigiliis B. P. Benedicti legendum luculentissimè composuit, id eleganter decenterque inseruerit; tamen inter cetera miracula, quæ omnipotens Deus ad laudem sui nominis, nostra etiam memoria, &c.* III. Hic Damiano familiaris. A. 1062.

LAMBERTVS SCAFNABVRGENSIS, Monachus Hirfeldensis Benedictinus, in historia de rebus gestis Germanorum, ad A. C. M. LXIX.

IMMINENTE *iam die, qui scindendo Regis (Henrici III. post Imp.) coniugio dictus fuerat, res Moguntiam concitas properabat. Et ecce inter eundum comperit legatum sedis Apostolicæ, suum Moguntiæ aduentum præstolari: qui dissidium fieri prohibeat, & Epi-* IV. Hic vixit A. 1075.

ſcopo Moguntino Apoſtolicæ animaduerſionis ſententiam minitetur, quod tam nefariæ ſeparationis ſe auctorem promiſerit. Conſternatus illicò, quod rem diu exoptatam perdidiſſet è manibus pariter quò venerat, in Saxoniam redire volebat. Vix ægrè tamen amicorum conſiliis ſuperatus, ne principes regni fruſtraretur, quos ſumma frequentia ſibi Moguntiæ occurrere iuſſiſſet, Francofurti abijt: ibique eos qui Moguntiæ conuenerant, ſtatuto die adeſſe iuſſit. Quò dum frequentes veniſſent, PETRVS DAMIANVS, *(is legatus erat ſedis Apoſtolicæ, vir ætate, & vita innocentia admodum reuerendus) mandata expoſuit Romani pontificis, peſſimam rem, & ab nomine Chriſtiano, nedùm ab regio multum abhorrentem eſſe, quam moliatur. &c.*

Damianus ſedis apoſt. legatus, Hẽricum regẽ impedit ne diuortium faciat cum Bertha coniuge.

LEO MARSICANVS CASINENSIS Monachus, S.R.E. Card. Oſtienſis Epiſcopus, cap. 101. lib. 2. Chronicorum Caſinenſium, M.S.

V. Hic vixit A. 1088.

INTEREA *Gregorius de Alberico Lateranenſis, & Tuſculanenſis comes, comperto Romani pontificis obitu, ſociato ſibi Girardo de Galera, & Romanorum potentium aliquot, nocturno tempore cum armatorum turbis* Eccleſiæ *iura peruadunt: & Ioannem Veliternenſem* Epiſcopum, *Minclum poſtea cognominatum, Papam conſtituunt Benedicti nomine illi impoſito. Quod cùm* PETRVS DAMIANI *(vir valdè religioſus, quem eo tempore Stephanus Papa diſtractum ab eremo, in Oſtienſi Eccleſia Epiſcopum fecerat) comperiſſet: vnà cum Cardinalibus cæpit obſiſtere, reclamare ac Anathematizare. Et lib. 3. cap. 22. Porrò domnus Petrus Damiani, cuius iam ſupra meminimus, ad hoc monaſterium (Caſinenſe) veniens cum verbo pariter & exemplo ad Dei ſeruitutem feruenti zelo quoſcumque poſſet, accenderet tandem conſenſu & permiſſione Domni Abbatis, (Deſiderii S. R. E. Card.) à cuncta Congregatione voluntaria oblatione, remiſſionem omnium peccatorum obtinuit, vt per totius anni ſextas ferias, quando tamen feſtiua non eſſent, pane tantum & aqua contenti eſſent ac per ſingulas ſinguli diſciplinas, data confeſſione reciperent. Inſuper & triduanum ieiunium in caput Quadrageſimæ per annos ſingulos agerent.*

B. viri ſtudium erga monaſticũ ordinem.

BERTOL-

BERTOLDVS PRESBITER CONSTANTIENSIS, & poenitentiarius Apostolicus, in Auctuario ad Hermaunum Contractum, sub A. C. M. LXI.

His temporibus, venerabilis Petrus Damiani, & Eremita Cardinalis Episcopus multa conscripsit, & incontinentiam sacerdotum satis rationabiliter in scriptis suis confutauit. Rursus, ad A. M. LXXII. Petrus Damiani piæ memoriæ Cardinalis Episcopus, iam dudum mundo crucifixus, migrauit ad Dominum viij. Kalend. Martij. &c. VI. Hic vixit A.1090.

SIGEBERTVS GALLVS MONACHVS lib. de viris illustribus cap. 163.

Petrus Damiani Rom. Ecclesiæ septimus leuita, scripsit vitam Oldonis quarti Cluniacensium Abbatis. Inueniuntur etiam homiliæ ab eo luculento sermone conscriptæ. VII. Hic vixit A.1100.

HONORIVS AVGVSTODVNENSIS ABBAS lib. de luminaribus propè finem.

Petrus cognomento Damiani, ex Monacho & Eremita Episcopus, scripsit librum contra illos, qui Simoniachos reordinare consuerunt & multa alia: sub Henrico Pio floruit. VIII. Hic vixit A.1120.

FRANCISCVS PETRARCHA ORATOR & Poëta clarissimus cap. 17. Tract. 3. lib. 2. de vita solitaria.

Petrus hic, quantum ex nouissimis eius scriptis elicio, Romanum Cardinem non sine laude possederat: vir haud dignitate clarior, quàm lingua. Quid tamen & hic consilij ceperit, iam audies. Siquidem statum illum, pompasque seculi contributibus suis linquens, ipse Italiæ medio, ad sinistrum Apennini latus, quietissimam solitudinem, de qua multa conscripsit, & quæ vetus adhuc Fontis Auecanæ nomen seruat, scripturis, honoribus præferendam duxit: vbi non minus IX. Hic vixit A.1370.

gloriosè post modum latuit, quàm innotuerat primùm Romæ: nec dedecori illi fuit alti verticis rutilum decus, squalenti cilicio permutasse.

IOANNES TRITEMIVS LIB. DE scriptoribus Ecclesiasticis.

X. Hic vixit A. 1497. PETRVS *Damiani ex Monacho D. P. Benedicti Episcopus Ostiensis, & S.R.E. Cardinalis, vir in diuinis scripturis studiosus, & eruditus, & secularium literarum non ignarus, ingenio mitis & acutus, eloquio placidus & compositus, & ad persuadendum satis Idoneus; non minus sanctitate, quàm eruditione clarus, & insignis effulsit. Qui exemplo Magni Gregorij (Nazianzeni) Antistitis, amore solitudinis, & quietis, Episcopatum suum deserens, postea quàm illum annis aliquot strenuè gubernauerat, ad cœnobium suum reuersus est, & vitam deinceps cum fratribus suis in tranquillitate animi exegit. Cum autem à summo Pontifice charitatiua increpatione argueretur, cur Episcopatum, vt pote vir vtilis & idoneus dimisisset, amore salutis priuatæ, ad tres sibi inuicem succedentes, Nicolaum* II. *Alexandrum* II. *& Gregorium* VII. *Romanos Pontifices, Apologeticos edidit: in quibus auctoritate, ratione, & exemplo factum suum humiliter excusans, animos eorum placauit. &c. Eadē ferè habet lib. 2. cap. 93. & lib. 4. cap. 35. de viris illustribus Ord. S. Benedicti, quæ breuitatis causa missa facimus, sicut & reliquorum scriptorum testimonia in Romana editione citata, cum satis superque sint ad fidem auctori quamtúmlibet obscuro conciliandam, illa quæ hìc inserùimus. Cæterùm qui plura de B. Petro Damiani scire desiderat, consulat illustrißimi Cardinalis Baronij Annales Ecclesiasticos. Multa enim ille Tomo* XI. *scribit de sanctitate, doctrina, ac rebus gestis doctoris huius sanctißimi.*



DOMNI CONSTANTINI CAETANI MONACHI, CASINENSIS,

In Epiſtolas B. Petri Damiani S.R.E. Cardinalis Epiſcopi Oſtienſis.

AD PIOS, ET BENEVOLOS LECTORES,

PRÆFATIO.

DIV, multúmque in perquirendis operibus, quæ Beatus Petrus Damiani S. R. E. Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, Benedictinæ familiæ ſplendor maximus, cæleſti præditus eloquentia, ſcripſit poſteris doctrinæ, ac ſanctitatis ſuę monimenta clariſſima, mea deſudat induſtria: quam innatus in Parentem optimum amor, & in Beatum Virum à primo religionis ingreſſu conceptum ſtudium, iure à me poſtulare ſentiebam: vt Patroni doctiſſimi aureum illud, ac nouum eloquentiæ flumen à domeſticis parietibus in cæleſtium diſciplinarum cupidos redundaret: & eluceret omnibus, tot, tantáſque ab Auctore ſuo Benedictinum Ordinem accepiſſe vires; vt licet canitie veneranda, edat nihilominus in dies, filios, Rachele glorioſior: qui ſuos iuuent exemplo, alienos ſcriptis. Et quamuis commode vbique ex inſtituti ratione Chriſto filios generare verbo non poſſit, enutriat, ac perficiat libris ſcriptis aliorum parentes, & magiſtros. Verum, & ſi erat difficile perueſtigare, quæ latebant in tenebris; vel, quæ mendis ſcatebant, edita vindicare ab iniuria; effulſit tamen, neſcio, quæ lux ab Auctore illo luminum optimo, cuius gloriam la-

bor iste spectabat, quæ rerum abditarum inueniendi viam, rationemq. demõstraret. Dixerim ne sine elatione, quod possum Ipsa B. Petri Damiani monimenta, licet in tenebris, nitebant adeo, vt vel quærenti fierent obuia, vel minus cogitanti sponte sua indicarent se se. At vero vbi cum inuentorum gaudio adeo excreuit rerum moles, vt simul etiam creuerit cura, atque cogitatio exemplarium varietatem componendi vitia expurgandi, indigestam illam molem ordinandi; acrioremq. diligentiam requireret, quam horarum diurna, nocturnaque pensa, quotidianæ exercitationes, singularia munera permitterent; cœpi animo esse ancipiti, concedenda ne esset ingenio, ac tempore abundantibus, laborum meorum gloria: an in aliud producenda tempus, cum multorum molesta expectatione, ac iactura; cum Cæsaris Baronij S.R.E. Cardinalis amplissimi, pietatis, atque Annalium Ecclesiasticorum laude, nostra, vel multis anteactis ætatibus, præstantissimi, prudenti suasione confirmatus: atque in primis Clementis VIII. Pont. Max. voluntate obligatus, intellexi diuinæ menti tam claris oraculis patefactæ, non reluctandum; sed cum spe affuturi cælitus auxilij institutam operam persequendam. Animum igitur, ac manum adhibui. quod si rem, vt credo, non perficiam, efficiam certè, vt apertum sit omnibus, quibus Patronis optimis fructus, qui ex labore, atque opera tantorum virorum probata iudicio, enascetur, laus omnis debeatur.

Volebam in istius Voluminis exordio (quod ad vitandam lectorum molestiam ex tanta Epistolarum confusione, habita personarum, ad quas scribitur ratione, in octo libros distribui) Doctoris Sanctissimi Vitam proprio studio, atque opera, ex illius scriptis, & eruditorum Virorum lectione contextam, vti solemne Sanctos Doctores primum, vel emendatiores edentibus, ad gloriosam æmulationem proponere; sed cùm veteres, tum recentiores Scriptores de Beati Viri familia, sacri ordinis genere, anno, & loco mortis, ac sepulturæ, adeo dissentiant, vt illorum mihi non liceat errores per tempus confutare, efflagitantibus non paucis S. R. E. Illustrissimis Cardinalibus, multisque familiaribus, primùm eloquentissimi Doctoris fructum, latius existimaui, rem vnâ cum notis, multipliciq. indice, matura consideratione probatam, perficere. Sa-

tis erunt in præsentia Vitæ, ac probatorum Virorum initio proposita Iudicia. Quod si quis hac excusatione contentus minimè sit; en profero primum omnium illius Epistolas, in quibus contemplari summa cum delectatione quisque poterit viuam S. Doctoris imaginem: quam auctor ipse diuina arte, ac verborum tanta venustate depinxit; vt nemo meliùs, nec fideliùs possit. Nam Sanctorum facta cùm ad nos per Scriptorum calamos veluti per canales deriuantur, nunc sublimiùs, nunc summissiùs, quam par est, dicuntur: necnon frequenter velut aquæ fistulis plumbeis, vel tubulis fictilibus ductæ, affectus referunt Scribentium. Quisque enim, prout est erga virtutem, vel sanctos Viros affectus, ita plerumque sentit, ac scribit. Vtinam non rarò accidat, vt ea arte Scriptores facta forment, vt non immutent, vel alia pro alijs effingant, qualia Parentes Sanctissimi, vt alienam prolem prorsus excluderent. At cùm illa in eorum scriptis legimus, & nostra in peruestigando diligentia acuitur: & proprio inuenta, ac notata studio, dulcescunt magis, ac probantur, penitisque hærent animis.

Accedit, quod cum alia, quæ efferemus, Volumina Concionatorum, ac Theologorum ferè sint propria; hoc Epistolarum primum dandum meritò est, propterea quòd omnibus commune sit, diuersaq. rerum, atque hominum genera complectatur. Licet negare nō ausim ad Principes politicæ, vel Ecclesiasticæ Reipublicæ clauum tenentes, Iurisque prudentes, spectare magis, cum pæne illustriores Epistolæ omni arte, atque copia scriptæ sint ad Pontifices Maximos, Cardinales, Præsules, Legum peritos, aliósq. Viros clarissimos: in quibus licet omnes prudentiæ leges vigeant, zelus tamen morum Ecclesiasticorum rectè instituendorum, de Clericorum, siue Claustralium animaduersione, de vniuersæ Religionis Catholicæ conseruatione, atque amplificatione, maxime elucet: quæ vero requiruntur, vt functione sua recte fungantur Viri Principes, atque Ecclesiastici tam prudenter, & copiose à B. Petro Damiani explicantur, vt nihil amplius desiderari videatur.

Si quid gratiæ gratus, benignusq. lectorum animus pro tot, tantisq. vigilijs sibi vtilibus atque iucundis, mihi referendum censeat, illud in primis velim, vt æqui omnia, boniq. consulat,

tum pro me diuinum Numen exoret. Denique si opus aliquod Doctoris Beatissimi M. S. apud se, vel amicos habeat, quòd in hoc primo Epistolarum, vel in secundo Sermonum, vel in tertio Opusculorum, vel in quarto Volumine diuersorum desideretur; gratissimum fecerit, si illud Romam mittat ad Reuerendissimum S. Pauli extra muros Abbatem, vel eius aliquem ex Monachis: aut vbi locorum sit, moneat, si re aliqua opus fuerit; vt nullum sit tanti Viri monimentum, quod in tenebris iaceat: quodque tua possit diligentia, atque opera, in populi Christiani vtilitatem efferri. Vale.



INDEX
EPISTOLARVM
B. PETRI DAMIANI, ET
Nominum ad quos scriptæ sunt.

Lib. 1. ad Pontifices Romanos, & Cadaloum Antipapam.

1. GREGORIO vj. pag. 1.
2. *Eidem* 2
3. *Clementi ii.* 3
4. *Leoni ix.* 4
5. *Victori ii.* 6
6. *Nicolao ii.* 7
7. *Eidem.* 13
8. *Eidem, & Hildebrãdo Archid.* Card. 15
9. Eidem. 16
10. *Alexandro ii. & Hildebrando Archidiac.* Card. 34
11. *Eidem.* 46
12. *Eidem.* 47
13. *Eidem.* 51
14. *Eidem.* 56
15. *Eidem.* 58
16. *Eidem, & Hildebrando Archid,* Card. 68
17. *Eidem.* 70
18. Eidem. 77
19. Eidem. 87
20. Cadaloo *Antipp.* 100
21. Eidem. 110

Lib. 2. ad S. R. E. Cardinales.

1. E*piscopis Card.* 116
2. *Eisdem* 121
3. *Bonifacio* Epis*c. Albanen.* 132
4. Eidem, *& Stephano Presbyt.* 140
5. *Hildebrando Archidiac. & Stephano Presbyt.* 141
6. Eisdem. 151
7. *Hildebrando Archid.* 153
8. Eidem. 169
9. Eidem. 170
10. *Petro Archipresbyt. Lateranen.* 172
11. *Desiderio* Abbat. *Casinen.* 182
12. Eidem. 185
13. Eidem. 189
14. Eidem. 194
15. Eidem, *eiusque Monachis.* 205
16. Eisdem. 216
17. Eisdem. 221
18. Eisdem. 246
19. *Petro Diac. &* Cancell. 271
20. Alberico *Diac.* 272
21. Eidem. 279

Lib. 3. ad L. Patriarcham, & Archiepiscopos.

1. L *Patriarchæ.* 283
2. *Gebehardo Rauēnatē.* 291
3. *Eidem.* 292
4. *Henrico Rauennaten.* 293
5. *Vuiberto Rauennaten.* 295
6. *Annoni Colonien.* 296
7. *Vidoni Mediolanen.* 298
8. *V. Bisuntino.* 299
9. *A.* 305
10. *A.* 311

Lib. 4. ad Episcopos.

1. A *Lberto* 317
2. *B.* 319
3. *Cuniberto Taurinen.* 319
4. *G. Auximano.* 336
5. *G.* 337
6. *Ioanni* 342
7. *N.* 343
8. *Mainardo Eugubino.* 346
9. *Olderico Firmano.* 348
10. *R.* 354
11. *Theodosio Senogallien. & Rodulpho Eugubino.* 355
12. *V.* 356
13. *V. Sarsenaten.* 359
14. *V.* 360
15. *V.* 366
16. *V.* 372
17. *V.* 377

Lib. 5. ad Archipresbiteros, Archidiaconos, Presbiteros, & clericos.

1. A *Ndreæ, V & C.* 388
2. *Damiani Fratri.* 392.
3. *P.* 394
4. *P.* 396
5. *Almerico.* 398
6. *Clero, & populo Mediolanen.* 399
7. *Clero, & populo Mediolanen.* 401
8. *Clericis Florentinis.* 402
9. *Clericis Fanensibus.* 405
10. *Clero, & populo Fauentino* 412.
11. *V. & P. Clericis Fauentinis.* 413
12. *Thesaurario Rauennaten.* 418
13. *Capellanis Gothifredi Ducis.* 424.
14. *Rodulpho, Vitalis, aliisq.* 432
15. *Eisdem.* 434
16. *Landulpho Mediolanen.* 435
17. *S.* 441
18. *Vberto.* 445
19. *Clericis, & Canonicis.* 447

Lib. 6. ad Abbates & Monachos.

1. M *Onachis Montis Casini.* 452
2. *Hugoni Abb. Cluniacen.* 459
3. *Eidem.* 461
4. *Eidem eiusq Monachis.* 461
5. *Monachis Cluniacen.* 466
6. *Monachis Pomposianis.* 474
7. *Albizoni Abb.* 474
8. *B. Abb.* 476
9. *Gebizoni Abb.* 483

10. *Gebizoni, Theobaldo, & Ioanni Abb.* 486
11. *Ioanni Laudensi.* 488
12. *I. Abb.* 495
13. *M. Abb Constantinop.* 500
14. *Mainardo Abb.* 501
15. *P. Abb. Classen.* 506
16. *Adam.* 508
17. *Ariprando.* 511
18. *Eidem.* 519
19. *Rodulpho, & Ariprando.* 526
20. *B.* 529
21. *Damiano nepoti.* 531
22. *Eidem.* 536
23. *Guillelmo.* 540
24. *Honesto.* 546
25. *Ioanni.* 550
26. *Marino Patrueli.* 552
27. *Petro Cerebroso.* 561
28. *Eidem.* 564
29. *Stephano.* 566
30. *Teuzoni.* 568
31. *Dominico Loricato, eiusque Eremitis.* 581
32. *Eremitis Gamugnen.* 586
33. *Eisdem.* 596
34. *Suis Eremitis.* 600
35. *Eisdem.* 601
36. *Eisdem.* 609

Lib. 7. ad Seculares Principes.

1. HEnrico ii. *Imper.* 610
2. *Eidem.* 612
3. *Henrico Rom. Regi.* 613
4. *Agneti Imper.* 618
5. Eidem. 620
6. Eidem. 630
7. Eidem. 633
8. Eidem. 634
9. *Reginæ Galliæ.* 635
10. *Gothifredo Duci Tusciæ.* 636
11. Eidem. 639
12. Eidem. 644
13. Eidem, *eiusque vxori Beatrici.* 649
14. *Eidem Beatrici.* 650
15. *B. Duci.* 653
16. *Adelaidi Ducissæ Sabaudiæ.* 655
17. *Rainerio Marchioni.* 662
18. *Guillæ Comitissæ.* 664
19. *Blancæ Comitissæ.* 667

Lib. 8. & vlt. ad Viros illustres, & alias priuatas personas.

1. CInthio *Vrbis Præfecto* 685
2. *Eidem.* 688
3. *Alberto Viro clariss.* 690
4. *Alberico, & Ermilinæ vxori.* 693
5. *Petro Senatori.* 694
6. *G. Viro nobiliss.* 698
7. *Attoni Il. D.* 700
8. *Bonohomini Il. D.* 705
9. *Bonifacio Il. D.* 711
10. *Morico Il. D.* 717
11. *Ciuibus Florentinis.* 721
12. *Hermisindi Sanctimoniali.* 728
13. *Sorori suæ.* 731
14. *Radelindæ, & Suffici æ sororibus suis.* 732

PAVLVS PAPA V.

DILECTO FILIO CONSTANTINO Caetano, Siracusano, Monacho S. Nicolai de Arena Catanen. Congreg. Casinen. Ordinis sancti Benedicti.



ILECTE Fili salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum tu, sicut accepimus, opera Beati Petri Damiani S. R. E. Cardinalis Episcopi Ostiensis editurus sis, quæ non sine Ecclesiasticarum litterarum detrimento in tenebris variè disiecta iacebant, tuaque laudabili opera, labore, & diligentia vna cum alijs compluribus Ecclesiasticorum scriptorum monumentis ex multis Bibliothecis conquisita, & collecta fuerunt; Et idcirco fel. record. Clemens VIII. Prædecessor noster studio bene merēdi de Republica Christiana, & Apostolica Sede, cuius nobilis pars egregius hic Doctor extiterat, Romam te vocauerat; nunc vero, aspirante diuina gratia, primus Tomus absolutus sit, ac tres reliquos te editurum propediem speres; Nos, qui doctas piorum, & eruditorum hominum lucubrationes complecti pastorali caritate tenemur, & studia huiusmodi promouere in Domino exoptamus; vt tam primus horum operum Tomus iam typis excusus, quam ceteri cum excudentur, sinceri, & emendati prodeant, neque cuiusquam incuria, aut fraude adulterari, vel labefactari possint; Motu proprio, & ex certa nostra scientia omnibus, & singulis Christi fidelibus, præsertim librorum Impressoribus, ac Bibliopolis quovis nomine nuncupatis, tam in Vrbe, & in vniuersa ditione, & locis S. R. E mediate, vel immediate subiectis, sub quingentorum ducatorum auri Cameræ Apostolicæ applicandorum, necnon amissionis librorum atque typorum, quam etiam in tota Italia, & extra eam vbiuis gentium, & locorum, constitutis, sub excommunicationis maioris latæ sententiæ pœnis ipso facto absque alia declaratione incurrendis, auctoritate Apostolica tenore præsentium interdicimus, & inhibemus, ne per quindecim annos à data præsentium computandos, primum Tomum operum B. Petri Damiani a te editum, & alios singulos a te edendos dummodo omnes a Magistro Sacri Palatij approbati sint, per totidem annorum spatium ab vniuscuiusque eorum editione numerandum, absque tua licentia imprimere, alioue titulo, vel forma, quouis prætextu mutatos, vel alio quocumque idiomate versos edere, vel sic editos vendere, seu venales habere audeant, vel præsumant. Mandantes vniuersis, & singulis Venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs Locorum Ordinariis, Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Potestatibus, & aliis Officialibus, vt quando, & quoties per te, vel tuo nomine fuerint requisiti, præmissa contra inobedientes exequantur, & obseruari faciant, Inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac statutis, & consuetudinibus, Iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis; priuilegijs quoque

indultis & litteris Apostolicis, quibusuis personis quomodolibet concessis, & confirmatis. Quibus omnibus illorum tenores, ac si ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis habentes, pro hac vice dumtaxat derogamus, ceterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem, vt præsentium litterarum exemplis, etiam in ipsis voluminibus impressis eadem vbique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die xvij. Augusti. MDCVI. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Scipio Cobellutius.

DE B. PETRO DAM. S. R. E. CARD. Episc Ostien. eiusq. scriptis, hæc habet Illustriss. D. Card. Baronius Annal. Eccl. Tomo xj. ad A. C. 1072.

SIC Deus in hoc deploratissimo sæculo, cum excreuisset ad Ecclesiam obruendam diluuium carnis, dedit mundo tantum Virum, qui austerissimæ vitæ exemplo, verbique prædicatione, & scriptis exiccaret tantam putredinem: pariterque pugnaret aduersus Simoniacam hæresim, quæ vbique locorum grassabatur impunè. Quod autem ad eius pertinet scripta, hic ea cuncta recensere non immoramur, cum modo (1604.) apud Nos mandato Beatissimi Domini nostri Clementis Papæ Octaui laboret Dōnus Caëtanus, Siculus, monachus Casinensis Congregationis, vt Viri sanctissimi scriptorum monimēta vndiq. collecta, prælo subijciat. quod propediem spero fore. In his enim peruestigandis, & exemplaribus pluribus hinc inde perlatis, magno studio corrigendis, studio indefesso laborat: à quo & eiusdem Petri vitam accipies vberius scriptam.

Imprimatur, si placet R. P. Magist. S. Palatii Apostolici.

B. GYPSIVS, VICESGER.

Imprimatur,

F. PAVLVS DE FRANCHIS de Neapoli Magist. & socius R. P. Magist. S. Palatij Apostolici.

SVMMA PRIVILEGII.



ENRICI IIII. Galliæ & Nauarræ Regis diplomate cautum est, ne quis in suo regno, alijsue locis ditioni suæ subiectis intra proximos annos decem à die Impressionis perfectæ prima inchoãdos excudat, vendat, excudendum, vendendumque quouis modo, ac ratione conetur Librum qui inscribitur, B. *Petri Damiani Monachi Ordinis S. Benedicti Epistolæ, &c.* Præter SEBASTIANVM CRAMOISY, Bibliopolam Parisiensem Iuratum, aut illos quibus ipse concesserit: sub pœnis originali diplomate contra delinquentes expressis, Lutetiæ Parisiorum 16. Nouemb. 1609.

Sic signatum.

DE MANDATO REGIS.

POTIER.



BEATI PETRI DAMIANI MONACHI BENEDICTINI S. R. E. Cardinalis, Episcopi Ostiensis.

Epistolarum Libri Octo.

LIBER I. AD SVMMOS CHRISTIANÆ Reipublicæ Pastores, & Cadaloum Antipapam.

EPISTOLA I. Ad Gregorium VI. Romanum Pontificem.

ARGVMENTVM.

GREGORIO VI. sacrorum, & Reipublicæ Christianæ curâ commissâ, magnopere se exhilaratum ostendit, & sperare in posterum omnia melius administratum iri, & scelestis negociationibus, & largitionibus summotis, virtuti tantummodo locum fore. Hortatur præcipuè, vt Castellanæ, Fanensis, & Pisaurensis Ecclesiæ statum componat: ab his initio facto, facili negotio cæteras corrigi posse.

DOMNO Gregorio sanctissimo Papæ, Petrus peccator Monachus debitæ seruitutis obsequium.



EVERENDISSIME Domine, Regi Regum Christo gratias refero, quia de Apostolica Sede bona semper audire aridis desiderij mei faucibus sitio; largum præconij vestri poculum, multis iam propinantibus, bibo. Qui videlicet haustu tantâ suauitatis dulcedine mentis meæ stomachum recreat, vt dum mens interius iubilat, lingua protinus in hanc vocem laudis erumpat: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Verè enim ipse, sicut scriptum est, mutat tempora, & transfert regna. Verè, quod per Prophetam suum multò ante prædixit, nunc te-

Luc. 2. v. 14.
Dan. 2. v. 21.

Deut. 4. v. 14. ste mundo, mirabiliter adimpleuit; Quia dominatur excelsus in regno hominum, & cui voluerit ipse dat illud. Lætentur ergo cæli, & exultet terra, & antiquum sui iuris priuilegium se recepisse sancta gratuletur Ecclesia. Conteratur iam milleforme caput venenati serpentis; cesset commercium peruersæ negociationis; nullam iam monetam fallarius

Act 8. v. 18. Simon in Ecclesia fabricet; nulla Giezi, præsente prouidi Doctoris ab-

4 Reg 5 v. 25. Gen. 8. v. 9. sentiâ, furtiua dona reportet. Iam columba reuertatur ad arcam, & virentibus oliuæ folijs, pacem nunciet redditam terris. Reparetur nunc aureum Apostolorum sæculum, & præsidente vestrâ prudentiâ, Ecclesiastica refloreat disciplina. Reprimatur auaritia ad Episcopales infulas anhelantium; euertantur cathedræ columbas vendentium numula-

Matt 21 v 12. riorum. Veruntamen vtrum ista, quæ scribimus, mundo sperare sit li-

Marc. 11. v. 15. citum: primo Pisaurensis Ecclesia bonæ spei clarum dabit indicium.

Ioan 2 v. 15. Nisi enim prædicta Ecclesia de manu illius adulteri, incestuosi, periuri, atque raptoris auferatur, omnis populorum spes, quæ de reparatione mundi erecta fuerat, funditus eneruatur. Omnes siquidem ad hunc finem oculos tendunt, omnes ad hanc vnam vocem aures erigunt. Et si ille tot criminibus obuolutus ad Episcopatus arcem restituitur, ab Apo-

(Tacite hortatur, vt Pisaurēsem pseudoepiscopum abdicet.)

Deut. 19. v. 15. stolica Sede boni aliquid vlterius posse fieri, penitus denegatur. Tres

Matt 18. v. 16. equidem sunt, quæ testimonium dabunt, Castellana sedes, Fanensis, & Pisaurensis; vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. In his tribus patenter ostenditur quid spei de cætero relinquatur.

Omnipotens Deus te, summe Pater, ad conseruanda Ecclesiæ suæ iura custodiat, & populū suum ne immeritò sub tanto Pontifice gaudere permittat.

EPIST. II. Ad eundem Gregorium VI. Romanum Pontificem.

ARGVMENTVM.

Scribit, quendam, qui Episcopus à suis electus, Romam vt à Pontifice confirmaretur, accedebat, sibi non vsquequaque probari; si tamen cum alijs conferatur, non indignum videri ea dignitate. Petit, vt si illum reiecerit, vsque ad suum aduentum hanc rem differat.

Domno Gregorio sanctissimo Papæ, Petrus peccator Monachus deuotissimæ seruitutis obsequium.

NOVERIT beatitudo vestra, piissime Domine, quia pro peccatis nostris Clerici digni Episcopatus officio in nostris partibus non

Philip. 2. v. 21. inueniuntur. Omnes enim quærunt quæ sua sunt, & non quæ Iesu Christi. Auaritiæ quippe, & elationis igne succensi, ambiunt quidem ad sacerdotium promoueri, sed non student digni sacerdotio fieri. Præ-

(Clericorum mores illius temporis.)

esse inhiant, prodesse non curant. Veruntamen pro qualitate temporis, & penuria personarum, videtur mihi hic Archipresbyter posse ad Episcopatus apicem prouehi, si vestræ sanctitatis id decernat auctoritas. Excepto, quod auaritia honoris æstuat; conscendere ad pastoralis officij culmen anhelat. Hoc autem vestro relinquatur iudicio. Sed si hoc non obsit, cum Semproniensis Ecclesiæ clericalis ordo in mea mente reuoluitur, hic aliquantò cæteris quasi meliusculus inuenitur. Quapropter si prudentissimæ vestræ Sanctitati placere potest, postquam a Clero, & populo est electus, postquam ad hoc officium à pluribus vtcunque iudicatur idoneus, de ambitione sua pœnitentiam agat, & benedictioné consecrationis accipiat. Veruntamen omnipotens Deus, quid vobis super hac re faciendum sit, per sui spiritus gratiam doceat, & in templo pectoris vestri manifesta voluntatis suæ iura decernat. Vnum autem est, vnde pietatis vestræ deposco clementiam, vt si hunc non consecraueritis, donec me seruum vestrum videritis, nulli prædicti Episcopatus cathedram tribuatis.

EPIST. III. *Ad Clementem II. Romanum Pontificem.*

ARGVMENTVM.

Iussus ab Imperatore Pontificem adire, vt illum de quarundam Ecclesiarum pessimo statu certiorem faceret, cum iam esset in itinere, literas eiusdem Imperatoris, quas Pontifici traderet, accepit. Has in præsentia ad eũdem mittit, rogatque, vt ad se scribat, vtrum iter semel susceptum sibi prosequendum censeat, necne; simul etiam munus, quod sibi demandatum fuerat, diligẽter exequitur, Ecclesiarũque calamitates, & perturbationes, propter Antistitum scelera, & flagitia, vir pius, non sine magno dolore deplorat. Obtestatur ergo Pontificem, vt ipse, cui vniuersa sacrorum cura commissa est, sacris Ecclesiis ab improbis hominibus labefactatis opem ferat, illasque in pristinam tranquillitatem restituere conetur.

Domno Clementi summæ Sedis Antistiti, Petrus peccator Monachus humillimæ deuotionis obsequium.

NOuerit beatitudo vestrę, Excellẽtissime Domine, quia Domnus inuictissimus Imperator non semel, sed sæpe mihi præcepit: &, si dicere audeo, rogare dignatus est, vt ad vos venirem, & quæ in Ecclesijs nostrarum partium agerentur, quæque mihi necessaria à vobis fieri viderentur, vestris auribus intimarem. Cumque ego & difficultatem itineris perhorrescerem, & ad vos venire penitus recusarem, ille à sua intentione non destitit; sed, vt iter arriperem, absoluta definitione præ- Henrici II. Imp. in Ecclesias prouidentia.

cepit. Postquam autem itinere dierum trium ad eremum regressus sum, ecce istæ eius litteræ sacris vestris manibus offerendæ, nobis allatæ sunt. quas nos vsque ad aspectum vestrum non præsumimus temerare. Quas, si placet, vos prius inspicite: & cum his simul per vestras quoque litteras, vtrum ad vos venire debeam, necne, mihi iubere dignemini. Ego enim inter vtrumque positus, & dies meos huc, illucque discurrendo, perdere timeo, & tamen Ecclesiæ Dei, quæ in nostris partibus per malos Episcopos, & Abbates omnino confusæ sunt, compatiendo mœrore nimio, & tristitia contabesco. Et quid prodest, Domine mi, quod Apostolicam Sedem de tenebris ad lucem remeasse dicimus, si nos adhuc in eisdem tenebris remanemus? Quid iuuat, si sub sera quilibet vitalis alimenti copiam claudat, ipse tamen fame depereat? Quid iuuat, cum quis limati mucronis ferro succingitur, si circumfusis hostium cuneis non vibratur? Te enim omnipotens Deus vice sui in populo quodammodo cibum posuit; ex te contra omnes aduersariorum impetus Ecclesiæ suæ latus armauit; quatenus & Deo resistentium pectus studeas cœlesti virtute confodere, & famelicum nostræ humilitatis stomachum sacri verbi dapibus satiare. Sed cum videamus Fanensem latronem ab his etiam, qui non erant, sed dicebantur Apostolici, maledictũ, & excommunicatum; Auximanum quoque tot, & tantis inauditis criminibus inuolutum, aliosque simili sententia condemnandos, à vobis cum tanta arrogantia, & exultatione reuerti, cogitur in luctum spei nostræ gaudium commutari. Nos enim sperabamus, quod tu esses redempturus Israël. Quapropter, beatissime Domine, sic conculcatam, & abiectam stude releuare iustitiam, sic Ecclesiastici vigoris exhibe disciplinam, vt & pars iniqua à statu superbiæ corruat, & mens humilium ad speranda bona fiducialius conualescat.

Consulit Pontificem.

Nota, quàm sit perniciosa monachis inconstantia.

Charitas Damiani, & zelus.

Dignitas Põtificis, & officium.

Luc. 24. v. 21.

EPIST. IV. Ad Leonem IX. Romanum Pontificem.

ARGVMENTVM.

Hac Epistola totus in eo versatur, vt ostendat, falsò se fuisse de quibusdam criminibus accusatum. Leonem vero Pontificem Max. ad ea credenda nimis procliuem leuiter excusat. Facile enim fuisse, ait, homini tantis occupationibus impedito à calumniatoribus paulisper imponi, quod etiam exemplo Dauidis comprobat. Deinde rationibus ex sacris litteris petitis demonstrat, quàm cautè sit alienis criminationibus fides adhibenda. Postremò Deum suæ innocentiæ testem aduocat, additque se, si eidem summo Rectori ita placuerit, quoduis supplicium, quamuis innocentem, perpeti paratum esse.

Domno Leoni beatissimo Papæ, Petrus peccator Monachus deuotissimæ seruitutis obsequium.

HOc saltem dicam accusatoribus meis, quod plebs Israëlitica dixit prædicatoribus suis: Videat Dominus, & iudicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone, & seruis eius. Antiquus namque hostis timens, ne ego possem vobis suggerẽdo destruere, quod ille in istis partibus non desinit quotidie nouis adinuentionibus fabricare, malignantium aduersum me linguas exaciit, complices suos ad componenda mendacia, quoddam sibi velut organum fecit, per vascula sua crepuit, & malitiæ suæ virus sacris auribus instillauit. Et quid mirum, si Domino meo tantis oppresso negotiis versuta calliditas hominum subrepere potuit; cum & Dauid, qui prophetico plenus erat spiritu, dum Sibæ in consultiùs credidit, innocentem protinus Miphiboseth sententiæ proscriptionis addixit? Tantumque apud eum falsæ accusationis sermo præualuit, vt plectibilem seruum in herilis consortium hæreditatis asciſceret, & infidelitatis reum libertatis dignum præmio iudicaret. Veruntamen si Creatoris nostri facta vigilanter attendimus, ad credenda cuiuslibet mala fidem adhibere facile non debemus. Ipse enim, cuius [a] oculis nuda, & aperta sunt omnia, non dedignatus est dicere: [b] Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis; descendam, & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est, ita vt sciã. Quod profectò ad nihaliud dictum videtur, nisi vt humana doceatur ignorantia sine experimentis audita non credere, incognita non leuiter adiudicare, nec ante sententiam promere, quàm rem dubiam testimoniis approbarit. Quam profectò cautelam dum vos prudentem habere in aliis liquidò nouimus, quia nobis obseruata non est, non vobis adscribimus, sed nostris proculdubio meritis imputamus. Veruntamen in his ad conscientiam redeo, ad mentis meæ secreta recurro, certus, quia nisi pro amore Christi, cuius ego malus seruus sum, nullius mortalis hominis gratiam quęro, nullius iracundiam pertimesco. Quapropter ipsum conscientiæ meæ testẽ inuoco, & humiliter peto, quem in sacrario vestri pectoris habitare, pium est credere, vt si saluti meæ congruere iudicat, vos mihi mitescere sua protinus auctoritate præcipiat, & serenitatis vestræ vultum mihi placabilem reddat, quatenus ipse me in vestra reconciliatione confœderet, qui me ad quærendam clementiæ vestræ gratiam, ne stem rigidus, terret. Alioquin si adhuc durissimo auersionis vestræ flagello me verberandum esse decernit: liuentes scapulas humiliter subdo, ori meo digitum superpono, nil conqueror; sed ad ipsum spei meæ oculos leuo, cuius hæc erga me fieri iusta occulti examinis dispositione perpendo. Non ergo vos, sed ipsum rogo, sine cuius nutu nec folium arboris credo defluere, vt cor vestrum, quod in manu tenet, si mihi salus est, in meam dignętur beneuolentiam inclinare.

Exod. 5. v. 21. Purgat se de quibusdã criminibus sibi obiectis.

Excusat crudelitatem Pontificis.

2. Reg. 16. v. 4 Criminationibus non est fides facile adhibenda.

a Heb. 4 v. 13. b *Gen. 18 v. 20 21* Cautela in iudicando.

Damiani modestia.

Inuicti animi robur.

Conscientiam testem aduocat.

Cor Principis in manu est Dei.

EPIST. V. Ad Victorem II. Romanum Pontificem.

ARGVMENTVM.

Expostulat cum Pontifice Maximo quod Henricum quendam illustrem virum, qui spretis rebus humanis ad Christi militiam confugerat, à quibusdam iniustè vexari, & opprimi sineret, pro quo etiam Christum grauissimis verbis loquentem inducit; monetque Pontificem, vt videat etiam atque etiam ne illi de se conquerenti, quid possit respondere, non habeat. Ad extremum arrogantiæ à se suspicionem auertit, ostenditque eiusdem Christi exemplo non debere irasci eos, qui in aliqua sublimi potestate constituti sunt, si ab inferioribus dignitate, sui officij admoneantur.

Domno Victori summæ Sedis Antistiti, Petrus peccator Monachus debitam seruitutem in Christo.

MIratur mundus, piissime Domine, cur huic misero clementia vestra tanto tempore non compatitur, & ad vlciscendum tā cruentæ rapinæ facinus zelo iustitiæ non mouetur. Quamdiu enim terreno sæculo militauit, sua omnia bona † nauiter, & quietè possedit; postquā verò sub alas Christi confugium petit, postquam Petri secutus exemplum, dimissis omnibus, ad sectanda Redemptoris vestigia properauit, *Matt.19.v.27* protinus eum crudelis prædo suis possessionibus expulit, & quasi sub inualidi defensoris patrocinium fugientem bonis omnibus spoliauit. Hoc itaque modo non iam Henricus iniuriam videtur sustinere, sed Christus; Christus inquā, vestri prælulatus tēpore præiudiciū patitur: *Psal.145.v.7.* qui facit iudicium omnibus iniuriam patientibus; ipse sibimet in vestræ districtionis examine iustitiam non meretur. Quid enim si ipse te Saluator tuis conueniat verbis, & has effundat improperando querelas? Ego te, inquit, vt non à principio repetam, de communi Clericorum grege ad sacerdotale fastigium extuli, & de clientela Episcopij ad obtinenda Episcopalis officij iura promoui: ego te quasi patrem Imperatoris esse constitui, & cor illius ad gratiam tui præ cunctis pæne mortalibus inclinaui: ego claues totius vniuersalis Ecclesiæ meæ tuis manibus tradidi, & super eam te mihi Vicarium posui, quam proprij sanguinis effusione redemi. Et si pauca sunt ista, etiam monarchias addidi: immo sublato Rege de medio, totius Romani Imperij vacantis tibi iura permisi. Ego itaque, qui tibi tanta, & talia præstiti, legem, siue iustitiam in tuo examine non inuenio: atque à tuis tribunalibus despectus, & incultus abscedo. Si ergo te, piissime Domine, is, qui iudicaturus est viuos, & mortuos, his verbis impeteret, quid ad hæc tua Sāctitas

† suauiter f.

Pontifex pater Imperatoris.

excusationis opponeret? Quid allegationis, quid defensionis ad purgandum se coram eo, qui argumentatione non fallitur, inueniret? Iam iam itaque zelus faciendæ iustitiæ sacratissimum vestræ Clementiæ pectus accendat, iam vigor Ecclesiasticæ disciplinæ in vltionem se plectendi criminis exerat; & in expoliato homine Christum suo iuri, contempta impiorum hominum tergiuersatione, restituat. Exhibeatur misero cum sacerdotali pietate iustitia, prodeat in peruersum cũ regię animaduersionis seueritate censura; quatenus qui tibi tradidit in hominibus potestatem, in semetipso experiatur legalis iustitiæ defensorem.

Parce ori meo, venerabilis Pater, nec homo hominis humiliter suggerentis verba fastidi; cum & omnipotens Deus hominibus dicat: Venite, & arguite me. *Esai 1. v 18.*

EPIST. VI. Ad Nicolaum II. Romanum Pontificem.

ARGVMENTVM.

Publicam Ecclesiasticorum virorum lasciuiam, ac petulantem viuendi licentiam comprimendam esse; quantoque nobiliores sunt, qui peccant, eo maiore animi ardore, ac libertate reprehendendos, exemplo egregio Phinees, fornicarium illum nodum disrumpentis, demonstrat. Quæ res adeo cordi Deo fuit, vt inter cætera ob tantam rem bene gestam collata dona, quæ in semet Phinees iure optimo promereri voluerit, sempiterni sacerdotij fœdere sit cumulatus. Contra accidere desidiosis Rectoribus, & flagitijs subditorum conniuentibus, Heli sacerdotis admonet casus. Demum acriter in fornicarios sacerdotes, atque Episcopos, tum validis argumentis, tum sacræ auctoritate Scripturæ inuectus, Nicolaum summũ Pontificem hortatur canonica indictione vt malè peccantes coerceat; ne dum nimium pius, indulgensque in alios sit, alienam ipse in se transferat pœnam.

Domno Nicolao summo Pontifici, Petrus peccator Monachus debitæ subiectionis obsequium.

NVper habens cum nonnullis Episcopis ex vestræ maiestatis auctoritate colloquium, sanctis eorum femoribus volui seras apponere, tentaui genitalibus sacerdotum, vt ita loquar, continentiæ fibulas adhibere. Sed quoniam hæc est secta, cui vbique contradicitur; aliud quidem quodcumque vestræ constitutionis Imperium sub spe perficiendi, fidenter indicimus: Huius autem capituli nudam saltem promissionem tremulis prolatam labiis difficilius extorquemus. Primò, quia fastigium castitatis attingere se posse desperant: deinde quia synodali se plectendos esse sententia propter luxuriæ vitium non formidãt. Nostris quippe temporibus genuino quodammodo Romanę Ecclesiæ

Act 28. v 22. Sacerdotum non vindicata incontinẽtia. Causæ intemperantiæ clericorum.

consuetudo seruatur, vt de cæteris quidem Ecclesiasticæ disciplinę studiis examen, prout dignum est, moueat. De clericorum vero libidine propter insultationem ſęcularium dispensatoriè conticescat. Quod certe satis correctione dignum est, ne vnde vulgus omne conqueritur, inde potissimum à Magistris Ecclesię in iudicio taceatur. Si enim malũ hoc esset occultum, fuerat fortassis vtcumque ferendum; sed, ah scelus! omni pudore postposito, pestis hæc in tãtam prorupit audaciam; vt per ora populi volitẽt loca scortantiũ, nomina cõcubinarũ, socerorũ quoque vocabula, simul & socruum, fratrum denique, & quorumlibet propinquorum; & ne quid his assertionibus deesse videatur, testimonio sunt discursio nunciorum, effusio munerum, cachinnantium ioci, secreta colloquia; postremò, vbi omnis dubietas tollitur, vteri tumentes, & pueri vagientes. Ergo præ pudore, nescio quomodò supprimatur in synodo, quod publice vociferatur in mundo; vt non modo peccantes, vt dignum est, notentur infamiâ; sed & hi quoque, qui vltores esse debuerant, videantur in culpâ.

Quod Phinees iccirco fœdus æterni meruit sacerdotij, quia in zelum se extulit vltionis *Num 25. v. 8* *a Deut 10 v. 17* *2. Paral. 19. v. 7*

Non hic pudor faciem Phinees sacerdotis operuit, qui nimirũ coëũtem cum Madianitide Israëlitem coram omni multitudine in locis genitalibus, arrepto pugione, transfodit. Porro autem nos contra [a] diuina mandata personarum acceptores, in minoribus quidem sacerdotibus luxuriæ inquinamenta persequimur: in Episcopis autem, quod nimis absurdum est, per silentij tolerantiam veneramur. Sed ecce hic Phinees diuini spiritus zelo succensus, cum totus pęnè Israëlitarum populus cum filiabus Moab fornicando corrueret, seseque Beelphegor sacrilegis cęrimoniis initiaret, non in despectos quosque, vel infimos diuinę legis propugnator insiluit; sed excellentiores, & clariores in populo, quos ad terrendum cæteros trucidaret, elegit. Testante Scripturâ, quæ dicit: Erat, inquit, nomen viri Israëlitæ, qui occisus est cum Madianitide, Zambri filius Salai, dux de cognatione, & tribu Simeonis. De mulieris quoque nobilitate, si quæritur, hoc in sequentibus inuenitur: Porro mulier Madianitis, quæ pariter interfecta est, vocabatur Cozbi, filia Sur principis nobilissimi Madianitarum. Sanè post digestã fornicationis, & dignæ vltionis historiam, quid opus fuit Moysi, vt genealogiam fornicatoris vtriusque contexeret; & alterum ducem, alteram nobilissimi principis filiam fuisse, narraret: nisi, vt diceret carnales illecebras in eminentioribus personis acrius persequẽdas? Hinc est, quod & ipse Dominus, cum omnis Israëlitica plebs non dispari crimine teneretur obnoxia, de populo quidem tacuit, aduersus autem solos Principes in furorem se dignæ animaduersionis erexit. Iratus enim ait Moysi: Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Israël. Planè & Moyses non ad alios, sed ad Iudices Israël ait: Occidat vnusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor. Dum ergò Phinees pro communi fornicatione totius multitudinis vlciscenda, in eos potissimum, qui duces

Num. 25. v. 14 15.

Carnis illecebræ in eminẽtioribus personis durius vindicandæ. *Num 25. v. 4.* *Ibidem v. 5.*

duces videbantur, insiliit, Principes similiter populi in patibulis suspendi, sententia diuina, pręcepit. Moyses quoque non quibuslibet infimis, sed Iudicibus Israël, vt proximos suos occiderent, pro vindicta fornicationis iunxit. Quid in his omnibus datur intelligi, nisi quia reatus adulterij in personis clarioribus debet durius vindicari? Et qui tales commotus vlciscitur, pacem superni Iudicis, & gratiam non modo sibi, sed & populo absque dubio promeretur. Vnde diuina vox, Phinees, inquit, auertit iram meam à filiis Israël, quia zelo meo commotus est contra eos, vt non ipse delerem eos in zelo meo. Ecce audiuimus quomodo propter iram Phinees placata est ira Domini super Israël: audiamus etiam nunc qualiter ipse per animi sui commotionem perpetuam sibi cum Domino statuerit pacem. Ecce, inquit, do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi, quàm semini illius pactum sacerdotij sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo, & expiauit scelus filiorum Israël. Pacem quippe Dominus illi sui fœderis dedit, quia sedata omni carnis molestia, viuere illum vsque in finem mundi, in paradisi amœnitate constituit. Ipse siquidem est, nisi fallor, Elias Propheta, qui videlicet igneis equis, & curru, Elisæo suspiciente, est translatus in cælum. Vnde me quisquis mẽtiri autumat; diuinæ legis interpretem Hieronymum, qui hoc in Hebraicarum quæstionum libro testatur, potius reprehẽdat. Porrò autẽ & tẽpore Dauid Regis hic Phinees superesse, ac sacerdotale offi ciũ gerere perspicuè reperitur, dicente Scriptura: Hi sunt, inquit, Choritę super opera ministerij, custodes vestibulorum tabernaculi, & familię eorum per vices castrorum Domini custodientes introitum. Phinees autem filius Eleazar, erat dux eorum coram Domino. Cui nimirum Phinees nomen est à parentibus inditum, Elias vero agnomen est accidens per euentum. Elias siquidem interpretatur Deus Dominus, quod ex hâc sibi occasione impositum fuisse creditur, quia cum legationis officio fungeretur, missus ab Israëlitico populo ad duas semitribus, Ruben videlicet, & Gad, & dimidiam tribum Manasse, quę enormis magnitudinis altare constituxerant, hoc ab eis responsum excusationis accepit: Fortissimus, inquiunt, Deus Dominus, ipse nouit si pręuaricationis animo hoc altare construximus. Ab his itaque rationem reddentium verbis, Elias nuncupatus asseritur, qui Phinees eatenus dicebatur; vt illorum responsum, huius videatur esse vocabulum.

Adulteria Magnatum acrius persequenda.

Num.25.v.11.

Ibid.v.13.

Præmiũ Phinees propter zelum eius.

1.Mach.2.v.54 58.

4 Reg 2.v.11.

Phinees est idẽ qui Elias. At de his dicemus in Notis nostris.

1.Par 9.v.19.

Cur Phinees dictus sit Elias

Iosu.22 v.22.

Notandum autem, quia sicut in chronicis suis solertissimus Beda testatur, ab egressu filiorum Israël ex Ægypto, vsque ad Eliæ in cæli culmẽ ascensum, sexcentorum viginti annorum supputari calculus inuenitur. Iure ergo qui mœchis repentinam intulit necem, annosę vitæ sortitus est longitudinem; quique in terris diuini zeli est ardore succensus, congruenter est equis igneis eleuatus in cælum.

4.Reg.2 v.11.

S. Beda in chronicis consule scholia.

At contrà, Heli quia filiorum peccata cognouit, sed eos inuectione, qua digni erant, acerrima non corripuit, eisdem filijs à Philistiim in bello perẽptis, ipse quoque de sellâ retrorsum cecidit, fractisque ceruiQuod Heli ideo perijt, quia filijs peccantibus malè pius indulsit.

cibus expirauit. Quin & arca Domini ab hostibus capta est, & prius quidem quatuor millia, deinde triginta millia virorum sunt, Philisteo trucidante, prostrata. Et quidem redarguit, & quidem corripuit: sed lenita-
1. Reg. 2. v. 23. 24. te, & mansuetudine Patris, non seueritate, vel auctoritate Pontificis. Quare, inquit, facitis res huiusmodi, quas ego audio, res pessimas, ab
Ibid. v. 22. omni populo? Nolite filij mei; non est enim bona fama, quã audio. Audierat enim, Scriptura testante, quia dormiebant cum mulieribus, quæ obseruabant ad ostium tabernaculi. Porrò quos inimicos Dei vidit: in perniciem suam filios recognouit: & quos hostili ferire gladio debuit, paternæ blanditiæ lenitate palpauit. Non sic ille fidelis in domo Domini famulus Moyses, magister videlicet ingenui Phinees. Stans enim in porta castrorum, ait: Si quis est Domini, iungatur mihi, Congregatique
Exod. 32. v. 26. 27. sunt ad eũ omnes filij Leui, quibus ait: Hæc dicit Dominus Deus Israël. Ponat gladiũ vir super femur suum; ite, & redite de porta vsque ad por-
Ibidem v. 29. tam castrorum: & occidet vnusquisque fratrem, & proximum, & amicũ suum. Cæsis itaque viginti tribus millibus hominum, ait Moyses: Consecrastis manus vestras hodie Domino, vnusquisque in filio, & fratre suo; vt detur vobis benedictio. Plane sicut benedictione digni sunt, qui culpas corrigunt; ita nihilominus maledictioni obnoxij sunt, qui peccantibus blandiuntur, sicut per Prophetam dicitur: Maledictus, qui prohibet gladium suum à sanguine. A sanguine quippe gladium suum
Hierem. 48. v. 10. prohibet, qui se ab inferenda reprobis dignæ sentẽtiæ animaduersione coërcet. Facti siquidem culpam habet, qui quod potest, negligit emendare. Vnde & præfato Heli vir Dei, qui & Phinees fuisse putatur, ait:
1. Reg. 2 v. 29. Hæc dicit Dominus: quare calce abiicitis victimam meam, & munera mea, quæ præcipi vt offerrentur in templo, & magis honorasti filios tuos, quàm me? Si ergo Heli propter duos duntaxat filios, quos non ea, qua digni erant, inuectione corripit, cum eis simul, & cum tot hominũ multitudine periit; quâ arbitramur dignos esse sententiâ, qui in aulâ Ecclesiastica, & solijs iudicãtium præsident, & super non ignotis prauorum hominum criminibus tacent? Qui dum dehonestare homines in publico metuunt, ad contumeliam superni Iudicis diuinæ legis mãdata confundunt; & dum perditis hominibus amittendi honoris officium seruant, ipsum Ecclesiasticæ dignitatis auctorem crudeliter inhonorant. Vnde & eidem Heli, qui Deum, suos filios honorando, contẽ-
1. Reg. 2. v. 30. 31. pserat, diuina vox ait: Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Vbi mox subditur: Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui. Ac si apertè dicat: quia ego per pastoralis officij dignitatem contra inimicos meos brachium tibi fortitudinis contuli, sed tu ad eorum vltionem illud exerere noluisti, iam brachium à te præcidam, id est, vigorem tibi sacerdotalis culminis auferam; vt qui manceps fueras ad pugnandum pro me, iam nec manum habeas ad tuendum te.

Ponamus planè, quod Ophni, & Phinees Episcopi sint; Heli autem Metropolitani vicē teneat; quid ergò deterius quis potest agere, quàm si luxuriosis Episcopis parcat, cum emendare præualeat? Præsertim cum præfato Heli Dominus dicat: Prædixi ei, quod iudicaturus essem domum eius in æternum, propter iniquitatem, eò quod nouerat indignè agere filios suos, & non corripuit eos; iccirco iuraui domui Heli, quòd non expietur iniquitas domus eius victimis; & muneribus vsque in æternum. Si ergo victimis, & muneribus omnia crimina diluuntur, sola autem falsa in Episcopis pietas veniam non meretur; videat, qui eorum diiudicare mala dissimulat, quàm duræ sententiæ apud districtum Iudicem se obnoxium reddat. Sed quoniam ego summum Ecclesiæ vniuersalis Antistitem, vel leuiter suggillare non audeo; ipsum, qui peccat, breuiter alloquar.

1. Reg. 3. v. 13.

Cur, ô sacerdos, qui sacrum dare, hoc est, sacrificium Deo debes offerre, temetipsum prius maligno spiritui non vereris victimam immolare? Fornicans enim à Christi te membris abscindis, & meretricis corpus efficeris, Apostolo testante, qui ait: Qui adhęret meretrici, vnum corpus efficitur. Et iterum, Tollam, inquit, membra Christi, & faciam membra meretricis? Absit. Quid ergo tibi cum corpore Christi, qui per carnis illecebrosæ luxuriam membrum factus es Antichristi? Quæ enim conuentio lucis ad tenebras, aut quæ societas Dei ad Belial? Nūquid ignoras, Dei Filium adeò carnis elegisse munditiam, vt nequidem pudicitia coniugali, sed de clausula potius incarnatus sit virginali? Et ne hoc sufficere videatur, vt tantummodò Virgo sit Mater; Ecclesiæ fides est, vt virgo fuerit & is, qui simulatus est pater. Si igitur Redemptor noster tantopere dilexit floridi pudoris integritatem, vt non modò de virgineo vtero nasceretur, sed etiam à Nutricio Virgine tractaretur, & hoc cum adhuc paruulus vagiret in cunis; à quibus nunc, obsecro, tractari vult corpus suum, cum iam immensus regnat in cælis? Si mundis attingi manibus volebat in præsepio positus, quantam corpori suo nūc vult adesse munditiam iam in paternæ maiestatis gloria sublimatus? Planè si pater filiam suam incestuosè corrumpit, mox ab Ecclesiâ proiectus excluditur, communione priuatur, & vel in carcerem truditur, vel in exilium destinatur. Quantò ergo deterius ipse abiiciendus es, qui cum filia tua non quidem carnali, quod minus est, sed cum spirituali potius perire nō metuis? Omnes quippe Ecclesiæ tuæ filij, tui proculdubiò filij sunt. Et certè perspicuum est, quia spiritualis generatio maior est, quàm carnalis. Porrò dum tu sis vir, & sponsus Ecclesiæ tuę, quod vtique perhibent & annulus despōsationis, & virga commissionis; omnes, qui in ea regenerati sunt per Baptismatis sacramentū, tibi quoq; nihilominus astringuntur necessitudine filiorū. Qui ergo cū spirituali filia tua cōmittis incestū, qua cōscientia Dominici corporis audes tractare mysterium? Sed fortassis obiicias, quia longè antè quàm tu culmen sis adeptus Episcopi illa sit nata, vel non in Episcopio, sed in aliqua sit Plebium baptiza-

Nūc in sacerdotē luxuriātem scriptor inuehitur.

1. Cor. 6. v. 16.

Ibid. v. 15.

2. Cor. 6. v. 15.

Iosephū sponsum Virginis fuisse virginē.

Incestuosi pœna.

Spiritualis generatio maior carnali.

Episcopus suorum diœcesanorum pater est.

ta; tamquam tu eorum tantummodò, qui nasci turi erant, factus sis pater, & omnis parochia tua non sit Ecclesia tua. Enimuerò cum Dominus dicat: Nolite sanctum dare canibus; quod de te iudicium erit, qui corpus tuum, quod vtique sanctificatum est per consecrationis accessum, nō canibus, sed lupanaribus tradis? Et cū omnes Ecclesiasticos ordines in te vno habeas metuēda mole cōgestos, omnes proculdubiò fœdas, dū te prostibuli permixtione cōmaculas. Polluis itaque in te Ostiarium, Lectorem, Exorcistam, omnesque deinceps sacros ordines, pro quibus omnibus in districto Dei iudicio redditurus es rationem. Ad impositionem manus tuę descendit Spiritus sanctus, & tu eam adhibes genitalibus meretricum? Linguę tuę obsequitur Deus, & tu non vereris obtēperare dęmonibus? Porrò qui in Ecclesiastica cerneris dignitate conspicuus, non te erubescis immergere fornicibus scortatorum? Et qui prędicator constitutus es castitatis, non te pudet seruum esse libidinis? Veniet, veniet profectò dies, immò nox, quandò libido ista tua vertatur in picem, quâ se perpetuus ignis in tuis visceribus inextinguibiliter nutriat; & medullas tuas, simul & ossa indefectiuâ cōflagratione depascat. Qui enim flammâ libidinis æstuas, quâ fronte, quâ audaciâ sacris altaribus appropinquas? Ignoras, quia filij Aaron, Nadab videlicet, & Abiu, icircò cælesti sunt igne consumpti, quoniam alienum ignem offerre Domino præsumpserunt? Altaria quippe Domini non alienum, sed ignem duntaxat diuini amoris accipiunt. Quisquis igitur carnalis illecebræ ignibus æstuat, & sacris assistere mysteriis non formidat, illo proculdubiò diuinæ vltionis interim igne consumitur, de quo Scriptura testatur: Et nunc ignis aduersarios consumit. Et sicut nunc æstuantis luxuriæ flammâ decoquitur, ita postmodum numquam finiēdis atrocis gehennę incendiis, necesse est, comburatur. Præterea non expauescis, ô infelix Episcope, quia dum in luxurię voraginē corruis, Nicolaitarum hæresim incurristi? Nicolaus quippe vnus ex his, quos Petrus Apostolus Diacones consecrauerat, dogmatizabat clericos cuiuslibet ordinis nuptialibus fœderandos esse coniugiis. Quod ergo ille docebat verbis, ad hoc tu in cathedra pestilentiæ sedens, multò deterius inuitas exemplis. De quo videlicet scelere Angelo Ephesinæ Ecclesiæ diuina vox ait: Odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi. Et cum Apostolus dicat: Omnis fornicator non habet hæreditatem in regno Christi, & Dei. Qui in regno Dei, hoc est, in cælo, non habes quamlibet hæreditatem; quo pacto in Ecclesiâ, quæ nihilominus regnum Dei est, prælationis obtines dignitatem?

Matt. 7. v. 6.

Ordinum Ecclesiasticorū metuēda moles.

Leu 10. v. 1. 2. *Num. 3. v. 4.*

Hebr. 10. v. 27.

Episcopi incontinentes incidunt in hæresim Nicolaitarum.

Diacones à S. Petro Ap. cōsecrati.

Apoc 2 v 6. *Ephes. 5 v 5.*

Ecclesia regnū est Dei.

Exhortatio ad summum Pōtificem, vt in Episcopos fornicarios canonicum exerat vigorem.

Tu autē, Domine mi, venerabilis Papa, qui Christi vice fungeris, qui summo Pastori in Apostolica dignitate succedis, noli pestem hanc per ignauiam ad incrementa perducere, noli conniuendo, & dissimulando crassanti luxuriæ fręna laxare. Serpit enim hic morbus vt cancer, & virosa propago ad infinita porrigitur, nisi Euangelica falce, quod malè pullulat, amputetur. Absit igitur, vt sanctum cor vestrum segnis Heli torpor emolliat, sed potius ad sceleris vltionem ingenui Phinees

zelus accendat. Deponantur ij, qui Ecclesiasticæ castitatis non verentur fœdare munditiam, & deiecti deterreant, quos malè stantes ad turpis luxuriæ contumeliam prouocabant. Ad vltionem igitur se canonicus vigor exerat, & petulantium Clericorum mala compescat, quatenus & Beatitudini vestræ, quod absit, næuus non obrepat infamiæ, & solitus nitor Ecclesiasticę resplendeat disciplinę. Vestra quippe clementia non ignorat, quoniam Achab Rex Israël, dum Regi Assyriorum Benadab inordinatâ pietate pepercit, diuini aduersum se furoris sententiam prouocauit: cui nimirum vir Dei ait: Hæc dicit Dominus: Quia dimisisti virum morte dignum de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius. Hic ipse quoque vir Dei cum diceret socio suo: In sermone Domini percute me; noluissetque ille percutere, ait: Quia noluisti audire vocem Domini, ecce recedes a me, & percutiet te leo. Cumque paululum recessisset ab eo, vt Scriptura testatur, inuenit eum leo, atque percussit. Quibus vtique sacri eloquij verbis, quid aliud innuitur, quàm quia incomposita pietas proculdubiò meretur iram Dei, dum non promulgat in reos sub districti iuris ęquitate censuram? Meritòque debet superni Iudicis subire vindictam, qui neglexit in subditos exercere disciplinam: illique leoni, qui circuit quærens quem deuoret, meritò traditur, qui ab infligendo pœnitentię vulnere per torporis desidiam cohibetur. Sic igitur ingenuus vester Spiritus ad tollendum castitatis opprobrium se feruenter accingat, sic se in vltionem Nicolaitæ hęresis strenuè, ac viriliter erigat, vt iuxta sponsionem Phinees, pacem sui fœderis vobiscum Deus omnipotens statuat; immò, sicut Eliam, cæsis typicè quadringentis quinquaginta sacerdotibus, cælo vos non equis igneis, sed Angelis comitantibus introducat.

3. Reg. 20. v. 42. *Ibidem. v. 36.* Pietas incomposita meretur iram Dei. *1. Pet 5. v. 8.* *3 Reg. 18 v. 40.*

EPIST. VII. Ad eundem Nicolaum II. Romanum Pontificem.

ARGVMENTVM.

Gratulatur primò Nicolao Pontifici Maximo, quòd, illo totius orbis habenas moderante, Ecclesia Dei magna tranquillitate, & fælicitate frueretur. Deinde misericordiâ commotus, deprecatur pro Anconitanis, qui a Catholicâ communione summoti fuerant. Orat igitur Pontificem, vt cum illis mitius agat: & grauissimis viris in consilium adhibitis, tandem constituat, quo pacto infælices homines à sempiterna mortis periculo subtrahat. Demùm suæ audaciæ veniam petit, vsus exemplo Christi, qui cum Deus esset, ab hominibus argui non recusauit.

Domno Nicolao Beatissimo summæ Sedis Antistiti, Petrus peccator Monachus deuotissimæ seruitutis obsequium.

QVod in partibus nostris prosperitatis vestræ celebris fama percrebuit, magna cor nostrum lætitiæ iucunditate perfunditur; to-

tisque in Domino, qui istorum auctor est munerum, visceribus gratulamur, ità, vt dum mens intrinsecus iubilat, lingua etiam in hanc vocem diuinæ laudis erumpat: Gloria in excelsis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.

Luc. 2. v. 14.

De Anconitanis autem, venerabilis Domine, quotidie pereuntibus nimis doleo, & de confuso, atque commixto peccatorum, innocentiumque periculo medullitus contremisco. Ecce enim per conditionem carnis eorum quotidie corpora moriuntur, & per sententiam vestram Petri gladius in animarum eorum morte grassatur. Et nos quidem dormimus, sed euaginatus Sedis Apostolicæ mucro non dormit, qui tot hominum millia vnâ cruentæ mortis strage prosternit, non quidem in corporibus aliquando morituris; sed, heu proh dolor! quod intolerabile est, in animabus sine fine victuris. Enimuero audenter dicam, quia postquam Dominus meus ad Apostolatus culmen ascendit, numquam aliquid fecit, quod a nobis, qui in eius debemus vigilare custodiâ, tantopere debeat formidari. Vobis enim subijci, vobis vrbem tradere, vobis se, & sua voluerunt humiliter subiugare; sed eorum culpis obstantibus, non modò illis ianua misericordiæ vestrę non patuit; quin etiam, prolata sententia, à Regno Dei, & à liminibus Ecclesiæ tâquam è diuerso rebelles, & contumaces exclusit. Absit autem a Domino meo, vt cum vibrata tyranni cuiuspiam dextera post cædem duorum, vel trium hominum mox timore compescitur; illius, qui totius Christianæ magister est pietatis, gladius passim in tot animarum internecione grassetur. Nam & Abner cum in ipso belli certamine diceret ad Ioab: Num vsque ad internecionem tuus mucro deſæuiet? Protinus ille respondit: Viuit Dominus, si locutus fuisses mane, recessisset populus persequi fratrem suum. Absit, inquam, vt dum vnius hominis placere vult oculo, tanta eorum, pro quibus Christi fusus est sanguis, pereat multitudo. Vicem quippe illius tenes, qui adhuc pauper, & tenuis summis principibus, & magistratibus libera voce non timuit dicere: Obedire magis oportet Deo, quàm hominibus. Et rursus: Si iustum est in conspectu Dei, vos potius audire, quàm Deũ, iudicate. Quapropter si placet Domino meo, adscitis domno Hildeprando sanctissimi, ac purissimi consilij viro, reuerendissimis etiam Humberto, & Bonifacio Episcopis, qui vestri videlicet acutissimi, & perspicaces sunt oculi, cum his consilij vestri communicate mysterium, simulque tractate quo medicamine mors, atque perditio tot pereuntium desinat animarum. Moderetur itaque solito more Sedis Apostolicæ prolata sententia, seseque Ecclesiastici vigoris temperet disciplina; vt quos hostilis dispergere crudelitas nititur, in sacerdotalis misericordiæ gremio colligantur. Parce ori meo, clementissime Pater, & non procacis linguæ strepitum, sed deuoti considera cordis arcanum: nec à seruo tuo te pigeat humiliter argui, cum ipse Omnipotens Deus hominibus dicat: Venite, & arguite me.

Excommunicatio mors animæ.

2. Reg. 2. v. 26. 27.

Act. 5. v. 29.
Act. 4. v. 19.
Hildeprandus, Humbertus, & Bonifacius S. R. E. Cardinales.

Esai. 1. v. 18.

EPIST. VIII. Ad eundem Nicolaum II. Romanum Pontificem, & Hildeprandum S. R. E. Cardinalem Archidiaconum.

ARGVMENTVM.

Episcopatus non modo fructibus, & prouentibus, sed etiam omni supellectile, & sacerdotij ornatu spoliatus, tantam occasionem nactus, scribit ad Nicolaum Papam, & Hildeprandum Archidiaconum, qui principem ferè tunc temporis apud Pontificem locum obtinebat gratiæ, & dignitatis, vt se Episcopatus onere vacare, & immunem esse patiantur.

Beatissimo Papæ Nicolao, & Hildeprando venerabili Archidiacono, Petrus peccator Monachus debitam seruitutem.

BEnedictus omnipotens Deus, quia dum quidquid mihi pro beneficio datum fuerat, tollitur; dum ipse quoque sacerdotalis ornatus aufertur, certa mihi signa clarescunt, quod Episcopalis in proximo dignitas mihi funditus adimatur. Nam & filij Iacob cum fratrem suum Ioseph perdere decreuissent, prius eum talari, atque polimita tunica nudauerunt. Dominus etiam cum Aaron sacerdotem obire præciperet, ait Moysi: Pergat Aaron ad populum suum; & paulopost: Cum nudaueris, inquit, patrem veste sua, indues eam Eleazaro filio eius, & Aarō colligetur, & morietur ibi. Nimirum quem a sacerdotali iam officio quiescere voluit, sacrâ prius veste nudauit, eaque filium induens, pro patre ministrare constituit. In ablatione igitur vestis claret amissio dignitatis. In Tripartitâ quoque reperitur historia, quia cum fames Hierosolymorum Prouinciam occupasset, in Cyrillum, qui tunc Hierosolymis præerat, reuerâ tamquam in Episcopum, necessitate ciborum turba respiciebat egentium, cumque pecuniæ ad consulendum deessent, vasa ille sacra, ac vela distraxit. Sicque populo, qui laborabat inopiâ, subsidia ministrauit. Quâ de re Constantius Imperator ad iracundiam prouocatus est, ob id maximè, quod Acacius Cæsareæ Palestinæ Episcopus contra Cyrillum noscitur machinatus. Sacram namque vestem, quam famosissimus Imperator Constantinus ad honorem Hierosolymorum Ecclesiæ dederat Macario illius Pontifici Ciuitatis, auro scilicet, sericoque contextam, vt eâ circumamictus ministeriū sacri Baptismatis adimpleret, Cyrillum asseruit vendidisse, eamq; tunc emisse quemdam Thymelicum saltatorem. Dumque indutus eâ solito more saltaret, vt ille testabatur, protinus cecidit, & contritus, ac diuinâ vltione percussus, spiritum exhalauit. Hoc igitur Acacius Cyrillo crimen obiecit, sicque illum Episcopali dignitate deposuit, Si ergo summi illi Pontifices, Aarō videlicet, & Cyrillus post amissionem vestrum,

Hist. tripart. l. 5. c. 37.

Cyrilli misericordia in pauperes.

perdiderunt etiam consequenter sacerdotalium infulas dignitatum; quid mihi paruulo, & indigno aliud datur intelligi, nisi quia dum ornamentis sacerdotalibus exuor, sacerdotali proculdubio dignitate deponor?

Preterea monasterium hospitando, & confiscando muneribus abstulistis; de Episcopatu quoque quidquid prouentus inueniri poterat, consumpsistis. Quid ergo restat, nisi vt miles emeritus abijciat cum chlamyde cingulum, qui militaris stipendij perdidit donatiuum? Cedant igitur iam in vsus vestros Episcopatus, simul & monasteria, nec mihi quispiam de cetero inane beneficij nomen obijciat, sed vestris † luce clarius innotescat. Nouerit itaque vestra vtriusque benignitas, quia hæc vobis ita irreuocabiliter reddo, quòd donec vita comes fuerit, vlterius non tenebo.

† Videtur hoc loco aliquid desiderari.

EPIST. IX. Ad eundem Nicolaum II. Romanum Pontificem.

ARGVMENTVM.

Orat Pontificem summum, suppliciterque obsecrat, vt sibi Episcopatus onus deponere permittat; causas præcipuas affert, quod senior sit, & iccirco quieti magis, quàm laboribus idoneus; quod illud laboriosum munus non sponte, sed coactus susceperit; & denique quod propter sua peccata, vt ipse inquit, indignus sit, qui in tam excelso honoris, & dignitatis fastigio sedeat. Licere autem, si ita tempus, aut ratio postulet, Episcopatu se abdicare, plurimis sanctorum virorum & exemplis, & auctoritatibus comprobat. In fine Deum precatur, vt eam Pontifici mentem det, qua suis votis satisfaciat.

Domino suo Nicolao vniuersali Papæ, Petrus peccator Monachus seruitutem.

SAcrarium Spiritus sancti vestrum pectus agnoscit, quia nisi me tunc necessitas Apostolicæ Sedis impelleret, & antiqua, quam iamdudum circa vos habueram, charitas inuitaret, post sanctæ memoriæ Domini Stephani, vestri quidem decessoris, mei autem persecutoris, obitum, ego à me protinus Episcopatum non canonicè traditum, sed violenter iniectum, funditus abscidissem. Meministis enim, Domine mi, quot querelas coram vobis sæpe deposui, quot gemitus, quot denique profunda suspiria ex imis visceribus traxi, quoties etiam vberibus lachrymis tristia ora rigaui. Verumtamen apud vos tunc non obtinui missionem, quia Romanæ Ecclesiæ, quæ ruinam minari videbatur, id vtilitas non poscebat. Nunc autem te in sagena Petri clauum regente, sub tranquilla pace tota Christi gratulatur Ecclesia. Ventorum quippe se turbines reprimunt, procellarum spumantium volumina conquiescunt, mitescunt maria, totaque videtur cæli serenitas innouata. Cum igitur sub sancto

S. mem. Stephanus Papa X.

Tranquillitas Ecclesiæ sub Nicolao II.

ſub ſancto Pontificatu veſtro iūcunda pace vniuerſalis Eccleſia potiatur, canis meis, & grandæuæ iam ſenectuti, quæſo, requies non negetur. Quapropter ob remiſſionem omnium peccatorum meorum, quæ nequiter perpetraui, cedo iure Epiſcopatus, & per hunc annulum (virgam enim tuliſtis) deſperatâ deinceps omni repetendi querelâ, renuncio: vtrumque etiam vobis monaſterium reddo: &, vt quieſcendi municipium veterano, & emerito militi permittatur, imploro.

Hic mihi fortaſſis obijcitur, ſemel acceptum dimitti regimen non licere. Ad quod breuiter dico, quod ſentio, quia plerique Pontificatus iura non deſerunt, & de ſiniſtris ſunt: quotquot autem legimus rectâ intentione dimiſiſſe, certa ſpes eſt eos de æternâ cum Chriſto ſocietate gaudere. Neque tamen hoc dicimus, vt paſſim deſeri Epiſcopatum liceat, niſi videlicet id fieri neceſſitas, ſiue rationalis quælibet cauſa depoſcat. Probat ab exemplis poſſe dimitti Epiſcopatum.

Enimuerò B. Valerius Epiſcopus dum ſibi prouidet ſucceſſorem, magnum Auguſtinum Hipponenſi Eccleſiæ inthronizat Antiſtitem. j. De Valerio Hipponenſi Ep.

Lucidus Ficoclenſis Epiſcopus dum propinquum ſibimet obitum imminere cognoſcit, ad cœnobialis portum conuolat ordinis, ac ſacerdotalis infulas dignitatis monachicis mutat induuijs. Et, vt noueris quid ſibi conuerſio iſta contulerit, ſicut authentica regiſtri teſtatur hiſtoria, ſub ipſo migrantis obitu Spiritus ſancti gratia lætiſſimo relucebat in vultu. Cui nimirum & antequam moreretur, beatus Apoſtolus Andreas apparuit, & qua hora migraturus eſſet ex corpore, nunciauit. ij. De Lucido Ficoclenſi Epiſcopo.

Quid B. Adelbertum martyrem dicam? Qui nimirum quoniam Bohemienſis Eccleſiæ poſtpoſuit cathedram, monachum induens, triumphalem martyrij meruit inuenire coronam. iij. De B. Adelberto Epiſcopo Bohemienſi.

Vtque ex induſtria de cæteris ſileam, quidam ſanctus pœnitens, cuius me ad præſens vocabulum fugit, apud Gallias iam ante ſeptennium ferè Epiſcopatu dimiſſo, tandem, Angelo viſitante, præcipitur, vt ad Epiſcopatum redeat; ſed recuſat, donec admonente eodem Angelo, beatus aduenit ſub celeritate Remigius. Sic itaque ne deceptio potuiſſet fortè ſurripere, etiam tuta formidans, humano ceſſit imperio, qui ad Angelicum prius oraculum rigidus ſtetit. iiij. De Genebaldo Laudunenſi Epiſc.

Epiſcopus etiam ille Sabinenſis, qui ſolium Pontificale deſeruit, & Farfenſe monaſterium, contemptâ ſacerdotali dignitate, conſtruxit, quàm nobilis in Chriſto vir fuerit, teſtis eſt antiqua traditio, quæ ſanctitatis eius inſignia celebrat; teſtis moderna deuotio, quæ piam eius memoriam in benedictione frequentat. Quanti ſcilicet & prius, & poſtmodum in eadem ſede vſque ad vitæ terminum perdurarunt; & tam operoſum fructum Deo nullatenus attulerunt? v. De Laurentio Sabinenſi Epiſcopo.

Nec te, fælix Bonite, prætercam, qui hac dumtaxat occaſione percepta, quoniam de manu Regis, laici videlicet hominis, traditionem vj. De Bonito Epiſcopo Aruernorum.

Ecclesiæ te suscepisse contigerat, cathedram contempsisti, atque ad remotioris vitæ custodiam te protinus contulisti.

vij. De Gaudentio Apsarensi Episcopo.

Venerabilis quoque Gaudentius Apsarensis Episcopus, cuius ego familiaritatis dulcedinem merui, per quem Deus iam non ignobile miraculum fecerat, Episcopatum dimisit, & de Sclauonico regno nauigans, littoribus Anconitanæ vrbis applicuit, à qua non longè, post biennium fęliciter obijt.

viij. De Paulino Nolano Ep.

Nam & Paulinus Nolanæ Præsul Ecclesiæ, vt quærenti filium viduæ subueniret, ministerium pontificale deposuit, se séque tyranno cuidam tanquam vile mancipium subiugauit.

ix. De Martyrio Antiocheno Episcopo.

Verba Martyrij Episcopatui abrenunciantis.

Appio ex presbiterio per violentiã consecrato, fact⁹ prætorij præfectus.

In ecclesiasticâ porrò, quam Romanus quidam Scriniarius scribit, historia, legisse me memini, Martyrium Antiochenum Episcopũ propter dissidentis inobedientiam populi, cathedram dimisisse, vbi sic dicitur: Rediens, inquit, Martyrius Antiochiam, & inueniens populos dissidentes, Zenonemque his fauentem, coram Ecclesia abrenunciauit Episcopatui, dicens: Clero non subdito, & populo dissidenti, & Ecclesiæ squalenti abrenuncio, seruans mihimet sacerdotij dignitatem. Vbi etiam illud inuenitur insertum, quod Appio quidam Patricius, qui, imperante impio Anastasio, in Nicæna ciuitate presbyter fuerat per violentiam consecratus, quoniam prudens erat, ex decreto pijssimi Imperatoris Iustini, qui Anastasio in sceptra successerat, factus est Pręfectus Pętorij. Sic nimirum, sic Imperiali fuit pietate correctum, quod sub tyrannica fuerat tempestatę præsumptum. Quod profectò iccircò referendum duxi, vt quoniam & ipse violenter attractus sum, hinc valeat colligi quid etiam super me dignè debeat ex antiquæ auctoritatis imitatione decerni. Quamquam & alterius videatur esse negotij definire, vtrum hoc, quod ille de presbitero Præfectus Prætorij factus est, auctoritati, an præiudicio debeat imputari.

Quid de dimittẽdo Episcopatu B. Gregorius sẽtiat.

Greg. Reg. lib 9. epist. 41.

Porro autem beatus Papa Gregorius, si necessitas videretur exigere, nullatenus prohibebat Episcopos ab iniuncta sibi dignitate cessare. Cuius Registri tantummodo titulum nobis sufficiat annotare, ne iudicemur epistolam laciniosa prolixitate distendere. Ait enim is qui Registri volumen explicuit: Pontificibus, inquit, voluntariè suis renunciantibus sedibus successores Gregorius nullo modo denegabat, eosque postmodum de reditibus relictę Ecclesiæ sufficienter nutriendos esse censebat; & reliqua, quæ illic latius subnectuntur. Hinc est enim, quod idem Præsul insignis de Episcopo primę Iustinianæ, qui capitis ægritudinem patiebatur, hanc promulgat prolata disceptatione sententiam: Si vero, inquit, reuerentissimus Ioannes fortasse pro molestia sua petierit, vt ab Episcopatus honore debeat vacare, eo petitionem scripto dante, concedendum est.

Quid item B. Hieronymus. Luc. 19. v. 23.

Porrò & B. Hieronymus, dum de otioso Ecclesiæ Rectore tractaret, adiecit: Illico, inquit, indignantis Domini responsione ferietur, Serue nequam, quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, vt ego

veniens cum vsuris, exegissem illam? Quod idem Doctor protinus exponens, ait: Idest deposuisses ad altare, quod ferre non poteras. Dum enim tu ignauus negotiator denarium tenes, alterius locum, qui pecuniam duplicare poterat, occupasti.

Quid referam Lugdunensem Episcopum vita, & vocabulo Iustum, qui commissum sibi Pontificatus officium & laudabiliter rexit, & non sine laude deserüit? Planè abreptitius quidam in tantam furiosæ mentis prorupit insaniam, vt obuios quosque violentus impeteret, verberum collisione mactaret, plerisque membra præcideret, mortem postremo nonnullis inferret. Hic aliquando plurimis insectantibus, Ecclesiæ fores irrupit, seque tueri cœpit. Nam tunc eum necessitas edocebat ad cor redire, cum iam cogebatur à vita discedere; ecce sacerdos sanctus concitus ad ista prosilijt, & Ecclesiæ confugium petenti se defensor obiecit. Ii vero, quorum propinqui vel extincti fuerant, vel trũcati, vehementer instabant, & reum ad supplicia importuna constipatione quærebant. Quid plura? Tandem ad hoc peruentum est, vt pius Põtifex satisdatione suscepta, ne reus mortis morti succumberet, quasi pro satisfactione victoriæ, eorum hunc manibus † tradidisset: sed mox vt in eorum potestatem deuenit, extinctus interiit. Protinus vir Dei tanquam si ipse huius homicidij auctor esset, pauefactus intremuit, Ecclesiam dimisit, & in Aegypti partibus postmodum eremiticam vitam duxit. Hoc nimirum ita litteris tradidi, vt seruus Dei Domnus Stephanus, qui vestris assistit aspectibus, intimauit.

x. De Iusto Lugdunensi Episcopo.

† traderet. f.

Stephan. Card.

Petrus etiam Archiepiscopus Rauennatem dimisit Ecclesiam, cui mox adhuc superstiti Honestus, primo videlicet Ottone habenas imperij gubernante, successit.

xj. De Petro Rauennate Archiepiscopo.

Enimuero & insignis ille Gregorius Nazianzenus, qui ab Historiographis Deiloquus appellatur, Constantinopolitanam Ecclesiam contempsisse, imperante religioso, atque Catholico Principe Theodosio, traditur. Quod si nobis forte non creditur, ipsius hic historiæ verba ponãtur: Sancta, inquit, Synodus Gregorio Deiloquo Episcopatum Cũstantinopoleos roborauit, & hunc inuitum in throno locauit, vtpote multum laborantem, & Vrbem à læsione hæreseôn liberantem. Cumque didicisset quosdam ex Aegypto sapientissimus, & beatissimus iste huic rei inuidere, compositorio sermone ostenso, spontaneè à throno regnantis Vrbis abscessit. Quo thronum refutante, Nectarium Imperator, & Synodus prouehit. Hæc porro non nostra, sed ipsius historiæ verba sunt.

xij. De Gregorio Naziãzeno episcopo.

Illud etiam, quod Humberti Archiepiscopi, summæ videlicet auctoritatis viri, narratione cognoui, silentio tradendum esse non arbitror. Nam cum à finibus reuerteretur Apuliæ, asserebat in regionibus, quæ Puteolis adiacent, inter aquas nigras, & fœtidas promontorium eminere saxosum, & scrupeum. Ex quibus videlicet exhalantibus aquis consueto more teterrimæ videntur auiculæ repente consurgere,

Quod animæ gehennæ supplicijs traditæ, Dominicis diebus refrigerio potiuntur.

& à vespertinâ Sabbati horâ vsque ad ortum secundæ feriæ, solitæ sunt humanis aspectibus apparere. Quo indulti temporis spatio videntur hinc inde per montem velut solutæ vinculis liberè spatiari. Alas extendunt, plumas rostro prosequente depectunt, & in quantum datur intelligi, concessa ad tempus refrigerij se tranquillitate resoluunt. Quæ profectò volucres nec vmquam videntur vesci, nec quolibet aucupis valent ingenio capi. Dilucescente igitur matutinâ secundæ feriç horâ, ecce magnus ad instar Vulturis Coruus post præfatas auiculas incipit concauo gutture grauiter crocitare. Illæ protinus sese aquis immergentes abscondunt, nec vltrà videndas se humanis oculis offerunt donec aduesperascente iam Sabbati die, de sulphurei stagni voragine rursus emergunt. Vnde nonnulli perhibent eas hominum esse animas vltricibus gehennæ suppliciis deputatas. Quæ nimirum reliquo totius hebdomadæ tempore cruciantur, Dominico autem die cum adiacentibus vltrò, citróq. noctibus pro Dominicæ resurrectionis gloriâ refrigerio potiuntur. Cui scilicet assertioni etiam Prudentius nobilis versificator in hymnorum suorum opusculis attestatur. Sed cum hæc de auiculis, & Coruo inter aquas nigras aliquando apparentibus, aliquando se abscondentibus, in paginâ digessissem, religiosus Casinensis monasterij Abbas Desiderius aduenit, se seque rem sic habere funditus abnegauit. Cumque illum, & Humbertum, meum videlicet relatorem, in mutua colloquia deduxissem, Humbertus ait: Ego quidem huius allegationis testimonium non defendo, verumtamen hoc simpliciter retuli, quod ab accolis loci illius audiui. Sed quoniam personæ istæ, Desiderius videlicet, & Humbertus, tantę auctoritatis sint, vt neutri eorum fides debeat denegari; ego quoque, quod scripsi, procaciter non affirmo, sed vtrum verum sit necne, legentium inquisitioni relinquendum esse decerno.

Prudentius.

Desiderius Abbas Casinen. & Humbertus Archie. S.R.E. Card.

Vt igitur illud inferam, propter quod ista præmisi, Episcopus, qui tamen, si rectè teneo, Capreis præerat, vidit maiorem Benedictum Papam, qui iam obierat, nigro equo quasi corporaliter insidentem. Cumque illum cœptum iter carpere cerneret, Heus, inquit, nonne tu es Papa Benedictus, quem defunctum liquidò nouimus? Ipse, inquit, infelix ego sum. Et ille, quomodo tibi est pater? Grauibus, ait, tormentis afficior, spe tamen, si adiutorium præbeatur, de mea recuperatione nō priuor; sed perge quęso ad fratrem meum Ioannem, qui nunc Apostolicam occupat Sedem, eique meâ functus legatione denuncia, vt illam potissimum summam, quæ in tali theca reconditur in pauperes pro meâ salute distribuat: sicque me redimendum esse, quandocumque tamen hoc decreuerit miseratio diuina, cognoscat. Nam cętera, quæ pro me sunt indigentibus tradita, mihi nihil penitus profuerunt, quia de rapinis sunt, & iniustitiis acquisita. His igitur auditis, Episcopus Romam impiger adijt Ioanni Papę defuncti fratris verba narrauit, Episcopalis mox sarcinę pondus abiecit, monachum induit, eoque mo-

xiij De Episcopo Capreærum.

Benedictus viij. Papa.

Ioanne xx. Papa.

do salutem sibi ex alienâ calamitate prouidit.

De æquiuoco quoque eiusdem Benedicti Papæ, atque nepote, qui post eum tertius, Ioanni verò secundus in Romanæ Sedis inuasione successit, idem mihi narrauit Humbertus; quia Vassus quidam dùm iter ageret, accidit, vt iuxta molendinum equo insidens pertransiret; ecce repente monstrum immane conspexit, quo viso subitus eum terror inuasit, & stupefactus intremuit. Videbatur autem monstrum illud in aures dumtaxat aselli, caudamque desinere, cętera vrsus erat. Cumque viator ad hoc portentum territus obrigesceret, fugamque pręcipitem formidolosus iniret, informe prodigium humanę vocis verba formauit: Noli inquit, ô vir, expauescere: hominem me olim fuisse, sicut & ipse nunc es, proculdubio crede; sed quia bestialiter vixi, post vitę finem bestiæ perferre speciem merui. Porrò cum ille perquireret, quis fuisset: Ego, ait, ille solo nomine Benedictus fui, qui nuper Apostolicę Sedis apicem indignus obtinui. Inquisitus autem, quid iam retributionis haberet: Nunc quidem, inquit, vsque ad Iudicij diem per dumosa, atque squalentia, per sulphurea loca, & fœtores exhalantia, atque incendiis conflagrata, rapior & pertrahor: post extremum vero Iudicium corpus meum, simul & animam irremediabilis cruciatus, & gehennalis barathri me irreuocabilis olla deglutiet, ita vt nulla mihi recuperationis spes in posterum restet: post hæc verò, & huiusmodi verba disparuit. Sed cum ego, cur ille in hac specie conspectus sit, indaginem quæro, non deesse mysterium ab eo, quod visum est, deprehendo. Nam quia miserabilis ille ab ipso funesti Pontificatus sui primordio, vsque ad finem vitæ in luxuriæ cœno versatus est, non incongruè visus est, & ab auribus incipere, & in caudam asini terminare. Asinus quippe luxuriosum est animal, sicut Propheta designat cum de carnis immunditiæ deditis, ait: Vt carnes asinorum, carnes eorum. Quod autem per cætera membra vrsi tenebat speciem, vitam in omnibus docetur duxisse carnalem. Nam, sicut à Physicis traditur, vrsa cum parit, non catulum, iuxtà consuetudinem bestiarum, sed frustum carnis effundit: mox quod effusum est, crebrius lingendo, & lambendo componit, sicque ad sui similitudinem linguâ formante, producit. Iure igitur qui luxuriosè, & carnaliter vixit, in asini, simul & vrsi figura comparuit. Cui nimirum, quis non videat, quantò melius fuerat, vt Episcopatum deserens, pœnitentiam ageret, quàm in eo vsque ad vitæ terminum perseuerans, veram vitam funditus perdidisset? Sed quia hoc triste prætulimus, aliud pietatis diuinæ miraculum, quod nimirum lætos habuit exitus, ex eiusdem Humberti narrationibus subnectamus.

De Papa Benedicto. Hic fuit eius nominis IX.

Ezech. 23. v. 20

Plin. lib. 8. c. 36

In monasterio, inquit, B. Siluestri, quod in Vrbinate constitutum est territorio, quidam monachus obijt, & ab incipiente gallicinij nocturnalis articulo, vsque ad secundam diei horam cadauer exanime, lotum iuxta morem, atque constrictum, fratribus circumquaque psallentibus,

De monacho, qui damnatus in inferno, postea liberatus est.

in feretro iacuit. Cũque transactis iam Missarũ ex maiori parte solenniis, Agnus Dei, iuxta regulã diceretur, ecce repente, qui mortuus iacebat in medio, anima redeunte, surrexit. Stupefacti sunt fratres, & noua nimis admiratione perterriti: nimirũ quem funeris officiũ persoluentes extulerant, nunc vitalem spiritum recepisse videbant. At cum propius accessissent, verbaque ex ore illius audire auidius inhiarent, ah scelus! ille maledicta, & contumelias in Deum cœpit effundere, benedictũ Saluatoris nomen impiè blasphemare; viuificæ Crucis signum, vt oscularetur, oblatum, sacrilego ore conspuere; intemeratam quoque Dei Genitricẽ ignominiosis non timebat opprobrijs lacerare. Vt quid, inquiens, pro me psallitis, vel sacrificiorum hostias offerre tentatis? Ego enim in ipsa flammantis tartari profunda descendi, ibique me meus magister, & dominus Lucifer irreuocabiliter deputauit; coronã planè suam æream inextinguibili semper ardore candentem, mihi in capite posuit: eiusdem quoque metalli clamyde me, qua induebatur ipse, vestiuit. Erat autem chlamis tam longa, vt talo tenus flueret; tam feruenter ignita, vt liquefacta guttas emittere videretur. Cumque fratres eum, vt pœnitentiam ageret, atque, vt occulta sua in medium proferret, vnanimiter hortarentur; ille anathematizabat, & blasphemabat: & non solùm pœnitentiæ remedium, sed & omnia redemptionis nostræ mysteria ore rabido, atque sacrilego condemnabat. Monachi verò ad semper victricia orationis arma pio studio recurrentes, cœperunt, abiectis indumentis, corpora sua scopis allidere, pugnis pectora tundere, psalmodiæ, atque omnium, quibus valebãt, precum generibus insudare. Cunctis itaque fratribus in luctuosis orationibus, & ieiunio constitutis, ac sub diuinæ pietatis expectatione suspensis, tandem supernæ virtutis splendor emicuit. Ecce enim desperatus ille, & voragine maris hiantis absorptus, ad superficiem redijt: Dei quippe Saluatoris omnipotentiam laudat, nequissimi satanæ ludificationibus abrenunciat, Crucem adorat, pœnitentiam flagitat. Confessus est autem, quia post renunciationem sæculi in fornicationem cecidit, quam tamen eotenus nulli penitus per cõfessionis indicium patefecit. Laudans igitur, & benedicens Deum vsque in diem alterum vixit, sicque Creatori suo mirabiliter restitutus, in sanctã de hoc sæculo confessione migrauit. Sic sic nimirum fraternæ orationis fructus effloruit, quæ videlicet oratio ex ipsis gehennæ visceribus prædam rapuit, & de flammarum stipulâ in structura supernę Hierusalem lapidem viuum posuit. Hęc mihi Humbertus Archiepiscopus retulit, cuius nimirum verba velut Apostolica videntur veritate fundata. Si ergo ille, qui in monachatu ceciderat, quique de sola sua anima rationem debebat, tam terribili meruit sententia condemnari, qua mente securus est quilibet mei similis indignus Episcopus, qui nimirum tot est animarum reus, quot per eius negligentiam, seu praua exempla depereunt? Cum constet fuisse nonnullos pro leui etiam quolibet impedimento, Episcopali regimine sponte nudatos, ex

Orationis potentia, & efficacia.

Humberti Archiep. Card. auctoritas.

Episcopatus arduum munus.

quibus hic vnum sufficiat inseri, quem profectò in ea, quam Cassiodorus de Græco in Latinum transfert, historia promptum est reperire, cuius hîc historiæ nuda dumtaxat verba conscribimus, vt dubietatis scrupulum ambigentibus auferamus.

Siluanus, inquit, rhetor, fuit prius Troili Sophistę discipulus, & ad perfectum Christianus, vitamque monachicam diligens. Is enim Doctoris pallio vti despexit. Quem post hæc Atticus Episcopus comprehendens, Episcopum Philippopoleos ordinauit. At ille tribus annis in Thracia degens, nec frigora ferre valens, cum haberet corpus valdè debile, atque subtile, rogauit Atticum, vt eum in locum alium constitueret, dicens: Non ob aliam causam, nisi propter frigus ea se loca vitare. Cumque alter pro eo fuisset ordinatus, mansit Siluanus Constantinopoli, vitam monachicam perfectè custodiens; tantúmque sine vlla fuit arrogantia, vt plerumque in tanta multitudine ciuitatis cum soleis despectus procederet. Quodam vero tempore prętereunte, Troianę Pręsul Ecclesiæ moritur, Troianique venerunt petentes Episcopatum. Cumque cogitaret Atticus, quem ordinare deberet, subitò contigit ad eum salutandum venire Siluanum. At ille videns eum, mox cogitare cessauit. Tunc ad Siluanum, non habes, inquit, vlterius occasionem, pro qua Ecclesiasticas curas possis effugere. Troia namque non habet frigus, sed ecce apparatus est tuo corpori opportunus à Deo locus: prępara ergo temetipsum, & ad Troiam continuò proficiscere. Migrat ergo Siluanus. Verum si quis hunc fortasse temeritatis accuset, eumque pro solo frigore commissum regimen contempsisse, atque pro corporis commoditate ad aliud demigrasse condemnet, audiat post hęc insigne per eum claruisse miraculum, & sic saltem liuido reprehensionis morsu lacerare desinat iustûm. Sic enim subiungit historia: Quo facto, miraculum, quod inter manus eius accesserit, enarrabo. Nauis maxima, quæ grandes columnas deuexit, nuper in littore Troiano fabricabatur; cumque eam ad mare ducere voluissent, multis funibus, atque populo trahente, nullatenus mouebatur. Quod dum plurimis diebus ageretur, suspicati sunt nauem à dæmonio retineri. Tunc ad Siluanum venientes Episcopum, rogauerunt eum, vt in eo loco daret orationem, credentes hoc modo† trahi nauem. At ille humili sermone dicebat se esse peccatorem, asserens hoc opus alicuius esse iusti, non suum. Quem dum rogassent, venit ad littus, factaque oratione, tetigit vnum funem, iubens, vt insisterent operi cum labore. Tunc illis breuiter impellentibus, cursim nauis ad mare processit. Hoc miraculum reuerentiam illius viri cunctos fecit habere prouinciales. Enimvero si Episcopatum dimittendo, atque ad alium commigrando Siluanus iste peccasset, non in ostensa signi virtute mirabilis, sed reatu potius miserabilis videretur. Virtus ergò miraculi testimonium perhibuit sanctitati. Porrò autem, si Episcopatum, vt dicitur, nulla licet ratione dimittere, quid est, quòd tot sancti Pontifices, per Historiarum passim quæque

xiiij De Siluano Philippopolensi Episcopo.

†Deest ibi *posse*, vel aliquid eiusmodi.

volumina reperiuntur de suis se Ecclesiis ad alias transtulisse, cum profectò suas ante relinquerent, quàm ad reliquas transmigrarent? Quorum plerique cum commissum regimen spernerent, ad aliud se transituros adhuc funditus ignorabant. Et certè ipsa ratio docet, minus esse cũ simpliciter ab Episcopatu desistitur, quam cum ex vno ad alium transmigratur. Non igitur ab eo me cohibebit moderna versutia, ad quod venerabilium Patrũ cohortantur exempla. Enimuerò, si beatus ille Siluanus propter solum corporis frigus episcopatum sine reprehensione deseruit; cur ego, spreto pastorali regimine, transgressionis arguar, qui quotidie curarum sæculariũ negotiis irretitus, à diuini amoris feruore tepesco, & lethiferum torpentis animæ frigus incurro? Dicente scriptura: Sicut frigidam facit cisterna aquam, sic frigidam facit malitia animam. Memini enim sæpè me ita diuini amoris igne succensum, vt optarem protinus claustra carnis effringere, & quasi de cœno solutus, & carceralibus tenebris, ad æternitatis lumen medullitus anhelare. Erat enim mihi tunc, sicut per Prophetam Dominus pollicetur, cor carneũ, siue vt mihi videbatur, cereum. Quod nimirum desiderij cælestis afflatũ flãmâ liquesceret, & vberibus lacrymis flebilia frequenter ora rigaret. Horrebam audire, quantò magis ore proferre, quidquid non prouocabat ad Christum; omnesq. nugas siue nænias verborum sæculariũ velut rictus canũ, siue morsus serpentium deputabã. Sæpe cernebam præsentissimo mentis intuitu Christum clauis affixum, in Cruce pendentẽ, auidusq; suspiciebã stillantẽ supposito ore cruorem. Porrò si nitar apicibus tradere, quidquid mihi contẽplari dabatur, vel de sacratissima nostri Redẽptoris humanitate, vel de illa cælestis gloriæ inenarrabili specie, ante dies elabitur, quã rei series digeratur. Nunc autem durus, & saxeus, dũ negotiis iugiter exterioribus atteror, in cõpunctionis intimæ lacrymas non resoluor. Enimuerò sæpe manũ meo pectori superpono, & animarũ medico quasi purulentũ vulnus ostendo; clamitans, & intima supplicatione vociferans: qui cauernas, inquã, tartareas diuinitatis tuæ radiis illustrasti, cordis huius tenebras dimoue, ac veritatis tuæ luce serenus infulge. Sed clamãti secus viam cæco Iesus aliquãdo stat lumẽq; reformat; aliquando pertransit, tamquam desidiosè clamantem non audiat; sicque miser cæcus in sua nihilominus cæcitate perdurat. Ego, ego, proh dolor! tãquam alter Samson septiformis Spiritus sancti dona, quasi septem crines, amisisse me defleo; & effossis oculis non frontis, sed cordis, curarum sæcularium molam voluo. Ego ille Sedechias, cui Rex Babylonicus prius filios interficiens, bonorum operum fructus abstulit: postmodum oculos eruit, dum contemplationis intimæ luce priuauit. Si igitur sanctus ille vir, Siluanus scilicet, propter solam corporis incõmoditatem non cunctatus est dimittere Thraciam; cur ego non deseram pro cauendis tot animæ vulneribus Romam? Quamquam & ipsi corpori meo non sit prorsus innoxia, vtpote ferax febrium nec vagarum. Vnde & Tetrastichon hoc olim protulisse me memini.

Hier. 6. v. 7.
Damiani deuotio, & contritio ante Episcopatum.
Ezech. 11. v. 19.
Matt. 20. v. 32.
Luc. 18. v. 40.
Iudic. 16. v. 21.
4. Reg. 25. v. 7.
Hier. 39. v. 6. 7

Roma

Roma vorax hominum, domat ardua colla virorum:
Roma ferax febrium, necis est vberrima frugum.
Romanæ febres stabiles sunt iure fideles,
Quem semel inuadunt, vix à viuente recedunt.

Versus de Roma.

Animæ igitur, simul & corporis aduersitate detentus, reuertatur fugitiuus ad dominum suum, spretis porcis, & siliquis, ad patris osculum filius redeat; ad vires Samson pristinas, capillis renascētibus, incalescat; quatenus stolam primam, quam amiserat, induat: & victores suos reparatis viribus sternat.

Luc.15.v.20. *Iudic.16 v.17.*

Interea illud etiam, quod Hildeprando Romanę Ecclesię Archidiacono referente, didicimus, his inserere operæpretium iudicamus. Nam cum adhuc Subdiaconatus dumtaxat fungeretur officio, à Victore Papa Apocrisarius ad Gallias destinatus, Synodum congregauit, in qua videlicet sex Episcopos diuersis criminibus inuolutos, ex Apostolicæ Sedis auctoritate deposuit; inter quos quidam erat Episcopus, qui quoniam per simoniacam hæresim ad Episcopatus culmen irrepserat, Spiritum sanctum verbis exprimere quibuscunque tentaret nisibus, non valebat. Et quidem Patrem, & Filium expeditè satis, ac facilè proferebat; ad Spiritum verò sanctum cum peruenisset, mox lingua balbutiens tandem rigida remanebat. Meritò siquidem Spiritum sanctum dum emit, amisit, vt qui exclusus erat ab animâ; procul esset etiam consequenter à linguâ. Hâc igitur difficultate conuictus, Episcopale decarcerauit officium. Sed absit, vt hunc Sanctorum virorum catalogo dignum iudicem, qui pro Christi amore pontificales infulas dimiserunt.

De Simoniaco Episcopo, qui non poterat nominare Spiritum sanctum.

Episcopus miraculo arguitur simoniacus.

Porrò autem, quia prudentissimi illius viri semel incidit mentio, aliud etiam insigne quod retulit, etiam si non magnopere ad propositū thema pertineat, non silebo. Nam dum de prædiis Ecclesiarum iniustè possessis, sub præsentiæ vestræ conspectu, venerande Papa, in Aretinâ concionaretur Ecclesiâ, intulit congruenter exemplum: In Teutonicis inquit, partibus Comes quidam diues, ac præpotēs, sed quod in illo hominum ordine prodigium est reperiri, bonæ opinionis, & innocentis vitę, prout humanum erat de eius æstimatione iudicium, antè decenniū ferè defunctus est. Post cuius obitum quidam religiosus vir per spiritū ad inferna descendit, præfatumque Comitem in supremo gradu cuiusdam scalæ positum vidit. Aiebat namque, quia scala illa inter stridentes, & crepitantes vltricis incendij flammas videbatur erecta, atque ad suscipiendos omnes, qui ex eadem Comitum genealogia descenderent, constituta. Erat autem tetrum chaos, & immane barathrum infinitè patens, atque in profunda dimersum, vnde scala producta surgebat. Hoc igitur ordine succedentium sibimet series texebatur, vt cum quis eorū nouus accederet, primum interim scalæ gradum teneret. Is autem, qui illic repertus erat, aliique omnes ad proximorum sibi graduum ima descenderent. Cumque alii, atque alij ex eodem genere homines post carnis obitum ad præfatam scalam per temporum interualla confluerent,

De Comite, qui damnatus est propter possessionem Ecclesiæ, quā tenebat.

Nota, quod potentes rarò sunt bonæ opinionis & innocentis vitæ.

Comites possessores rerū Ecclesiæ damnati ad inferos.

alij protinus cedentes ineuitabilis necessitate iudicij ad inferiora migrabant. Planè dum vir, qui hęc contemplabatur, causam huius horrendę damnationis inquireret, & præsertim cur ille Comes sui temporis puniretur, qui tam iustè, tam decenter, tã honestè vixisset, audiuit: Quia propter quandam prædij possessionem Metensis Ecclesiæ, quam B. Stephano proauus eius abstulerat, cui videlicet iste iam decimus in hæreditate successit, omnes isti non diuerso supplicio deputati sunt; & sicut eos ad peccandum non dispar auaritię culpa coniunxit, ita nihilominus ad perferendas atrocis pœnas incendij cõmune supplicium copulauit.

Contra bonorum Ecclesiasticorum iniustos possessores.

Hoc Ecclesiastici iuris iniusti possessores aduertant, & subtiliter caueant, ne dum se redditibus satiant alienis, edaces postmodum flammas depascant medullis suis. Quia igitur nos non tam districtæ scribentium regulæ, quàm ædificationi fraternæ cupimus deseruire, rem velut ab intẽtione propositi operis extraneam apposuimus; vt quodammodò fluctiuagũ quid, ne obliuio funditus raperet, styli funiculo stringeremus. Nam cum quis piscaturus egreditur, si casus attulerit, feram repentè, vel volucrem capit, etiam si nil de venatione, vel aucupio proposuerit. Prętereà, vt nostris assertionibus etiam Euangelica non desit auctoritas, Saluator noster cum domum Principis Synagogæ, filiam eius resuscitaturus, aggreditur, mulieri fluxum sanguinis patiẽti, velut absque ea, quã cœperat, intentione medetur. Quid igitur mirũ, si scribẽtes aliquãdò, quod cœptum est, intermittimus, nec omittimus; illud videlicet inserẽtes, quod nihilominus ad ædificationem pertinere sentimus? Quamquã & hoc à nostro proposito non abhorreat, quia si ille propter vnam Ecclesię possessiunculam perijt; quid de illo sentiendum est, qui sub nomine Episcopi totam Ecclesiam, cum indignè præsideat, non dimittit? Iam itaque post diuerticulum, ad propositum reuertamur.

Matt. 9 v. 20. 21.

xv. De Milesio Episco. & mart.

Quid etiam de B. Milesio martyre in Tripartita referatur historia, non silebo; quod nimirum, vt vberiorem legentibus præbeant fidẽ, eosdem apices styli currentis apponam. Tunc etiam, ait, Episcopus, Milesius nomine, martyrio coronatus est. Qui primum quidem militabat apud Persas, posteà vero, relicta militia, conuersationem zelatus est Apostolicam. Dicitur enim, quia dum in ciuitate Persica Episcopus fuerit ordinatus, multa sæpè sit passus, & plagatus, atque tractus, sed virili mente cuncta sustinuit. Cumque nulli potuisset illic suadere, vt Christianus fieret, grauiter ferens maledixit ciuitati & exinde discessit. Post paucum verò tẽpus primatibus eiusdem loci in Regem peccantibus, superueniens exercitus cum tricentis elephantis ciuitatem subuertit, & velut desolatam regionem arantes seminibus tradiderunt. Milesius autem Episcopus solummodo peram circumferens, quæ sacrum codicem Euangeliorũ habebat, perrexit orationem facturus ad Hierosolymam, & inde Ægyptũ, vt videret Monachos ibidem conuersantes. Qualis igitur iste Sanctus, & miraculorum fuerit operator, Syri sunt testes, qui eius actus, vitamq; scripserunt. Ecce hic, qui commissi regiminis iura postposuit, non mo-

dò nullum reatus, crimen incurrit, vltrò etiam, vt miraculorum virtutes operaretur, obtinuit.

Sanè dum historiarū latitudinē tanquam cæli faciē curioso perlustramus intuitu, B. Arnulphus, Ecclesiæ videlicet Metensis Episcopus; velut aureū nobis sidus occurrit, qui & ignorantię nostræ tenebras per exēpli sui radios abigit, & nostris allegationibus inexpugnabile robur attribuit, atque omnem super hoc capitulo nodum dubietatis absoluit. Hic profectò, sicut veridica fratrum relatione didicimus, qui descriptā eius se lectitasse testantur historiam, in Lotharico regno non procul à Flandria Ducatus gerebat officium. Hic præterea Pipini pater, & Carolimanni Regum auus fuit. Cumque diuini Spiritus ardore succensus, vxoris affectus, filiorumque postponeret, ac mundanæ gloriæ pompas glorifica Christi paupertate mutaret, ad eremum properans contigit, vt per fluuium, qui Mosella dicitur, transitum viator haberet. Sed cum iam medium ferè superiecti pontis attingeret, vbi torrentis alucus profundior decurrebat, illic annulum suum sub hac fœderis conditione proiecit. Cum ego, inquit, annulū hunc recepero de spumosis fluctibus erutum, tunc me proculdubiò confidam omnium peccatorum meorū nexibus absolutum; moxque eremum petiit, vbi non paruo tempore sibi; ac mundo mortuus vixit. Intereà, defuncto, qui tunc fuerat, Ecclesiæ Metensis Antistite, B. Arnulphum ad pastoralis iura regiminis dispensatio diuina prouexit; dumque esu carnium, prout in eremo desueuerat; in Ecclesia nihilominus abstineret, piscis aliquando sibi elatus est in exenium, quem coquus exenterans, in ilibus eius annulum reperit, cumque mox Domino suo lætabundus offerre curauit. Quem beatus Episcopus vt aspexit, illicò recognouit: & non tam vibrantis metalli miratus est venam, quàm quia propitiatione diuina reatus sui consecutus est veniam; quodque vim admirationis exaggerat, bidui iter est à ponte vnde proiectus est annulus, vsque ad locum, vbi piscis venerabili fuit Episcopo præsentatus. Tunc vir Dei quò à peccatis est absolutus, hinc magis est sub diuino terrore constrictus: & eò se arbitratur amplius debitorem, quò circa se videt maiorem supernæ clementiæ bonitatem. Eligens igitur sibimet successorem, rursus eremum petiit, ibique pastorali cura deposita, vsque ad fęlicem obitum vixit. Insignis itaque vir, quod fecit, nos vtique, vt faceremus, edocuit.

xvi. De Arnulpho Metensi Episcopo.

S. Arnulphus Pippini pater & Carolimanni auus.

Præterea vix adhuc quindecim emensi sunt dies, ex quo vidi Farulphum venerabilem virum sponte sua Ecclesiastici regiminis administratione nudatum. In Cisterna siquidem Apula ciuitate cathedram obtinuerat, quam reliquit: ac duobus ferreis circulis non parui ponderis pectus; ventremque constrinxit, quibus affligi ferè iam à septennio non cessauit. Vino vel numquam, vel rarò vtitur, crebris quoque ieiuniis maceratur. Hic tantus vir ad abrenunciationem Episcopatus nō me minus exhortatus est verbo, quàm prouocabat exemplo.

xvij. De Farnulpho Cisternensi Episcopo.

Porrò autē Hildulphus Treuerēsis Archiepiscopus quātæ sanctitatis,

xviij De Hildulpho Treuerensi Archiepiscopo.

quamque mirificæ vitæ vir fuerit, spatiosus occidens non ignorat. Qui nimirum, vt gestorum illius testatur historia, Iacob Leuchæ vrbis, quæ nunc Tullus vocatur, obsecrauit Episcopum, vt sibi congruum ad habitandum prouideret solitudinis locum. Prius itaque sibi successorem elegit, deinde monasterium construens, per monasticæ disciplinæ lineá districtus incessit. Vbi nimirum tot per eum facta miracula luce clarius perhibent; quia vir Domini Episcopatum dimittens, non modò reatus maculam non incurrit, verumetiam Deo suauitatis sacrificium obtulit.

xix. De Deodato atque Treuerēsi Archiepiscopo.

Quid referam Deodatum summæ sanctitatis virum, eiusdem scilicet Ecclesiæ Treuerensis Episcopum? Qui, sicut authentica tradit historia, à Girbaldo eiusdem Leuchæ sanctissimo Præsule in saltu Vosagi locum obtinuit, in quo renuncians sæculo, laudabiliter conuersatus, monasteria statuit, atque post diutinam in Christi agone militiam, vitæ senatum laureatus intrauit.

xx De Gōdeberto Senonum Archiepiscopo.

Quid Gondebertum, præclarissimum videlicet Archiepiscopum Senonum? Hic planè cælesti desiderio æstuans, commissam dimisit Ecclesiam, & in loco, qui grandiauium dicitur, cœnobium Senonense cōstruxit, quod scilicet ex relictę Ecclesiæ vocabulo denominauit. Decreueram quidem vicenarium non excedere numerum, sed quod præ oculis est, latere non patior.

xxj. De Lāberto Florentino Episcopo.

Postremò igitur, vt, omissis cæteris, ad domesticū recurramus exemplum, Lambertus venerandæ memoriæ, qui ante vos Florentinæ Præsul Ecclesiæ tertius pręfuit, spreto Pontificatus officio, monasticæ se disciplinæ subiecit. Cuius nimirum quàm splendida fama ora hominum compleat, quàm suauis odor opinionis mentium nares aspergat, vestræ quoque Beatitudinis sublimitas non ignorat.

xxij. De Nono Episc. & mart.

Beatus quoque Nonus Martyr, qui & Hippolytus, memoriæ nostræ non prætereundus occurrit. Qui nimirum postquam triginta millia Saracenorum ad Christi fidem efficacissima prædicatione conuertit, postquam beatam quoque Pelagiam de lupanaribus ad Ecclesiæ pudicitiam prouocauit, postquam denique nonnullos sanctarum expositionum libros luculenter explicuit, tandem Episcopatum deseruit; de Antiochenis partibus, vnde erat oriundus, abscessit, Romanos fines appetiit. Cūque B. Aurea apud Ostiam ciuitatem saxo ceruicibus alligato, in marinis fluctibus martyrium consummasset, B. Nonus sanctum cadauer piâ deuotione collegit, & cum omni diligentia tumulauit. Quem mox idē persecutor, qui dicebatur Vlpius, iuxta Tyberis alueū in foueam aquis plenam mergi præcepit, cuius postmodum corpus, consumato triumphali martyrio, in ciuitate, quæ Portus dicitur, Christiana deuotio sepeliuit. Illicò audita est vox velut infantium, per vnam ferè horam clamātium, Deo gratias. Qui ergo talem vitæ meruit clausulam, liquidò patuit, quia Episcopatum deserens, coram Deo non incurrit offensam.

S. Aurea virgo & mart.

Nostris quoque tēporibus Pennensis Episcopus pontificalem cathe-

dram sponte deseruit, se seque illi, qui sibi successit, sincera admodũ deuotione substrauit. Nam & ipse mihi successor eius retulit, tantâ, illum sibimet obedientiâ, & humilitate subiectum, ac si se numquam meminerit super aliquos obtinuisse primatum. xxiij. De P...nensi Episcopo.

Nostra nihilominus ætate Liutulphus Callensis Episcopus Episcopali se dignitate deiecit, successori, qui nunc superest, Ecclesiam tradidit: sicque sibi, si tamen non defuit animus, liberam facultatem ad agendam pœnitentiam procurauit. Fęlix scilicet ille, qui sic conditionẽ vitæ suæ in hac mortalitate disponit vt ei liceat pœnitendo plangere quod deliquit. Fęlix, inquam, qui procul a se prouidus abijcit, quidquid illud est, quod in viam sibi veritatis obsistit. Quidquid enim in hac vitâ commisimus, aut hîc iuxta peccati mensuram per flagella corrigitur, aut futuris proculdubio supplicijs reseruatur. xxiiij De Callensi Episcopo.

Quocirca non ab re est, si quod fidâ fratrum relatione cognouimus, hic etiam breuiter inseramus. In monasterio namque, quod Cliuus Scauri dicitur, quodque B. Gregorius infra Romanæ Vrbis mœnia cõdidit, puer quidam a prentibus, vt Deo deinceps militaret, oblatus est. Qui postmodum cum iam adolesceret, de monasterio egressus ad sæculum redijt, vxoremque sibi nuptiali fœdere copulauit: deinde cum iam ad iuuenilem peruenisset ætatem, diuina sententia repente est percussus in gutture, cœpitque ingrauescente languoris molestia morti propinquare: tandem malè fugitiuus, vt ad monasterium reportaretur, expetijt: ibique pœnitudinem de suis prauitatibus, habitumque monachatus accepit. Cumque vxor eius cum nonnullis alijs lecto iacentis assisterent, cœpit ille grauiter gemere, vlulatus emittere, & tamquam frenesim pateretur, inordinata vociferatione guarrire. Percunctantibus autem eis, cur non ille quiesceret: Nonne, inquit, cernitis B. Andrean Apostolum, sanctumque Gregorium acerrimis me suis verberibus vnanimiter flagellantes? Vlulans itaque rursus, ac flebiles voces emittens, paululum respirabat, atque dicebat: Modò me verberauerunt, proptereà quia monasterium dimisi, vxoremque suscepi. Iterumque post fletus, atque rugitus ad momentum quiescens, aiebat: Modo me castigauerunt, quia pauperibus mendicantibus, maximéque Scotigenis, nõ modò nihil dedi, sed eos etiã, quod flagitiosum est, frequenter irrisi. Rursus ingeminans stridores, & gemitus asserebat: quoniam sex nummos a quadam vidua paupercula mutuos accepi, & reddere nolui; quot pedum passibus illa laborauit, dum eos ad me veniendo requireret; tot ego nunc ictus de Sanctorum manibus pertuli, dum me pariter verberarent. Vt sciatis, autem, quia non mentior, perendie hora sexta de hoc sæculo migraturus sum. Erat porro tunc sexta feria; nocte verò, qua Dominicus illucescebat dies, qui dicitur de Ramis palmarum, de lecto, cunctis mirantibus, non segnis exiliens, scapulare, atque cilicium, quæ iuxta se erant, repentè corripuit, moxque Ecclesiam B. Andreæ attonitus, ac festinus intrauit: vbi strato compositus, his, qui aderant, fratribus De Conuerso, qui a SS. Andrea, & Gregorio verberatus est.

ait: Ecce sanctorum verberibus flagellatus, ita de corpore purificatus egredior, sicut ex fonte baptismatis mundus exiui. Inter Missarum igitur sacrosancta solemnia, Dominicâ vix passione perlectâ, horâ quâ prædixerat, Deo spiritum reddidit. Nudato autem ad lauandum ex more cadauere, sic vibices, ac stigmata in eius membris vndique videbantur, ac si corpus eius materialibus fuisset virgis allisum.

De canicula ante lectum B. Gregorij perempta.

Sed quid mirum, si Sancti Dei, qui iudicaturi sunt mundum, in homine, qui rationis erat capax, insecuti sunt culpam, quandoquidem & de bruto animali, vt ibidē didicimus, expetiere vindictam? Nam in eodem monasterio crypta est, quæ B. Gregorij dicitur, vbi videlicet & fōs eius perspicuis, ac frigidis redundat aquis, vnde bibebat; & lapideum cubile adhuc cernitur, vbi æstiuo tempore quiescebat. Quam aliquando cryptam pręgnans canicula casu ingressa est, siue vt æstuans biberet, siue potius vt eò loci parturiret. Sed nec dum ad aquas vsque pertingens, mox vt præfato lectulo propinquauit, moriens corruit. Quantâ ergò formidine pensanda sunt homini diuina iudicia, quādò & in animalia ratione carentia tam terribilem Deus exerit disciplinam? Si enim ne simplicem quidem quam licet sancti loci noluit omnipotens Deus vt insons canicula tangeret, quâ putamus molestiâ tolerat, cum peruersus quilibet ad percipiendum corpus eius, & sanguinem sacris altaribus appropinquat? Sed cum paruus quisque Deum reprobis suis actibus exacerbat, & stimulat, non illi protinus irrogat patientia diuina vindictam, quem tamen perpetuam reseruat ad pœnam.

De Pandulpho, & Ioanne principibus in inferno dānatis

Daniel vir desideriorum.

Porrò dum styli huius exaro dictator articulum, ecce Desiderius religiosus Casinensis monasterij Abbas accedit. Qui nimirum, sicut B. Danieli cognatione iungitur nominis, sic eum ab illo non separat assertio veritatis. Hic itaque mihi aliquid narrat, quod ipsa ratio persuadet, vt scribam. Seruus, inquit, Dei Neapolitanæ regionis in prærupta rupe iuxta viam publicam solitarius habitabat. Qui nimirum dum nocturno tempore psalleret, & fenestram cellulæ horarum explorator aperiret, ecce videt multos nigros homines tamquam Aethiopes iter carpere, & longo tractu onustos fœno sagmarios comminare. Cumque eos curiosus inquireret, qui essent, cuiusue rei gratia hæc iumentorum pabula deuectarent; maligni, inquiunt, spiritus sumus, & paramus non pabula pecoribus alendis, sed fomenta potius ignium hominibus comburendis. Præstolamur enim in proximo principem Capuæ Pandulphum, qui iam decumbit; & Ioannem Magistrum militum Neapolitanæ ciuitatis, qui adhuc incolumis viuit. Illicò vir Dei præfatum Ioannem impiger adijt, quæ viderat, quæque audierat, fideliter cuncta narrauit. Per idem tempus Imp. Otto secundus aduersus Saracenos præliaturus, Calabriam festinabat. His igitur auditis, Ioannes ait: Modo nos necesse est Imperatori reuerenter occurrere, & cum eo simul de huius terræ statu prouida consideratione tractare. Porro post Imperatoris abscessum spondeo quoniam & sæculum deseram, & monachici ordinis habi-

Otto II. Imp.

tum sumam. Vt autem probaret, vtrum verum esset, quod ille narrabat, nuncium protinus ad mœnia Capuana direxit, qui veniens Pandulphum iam mortuum reperit. Ipse quoque Magister militū Ioannes antequam illas partes Imperator attingeret, vix diebus quindecim superuixit. Quo mortuo mons Vesuuius, vnde videlicet gehenna frequenter eructat, in flammas erupit; vt liquido probaretur, quia fœnum, quod a dæmonibus parabatur, nil aliud fuit, nisi ignis trucis incendij, qui prauis, ac reprobis hominibus debebatur. Nam quandocumque in illis partibus reprobus diues moritur, ignis erumpere de prædicto mōte videtur, tantaque sulphureæ resinæ congeries ex ipso Vesuuio protinus fluit, vt torrentem faciat, atque decurrente impetu in mare descēdat. Vbi scillicet corporaliter videri potest, quod in Apocalypsi Ioannis de reprobis dicitur: *Quia pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure, quod est mors secunda.* *Apoc. 19. 20. v 14.*

Enimuero & Salernitanus Princeps illius videlicet Guaimarij æque Principis, qui ante non plurimos annos pro multis violentijs, atque tyrannicis oppressionibus suorum gladijs interemptus est, auus, cum procul aspexisset quadam die de prædicto monte Vesuuio piceas, atque sulphureas repentè flammas erumpere, protinus ait: Proculdubiò sceleratus aliquis diues in proximo moriturus est, atque ad inferos descensurus. Sed, ô cæca mens reprobi hominis, immò terribile super nos iudicium Conditoris! superueniente siquidem proximâ nocte, dum securus cum meretrice concumberet, expirauit. Quem illa, vt postmodū referebat, quid contigisset, ignorans, diutius pertulit, & vix tandem a se non hominem, sed cadauer exanime prostituta, deiecit. *Salernitani Principis miserandus exitus.*

Quidam præterea in Neapolitanis partibus Presbyter volens certius, quod non licebat, addiscere, illuc, vbi gehennale barathrum feruentius eructabat, præsumptoriâ decreuit audacia propinquare. Missarum igitur solemnia celebrauit, sicque infulatus, velut armatus, iter arripuit: sed dum vltrà quàm solebant homines, temerarius scrutator accessit, redire non valens, postmodum non apparuit. *De Presbytero, qui in Vesuuio monte perijt.*

Alius quoque Presbyter matrem suam Beneuenti reliquerat ægrotantem, cumque per Neapolitanos fines Domino suo comitatum præberet, exundantibus flammis intendens, clamorem lugentis audiuit, quem suæ matris esse proculdubio recognouit. Notauit horam, & tunc euidentissimè comperit matrem fuisse defunctam. *De alio presb. qui in eiusdem montis flammas matris vocem lugentis recognouit.*

Vt igitur ad superiora redeamus, sufficiat iam bis duodenos sanctos eumerasse Pontifices, qui diuini amoris igne feruentes ab Ecclesiastica decreuerunt administratione desistere, vt terrenis actibus expediti, Deo possent arctiùs, atque familiarius inhærere. Hi nimirum venerandi Præsules, tamquam reuera viginti quatuor Seniores, procidunt ante sedentem in throno, & adorant viuentem in sæcula sæculorum, mittentes coronas suas ante thronum Domini. Coronas nempe suas ante Domini thronum mittunt, dum ornamenta propriæ *De viginti quatuor senioribus. Apoc. 4. v. 10. & 5. v 8.*

dignitatis pro eius amore deponunt. Ad eorum quoque similitudinem phialas aureas habent plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum: quia, vt puriores Deo valeant orationes in odorem suauitatis offerre, a cunctis se mundi huius student actibus segregare.

De S. Athanasio Episc. Alexandrino.

Planè nisi longioris styli fastidium deuitarem, beatum quoque Athanasium his non inconuenienter apponerem. Qui videlicet sub Arriano Rege Constantio Ecclesiam deserens, ergastulo se cuiusdã sanctæ mulieris immersit, ibique geminato triennio, præter cohabitatricem suam, cũctis ignotus mortalibus latuit. Poteram & beatissimũ his connumerare Martinum, qui ius Episcopalis officij velut ex quadam parte deseruit, dum tribus ferè lustris ante obitum suum, vt Deo familiarius viueret, a Concilijs se Synodalibus funditùs absentauit.

De S. Martino. Epis. Turonensi.

De SS. Episco. Gaudioso Quoduultdeo, & alijs.

Beatum quoque Gaudiosum non incongruè superadderẽ, qui dum Abitunensis Ecclesiæ, quæ videlicet Africanæ diœcesis est, cathedram obtineret, Vuandalis Africam deuastantibus, cum S. Quoduultdeo, ac cęteris Præsulibus fugit, & in Parthenope ciuitate monasterium cõdidit. Si ergo ille fugit, vt Vuandalorum euaderet gladios, quantò magis ego laqueos æternæ mortis effugere debeo?

De S. Sergio Damasceno Episcopo.

Sergius etiam Metropolita Damasci non inconuenienter his posset annecti, qui Ecclesiam suam pro Christi amore deseruit, & Romam peregrinus aduenit: reperiensque beatorum Bonifacij, & Alexij Basilicam sacerdotalibus pænè officijs destitutam, Benedictum Romanæ Sedis Antistitem adijt; atque, vt se monasterialem ibi permitteret regulam cõstituere, precibus impetrauit. Vbi nimirum longo post tempore religiosè degens vitam finiuit.

De tribus alijs Episcopis Ecclesias suas itidem deserentibus.

Beatus quoque Gregorius, sicut in Registri eius reperitur historia, tribus Episcopis, primæ scilicet Iustinianæ, Ariminensi, & tertio cuidã pro sola capitis ægritudine, suas deserendi Ecclesias, liberam facultatem dedit: eisque reseruato de relictis Ecclesijs necessario stipendio, successores substituere non negauit. Quod videlicet qui epistolas Anatolio Cõstantinopolitano Subdiacono, Mariniano Rauennati atque Æthereo, Episcopis missas legerit, dubitare non poterit.

Ecce dum illis vigintiquatuor Episcopis, quos superius enumerauimus, tres istos, qui auctore B. Gregorio, suas dimiserunt Ecclesias, copulamus: beatos præterea Gaudiosum, atque Quoduultdeum, Sergium quoque Damascenum Metropolitam his omnibus superaddimus, triginta proculdubiò, qui pro diuino amore suis renunciauerunt sedibus, Episcopos inuenimus. Dicat mihi perscrutator veterum, dicat historiarum, vel annalium quilibet indagator, tot sanctis patribus pastoralẽ custodiam deserentibus, quis vmquam Apostolicæ Sedis Pontifex obstitit? Quis eorum quemlibet vel per legationis apices reprehendit, vel per synodalem sententiam condemnauit? Dicat, inquam, vel cum nullatenus possit inuenire quid afferat, procacem linguam suam dentibus mordeat, non me iniustis detractionibus rodat.

An

An non & minor Benedictus Papa, quem supra retulimus, Apostolici se culminis administratione priuauit, successoremque sibi Gregoriũ, qui Gratianus dicebatur, in Romana Sede constituit? Super quibus præsente Henrico Imperatore, cum disceptaret postmodum Synodale Concilium, quia vænalitas interuenerat, depositus est, qui suscepit; non excommunicatus est, qui deseruit. Benedictus IX. Papa Gregorius VI. Papa.

Porrò autem & B. Benedictum instar magni cuiusdã Pontificis, possumus ad exemplum imitationis inducere, qui videlicet cõmissum non ambigitur regimen dimisisse. S. Benedictus Abbas.

Leo quoque Nonantulanus Abbas ad memoriam rediitqui dum clericalem adhuc speciem peteret, iamque deuotione peracta, ab Hierosolymis remeasset, sic vitam suam instituit, vt nil aliud præter vnum dumtaxat asinum possideret. Cum hoc quotidie saltus, & pascua circumquaque perlustrans, materias † congerebat, quibus ad requisita naturæ necessaria fratribus anitergia ministraret. Peracto itaque glorifico huiusmodi opere manuum, psalterioque cum ipsa simul exercitatione decurso, protinus ad offerenda Deo sacra mysteria non sine multis lacrymis sanctus Presbyter accedebat. Postmodum verò ad monasterij regimen violenter attractus, aiebat, (quod infælix frequenter & ipse deploro) Iesum, inquiens, per pedes tenui, & nunc miser & cæcus sæculi molas voluo. Vixque peracto biennio, in manu Ottonis, qui tunc Imperij sceptra regebat, pastoralem baculum reddidit: deinde apud S. Bonifacium intrà Romana mœnia perseuerans, ex omni, quod sibi vitæ huius residuum fuit, nil aliud, quàm æternæ vitæ sibi stipẽdia procurauit. Ad cuius post modùm sepulturam cæcus veniens, luci pristinæ asseritur restitutus. B Leo Abbas Nonantulanus. Miraculũ ad eius sepulchrum.

Verum ne copia deficiente Pontificum, ad exempla minus congrua conuolasse notemur Abbatum, vt non diuersum nomen apponam, Leo Rauennas Archiepiscopus mox vt paralysis eius ora constrinxit, cathedram spreuit, sicque priuatus ferè quadriennio superuixit. Cui videlicet Fredericus, tertio Ottone fæliciter imperante, successit: eique non inopes, quibus alteretur, possessiones Ecclesiæ delegauit. Leo & Fredericus Archiepisc. Rauẽn.

Horũ igitur, aliorumq; Patrũ auctoritate suffultus, Episcopatui, simul & monasteriis in sanctis manibus vestris irretractabiliter abrenũcio, omneque ius à me mouendæ in posterum quæstionis, ac repetitionis abscindo; & quia pro innumeris peccatis meis non sum dignus in Ecclesiastica dignitate persistere, det mihi diuina misericordia per sanctas orationes vestras, venerabilis Pater, eo ipso vitæ, quod restat, in luctu, & pœnitentia permanere. Cõfiteor enim, quia criminosus, simul & vitiosus ad honorẽ hunc, & nõ sine reprehẽsione perueni, & in eo reprehensibiliter vixi: ideoque mihi tutum visum est, vt ipse me potius sponte deponerem, quàm antè tribunal tremendi Iudicis in conspectu omniũ Angelorum, & hominum, depositionis sententiam sub æterna damnatione subirem. Sed iam ista sufficiant, Omnipotens Deus, qui incõpre- Præmissæ orationis clausula. B. Petri Dam. humilitas profunda.

Finalis oratio.

hensibili dispensationis suæ consilio, & me ab obtinendi regiminis ambitione deiecit, & vos ad Ecclesiastici culminis summa prouexit, sancto cordi vestro, cuius est inhabitator, inspiret talia mihi per sacras litteras mandata dirigere, quæ meis votis, meisque valeant desideriis concordare.

EPIST. X. Ad Alexandrum II. Romanum Pontificem, & Hildeprandum S. R. E. Cardinalem Archidiaconum.

ARGVMENTVM.

Excusat se B. Petrus Dam. apud Pontificem, quod tenuitatis suæ sibi conscius, Episcopatu se abdicarit; ne quis autem illi hoc inconstantiæ adscriberet (non enim licet semel susceptum deponere regimen) breuiter respondet, & multorum Patrum exemplis, qui delato Episcopatu vti noluerunt, ostendit magis tutum cepisse consilium tãto onere se leuandi: rem præterea arduam, maximeque laboriosam alijs praeesse, & Episcopatus fungi munere declarat.

Dilectissimis, Apostolicæ Sedis Electo, & Virgæ Assur Hildeprando, Petrus Monachus seruitutem.

Lyncium natura.

FErunt, qui in rimandis rerum desudauere naturis, hoc lyncibus naturaliter insitum, quia cum post terga respiciunt, protinus illum, qui præcesserit, obliuiscuntur. Continuò videlicet, & mens simul perdit, quæ oculus videre desierit. Et cum hæc bellua tanto visus acumine ferarum genus omne præcellat, vt & lapideos penetrare parietes valeat, hoc laborat vitio; quia quodcunque illud est, à quo semel oculos auertit, ad memoriam postmodum non reducit. Quorum videlicet animalium quandam vobis inesse similitudinem dicerem, nisi me magnitudinis vestræ reuerentia prohiberet. Mirum est enim, quia tam acuta prudentia, immò, quod longè gloriosius est, tam sincera, & feruentissima charitas, quæ me suscipit affectuosè præsentem, numquam siue per stylum, siue per verbum visitare dignetur absentem. Porrò quoniam à vobis scripta non mereor, si mihi cum aliis negotium ageretur, dicerem: quia illa, quam Apostolus dicit, charitatis Epistola non est apud vos in tabulis cordis carnalibus scripta, sed imis, vt aiunt, ceris erasa. Sed dum attẽdo, quid loquar, cõsiderandũ est nihilominus quid loquar. Quapropter dum vti loquendi libertatẽ nõ audeo, ori digitum superpono. Querela igitur expostulationis hucusque producta, in quod propensius scatet animus, breuiter inferam.

Vrbana, & modesta expostulatio.

2. Cor. 3. v. 2.

Petrus Dam.

Benedicta omnipotentis dispensatio Conditoris, quia ad vos nuper ascendens, duorum Episcopatuum, vnius regendi, alterius visitandi mole depressus, prærupta Alpium iuga transmisi, moxque sarcina tribulationis abiecta, exoneratus, & liber ad dilectam solitudinem tanquam fugitiuus postliminio repedaui. Libet itaque sub quadā mentis energia, quasi diutinis pitibus attritos agitare pedes, durisque catenis edomitas subleuare ceruices, illudque propheticum alacriter decātare: Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Nostis planè, certūque tenetis hæc in me proiecta fuisse onera, non suscepta: &, vt ita loquar, retiaculum non ingressus sum, sed violenter opertus. Quapropter occasione nacta, pondus libenter abieci, quod vltroneus antè non subij. Et quia vos Apostolica Sedes, vos Romana estis Ecclesia, ad deponendum, reddendumque quod baiulare nequiueram, integrum mihi visum est non adire fabricam lapidum, sed eos potius, in quibus viget ipsius Ecclesiæ sacramentum. Sub persecutione quippe Iudaica vbicūque erant Apostoli, illic esse primatiua dicebatur Ecclesia. Nunc etiam cum Simō ille, veternosus videlicet Trapezita, malleos, & incudem reparat, cum Romanam Vrbem velut officinam sibi per monetarios pestiferæ negociationis vsurpat; quò vos Petrus vobiscum fugiens attrahit, illic esse Romanam Ecclesiam omnibus indubitanter ostendit. Vnde ego cum Ecclesiasticum vrbis regimen renunciare disposui, non erraui; quia Romanę, quæ vos estis Ecclesię, quod suum erat, dignè restitui: & vt vobis me confessum esse cognoscat, pro hac refutatione certum annorum pœnitentia mihi est consequenter iniuncta; per illa nimirum remedia, quæ monasticis sunt regulis instituta. Quòd si parum videtur, vos etiam superaddite: vltrò etiam & carcerali, si placet custodiæ mancipate. Post tot quippe vagationis, & noxię libertatis excessus, quid restat, nisi vt me religationis, atque silentij censura coërceat? Sed hic fortè blandus ille tyrannus, qui mihi Neroniana semper pietate condoluit, qui me colaphizando demulsit, qui me certè Aquilino, vt ita loquar, vngue palpauit, hanc querulus erumpet in vocem: ecce latibulū petit, & sub colore pœnitentiæ, Romę subterfugere quęrit accessum: lucrari machinatur de inobedientia otium, & cæteris in bella ruentibus, hic sibi degeneris vmbræ quærit opacum. Sed hoc ego sancto satanæ meo respondeo, quod filij Ruben, & Gad Moysi ductori suo respondisse noscuntur: Nos, inquiunt, armati, & accincti pergemus ad prælium ante filios Israël, donec introducamus eos ad loca sua; paruuli nostri, & quidquid habere possumus erunt in viribus muratis propter habitatorum insidias; non reuertemur in domos nostras vsquequo possideant filij Israël hæreditatem suam, nec quidquam quærimus trans Iordanem, quia iam habemus possessionem nostram in Orientali eius plaga. Hoc itaque modo comitaturus quidem vos, arma corripio; sed vobis, duce Christo, post bella victoribus, mox recedo. Hoc igitur dicā Electo Domini, quod Berzellai quoque Galaadites descendens de

duorum Episcopatuum, alterius regēdi, alterius visitādi curam habuit.

Psal. 115. v. 17

Petro Dam. quanta ob dimissos episcopatus iniūcta pœnitentia.

Neroniana pietas.

Aquilino vngue palpare.

Hildeprandū S. R. E. Archid tacite intelligit.

Num. 32. v. 17. 18. 19.

2. Reg. 19. v. 36 37. Rogelim Dauid locutus est Regi: Paululum procedam famulus tuus ab Iordane tecum: obsecro, vt reuertar seruus tuus, & moriar in ciuitate mea.

Quod Episcopatus deponi possit aliquando.

Hic mihi fortassis obiicitur, semel acceptum dimitti regimen non licere. Ad quod breuiter dico, quod sentio; quia plerique Pontificatus iura non deserunt, & de sinistris sunt, quotquot autem legimus recta intentione dimisisse, certa spes est eos de æterna cum Christo societate gaudere. Neque hoc dicimus, vt passim deseri Episcopatum liceat, nisi videlicet id fieri necessitas magna compellat. Enimuero B. Valerius dum sibi prouidet successorem, magnum Augustinum Hipponensi Ecclesiæ inthronizat Antistitem. Lucidus Ficoclēsis Episcopus dum propinquũ sibimet obitum imminere cognoscit, ad cœnobialis portum conuolat ordinis, ac sacerdotalis infulas dignitatis monachicis mutat induuiis: & vt noueris, quid sibi conuersio ista contulerit, sicut authentica Registri testatur historia, sub ipso migrantis obitu Spiritus sancti gratia lætissimo relucebat in vultu. Cui nimirum & antequam moreretur, beatus Apostolus Andreas apparuit; & qua hora migraturus esset ex corpore, nunciauit.

Valerius Episc. Hipponen.

Lucidus Episc. Ficoclēsis.

Adalbertus martyr Episc. Bohem.

Quid B. Adelbertum martyrem dicam? Qui nimirum quoniam Bohemicensis Ecclesiæ postposuit cathedram, monachum induens, triumphalem martyrij meruit inuenire coronam? Vtque ex industria de cæteris sileam, quidam sanctus pœnitens, cuius me ad præsens vocabulum fugit, iam ante septennium ferè Episcopatu dimisso, tandem Angelo visitante, præcipitur, ad Episcopatum redeat; sed recusat, donec admonente eodem Angelo, beatus aduenit sub celeritate Remigius. Sic itaque ne deceptio potuisset fortè surripere, etiam tuta formidans, humano cessit imperio, qui ad Angelicum prius oraculum rigidus stetit.

Genebaldus Laudunen. Episc.

Laurētius Sabinēsis Episc.

Episcopus etiam ille Sabinensis, qui solium Pontificale deseruit, & Farfense monasterium, cōtempta sacerdotali dignitate, cōstruxit, quàm nobilis in Christo vir fuerit, testis est antiqua traditio, quæ sanctitatis eius insignia celebrat; testis moderna deuotio, quæ piam eius memoriā in benedictione frequentat. Quanti scilicet, & prius, & postmodum in eadem sede vsque ad vitæ terminum perdurarunt, & tam operosum fructum Deo nullatenus attulerunt?

Bonitus Episc. Aruernorum.

Episcoporum malorum deploratio.

Nec te, fælix Bonite, prætercam, qui hac dumtaxat occasione percepta, quoniam de manu Regis, laici videlicet hominis, traditionem Ecclesiæ te suscepisse contigerat, cathedram contempsisti, atque ad remotioris vitæ custodiam te protinus contulisti. Quid, rogo, iste faceret, si tormenta, quibus nostri cruciantur Episcopi, & ipse perferret? Si scutatorum, & lanceatorum turmæ post equitantis terga confluerent? Si eum tamquam gentilis militiæ ducem in procinctu positum armati vndique manipuli constiparent? Et quem decuerat reuerēn-

ter incedere cum choro psallentium, audire cogeretur hinc inde perstrepentium tinnitus armorum? Vnde fit, vt modò Pontificem non comitentur, vt dignum est, diuersi Clericorum ordines; sed castra potius, & armati telis vibrantibus bellatores. Pensemus etiam quale hoc sit, quia hæc nonnulli & inuiti perferunt; & tamen eos, quos tolerant, prædijs, ac facultatibus Ecclesiæ, velint, nolint, carius emunt. Quotidie regales epulæ, quotidie apparatus, quotidie nuptiale conuiuium, & vnde refrigerare debuerant indigentes, rubentium tabularum recreant gestatores. Et cum Episcopus dispensator, & promus debeat esse pauperum, ad eorum mensam affluentibus delicijs, alieni ructant; cum & illi, quorum est tota substantia, procul exclusi, famis inopia contabescant.

Inter omnia porrò hæc mala illud excedit, & diabolicam propemodum videtur æquare nequitiam, quia prædijs in militiam profligatis, omnique possessione terrarum, insuper etiam & decimæ, ac plebes adduntur in beneficium sæcularibus. Quæ profectò liberalitas inhonesta & indigentibus adimit, vnde viuant; & diœcesanos etiam deterret, vt decimas non persoluant. Vna scilicet res & illis subtrahit corporale subsidium, & istis periculum prouidet animarum. Quod totum in malè munifici caput redundare, nulli dubium est, si tamen cum ad hoc propria vanitas trahat, non necessitas antiqua compellat. Et quidem plurima suppetunt, quæ de Episcoporum multiplicibus ærumnis apponerem, nisi me epistolaris compendij regula prohiberet.

Contra Ecclesiastici peculij dilapidatores.

Necessitas cõsuetudinis antiquæ aliquãdo excusat, vt videtur hoc loco innui.

Sed, ô facinus! Adeò me sola Sedes Apostolica cruciat, vt ab his omnibus me dicendis auertat. In quâ nimirum Sede, cùm admirari soleamus reuerendæ maiestatis Antistitem, nunc despicabilis personæ cernimus † Mintionem. Hæc venerabilis ille vir expertus fuerat, Petrus videlicet † Apsarensis Episcopus, qui Episcopatum dimisit, & de Sclauonico regno Italiam nauigans, littoribus Anconitanæ vrbis applicuit. Hic mihi, dum totius circa se regni reuerentiam conquestus exponeret, ac molestæ inquietudinis tædia numeraret, inter cętera vnum intulit, quod vos latere non patior. Quidam, inquit, degener quidẽ moribus, sed maiorum titulis insignitus, sui generis cõsanguineam nuptiali sibi fœdere copulauit. Quid plura? Prohibitus perstitit, excommunicatus adhæsit, totumque Ecclesiasticæ censuræ vigorem, nugarum puerilium fabulas deputauit. Cui certè hoc ad diuinæ indignationis indicium contigit, vt panes de nuptialibus mensis in plateas ante canum ora proiecti minimè tangerentur. Insuper, ô diuinæ animaduersionis pauenda seueritas! dum rigidus stat, dum præceptis se sacerdotalibus nõ humiliat, qui vigilare sibimet ad salutem noluit, in cubiculo dormientem repentè de cælestibus irruens fulgur extinxit. Sic sic diuini furoris expertus est moriendo sententiam, qui vulneri suo, dum viueret, adhibere contempserat medicinam. Hoc autem diximus, vt quàm sanctæ auctoritatis vir ille fuerit, qui Episcopatum deseruit, monstraremus.

Sedis Apost. calamitas, & ærumnæ.

† Cadaloum intelligit.

† Ausarensis, vt in sup. ep. corr.

Excommunicati hominis panes attingere, canes dedignantur.

Neglectæ excommunicationis pœna diuinitus irrogata.

Sed dum ista prosequimur, illud etiam nobis consequenter occurrit, quod & ipse nobis nuper, venerabilis Hildeprande, dixisti: & quamquam non magnopere huius videatur esse negotij, quod versatur in manibus, tamen dum quomodolibet hoc apicibus tradimus, ne vorago funditùs obliuionis absorbeat, quasi rem fluctiuagam paxillulis alligamus. Vt enim te retulisse memini, hæc tibi, vt eiusdem verba ponamus, Nouariensis Ecclesiæ narrauit Episcopus. Cum, inquit, in Teutonicorum partibus cuidam Episcopo conuiator incederem, & imminente iamiam refectionis horâ, ille, quid mihi quasi decenter apponeret, non haberet, æstuare cœpit & anxiè quærere, vnde mihi posset in itinere positus, subuenire. Cumque hinc indigentia stringeret, illinc charitas animum dilataret, in arcto positus quid prorsus ageret, ignorabat; cum ecce repentè Grues, vt litteram inuicem congruentes exprimunt parili serie quasi diuersa vtrinque sub vno duce castra componût, super verticem nobis turmatim volitare cœperunt. Tunc Episcopus in feruore Fidei constanter erectus, ait: Domine, præcipe vnum de Gruibus istis ad nos deijci, vt seruus tuus de benedictionis tuæ munere satisfaciat charitati. Mira exauditionis diuinæ celeritas, vix verbum ore depromitur, protinus non parui corporis Grus terra tenus ante ora nostra demergitur; sicque fides, quæ per dilectionem operabatur, impletur. Hæc tibi referenti continuo percunctatus, aio: Eratne spiritualis ille Episcopus? Tu, vt nescio, quo pacto didiceras, carni propriæ viuere hominem, respondisti; vt liquidò pateat non vitæ rectitudinem, sed fidem charitati coniunctam, hanc obtinuisse virtutem. Addidisti etiam, quia, beato Leone Sedis Apostolicæ Præsule referente, cognoueras, æque carnalis, & inconsideratæ conuersationis Episcopum extitisse, qui tantam extrà meritum gratiam a Domino fuerat consecutus, vt virtutes, ac signa frequenter ostenderet; vltrò etiam cum magnæ auctoritatis imperio ex obsessis corporibus dæmones effugaret. Inter quæ nimirum signa virtutum, & illud aliquando contigit, vt eodem, sanctæ memoriæ Leone præsente, dæmoniacus astitisset; cumque præfatus Episcopus nequitiæ spiritum abire præciperet, ille autem quibusdam verbis peruicacis superbiæ resultaret, tandem per nomen Christi terribiliter adiuratus, renisti vltra non potuit. Cumque caput miseri hominis huc, illucque concuteret, capillos in altum pauendo quodam horrore subrigeret, os quasi ad euomendum quibusdam conatibus aperiret, protinus se obiecit Episcopus: Nequaquam, inquit, per os egredieris, vt niteris: omninò frustrabitur, quod moliris, per posteriora te exire præcipio: nam oris tibi aditum non permitto. Per sordidos igitur meatus immunde habitator egredere, & fœda post te, vt dignus es, vestigia derelinque. Vix verba compleuerat, & continuo nequissimus spiritus fluxu ventris eiectus est.

Fides charitati iuncta exaudiri meretur.

S. Leo ix. Papa.

Dæmon ab Episcopo potêter eiectus.

Alius item episcopus, vt & ipse dixisti, oppidò sitiens, vinum sibi afferri præcepit. Cumque pincerna totum, quod erat in vasculo, funditus

exhausisset in poculum, & Episcopo detulisset, ecce pauper importunis illud sibi dari precibus flagitabat, dicens, quia præ ariditate nimiâ, nisi biberet, cominùs expiraret. Et contrà minister asserebat, & nil se in vase residuum reliquisse, & in eo loco vinum aliud reperiri nullatenus posse. In his igitur fortis Episcopus angustijs deprehensus, cum & hinc videlicet sitim differre non posset, illinc autem se bibere, alio periclitāte, impium iudicaret, auertit se a se, fratrique laboráti in necessitate succurrit. Præcepit igitur pauperi vinum dari; sed iam quò magis spes bibēdi omninò defecerat, eò sitis Episcopi atrociùs sæuiebat. Mandauit itaque ministro, vt vinarium vas requireret, si fortè aliquam & consolationis stillam, vel perexiguam reperiret. Qui diutius abnegans, nihilque se reseruasse constanter affirmans, tandem non spe erectus, sed imperio magis oppressus, paruit; & vas, quod vaculum reliquerat, vino plenum, nimirum admiratus, inuenit.

Episcopi cuiusdam misericordiam in pauperem miraculo Deus remunetatur.

Abbas quidam, vt mihi relatum est, suauis edulij concupiscentiâ ductus, Naupredam sibi præcepit acquiri. Cumque ministri dicerent, hoc genus eo loci difficile posse reperiri; extitit qui diceret, vnam tantum in venalibus Naupredam se vidisse propositam, nullo pacto minus quā viginti nummorum Papiensium solidis coëmendam. Iussit Abbas numerari pecuniam. Coquorum autem diligentiâ perfunctus, & lautè decoctus Abbati piscis apponitur; sed antequam tangeretur, ecce pauper ad ianuam, hoc potissimum sibi dari, quod Abbati esset appositum, anxiè postulabat. Mox, vt erat, integrum piscem, nihil hæsitans vir Domini, mittit ad pauperem. Illicò pauper, qui videbatur cum ipsâ paropside plenâ pisce, in sublime se extulit; & libratâ manu, velut exenium portans, cælum cunctis videntibus penetrauit. Vnde liquidò comprobatur, quia quod indigentibus datur, Deo transmittitur; & quod in sinu pauperum occultamus, in cælo reponimus.

Abbatis eleemosynarij exēplum.

Illud etiam, quod nunc addimus, quamquam non sit miraculum, ab ædificatione tamen, cui famulatur omne, quod scribimus, non est alienum. Episcopus quidam Naupredam sibi parari præceperat, qui paulopost dum inter ipsa Missarum solemnia sacris altaribus deuotus assisteret, ecce Naupredæ memoria illecebrosi gustus eum tentauit affectu. Ille, vt erat insignis animi, talia se pati posse in obtutibus occulti, & omnipotentis Inspectoris erubuit, expletisq; regressus officijs, febretcū animæ piscē pauperi tradendū esse mādauit. Sic profectò canicula voluptatis, quæ sub mensâ corporis, vtcūque potuisset viuere, ad Sancta Sanctorū impudenter irrumpens, pœnitentiæ fuste mactata, meruit interire.

Episcopi sobrij præclarū facinus.

Pauper quidam pater familias vnum dumtaxat nummum in loculo possidebat, quem ad emendum aliquid, quod cum pane comederet, expendere gestiebat. Cumque siccus, & aridus a lautioribus alimentis, hoc diu negotium in mente versaret, interim pauper aduenit, misericordiam postulauit. Ille hærens animo, velut in quodam erat meditullio cōstitutus. Nam si daret, carni metuebat afflictæ, si retineret, culpam incurrere formidabat denegatæ misericordiæ. Tādē vicit spiritus carnē, &

Mira misericordia pauperis.

Mar. 12. v. 42. Luc. 21. v. 2. Euangelicam imitatus Viduam, sub pauperis specie bono debitori Deo suam fœnerat quantitatē. Redit domum, panis, qui solebat, apponitur. Pauper quidem mensa, sed bonâ spe diues erat conscientia. Damnum siquidem carnis cōpensabat lucro pietatis; cum ecce vir quidam ignotus, & quem anteà numquam viderat, festinus & anxius ligatos linteo in manu eius viginti denariorum solidos posuit, dicensque sibi, à Domino suo missos, tamquam qui ab eo expectaretur, incunctanter abscessit. Cumque hic attonitus vellet inquirere, ille disparauit.

Iccircò autem nomina hominum non appono, quoniam ordo peractæ rei facilius hæsit animo; nomina verò, curis alijs interuenientibus, fateor, intercepit obliuio. Nec magnopere curamus videri aucupes nominum, dummodò non excidat series, & ordo gestorum; quamquam & hæc eadem gesta, quæ scribimus, quia in transitu audire nos contigit, vtrum inoffensam fidei lineam teneant, certū per omnia non habemus. Ne igitur sine nominibus digesta narratio nares fastidiosis lectoribus contrahat, a talibus interim supersedeo. Et certè salubrius est, vt omissis omnibus, ad me redeam; me defleam, me iugiter meis oculis anteponam. Ecce enim iam oculi caligant, & solito amplius phlegmatis humores abundant. Rugæ subeunt, & dentium ruinam gingiuæ minantur. Caput denique, quod canis hactenus spargebatur, cygneo iam albore niuescit; vox rauict, virtus deficit; &, heu proh dolor! sola in me vitiorū radix ignorat penitus senectutem. Enimuerò quotidie mortem præ oculis teneo, & iam tribunali tremendi Iudicis quodammodo præsentatus, assisto. Iam sub quadam mentis imaginatione peruersi spiritus truci vultu, exhorrendâ specie me sub extremo spiritu palpitantem terribiliter impetunt; iam sancti Angeli blandi, ac niuei, quasi qui auxilientur, accedunt.

Senectus Damiani.

Effectus senectutis.

Duorum miseranda historia.

Quiddam porro non longe antehac euenisse cōperi, quod dum mihi sæpe mouet mentem, solet exaggerare formidinem. Quidam namque pœnitens sub peregrino habitu in nostris partibus exultabat: Qui perquisitus, quæ eum exiliari culpa cōpelleret, Cum conuicaneo meo, inquit, ad ligna cædenda pergebam, & ecce trabalis magnitudinis serpens duobus attollens squamosa colla capitibus, sinuosis flexibus obrepebat. Qui nos, vt eò ambulantes aspexit, continuo scintillans oculis, & tamquam linguis exacuens ora trisulcis, in nos impetum fecit. Cui protinus conuiator meus libratâ securi, vnum caput abscidit, moxque ferramentum ex eius manibus cecidit. Protinus serpens in furoris rabiem implacabiliter efferatus, in sublime se erigit, quod solum remanserat, caput attollit, auctoremque proprij vulneris mordicùs apprehendit, quem mox vt inuasit, sinuosis eum spiris implicuit, & inuoluit, totumque hominem suis viribus vindicans, in subterraneæ specus latebras asportauit. Sed dum traheretur ille, quod solum poterat, me flagitat, in me clamosas voces ingeminat, vt vel ipse sibi promptus adiutor accurrerem, vel securim, quę in meis erat manibus, porrigere festinarem. Ego

autem

autem infelix, & degener, vltricibus flammis obnoxius, & ipse potius à serpentibus meritò deuorandus, væh mihi homicidæ! contremui; & cum manibus esset agendum, causa dictante, non pedibus, fugam paraui; ideóque à sacerdotibus iniunctum mihi hoc exilium patior, méque vt reuera mortis illius auctorem, deflere compellor. Quæ nimirum gemendæ calamitatis historia ita totum cor meum tremefacit, & concutit, vt immensam cordis mei formidinem, nec stylo tradere, nec valeam sermone proferre. Meditor enim sæpe, ecce homo, & bestia, duo pariter in spelunca. Non mediator interuenit, non ereptor accedit, ferinum sanè cor pietas non emollit; præsertim cum rabidæ voracitati hoc etiam superadditur, vt illatæ contumeliæ grauis vltio compensetur. Quæso, quæ rei huius tunc species erat, immo quæ mens miseri hominis esse poterat, cum præda factus esset hosti nescio misereri cum euadendi, spes nulla superesset, sed potius cruentis dentibus in escam traditus, ferinam protinus ingluuiem satiaret? Huius ergo formidolosi casus speciem in mea sæpe mente depingo, moxque draconem illum totius crudelitatis auctorem, quomodo rapiat, ac deuoret animas, pauida cõsideratione pertracto; illum sæpe versiculum repetens, quem Propheta cantabat: Ne quando, inquit, rapiat, vt leo, animam meam; dum non est, qui redimat, neque qui saluum faciat. Tam breuis scriptura, quam formidandi materiam sanis mentibus præbet? *Psal. 7. v. 3.*

Porrò autem & ante annũ in non longinquâ ab hac regione villa cõtigisse dicitur, quòd quidam agricola vix erũpente crepusculo, maturè surrexit, enormis draconem magnitudinis vidit, quem quia lignum putauit, mox se super eum ad sedendũ quasi in trabe cõposuit. Commota protinus bestia caput attollit, hominẽ cruento ore peruadit, sicq; viuẽtem sub momento rabida voracitate deglutijt: &, vt corda nostra grauior adhuc formido concutiat, atq; ad metuenda super nos diuina iudicia peruigil nos sollicitudo cõpellat; plerũq; videmus honestioribus, ac iustè viuẽtibus viris ista cõtingere, cũ è cõtrà carnales, & incõpositi videantur homines, vt suprà meminimus, etiam virtutibus coruscare. Iustis sæpe aduersa accidunt.

Nam, vt nõ diutius immorer, quidã ab Hierosolymis rediens, hoc sibi, suisq; comitibus contigisse narrauit; quia cũ itineris labore defessi, secus viam nocte quiescerent, repentè leo terribilis dormientibus superuenit. Presbyter autem piæ opinionis, & honestæ vitæ, qui etiam quater iam à Dominicæ sepulturæ visitatione redierat, socijs vndique circumfusis medius quiescebat. Irruens igitur immanis bestia, neminem ex his, qui sibi prius occurrerant, tetigit; sed cæteros supersiliens, & tamquam proiecta ligna contemnens, solum Presbyterum signanter appetiit, præcipitanter inuasit, cæterisque leonibus, qui non procul aberant, prædam suam cruentus venator exposuit. Quem clamitantem, & socijs audientibus horribiliter mugientem, subitò deuorauerunt: & è vestigiò conuiatores eius vsque ad turrim, in quam tremefacti conscenderant, sunt secuti. Quod vtique infirmis mentibus satis videtur esse ter- Presbiter peregrinus deuoratur à leonibus.

ribile, vt merentes præmia, virga coërceat; & super eos, qui digni sunt gratiâ, cęlestis inuigilet disciplina.

Seruus Dei ciuitatem cõflagrandam prædicit, sibi ipsi vero non consulit.

Illud etiam non dissimili dignum videtur esse formidine, quod, religioso quodam Pisanæ diœcesis Abbate referente, cognoui. Aiebat planè, quia proximâ hac æstate transactâ contigit, vt esset in quadam Teutonicorum vrbe seruus Dei sanctæ conuersationis, & bonæ famæ, qui iuxta monasterium in cellulâ morabatur. Huic sanè reuelatum est, quia nisi populus per pœnitentiam quantocyus se à suâ prauitate compesceret, infrà triginta dies tota eorum ciuitas incendio subiaceret. Qui nimirum visionis suæ mysterium non solum Episcopo ciuitatis innotuit, sed & per omnem populum sine morâ diuulgare curauit. Illi autem in prauitatis suæ malitiâ perdurantes, virum Dei arbitrati sunt delirare, & intentatas Dei minas omninò paruipendentes, dedignati sunt sua facta corrigere. Porro vir Dei pretiosiora quæque monasterij iubet in recessus abditos conuehi, vbi possent ab ignibus illibata seruari. Quid verbis immoror? Tandem lugubris ille dies aduenit, & à septem vrbis regionibus vltor ignis exoritur. Et ecce Monachi ad serui Dei cellulam anxiè proruunt, eumque imminente periculo, non segniter exire deposcunt. Ille autem recusat omninò, diuinoque iudicio cuncta committens, quid Deo de se placeat, immotus expectat. Ignis ergò globis in astra furentibus, cuncta occupat, cuncta peruadit: & non modò cætera quæque succendit, sed & monasterium, heu! tædet dicere, ipsumque seruum Dei cum totâ suâ cellulâ conflagrauit. Quod profectò Dei iudicium non tam discutiendum est, quàm timendum. Quis enim humanæ mentis intuitus diuinorum iudiciorum penetrare valet abyssum, cum sit vtique terribilis in consilijs super filios hominum? Quis enim credere potuisset, vt is, qui per reuelationem meruit agnoscere perituræ vrbis excidium, semetipsum ignoraret flammis simul atrocibus exurendum? Hæc igitur, & his similia cum mente considero, cum subtili meditatione pertracto, dum quid mihi adhuc immineat, nescio; tremefactis certè totis visceribus obstupesco; moxque ad lachrymas redeo, & si fletus aliquandò præ cordis duritiâ non erumpit, mens tamen ipsa mœrore grauius contabescit. Perpendo sæpe quale sit insatiabilibus subiacere draconibus, inimicis infœderabilibus interesse, in morte viuere, in ignibus habitare. Illud etiam, quomodo ad cruciandos impios hoc præ cæteris electum sit elementum; vt cum fauillâ dissiliēs, in quolibet membro, vel ad momentum tolerari non possit, vltrices flammæ miseros homines hinc egredientes absorbeant, & infinitè patens vorax gehenna concludat. Ex quibus nimirum plura suppeditat animus eloqui, nisi me prohiberet epistolare compendium diutius immorari. Ex quâ tamen occasione quiddam nunc redit in mentem, quod non piget breuiter annotare.

Iudiciorum Dei abyssus. Psal. 65. v. 5.

Expauenda gehennæ cõsideratio.

Fauentinorũ damnatorum

Duo viri de primoribus Fauentinæ ciuitatis ex hoc sæculo antè non paruum tempus egressi, cuidam Diacono simul apparuere per vi-

ſum, qui nimirum ferreis caſulis in more ſacerdotum talo tenus ad ima defluentibus videbantur induti. Percunctatus autem Diaconus, vtrum ne, inquit, vos, qui in illâ vitâ eſtis, iugiter Dominum benedicitis? Reſponderunt: Nos, qui apud inferos æterno igne cruciamur, numquam benedicimus Dominum. Planè, quod ſollicitudinis meæ pondus accumulat, & frater ille, cuius ante meminimus, vt coniici poteſt, tunc ſtabat, cum reuelationis præſagium meruit; tunc in aliquâ fortè culpâ iacebat, cum diſcrimen incurrit. In lubrico ſiquidem poſiti, repente prolabimur; & nunc mundi, ſub momento temporis inquinamur. ſpectra oſtẽſa diacono cuidam.

Vnde & illud nunc ad memoriam redit, quod in Beneuentanâ olim vrbe conſtitutum, audire me contigit. Princeps denique eiuſdem ciuitatis Presbyterum habebat ſanctæ conuerſationis virum, & in diuinis officiis, ac præcipuè in ſolemnitate Miſſarum indeſinenter aſſiduum. Qui dum quotidiè ſacris myſteriis reuerenter inſiſteret, Angelus Domini ex conſuetudine veniebat, & vidente Principe, Sacramentum Dominici corporis ex offerentis manibus aſſumebat. Sed, ô ruinalis vitæ huius lubrica, & incerta conditio! Nam qui Angelicis fruebatur mundis obſequiis, in fœdæ luxuriæ voraginem repente prolapſus eſt. Quid plura? Peragendi ſacri myſterij tempus aduenit, Presbyter conſuetudine foris exigente compellitur; ſed grauiter intus, conſcientiâ remordente, torquetur; ornatur, accedit, trepidat, palpitat, tamen offerre præſumit. Ecce Angelus, vt aſſuetus fuerat, venit, & inſpectante Principe, ſpongiam infectam aquâ ſuper caput illius expreſſit, totumque corpus eius tergendo purgauit. Expletis autem myſterijs eandem ſpongiam rurſus expreſſit, omneſque ſordes, atque ſqualores, quos ex corpore illius antè contraxerat, membris eius omnibus iterum ſuperfudit. Hoc viſo princeps admiratus obſtupuit, Presbyterumque ſemotis omnibus, ſecretè conuenit. Inquiſitus itaque Presbyter, ſi nouiter aliquid criminis admiſiſſet; primò quidem quaſi perhorreſcens facinus, abnegat; deinde malè ſibi conſcius, ac Principis auctoritate compulſus, tandem corruiſſe ſe nocte præteritâ in quamdam eiuſdem Principis cubiculariam, confitetur. Presbyteri lapſi exemplũ.

In eadem rurſus vrbe vidi monachum, cui nomen erat Madelmus, quis nimirum iuxtà monaſterium degens in cellulâ, incluſus, ſiue, ſolitarius dicebatur. Hic mihi retulit, quia in ſacroſancto Paſchali Sabbato, Reſurrectionem præcedente Dominicam, in Eccleſiâ, quam frequentare conſueuerat, quatuordecim plus minus lampades adornauit; & aquâ ſuppoſitâ præter vnâ, omnibus oleum ſuperfudit. Cumque cęteris ſatisfactũ eſſet; ſed deficiente oleo, vna remaneret, petiuit ab Abbate, ſed impetrare non potuit. Tandem in fide non hæſitans, aquâ lampadem impleuit, lumen adhibuit, quę profectò per totam noctem cum cęteris nihilominus radiauit; & cum naturale ſit aquæ, vt ignem ſemper extinguat, illa fouebat. Tunc Abbas aduocatus in te- Madelmi incluſi virtutes, & lapſus.

stimonium, signum virtutis admiratus expauit, sesque oleum non dedisse, confusus erubuit. Porrò & alias quasdam Monachus ille dicebatur ostendisse virtutes. Sed væh illi, qui clausis oculis securus incedit, & versuti hostis laqueos non attendit. Nam postmodum hic in luxurię voraginem corruit; & qui eatenus magnæ reuerentiæ Principi, ac ciuibus fuerat habitus, publicè virgis cæsus, & sub inhonesto ludibrio turpiter asseritur decaluatus.

Dæmonum insidiæ, & laquei.

Hæc iccircò dixerim, vt liquidò pateat, quia in hoc vitæ mortalis itinere gradientibus multæ supponuntur insidiæ, diuersa occultus hostis scandala contegit, multa viscaria struit, plures laqueos, atque tendiculas nostris quotidie gressibus anteponit. Dicant ergò mihi, qui volunt Episcopare, Plebibus te regendis expone. Sed qui me ipsum nequeo inter tot gladios, ac tela protegere; quo pacto & alios possum ex captiosis latentium insidiarũ laqueis expedire? Deponenda est ergò sarcina, quam baiulare non possum: meliusque est pondus abijcere, quam cum detrimento Domini, cuius sum seruus, fractis ceruicibus interire. Sufficiat nunc ad testimonium hoc solum B. Hieronymi, quod, nec dum horâ transactâ, sub oculis habuisse me memini. Dum enim de otioso Ecclesiæ Pastore tractaret, adiecit: Illicò, inquit, indignantis Domini responsione ferietur: Serue nequam, quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, vt ego veniens cum vsuris vtique exegissem illam? Quod idem Doctor protinus exponens, ait: id est, deposuisses ad altare, quod ferre non poteras. Dum enim tu ignauus negotiator denarium tenes, alterius locum, qui pecuniá duplicare poterat, occupasti. Hoc ego sancti viri consilium, fateor, libenter arripui; & onus, cui succumbere compellebar, abieci. Immò pecuniam, quam duplicare non poteram, negotiator ignauus ad altare deposui. Fuit, fuit olim, sed iam elapsum est tempus, vt modestiæ pudor, mortificationis insigne, digna seueritas, & sacerdotalis genij valeat censura seruari. Nam, vt me solum dignè coarguam, videtis ipsi quia protinus, vt ad vos venio, ecce sales, ecce facetiæ, lepores, vrbanitates, dicacitates, volumina quæstionum, omnesque verborum inanium pestes insolenter erumpunt, quę nos, non iam sacerdotes, sed potius oratores, ac rhetores, siue, quod inhonestum est, scurras ostendunt. Mox enim, vt verba conserimus, paulatim quędam lenocinia confabulationis alternę surrepunt, quæ omnem animi rigorem indecenter emolliant, & seueritatis robur in excussum risum, & turpia ioca dissoluant. Hinc est, quod mens extrà se sparsa confunditur, acies cordis obtunditur, lux diuini amoris extinguitur, terror in alios, & reuerentia sacerdotalis amittitur; & quod periculosius est, rectè viuendi linea, quæ alijs ad exemplum proponenda fuerat, non tenetur. Quod si nos vel pudore, vel metu in hæc declinare contemnimus, mox inhumani, rigidi, & quos Hyrcanę genuerint Tigres, saxei iudicamur. Reprimo calamum. Nam, vt turpiores attexantur ineptiæ, pudore suffundor, videlicet venatus, aucupium, alearum insu-

S. Hieronymus.

Luc.19.v.23.

Modestiæ Damiani, & humilitatis exēplum.

Inutilium sermonum effectus.

Plin.lib 8. c.18.

per furiæ ; vel ſcachorum , quæ nimirum de toto quidem ſacerdote exhibent mimum;ſed præcipuè oculos,manus,& linguam , quaſi mimum verum ſimul efficiunt, ſicque conditos, & qui ſuauius ſapiant, cibos dæmonũ menſis apponunt.Hic planè,ſi quid mihi de venerabili Florentinæ ſedis Epiſcopo contigerit, recolo,alienum eſſe ab ædificatione non credo.

Dum aliquando ſibi eſſem comes itineris,veſpertinũ tandem ſubeũtes hoſpitium,ego me in Presbyteri cellam ſemoui ; is autem in ſpatioſa domo cum con[...]cantium turbâ reſedit. Mane autem facto , à meo mihi Agaſone ſignificatum eſt,quòd prædictus Epiſcopus ludo prefuerit Scachorum. Quod profecto verbum,velut ſagitta, cor meum acutiſſimè pupugit,& indignationis vulnus inflixit·Horâ autem, quæ mihi videbatur electa,conueni hominem, & acriter inuehor. Hoc igitur initium ſermonis arripiens, aio:Librata manu virgas exero,plagas infigere quæro: ſi ſit,qui terga ſubijciat. Et ille,inferatur,inquit ,culpa,non recuſabitur pœnitentia. Recte ne,inquam, tuique erat officij, veſpere, in ſcachorum vanitate colludere,& manum Dominici corporis oblatricem,linguam inter Deum,& populum mediatricem , ſacrilegi ludibrij contaminatione fœdare? Præſertim cum cánonica decernat auctoritas , vt aleatores Epiſcopi deponantur. Et quid prodeſt ei, quem efficaciter auctoritas damnat,etiam ſi iudicium extrinſecus non accedat? Ille autem ex diuerſitate nominum,defenſionis ſibi faciens ſcutum,ait: aliud ſcachum eſſe,aliud aleam. Aleas ergo auctoritas illa prohibuit,ſcachos vero tacendo,conceſſit. Ad quod ego:Scachum , inquam , Scriptura non ponit:ſed vtriuſque ludi genus aleæ nomine comprehendit. Quapropter dum alea prohibetur, & nominatim de ſcacho nihil dicitur,conſtat proculdubio vtrumque genus vno vocabulo comprehenſum,vnius ſententiæ auctoritate damnatum. Tunc ille, vt mitis eſt animi,& perſpicacis ingenij,redditis rationibus humiliter acquieuit, culpam nullatenus iterandam,certâ pollicitatione conſtituit, iniungi ſibi pœnitentiam poſtulauit. Cui mox præcepi, vt ter pſalterium meditando percurreret, ac duodecim pauperum pedes ſub totidem numiſmatum erogatione, eorumque recreatione lauaret. Hac ſcilicet ratione perſpectâ,vt quoniam hæc culpa cum manibus potiſſimum , & ſermone committitur,lauãdo pauperum pedes,ſuas potius à culpæ contagio manus ablueret:& imprimens alienis veſtigijs ora,pacem ſibi cum Domino, quem per flendos iocos offenderat , reformaret. Hoc autem diximus,vt quàm inhoneſtum , quàm abſurdum,quàm denique fœdum ſit hoc in ſacerdote ludibrium , ex alterius emendatione noſcatur.

Scachorum, ſiue latrunculorum ludus Eccleſiaſticis illicitus, aleæ vero interdictus.

Etiam latrunculi continẽtur nomine aleæ.

Pœnitentia Florentino Epiſc. iniuncta a B. Petro Dam.

Præterea,dilectiſſimi,vt ad id redeam,pro quo ſcribere iſta propoſui, nolite mihi de cætero eſſe moleſti,vt quietis portum,in quem à Chriſto per vos gubernante, relapſus ſum deſeram ; & ſpumantes procellarum cumulos,confragoſa volumina , Scyllæam voraginem denuo ſulcare contendam· Quamuis enim ego miſer,& ille ſit ſanctus: quia tamen

1.Reg.8.& 16. v.13. par mihi quodammodo cum Samuele sit causa, non dispar promatur super vtrumque sententia. Ille siquidem principatus deseruit dignitatem, Dauid tamen vnxit in principem. Nos etiam ad eius exemplum, Apostolicæ Sedis, auctore Deo, cupimus pontificem ordinare, ac protinus a proprij Pontificatus arce recedere.

Alludit ad munus Card. Episc. Ostien. Cõsule Schol.

Ecce, dilectissimi, dũ vberioris vobis alloquij verba protraxi, epistolaris regulã breuitatis offẽdi. Si quis igitur me laciniosę velit prolixitatis arguere, arguat potius impatientẽ silẽtij charitatẽ: nec ignoret, quia illic est succincta prolixitas, vbi sic styli currentis scriptura extendit articulũ: vt tamen totum pleni pectoris non explicet votum. Stephanum quoque, quem inter primos in mente gestamus amicos, in epistolæ calce subnectimus, vtque memoris non sit immemor, obsecramus. Ille miserum Petrum de manibus eruat Hildeprandi, ad cuius imperium magno Petro patuit carcer Herodis.

Steph. & Hildeprand. S. R. E. Card.

Act. 12. v. 10.

EPIST. XI. Ad eumdem Alexandrum II. Roman. Pontificem.

ARGVMENTVM.

Aurelianensem Episcopum, cuius Ecclesia ab improbis vexata multis calamitatum procellis, & turbinibus agitabatur, Pontifici Maximo accuratè commendat; vt eius auxilio ex fluctibus emersa, & subleuata in tranquillitatis tandem portu, & securitatis conquiesceret.

Domno suo Alexandro summæ Sedis Antistiti, Petrus peccator Monachus seruitutem.

NOVERIT Beatitudo vestra, venerabilis Pater, quoniam Episcopus hic Aurelianensis Ecclesię per me venit, méque decumbentem in grabato reperiens, quia sperabat me apud vos aliquid posse, meæ intercessionis auxilium postulauit. Ex multis quippe calamitatibus, atque pressuris, quæ non modò sibi, sed & Ecclesiæ suæ a prauis, atque peruersis hominibus inferuntur, se tandem non sine magnâ tribulatione præripiens, optimum duxit, vt spreto mundi fallacis auxilio, solum Sedis Apostolicæ remedium peteret, ad sancta vestigia vestra corrueret; & tanquam ad tutissimi portus sinum de multis procellis fluctiuagi maris, scopulis, atque turbinibus, sub sanctæ Romanę Ecclesiæ vmbraculum conuolaret. Scilicet, vt quæ per diuini muneris priuilegiũ omnibus in tribulatione succurrit, se quoque materna pietate suscipiat, & eius Ecclesiam a violentorum, iniquorumq. hominum peruasione defendat. Quapropter sanctam clementiam vestram humiliter obsecro, hostilis etiam amici mei Domni Archidiaconi, cęterorumque sanctorum Collateralium vestrorum fraternitatem humiliter

Hildeprandũ intelligit.

peto; vt fratri isti, qui meum deposcit auxilium pro nostro amore dignemini subuenire, rigoremque iustitiæ circà illum studeatis, in quantum tamen Deo non displiceat, temperare.

Vt autem scire dignemini, quæ circa me sunt, septuaginta fermè dies sunt, ex quibus vix iacere, vel sedere, quantò minus stare, nisi cum difficultate possum. Quid autem dicam, quia vinum, stomacho nauseante, fastidio: qui diuersa quoque mellitæ, ac pigmentatæ potionis genera perhorresco? Sed hęc vberius non exaggero, quia dum gemitum, & compassionem ex fraternâ cæterorum sodalium meorum charitate requiro, a summo amicorum meorum, Domino videlicet Archidiacono, risum extorquendum esse non ambigo. Morbus grauissimus B. Petri Damiani.

De præfato autem Episcopo sic, rogo, decernite: vt & omnipotens Deus iudicio vestræ discretionis adgaudeat, & ille fusis super se Sedis Apostolicæ tanquam maternæ pietatis visceribus, hilarescat. Quia sigillum nostrum ad præsens non habeo, nepoti meo Damiano, vt sigilli certitudine potiatur, iniungo. Damianus nepos B. Petri Daniani.

EPIST. XII. Ad eundem Alexandrum. II. Romanum Pontificem.

ARGVMENTVM.

Duas quæ tunc temporis inoleuerant in Ecclesia, prauas consuetudines accusat: atque vt aboleantur, postulat. Et primum quidem periculosum esse ostendit, & aleæ plenum (vt ita dicam) opus quibuscumque Decretis anathematis pœnam in fine apponi. Ad hanc enim pœnam tanquam ad scopulum leuissimis de causis offendentes homines sæpissimè naufragium facturos. Alteram consuetudinem (quod scilicet Episcopi à Præsbiteris apud Archiepiscopum, & Primatem accusari non possent) efficaciter redarguit. Dari enim hoc modò criminum impunitatem, & liberius in quouis flagitij genere debacchandi licentiam.

Domno suo Alexandro Papæ, Petrus peccator Monachus seruitutem.

SCripsistis, vt scriberem: præcepistis, vt sæpè vobis, licet incultas, ineptiæ meæ schedulas destinarem, Verùm me magis libet flere, quam scribere; immò hinc grauius fleo, quia flere non valeo. Ita nimirum à Synodo, cui vestræ Sanctitatis auctoritas præfuit, contritus nuper, & arefactus abscessi, vt mens mea tot oppressa negotijs, more silicis obdurata, nec per imbrem se compunctionis emolliat, nec se quantumlibet super se gratiâ intimæ contéplationis attollat. Hoc itaque mihi datur ad pœnam, quod promissum

Apoc. 21 v. 4. Psal. 114 v. 8.

est Sanctis dandum esse per gratiam. Absterget, inquit, Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum. Et in Psalmo dicitur: Qui eripuit animam meam de morte, oculos meos à lachrymis. Quod ergò sanctis viris prærogatur ad præmium, hoc meis meritis infligitur ad tormentum. Quapropter hæc apud me definita sententia est, quia de cætero, nisi me necessitas ineuitanda compellat, donec aduixero Romanis me Cõsiliis funditus absentabo.

Duæ prauæ consuetudines.

Præterea duo quædam apud Apostolicam Sedem frequens vsus obtinuit, quæ si sancta prudẽtia vestra iudicat, vt nobis videtur, omninò digna sunt corrigi. Vnũ, quia cunctis ferè Decretalibus paginis anathema subiungitur; alterũ, quia cuiuslibet Ecclesiæ filius, siue clericus sit, siue laïcus, exponere proprij excessus Antistitis prohibetur. Quorũ primum quã sit humanę salutis immane periculũ, & infinitè patẽs vorago labentiũ, ac pernicies animarũ, clementiæ vestræ pietas non ignorat. Dicitur enim, quisquis hæc, vel illa non fecerit; siue certè quisquis hoc, quod superius statutum est, irritum duxerit, vel in aliquo violauerit, anathema sit. Vbi notandum quàm lubrica, quàm præceps subitò ruendi illic procuretur occasio, vt ante quis in æternæ mortis barathrum corruat, quàm se vel leuiter impegisse cognoscat: & substratę quodammodò tendiculę iam pes eius innectitur, dũ se liberis adhuc incedere gressibus arbitratur. Delinquit itaque quisquis ille est, in illud Apostolicę constitutionis edictum, & aliquandò leui quadam, ac perexiguâ offensione transgreditur: & continuò velut hęreticus, & tamquã cunctis criminibus teneatur obnoxius, anathematis sententiâ condemnatur. Et cum, dictante iustitia, aliâ sit vltione plectendus, qui plus delinquit, aliâ qui minus excedit: hic grauiter, leuiterque peccantibus æqua cunctis, & indifferens pœna, solius scilicet anathematis, irrogatur. Non tribunalium more, vel forensis examinis, aut libertas ceditur, aut possessio confiscatur, nec pecuniariæ mulctę reus addicitur, sed Deo potius, omnium scilicet bonorum auctore, priuatur. Hanc itaque homo de homine pœnam sumit, quam de sui transgressione mandati, ipse quoque Deus omnipotens non pręsumit. Qui amat, inquit, patrem, aut matrem plusquam me, non continuo addidit, sit anathematizatus, vel maledictus, sed tantũ ait: Nõ est me dignus. Et in lege, Oculus pro oculo, dens pro dẽte, percussura pro percussurâ, adustio pro adustione dũtaxat exigitur, nec cõtinuò qui reus est de synagogâ proijcitur, vel maledictione dãnatur. Non enim, secũdũ Stoicos, omnia peccata sunt paria, atq; iccircò indifferẽti sũt vltione plectẽda, sed iuxtà modũ culpę tẽperãda sẽper est mẽsura vindictę. Porrò nec beatus Papa Gregorius, vel cęteri Patres, qui diuersis tẽporibus in Apostolicę Sedis regimine floruerunt, hunc morem in suis reperiuntur obseruasse Decretis, & vix eorum aliquãdò statutis anathema subnectitur, nisi cũ Catholicæ fidei clausulâ terminatur. Quamobrem si sanctę prudentię vestrę placet, hunc morem de cætero à Decretalibus paginis amoueri pręcipiat, & vel damni pecuniæ,

Cõtra primã, anathematis scilicet, frequẽtius Decretis apponẽdi. Clausula solita apponi in Decretis tunc temporis. Anathematis pœna nimis inculcata dat occasionem peccandi.

Matt. 10 v. 37. Exod. 21. v. 24.

Stoicorum opinio. Cic. Parad. 3.

Anathema raro subnectitur, nisi in causa fidei.

cuniæ, vel alterius cuiuslibet vltionis calculum in earum transgressione præfigat; ne quod aliis est ad tuitionis munimenta prouisum, alijs ad perniciem proueniat animarum.

Illud etiam, quod dicitur: Non licere cuiuslibet Ecclesiæ filium ad maiorem Ecclesiam proprij reatus Episcopi, & quęque sunt corrigenda, deferre, nimis absonum, & prorsus Ecclesiasticæ disciplinæ probatur aduersum. Nam cui melius dicitur, quod delinquit Episcopus, quã illi, qui magistri officio fungitur? Et ideò inter fratres reliquos præeminet, vt quod alijs non licet, ipse solus per propriæ sedis priuilegium errata corrigat sacerdotum. Quis est enim hic arrogantiæ tumor? Quis elationis fastus? quæ denique tanta superbia, vt liceat Episcopum per fas, & nefas ad propriæ voluntatis arbitrium viuere; &, quod insolenter excessum est, à subjectis suis dedignetur audire? Prȩsertim cum illi non adierint tribunalia Præsidum, non forensium pulsauerint examina cognitorum: sed Ecclesiam potius adeant, & sacerdotibus iudicabilia sui sacerdotis exponant: vt quod sæcularibus venire poterat in derisum, grauiter, & honestè per sacerdotale corrigatur officium. Vbi profectò dignum est, vt is, qui impetitur, vel ex ratione se exhibeat innocentem, vel confiteatur humiliter peccatorem. Nec his allegationibus † viuendum est, vt dicat se non debere ab his, qui sibi subiecti sunt, accusari, ne videatur excessibus suis velamen obtendere, & iudicium subterfugere, dum conatur in alium motæ quæstionis iniuriam retorquere. Quis enim nesciat, quod Princeps Apostolorũ Petrus potestatem regni cælestis accepit? Virtutẽ ligãdi, siue soluendi, quod vellet in cælis, ac terris, obtinuit? Supra mare pedibus ambulauit? Solâ sui corporis vmbrâ ęgrotãtes erexit? Mentiẽtes iaculo nudi sermonis occidit? Oratione mortuos suscitauit? Hic itaq; tam sublimis meriti vir cũ ex admonitione S. Spiritus ad Corneliũ, Gẽtilẽ videlicet hominẽ, fuisset ingressus, aduersus eũ quęstio facta est ab his, qui erant ex circũcisione, fidelibus, quod ad alienigenas introisset, atq; cũ eis comedere præsumpsisset, insuper & in baptismate recepisset. Hic, inquã, tot donorũ cælestiũ incomparabili virtute suffultus, tot miraculorũ ostensione cõspicuus, querelæ subiectorũ non ex potestate restitit; sed rationẽ reddendo, humiliter satisfecit, causamq; per ordinẽ veridicus relator exposuit; quomodo videlicet vas quoddã velut linteum, in quo quadrupedia terrę, reptilia, atq; volatilia inerãt, de cælo submitti viderit, vocẽ audierit: Surge, Petre, macta, & mãduca. Qualiter etiam tres viri venientes eum ad Corneliũ vocauerunt: qualiter postremò Spiritus sanctus eum cũ illis ire præceperit, & quemadmodum idẽ Spiritus sanctus, qui superuenire iam baptizatis in Iudæa consueuerat, in Gentiles & ante Baptismum venit. Si igitur iste cum à discipulis culparetur, auctoritatem, quã in sancta fuerat sortitus Ecclesia voluisset obtendere, respondere potuerat, vt Pastorem suum oues, quæ sibi commissæ fuerant reprehendere non auderent. Sed si in querelã fidelium potestatis suæ titulum obiecisset Doctor,

Contra alteram consuetudinem.

† vtendum f.

Matt.16, v.16. *Matt.14. v.29* *Act. 5. v 15.* *Act. 9. v. 41.* Act. 10. v. 48. & 11. v. 3.

Ab exemplis probat superiores ab inferioribus posse accusari. *Ibid. v. 7.*

profectò mansuetudinis non fuisset. Non ergò eos priuilegij sui auctoritate repressit, sed humili potius satisfactione placauit; & tamquam solus ipse ad faciendam fidem non sufficeret, etiam testes adhibuit. Venerunt, inquit, mecum, & sex fratres isti. Discat ergo cum de suis actibus conuenitur Episcopus, rationem humiliter reddere, non de sui primatus eminentia superbire; nec fieri sibi credat iniuriam, cùm à minori corripitur, sed consulentem potius, vel medicum sui vulneris arbitretur.
2. Reg. 12. v. 12 Nunquid enim Nathan propheta cum Dauid tam austeræ seueritatis inuectione corripuit, indignationem regij motus incurrit? Núquid ille regalis excellentiæ culmen opposuit, ac velut illatam à subiecto suo contumeliam propulsauit? Sed mox, vt se cognouit ęgrotum, suscepit
Ibid. v. 13. libenter antidotum: detexit vulnus, & sectionis suæ non exhorruit ferramentum. Vide humilem languidum: Peccaui, inquit, Domino. Audi etiam velox medicinę remedium: Transtulit Dominus peccatum tuũ,
3. Reg. 20. v. 42 non morieris. E contrà Rex Achab, qui corripientem se Prophetam audire despexit, vltionis gladium, quem ille minatus est, non euasit. Quia dimisisti, inquit, virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius. Dauid ergo culpam suam ęquanimiter audiens, sententiam mortis, quã merebatur, euasit. Achab autem correptionis impatiens, impię pietatis, quam indigno Regi contulerat, veniam non inuenit. Numquid & mulieres illę, hospitæ videli-
Luc. 10. v. 40. cet Saluatoris, inuicem inter se litigauerunt, dum altera quereretur aduersus alteram, quia solam se ministrare compelleret? Poterat enim Maria dicere, nostrorum more Pontificum, accusasti me, & torporis ac negligentię condemnasti. Non sanè omnis querela protinus accusatio dicẽda est. Nam aliud querela compassionis, aliud accusatio simultatis, & odij. Ista nimirum fit, vt offensio corrigatur, illa verò, vt is, qui offenderat, condemnetur. Petrum planè in faciem resistens Paulus obiurgat, &
Galat. 2. v. 11. coram omnibus reprehensibilem iudicat. Quod ille non in accusationis tulit iniuriam, sed benignè, & patienter accepit, quod non ex liuore, sed ex charitate procedere perspicuè recognouit. Sed ecce dicitur, Ego sum Episcopus, ego sum Pastor Ecclesiæ, non debeo à commissis ouibus accusationum patere molestijs: etenim in causa fidei dignus sum
Matt. 18. v. 15. etiam in prauis moribus æquanimiter ferri. Sed dic mihi quisquis es, numquid non legisti, quod in Euangelio scriptum est: Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum: si te audierit, lucratus es fratrem tuum: si te non audierit, adhibe tecũ duos, vel tres testes; vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum; sin autem eos non audierit, dic Ecclesiæ. Si Ecclesiæ ergo referenda est causa quorũlibet fratrum, quomodò non etiam sacerdotum? Porrò si sacerdos, qui in Ecclesia peccat, dedignatur in Ecclesia discuti, quis iam ferat Ecclesiæ se legibus coërceri? Porro si Ecclesiæ tuæ filijs, vt asseris, aduersum te mutire non liceat, numquid aliũde producendi sunt testes, qui te, & tua per absentiam domesticæ cohabitationis ignorãt? Beatus Iob dicit:

Si contempsi subire iudicium cum seruo meo; & tu dicis, absit, vt digner ad examen venire cum Clerico meo. Deus omnipotens per Esaiam clamat: Iudicate pupillo, defendite viduam: & venite, arguite me. Si is, qui iudicat omnia, non dedignatur à seruis argui; tu seruus vtique cum conseruo in iudicium venire fastidis? Et cum sis terra, & cinis; vermis, ac puluis, humiliare te despicis ad imaginem Conditoris? Præsertim cum Scriptura dicat: Ducem te constituerunt: noli extolli, sed esto in illis, quasi vnus ex illis. Quis planè nesciat, quia Samueli Israëlitica plebs præiudicium intulit, eumque de principatu iniustè deiecit? Et cum eos arguere meritò potuisset, vltrò se arguendum nullis accusantibus obtulit; & verùm eos in aliquo violenter oppresserit, inquisiuit. Ecce præsto sum, inquit, loquimini de me coram Domino & Christo eius, vtrũ bouem cuiusquam tulerim, aut asinum; si quemquam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuiuspiam munus accepi; & contemnam illud hodie, restituamque vobis. Cum ergò tam incomparabiles, tam eminentes, atque sublimes viri subiectis suis rationem reddere de proprijs actibus non despiciant, quis arrogantiæ typus, quis est iste tantæ superbiæ fastus, quo sacerdos huius temporis intumescẽs, titulũ sui Præsulatus opponat; & Ecclesiæ suæ filijs, qui se grauatos asserunt, ex æquo in iudicio non respondeat?

Iob. 31. v. 13.

Esai. 1. v. 18.

Eccle. 32. v. 1.

1. Reg. 12. v. 3.

Excludatur ergò ab Ecclesiastica disciplina perniciosæ consuetudinis regula, tollatur hæc subterfugij versuta calliditas; vt is, qui tam peruersis audacis superbię allegationibus vtitur, immunitatem commissi piaculi non lucretur. Iustis ergò querelis liber pateat aditus, liceat apud primatem Ecclesiam conqueri, quæ se à suo Pontifice viderit prægrauari, ne de sublimis prærogatiuæ singularitate superbiat, qui se per arrogantiæ fastum fratribus non coæquat. Et qui censoriam super alios concutit virgam, ipse quoque super se vigoris Ecclesiastici sentiat disciplinã. Quique non humanum sonat, sed super alios quasi fulgur terribiliter intonat, aliquandò se hominẽ recognoscẽs, humana verba formare per humilitatẽ discat; quatenus dũ Prælatus quilibet arrogans à tumore elationis deprimitur, subiectis autẽ per auctoritatẽ superioris Ecclesiæ subuenitur, sopitis vndique iurgijs, & synodalis examinis concepta formidine, omnia simul Ecclesiæ membra confœderentur in pace.

EPIST. XIII. Ad eundem Alexandrum II. Romanum Pontificem.

ARGVMENTVM.

Ioannes, & Tudetchinus; ille Venetus, hic barbarus natione, vterque apud Gothefredum Ducem sacerdotis munere fungentes, ausi aliquando fuerant pertinaciter asserere, præsente B. Petro Dam. eos, qui à Regibus, aut Principibus Episcopatus mercarentur, in simoniacæ hæresis crimen non incidere, quoniam sci-

licet per illam coëmptionem Ecclesiæ tantummodò bonorum, & prædiorum possessionem nanciscerentur: per manuum vero impositionem, quæ à sacerdotibus fiebat, integrum ius Episcopatus acquirerent. Hanc istorum non minus impiam, quàm ineptam, & ridiculam opinionem postquàm præclarè redarguit, orat Alexandrum Pont. Max. vt priusquàm in hominum animis latius serpat, sacrosanctæ potestatis imperio opprimere, & exterminare contendat. Hoc etiam eidem vehementer commendat, ne quem pecunia, aut aulici obsequij ministerio ad Episcopatum perduci, aut perductum in eo permanere patiatur.

Domno Alexandro summæ Sedis Antistiti, Petrus peccator Monachus seruitutem.

SIcut ad patremfamilias quælibet domesticæ facultatis iactura refertur, sic etiam dignum est, vt summo Pontifici patientis Ecclesiæ læsio nuncietur. Vt sicut ab illo, prout vires suppetunt, ingruentibus domus suæ malis occurritur; ita nihilominus & ab isto nutantis fidei fundamétum, vel etiam ordo religionis, qui confundi cœperat, instauretur. Noua, proh dolor! nostro tempore hæresis orta est, cui nisi quantocyus auctoritatis vestræ se vigor obiiciat, timendum est, ne ad religionis Christianæ perniciem, animarumque periculum, velut cancer feraliter serpat. Nonnulli planè Clericorum vitam per exterioris habitus speciem mentiétes, prorsus * adeò frigidi, ambitionis Ecclesiasticę facibus inflámati, hoc pertinaciter dogmatizant: Non ad simoniacam hæresim pertinere, si quis Episcopatus à Rege, vel quolibet mundi Principe per interuentú coëmptionis acquirat, si tantummodo consecrationem gratis accipiat. Vnde cú nuper in excellentiss. Ducis Gothfredi versaremur alloquio, duo quidam ex capellanis eius, vnus vt erat barbarus, barbarico nomine Tudetchinus; alter verò natione Venetus, Ioannes vocabatur. Hi nimirum táquam Hymenæus, & Philetus in prædicatione Pauli; vel certè tamquá Iamnes, & Mambres tempore Moysi, resistentes veritati, hanc non cessabant disseminare doctrinam, hanc Catholicá, atque Canonicam fatebantur esse sententiam: videlicet vt iure simoniacus non dicatur quisquis absque manus impositione Episcopatum comparasse conuincitur. Dicebant enim, quia cum hoc fit, non distrahitur Ecclesia, sed facultas: nec emitur sacerdotium, sed possessio prædiorum. Sub hac enim præstatione pecuniæ, opes tantum, non honoris, vel Ecclesiæ redimitur Sacramentum. Vænalia siquidem sunt, sicut aiunt, vnde sint diuites: gratis accipiunt, vnde fieri debeant sacerdotes.

*Deo.

Ridicula hæresis.

Gothfredus Dux Tusciæ.

2. Tim. 2. v. 17
2. Tim. 3. v. 8.
Exod. 7. v. 11.

O nouum Schismaticorum genus, & os sacrilegum æterni silentij cęsura damnandum! In vna siquidem hominis persona duos esse constituunt: vt vnus sit Sacerdos sub peccato vænundatus, alter autem diues sub taxatione pecuniæ comparatus. Ipse velut alter Sardanapalus inter delicias eructet conuiuantium; ille tamquam Apostolus in regimi-

ne præsideat animatū. Hoc ergò modo qui cōparat agrū, puluerē terræ tantū, non segetū dicendus est cōparasse prouentum. Plagiarius etiā, qui distrahit hominem, nō animam iudicandus est vendidisse, sed carnem. Immò cum legamus, quia corpus hominis quadragesimosexto die post maternæ conceptionis initium, plena formetur distinctione membrorum, atque mox diuinitus animetur; quoniā non anima, sed caro dumtaxat ex paterno semine prodiit; ergò pater carnem tantummodò dicendus est genuisse, non prolem, quæ ex anima constat, & corpore. Quod cum penitus absurdum sit, & meritò pater ille dicatur, ex cuius femore sola caro sit egressa, non anima: sic ille proculdubiò dicēdus est mercator Ecclesiæ, qui per terrena, quæ redemit, ad honoris culmen ascendit; & per corporalis commercium lucri, emptor efficitur nihilominus Sacramenti. Dic itaq; quisquis es, qui te iactas terrenæ tantūmodò facultatis emptorē, per quā tamen aspiras ad Episcopalis excellētiæ cōscendere dignitatem; & dum te dicis à Principe terrena dumtaxat Ecclesiæ commoda percepisse, asseris te quodammodo villicum, nō vt sacerdotali fungaris officio, constitutum. Dic, inquam, cuius erat figuræ, quā sanè habebat speciem inuestitura hæc, quam in manibus tuis Princeps ille deposuit? Porrò si surculus, si simplex baculus, meritò tibi lætus applaude; quia sicut asseris, non ad sacerdotis officium, sed ad procuratoris initiatus es villicatum; atque ideò necesse iam non est, vt Episcopo, qui tibi præferendus est, sis subiectus. At si sæcularis ille Princeps accepta, vel promissa pecunia, pastoralem tibi tradidit baculum, qua fronte poteris Episcopalis ordinis excusare commercium? Enimuerò nisi per hanc inuestituram ille secuturi sacerdotij tibi prius imprimeret titulum, futurus ordinator nequaquam per manus impositionem sacerdotij tibi traderet sacramentum. Per hoc enim, quod vænaliter accepisti, consequenter ad sacerdotium promoueris: atque ideò licet illa manus impositio non vænalis sit, sed gratuita, nequaquam tamen, quantum ad te spectat, à vænalitatis est sordibus aliena. Vænalitas enim si sibi nota est, contaminat consecrantem, gratuita cōsecratio mundare non valet emptorem. Obscœnitas immundi fœda commercij sordidat mūdum, gratuita manus impositio non potest emaculare pollutum.

Mendacij forsitan arguor, si quod loquor, sacri eloquij testimonio non affirmo. Per Aggæū namque prophetā dicitur: Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Interroga sacerdotes legem, dicens: Si tulerit homo carnem sanctificatam in orā vestimenti sui, & tetigerit de summitate eius panem, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibū, numquid sanctificabitur? Respondentes autem sacerdotes, dixerunt: Non. Et dixit Aggæus: Si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his, numquid contaminabitur? Et respondentes sacerdotes dixerūt: Contaminabitur. Et respondit Aggæus, & dixit: Sic populus iste, & sic gens ista ante faciem meam, dicit Dominus, & sic omne opus manuum eorum, & omnia, quæ obtulerunt ibi, contaminata erunt. In his ergo pro

Aggæi 2. v. 12. 13 14. 15.

pheticis, immò diuinis verbis euidenter ostenditur, quoniam emptor iste videlicet, qui est pollutus in animâ, suscepti polluit ordinis dignitatem. Dignitas verò licet per manus impositionem gratuitò sit accepta, nequaquàm tamen mundat emptorem.

Adhuc autem ad inuestituram redeo, & a te, qui non Ecclesiam, sed Ecclesiæ prædia te comparasse gloriaris, inquiro. Sanè cum baculum ille tuis manibus tradidit, dixit-ne: accipe terras, atque diuitias illius Ecclesiæ: an potius, quod certum est, accipe Ecclesiam? Quod si bona Ecclesiæ sine Ecclesiâ suscepisti, schismaticus es, atque sacrilegus; qui bona Ecclesiæ ab Ecclesia diuidis; & quod alienum est, violenter in tui vsus iura conuertis. Quod si Ecclesiam suscepisti, quod omninò negare non potes, proculdubiò factus es simoniacus: & prius te vænalitas fecit hæreticum, quàm manus impositio redderet consecratum. Tunc enim cōsecrationem euidentissimè coëmisti, cum id, propter quod ad consecrationem promouendus eras, vænaliter accepisti. Sic enim vnum pende ex altero, vt qui terrena Ecclesiæ bona suscipit, ad gratiam consecrationis aspiret: & qui consecratione perficitur, bona Ecclesiæ in vsus egentium, & cętera pietatis opera dispensanda conseruet. Hoc itaque modo licet Eclesiasticæ facultatis mentio in ipsa manus impositione non fiat, is tamen, qui consecratur, bonorum Ecclesiæ dispensator efficitur; & cum Ecclesiam suscipit, quamuis nil tunc de consecratione dicatur, ad hoc tamen, vt consecretur, eligitur.

Act. 4. v. 34. Ab ipso planè principio nascentis Ecclesiæ salubris hæc cœpit consuetudo fidelium, vt sua quæque vendentes, ad pedes Apostolorum, Apostolicorumque virorum pecunias ponerent, quibus illi necessitatibus pauperum subsidia ministrarent. Post autem visum est sanctis Patribus, qui scilicet illis in sacri regiminis ordine successerunt, vt ij, qui conuerterentur ad Dominum, nequaquam distraherent prædia, sed ea sanctis Ecclesijs traderent, non iam transitoriè, sed iure perpetuo necessitatibus indigentium profutura. Et certè per Moysen in lege præcipitur: *Levit. 27. v. 28.* Omne, inquit, quod Domino consecratur, siue homo, siue ager, nō vendetur, nec redimi poterit. Quidquid semel fuerit consecratum, Sanctum Sanctorum erit Domino. Ecce hîc manifestissimè prohibetur, ea, quæ Domino consecrantur, vel vendi debere, vel redimi; sed iustum est ea Sancta Sanctorum iugiter permanere. Cur ergo gloriaris Sancta Sanctorum te pretio redemisse, & rem Dei contra legem Dei, quæ gratis accipenda, gratis danda est, vænaliter percepisse? Tanquam non sit peccatum, quia sine consecratione fit tale commercium? Sed iccircò fortasse non times, quia lex illa vetus prohibet quidem culpam, sed nō irrogat pœnam. Accipe igitur, quid super hoc Romanæ pręsul Ecclesiæ *Matt. 10. v. 8.* Bonifacius in Decretali scribat epistola: Nulli, inquit, liceat ignorare, quia omne, quod Domino consecratur, siue fuerit homo, siue animal, *Bonifacij Papæ Decretum.* siue ager, vel quidquid semel fuerit consecratum, Sanctum Sanctorū erit Domino, & ad ius pertinet sacerdotum. Propter quod, quia inex-

cuſabilis erit omnis, qui a Domino, & Eccleſia, cui competunt, aufert, vaſtat, inuadit, vel eripit; vſque ad emendationem, Eccleſiæque ſatisfactionem, vt ſacrilegus dijudicetur, & ſi emendare noluerit, excommunicetur. Anacletus autem Papa longe ante inter alia multa ſubinfert: qui enim res Eccleſiæ abſtulerit, ſacrilegium facit, & ſacrilegus deputandus eſt. **Anacleti.**

Papa quoque Lucius in Decreto ſuo ſic ait: Rerum Eccleſiaſticarum, & facultatum raptores a liminibus ſanctæ Eccleſiæ anathematizantes, Apoſtolica auctoritate pellimus, & damnamus, atque ſacrilegos eſſe iudicamus. Poſſemus & alia quamplurima Catholicorum Patrum exempla congerere, niſi perſpicuè cognoſceremus nequaquam hoc epiſtolari compendio conuenire. **Lucij.**

His itaque ſanctorum Pontificum, alijsque ſententijs manifeſtè conuinceris, quoniam aut Eccleſiæ bona ſine Eccleſia ſuſcepiſti, & iccircò tamquam raptor, atque ſacrilegus anathematizari, & ab Eccleſiæ liminibus debes expelli: aut certè, quod perſpicuum eſt, & negare non potes, Eccleſiam ſimul cum bonis Eccleſiæ pretio redemiſti, deóque dignum eſt te, vt reuerà ſimoniacum, & hæreticum Canonici vigoris examine condemnari. Canonica nimirum ſententia eſt illa, qua dicitur: Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Abbas per pecuniam hanc obtinuerit dignitatem, deijciantur ipſe, & ordinator eius, & a communione ſancta modis omnibus abſcindatur; & ſit anathema, ſicut Simon magus a Petro. *Act. 8. v. 20.*

Vbi notandum, quod non ait: Si quis hanc obtinuerit conſecrationẽ, ſiue manus impoſitionem; ſed potius, ſi quis, inquit, per pecuniã hanc obtinuerit dignitatem. Canonicum & illud aſſeritur, quod promulgatum a ſanctis Patribus in Concilio reperitur: Cauendum, & ſummopere præcauendum, ac per virtutem Chriſti ſanguinis interdicendum Epiſcopis, & Regibus, & omnibus ſublimioribus poteſtatibus, atque cunctis fautoribus, & electoribus quorumcumque, atque conſenſoribus, ſeu ordinatoribus in gradu Eccleſiaſtico; vt nemo per ſimoniacam hæreſim regiminis locum obtineat, quacumque factione, calliditate, promiſſione, ſeu commoditate, aut donatione per ſe, aut per emiſſam perſonam.

Hic quoque notandum, quod cum præmiſiſſet, Epiſcopis, illicò ſubdidit, Regibus, & omnibus ſublimioribus poteſtatibus; vt non modò cauenda ſit hæreſis illa, ſolis dumtaxat Epiſcopis, qui conſecrandis manus imponunt; ſed & ſæcularibus quoque Principibus, qui licet iniuſtè, aliquo modo tamen Eccleſias futuris Rectoribus tradunt. Nam cum aliquid ſub vænalitate ſuſcipitur, & illud proculdubiò comparatur, quod ex neceſſitate ſubſequitur. Ad hoc enim paſtoralis Eccleſia cuique committitur, vt ad eius regimen obtinendum conſecratione firmetur; & ad hoc ſine dubio collatæ pecuniæ commercium ſpectat, ad quod is, qui eſt promouendus, aſpirat. Hinc eſt plenè, quod non ſo- **Simoniæ hæreſis, attingit etiam Principes, & ſæculares, non tantũ clericos.**

Simonia etiã in minimis beneficijs Ecclesiasticis cõmittitur.

lum qui maioribus præferuntur Ecclesiis; sed & illis quoque qui vel Plebes agrorum, vel Canonicales præbendas per interuentum pecuniæ pestilenter accipiunt, simoniacæ hæreseos tendiculas non euadunt. Per id enim, quod vænaliter assequuntur, ad sacrorum graduum ordines tendunt; & tunc iam destinantur ad ordines, cum illa suscipiunt per quæ scilicet ad obtinenda sacrorum graduum incrementa pertingunt. Initiatur enim ad dignitatis ordinem, qui ad obtinendam ordinis constituitur dignitatem.

Hæc me breuiter aduersus eos dictasse sufficiat, qui sine manus impositione vænaliter ecclesiam acquisijsse, non esse simoniacum, dogmatizant. Qui nimirum si hoc simpliciter, prout sibi videretur, exprimerent, stulti, vel hebetes meritò dicerentur; sed quoniam nonnulli talium id procaciter astruunt, & quibusdam cauillationum, argumentorumque versutijs peruicaciter allegare contendunt, non immerito, quod inuiti dicimus, hæreticorum nomen incurrunt. Non enim error hæreticum, sed peruicax obstinatio facit. Nec omnes hæretici dicendi sunt, qui opinantur errorem: sed qui pertinaciter, & audacter prædicant falsitatem.

Hæreticus quid sit.

His itaque prædicatoribus satanæ, & apostolis Antichristi, tu, venerabilis Pater, cælestis eloquij gladio præcinctus occurre: & tamquam alter Iosue, Amalechitas oppugnantes Israël, euaginato canonici vigoris mucrone, prosterne. Tollatur è medio quantocyus tartareæ amaritudinis aconitum, ne, quod absit, ferale venenum faucibus influat paruulorum. Tuis prætereà manibus talis aromatici pigmenti quibusque languentibus propinetur antidotus, qui & venenati erroris tollat illuuiem, & sanæ, atque sinceræ fidei restituat puritatem. Vnum in calce huius epistolæ sacris clementiæ vestræ auribus suggero; vt in quantum facultas suppetit, numquam vel fieri, vel esse permittat episcopum, quem ad honoris culmen constiterit ascendisse per præmium: vel etiam, quod damnabilius est, per curialis obsequij famulatum. Absit enim vt qui prælationis ambitu sæcularem coluit principem, spiritalem ecclesiastici culminis obtineat dignitatem.

Exod. 17. v. 10.

EPIST. XIIII. *Ad eundem Alexandrum II. Romanum Pontificem.*

ARGVMENTVM.

Iniuria quadam affectus ab Alexandro summo Pontifice, & Ecclesia Eugubina, cui ipse præerat, magnopere perturbata, leniter potius, quàm acerbè expostulat exprobrans ei sua merita, & labores pro Sede Apostolica exantlatos, quibus imparem gratiam relatam conqueritur. Postulat ergò, vt sibi aliquo modo satisfiat, ne suam indignationem, & iustum dolorem, quem hactenus occultauerat,

cogatur

cogatur alijs palam facere. Deprecatur quoque pro Rauennatum Episcopo, vt ab anathematis vinculis soluatur, ne propter vnius culpam, vniuersa ciuitas periclitetur. Plura se ad eum mandata dedisse scribit homini, qui has literas laturus erat.

Domno Alexandro summæ Sedis Antistiti, Petrus peccator Monachus seruitutem.

QVod Eugubina Ecclesia, quæ mihi dudum a vestris decessoribus est cõmissa, nunc proh dolor! est omnino confusa, & velut area, quæ pedibus conculcatur, abiecta, peccatis meis id exigentibus deputo, non vitio, quod absit, vestræ † paruitatis adscribo. Multitudo quippe meorum scelerum exigit, vt is etiam proprijs manibus meo pectori vulnus infligat, pro quo non eneruiter stans aduersus totum mundum certamen assumpsi: meque gladijs, ac sagittis totius ferè humani generis durus, & inserabilis colluctator obieci. Hoccine mihi, venerabilis Pater, meritum reddidisti, quod causæ tuæ perorator in sanctorum Pontificum Concilijs toties extiti: quod in legationis tuæ curis, atque negotijs, frequenter in sęcularium, laicorumque conuentu quasi quidam causidicus declamaui? Hæccine, inquam, mihi munera redhibentur, quod in hostes tuos violenter inuectus, eos mordacissimè loquendo, & scribendo destruxi, teque per multimodæ scriptionis articulos extuli, tuamque memoriã, & egregiæ laudis † quantum in me fuit, etiam apud posteros propagaui? Quid itaque fecerim, quidve pertulerim, examinis vestri censura discutiat, ne coactus digna querela compellar effluere, quod adhuc silentio supprimens, vix possum vlterius occultare. Hoc enim nedum Roma me referentem, vel scribentem cognouit, nec dum alijs per me res ista, quæ Sanctitatis vestrę famam laceraret, innotuit. Agat ergo qui læsit, sicut dignum est, pœnitentiam: vt is, qui læsus est, non compellatur dignam exaggerare querelam. Mitiget olei suauitas aceti mordentis acrorem, & tumefactis asperrima verberatione vibicibus mitis, ac blandus beneficiorum liquor influat lenitatem; alioquin necesse iam erit, tot ictuum verbera perferenti, vt ipse quoque. Sed iam frænum libertati, procacitate lingua repressa, adhibeo, labiis digitum superpono, & qui miseriam passus sum, misericordiam versa vice deposco.

† paternitatis f.

† præconia add. f.

Aposiopesis.

Præterea de infælicissimo Rauennate Episcopo clementiam vestræ Sãctitatis imploro, atq; vt eũ, sicut olim decreuistis, soluere dignemini, suppliciter obsecro. Indignum quippe est, vt propter vnius homuncionis offensam, tam innumerabilis multitudo hominum depereat; & tantum Christi laborem, pro quo pretiosum sanguinem fudit, ac tot innocentum animas miserandæ vnius personæ culpa subuertat.

Deprecatio pro Rauennate Antistite.

Nolumus autem sanctos oculos vestros onerare pluribus litteris, sed

omnia; quæ dicenda sunt committimus experientiæ portitoris. Hunc igitur sancta clementia vestra, quasi me loquentem diligenter intendat, sicque duabus petitionibus nostris, quas hic transcursim, cleriterque perstrinximus annuat; vt & nos nuncios, ac vehicula misisse per tot terrarum spacia non pœniteat, & mens nostra, quæ circa vos, non dicam tepescere, sed potius frigescere cœperat, in antiquæ dilectionis vestræ desiderium recalescat.

EPIST. XV. Ad eundem Alexandrum II. Romanum Pontificem.

ARGVMENTVM.

Respondet Pontifici Maximo, qui eum rogauerat per litteras, ne tanto contemplationis studio teneretur, vt ad se scribere obliuisceretur, sed adeò curis, & negotijs profanis impediri, vt contemplandi tempus non habeat; præterea se non posse tranquillo, & securo animo rebus diuinis operam dare in ijs locis, vbi latrocinijs, rapinis, & direptionibus omnia infesta sint. Hac occasione digreditur ad denumeranda scelera, & flagitia, quæ ab hominibus illius tempestatis assiduè committebantur. Erant sane calamitosa ea tempora, quibus armis, & audaciæ omnia licebant, legibus verò nullus, aut exiguus locus erat. Hæc iccircò recenset B. Petrus Damianus, vt Pontifex ea, prout tempus, locusque postularent, tollere & coërcere conaretur. Inter hæc mala non mediocri, ait, se voluptate perfusum, quod certior factus esset comitatus Ostiensis curam à se sublatam, & alij demandatam esse. Rogat quin etiam, vt Episcopatus quoque onus à se remoueatur. Subdit postremò nonnullos versiculos, qui Pontifici loco oraculi esse possunt.

Domno Alexandro summæ Sedis Antistiti, Petrus peccator Monachus seruitutem.

REdditas mihi Sanctitatis vestræ litteras, discolo quodam deferente Presbytero, lætus arripui, osculatus explicui, celeri sub auiditate perlegi. Sed cùm tantùm auctoritatis vestræ sit pondus, vt satis sit etiam si sub paucis apicibus cuiquam vestræ sanctionis dirigatur indiculus; illic tot sunt eloquentiæ flores, tot non dicam herilis, sed paternæ potius gratiæ suauitates; vt, quod pauperculo missum est homini, regiæ sufficeret dignitati. Veruntamen duo illic inserta reperi, quæ me, fateor, erubescere compulerunt. Dixistis enim, & si non his verbis, quia propter contemplationis studium, cui vigilanter inhæreo, non deberem prorsus omittere, quin vos aliquando dictaminibus visitarem. Ego siquidem quantum ad te, venerabilis Pater, qui de pon-

deris Episcopalis abiectu mecum vnanimiter concordasti, contemplandi quidem, atque dictandi perfruor otio, sed molestiis aduentantium, causarumque negotijs ingruentibus non respiro. Porrò autem, dum intra cellulæ me septa concludo, velut in portus sinu, vel in littorea statione consisto. Sed quid prodest? Nam dum illic iam quasi securus quiescentis otij potiri tranquillitate desidero, ecce sæuientis mundi me flabra concutiunt, causarum inundantium fluctus feruentius intumescunt; illatis iniuriarum procellis illidor, violenta prædiorum, vel quorumcumque prouentuum diminutione perturbor, dicés cum Propheta: Expectauimus pacem, & non est bonum; tempus curationis, & ecce turbatio. Intereà non desunt, qui de animarum quoque suarum exigant salute consilium; & insuper, quod durius est, à non Pontifice pontificale nituntur extorquere iudicium. Et hoc modo, qui Episcopatum fugio, Episcopum non euado, & sub sacerdotali fatigor onere, qui sacerdotalis solij dethronizatus sum dignitate. His itaque vallatus angustiis nitor, moxque collabor; tento, sed præstò deficio; contemplationis summa non penetro, in compunctionis lacrymas non erumpo. Mens enim terrenis obtenebrata negotiis, frustrà se in contemplationis culmen attollere nititur, dum actionum sæcularium merito, quasi congestis lapidum ruderibus aggrauatur. Sicut enim aluta calcei postquam per limosa luti fluenta transierit, non admittit aruinam; sic mens humana, nisi ab humore fuerit curæ sæcularis exuta, non percipit supernæ pinguedinis gratiam. Pellis enim sicca pinguedinem combibit, humefacta repellit. Et humanum cor, donec curarum sæcularium madore turgescit, saginas internæ gratiæ non admittit. Vnde & lex in monte Horeb data legitur, quod videlicet siccitas interpretatur. Illa denique mens, quæ per amorem spiritus à terrenis in alta sustollitur, mons est, in quo lex Domini irreprehensibilis, quæ proculdubiò charitas est, diuinitùs promulgatur. Et hic mons veraciter est Horeb, qui siccitas dicitur; in quo videlicet omnium vitiorum humor excoquitur, & ad radios Solis iustitiæ cunctum libidinis, atque carnalis illecebræ rheuma siccatur. Hinc est quod vasa templi argillosa terra, quæ videlicet aquam sitienter imbibit, Hiram ad Salomonis imperium fabricauit. Ex quibus nimirum vasis, & illud est, quod imbre cælesti concupiscit impleri, cum dicit: Anima sicut terra sine aqua tibi; atque ideo æstuans clamat: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? De his igitur vasis tertio, Regum libro dicitur: Quia in campestri regione Iordanis fudit ea Rex in argillosa terra inter Sochot, & Sarthan. Sochot enim tabernacula vertitur; Sarthan vero interpretatur tribulatio eorum, siue demolitorum, aut coangustantium. Quid itaque per Sochot, quod interpretati tabernacula diximus, nisi sanctos viros accepimus, qui videlicet dicunt: Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus? Vnde & Petrus, Certus sum, inquit, quod velox est depositio

Inquietudo B. Petri Dam.

Hieron. 8. v. 15

Negotia terrena impediunt cõtemplationem.

Exod. 20. v. 1.

Lex Domini charitas est.

Psal. 18. v. 8.

3. Reg. 7. v. 46.

Psal. 142. v. 6.

Psal. 41. v. 3.

3. Reg. 7. v. 46.

Hebr. vlt. v. 14

2. Pet. 1. v. 14.

Quid per Sochot, & Sarthan, ac terrā argillosam figuetur.

tabernaculi mei. Quid verò per Sarthan, quæ tribulatio eorum dicitur, nisi reproborum tribulantium nos persecutio designatur? Ij nimirum & demolitores, & conaguſtantes ſunt, quia dum demoliri, atque destruere fidei noſtrę, vel boni operis ędificium tentant, duris iniuriarum, ac preſſurarum nos calamitatibus coanguſtant. Vaſa ergò templi, ideſt, omnes electi funduntur in campeſtri Regione Iordanis, ideſt, in humilitate baptiſmi, inter Sochot, & Sarthan, id eſt, inter iuſtos, atque peruerſos. Vt & bonorum forma proponatur illis ad imitandum rectæ conuerſationis exemplum, & prauorum perſecutio ad cumulum illis proficiat meritorum. Vaſa ſiquidem figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis. In arida ergò terra templi vaſa funduntur, quia mens hominis ad ſuſcipiendum ſupernæ gratiæ munus non eſt congrua, niſi prius ab omni carnalis illecebræ fuerit, humore ſiccata. Sicca quippe chorda clarum harmoniæ ſonitum, humida reddit obtuſum. Tympanum quoque ſurdum ſonat, ſi quilibet eum liquor humectat. Sic neceſſe eſt, vt mens hominis à carnis voluptate ſit arida, quatenus in Dei omnipotentis auribus eius oratio ſit arguta. Enimuerò, ſicut oculus dúm ſolis ſe radijs obijcit, videre fruſtrà contendit, & cauos quidem orbes, ac vacuas pupillis palpebras pandere nititur, ſed ſplendorē, quo perfunditur, nullatenus intuetur; ſic ad conſpiciendam contemplationis lucem ſeſe inaniter erigit, qui per ſæcularis vitæ meritum aciē cordis amiſit. Nam ſi quilibet ignotus cubiculum Regis irrumpat, eique præſens tamquam familiaris aſſiſtat, Regis tamen alloquio nō perfruitur; quia charus ei per anterioris notitiæ gratiam nō habetur. Ità nos infælices, & miſeri, quod quidem de mei ſimilibus loquor, ſæpe ſoli in anguſtæ cellulæ remotione conſiſtimus, ſolis diuinæ maieſtatis obtutibus trementes aſtamus; peccatis tamen obſtantibus, vel intimi ſplendoris igniculum, vel compunctionis gratiam non meremur. Sic itaque velut ante Regis videmur aſtare præſentiam; ſed quia per vitæ rectitudinem ſibi noti non ſumus, collocutionis internæ dulcedinem nō guſtamus. Sed ô dulcedo melliflua, cum dominus in ſeruo, & ſeruus delectatur in domino! Vnde Pſalmiſta, Suauis ſit, inquit, ei laudatio mea, ego verò delectabor in Domino. Mihi autem miſero velle quidem adiacet, perficere autem nō inuenio. Non enim inuenio in carne mea bonum. Et hæc quidem deſidero, ad hæc toto corde ſuſpiro, ſed ad hæc conſequenda meritis prohibentibus, non aſſurgo. Quem videlicet, & reprehenſibilis vitæ reatus impediunt, & exteriora negotia fulgorem lucis intimæ conſpicere non permittunt. Et hæc eadem terrena turbatio, quæ videlicet à contemplationis intuitu mentis obruit aciem, ſcribendi quoque mihi nihilominus adimit facultatem. Huc accedit, quoniam licet ego dictare fortè quid valeam, deeſt Antiquarius, qui tranſcribat. Sed cur ego negatæ tranſcriptionis queror iniuriam, cum non modo quiſpiam, quæ ſcribo, transferre, ſed ne celeri quidem vacet lectione percurrere? Eccleſiarum planè quoque

Eccli. 27. v. 6.

Quo pacto quis diuinam ſibi gratiam acquiret.

Dulcedo contemplationis.

Pſal 103. v. 34.

Rom. 7. v. 18.

rectores quibus potissimum huius rei cura debuisset incumbere, tanto mundanæ vertiginis quotidie rotantur impulsu, vt eos a sæcularibus barbirasium quidem diuidat, sed actio non discernat, nec sacratum meditantur eloquia Scripturarum, sed sita legum, & forense litigium. Multitudini sacerdotum non sufficiunt tribunalia iudicum, & aulæ regiæ dum clericorum, ac monachorum euomunt turbas, breuitatis suæ conqueruntur angustias. Claustra vacant, Euangelium clauditur, & per ora Ecclesiastici ordinis forensia iura decurrunt. Sed vtinam legalis edicti dumtaxat essemus lite contenti. Arma potius, arma corripimus, vibrantia telis tela conserimus; & non verbo, sed ferro contra nostri ordinis regulam dimicamus. Quibus nimirum dicit Apostolus: Quia gladius Spiritus est verbum Dei; & reuera tam immanis pressuræ calamitas incumbit Ecclesijs, vt tanquam Babylonicæ legionis acies circumfusa, & Hierusalem cum ciuibus suis videatur obsessa. Sæculares enim quilibet Ecclesiastica iura corradunt, salaria subtrahunt, possessiones inuadunt, & sic stipendia pauperum, velut hostium se reportare manubias gloriantur. Ipsi quoque sęculares nihilominus inter se proprij iuris bona diripiunt, alter alteri supergredientes impingunt; & in communi mundo conclusi, quia soli esse nequeũt, mutuâ se peruasione collidunt. Mox arundineas rusticorum tegetes aggrediuntur exurere, & fel atrocissimi liuoris, quod suis vtique nequeunt inimicis inuomere, imbellibus non erubescunt rusticis propinare. Et tunc fit ad litteram, quod canitur per Prophetam: Dum superbit impius, incenditur pauper. In quo nimirum nobilior est serpentina virulentia, quàm humana crudelitas. Serpens enim fugit hominem nudum, aggreditur eum morsibus, quem cernit indutum. Et fortis, ac ingenuus quisque bellator vitat inermem, impetit aduersum se tela vibrantem. Accipiter etiam vbi nidificat, in amplo quodam circuitu nullam dignatur exercere rapinam; vt quæ facilia sunt, & in promptu nobiliter transeat: in quibus verò maior victoriæ labor est, longinqua perquirat. Isti vero aduersus inermes arma corripiunt; & dum fluant hostes, vapulant innocentes. Porrò autem dum hic prior lædit, protinus alter insurgit; & non oculum pro oculo, iuxta legem, sed refert cum fœnore lęsionem. Talio quippe, quæ Tulliana lege decernitur, nostris temporibus ignoratur, & disciplina vindictæ, quæ sub Gentili dudum seruabatur imperio, nunc Euangelio veniam terribiliter intonante, nescitur. Ideóque pro virgâ tauream, pro scuticâ clauam, pro verbo ferrum, pro vecte redhibent gladium. Erubescant non excedentem iniuriæ vicem, dedignantur illati discriminis æquitatem. Videri victores, atque terribiles ambiunt, triumphalis glorię titulos concupiscunt. Sic itaque, dum vnus irascitur, alter ad insaniam prouocatur; & rabies rabiem generat, ac furorem furor inflammat. Sic & hoc experimento dignoscitur, quia si rabidus canis hominem fortè momorderit, tanta vi rabies eius in viscera protinus humana transfunditur, vt mox ipso vrinæ conceptaculo catuli generentur.

Clericorum, & Episcoporũ illius temporis scandala.

Ephes. 6. v. 17.

Ecclesiæ calamitas.

Psal. 9. v. 2.

Serpentis natura.

Accipitris.

Exod. 21. v. 24.

Canis rabidi.

Quod nimirùm hoc euidenti comprobatur indicio, quia si is, qui canino morsu correptus est, Cantalenas, quod muscatum genus est, in aqua tritos ebiberit, mox cum vrinâ simul non sine magni doloris gemitu catulos fundit. Et certè non contemnendo res digna spectaculo, qualiter ex sicco dentium osse soboles gignitur, in quo videlicet humor seminis non habetur; & quod per genitale membrum facilè natura non poterat, per traducem dentium similem in diuerso genere speciem format. Et fortè non sine mysterio fit, vt per hoc animal, quod Cantalena dicitur, virus, quod ex caninâ rabie conceptum est, egeratur. Incantator enim, prædicator in diuino perhibetur eloquio, vnde & in Psalmo dicitur: Sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non exaudit voces incantantium, & venefícia, quę incantantur a sapiente. Et de prędicatore intrinsecus sauciato alibi legitur: Quis medebitur incantatori a serpente percusso? Et in Prouerbijs: Sicut acetum in nitro; ita qui cantat carmina cordi peruerso. Sicut ergò per Cantalenas rabidi furoris virus egeritur; ita per exhortationem sancti prædicatoris concepti huoris iracundia mitigatur.

Quid intelligatur per incantatorem in sacris literis.
Psal.57.v.6.
Eccli. 12.v.13.
Prou.25.v.20.

Vt igitur ad ea, quę cæpit sermo, recurrat. His, & huiusmodi mundus furijs inflammatus, & compugnantibus vndique membris alterutrâ concertatione diuulsus, nos etiam, a quibus libello repudij donatus est, concutit, & a dictaminis, vel intimæ contemplationis intuitu mentis acumen obtundit. Adde, quod etiam si sit fortè, qui scribat, sicut iam diximus, deest omninò qui transferat; deest postremò qui celeri saltem lectione percurrat.

Allegoria de consumatione mundi.

Enimuerò cum furentibus ventis tempestas oboritur, & procellarum turbo fluctiuagus in cumulos eleuatur; tunc mare in ipsa sui pelagi profunditate mitius æstuat; circa littus autem tantò se feruentius erigit, vt naues quoque, si appulerint, frangat. Vnde fit, vt remiges tunc littoribus loca contingua tamquam Syrtium discrimen aufugiant, & quietioris tunc pelagi profunda conscendant. Sic nimirum, cum iam huius sæculi terminus appropinquat, quasi circa littus suum mundanus feruor ebullit, seséque in perturbationis, atque superbiæ cumulos erigit. Et qui in præteritis sæculis, velut in pelagi profunditate quodammodò tranquillus extiterat, nunc circà finis sui littus pestilenter exæstuat, vt applicantes quoque discrimen naufragij iure euadant. Et hæc quassatio, ac perturbatio de luxuriâ nascitur: & quod naturæ contrarium est, de voluptate afflictio generatur. Vnde & Salomon, Hanc, inquit, occupationem pessimam dedit Deus filijs hominum, vt occuparentur in eâ. Vidi quæ fiunt, cuncta sub Sole, & ecce vniuersa vanitas, & afflictio spiritus. Omnes enim dum anhelant ea, in quibus delectantur, acquirere, & necessariò compelluntur afflictione spiritus laborare; & dum in eo, quod iste quærit, alter obijcitur, ad id, quod oblectat, non sine laboris tædio peruenitur. Hinc rursus ait: Cumque me conuertissem ad vniuersa opera, quæ fecerunt manus meæ; & ad labores, in quibus frustrà

Origo perturbationum.
Eccl.1.v.13.14
Eccl.2.v.11.

sudaueram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi. Quæ tamen afflictio duras, ac reprobas mentes & ipsa delectat, dum non modò delitiarum suauitate, sed & laboris oblectantur acredine. Hinc est, quod Israëlitæ stimulo gulæ prurientes illecti, non modo sibi deesse carnium ollas, pisciumq. delitias; sed & porros, ac cepas conqueruntur, & allia. Quæ nimirum species dum vi naturalis acredinis mordent faucium gustum, lacrymas prouocant oculorum. An non ceparum, & alliorum esuriunt acrimoniam, qui videlicet esculentiora domestici apparatus edulia deserunt; qui iuris adiposi, quas opipator vltroneus obtulit, delitias paruipendunt? & per horrescentia dumeta, montiumq. prçrupia, feras agrestes venabulis insectantur; cellarijs deprompta fastidiunt, & vaga per aërem missis accipitribus aucupantur? Cum tranquillâ plerumque valeant pace quiescere iucundum deputant, & amœnum equitandi, vel litigandi laboribus insudare. Flaccidum iudicant quietis otium, hebes, ignobile fatentur, & dissolutum. Sic & populus ille dicebat: Anima nostra arida est. Nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi Manna. Alibi quoque murmurantes dicunt: Deest panis, non sunt aquæ. Anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo. Leuissimum quippe deputant cibum, si pondus, atque duritiam contingat deesse laborum. Nam laboribus resoluuntur, otio fatigantur.

Num. 11. v 5.
Ibidem. v 6.
Num. 21. v. 5.

Planè libet diligenter inspicere, quàm breuis pars corporis sit, cui substantia mundi tota non sufficit, quæ cuncta terrenæ facultatis impendia concupiscit. Nam cum cçtera corporis membra quodammodò bruta videantur, & stolida, vix cubitus semis reperitur in corpore, quem rerum omnium vniuersitas nequeat satiare. Ab oculis si quidem vsque ad genitalia regnat omnis humana concupiscentia. Et hoc quidem angusto compendio naturali necessitate concluditur, sed naturalis metæ legibus non tenetur. Nam per exteriora cuncta diffunditur, & quæ de modicâ radice procedit, non modicis, paucisq. contenta, omnibus inhiat: ad omnia, vt eis perfruatur, ac saginetur, anhelat. Oculi si quidem pascuntur pulchritudine rerum, mulcentur aures tinnulis harmoniæ sonitibus, vel lenocinantium assentatione verborum, nares odoramenta concipiunt, fauces epularum saporibus oblectantur, cor cogitationum versat arcanum, lingua profundit eloquium, & quod cor meditatur, oris ad medium interpretatione producitur. Ex abundantia scilicet cordis os loquitur. Iam vero genitalia tantò ardentius ad coitum prouocantur, quantò magis stomachus, vel ciborum copiâ, vel potus ingurgitatione repletur. Edacitas quippe quædã sanguisuga est, cui duæ sunt filiæ, ebrietas scilicet, atque luxuria: de quibus vtique Salomõ, Sãguisugæ, inquit, duæ sunt filiæ, dicentes: affer, affer. Nam quò quisque immoderatius vescitur, eò necesse est, vt ad potũ æstuantius accendatur. Et dũ congesta cibi moles feruescẽte stomachi lebete decoquitur, crebris necesse est, haustibus irrigetur.

Insatiabilitas hominum.
Matth 12. v. 34
Nimij cibi, & potus effectus
Prov 30. v 15.

Sed cum cibis venter, ac potibus intumescat, consequens est, vt alternis vtrinque meatibus, & fæces per podicem in cuniculos egerat, & humorem de genitali conceptaculo per pudenda profundat. Sicut enim in torcularibus vinarium à vino; sic in ilibus stercus separatur a viru. Sanguisugæ ergò, quæ edacitas est, duæ sunt filiæ, ebrietas, & libido: quia dum vna pestis delectabiliter concipit, geminam necessariò sobolem parit. Quæ nimirum dicunt: affer, affer; quia cùm sint insatiabiles, violentæ quoque sunt exactrices. Hæc itaque pars corporis, a pudendis videlicet vsque ad oculos, totum perimit hominem, ac prorsus in eo naturalis excellentiæ subruit dignitatem. Per hæc enim spiramina sensuum infelix humana cõditio, & quod salutis est, effluit: & quod est perditionis, admittit. Hæc omnia breuiter Ioannes cõprehendit Apostolus, cum ait: Omne, quod est in mũdo, concupiscẽtia carnis est, & cõcupiscentia oculorũ, & superbia vitæ. Concupiscentia scilicet carnis ad corporis voluptatẽ, concupiscentia oculorũ ad visibilium rerum pertinet pulchritudinẽ, superbia verò vitæ, terreni honoris, atque fastigij exprimit sublimitatem. Per hæc enim primus homo tentatus agnoscitur, sicut Scriptura testatur, Vidit, inquit, mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum: ecce concupiscentia carnis; deinde sequitur, & pulchrum oculis, aspectuq. delectabile; ecce superbia oculorum. Per oculos enim superbire conuincitur, quisquis in his, quæ Deus prohibet, delectatur. Superbia verò vitæ fuit, cum mulier eadem ex ore serpentis libenter audiuit; Eritis sicut Dij, scientes bonum, & malum.

1. Ioan. 2. v. 16. *Gen. 3. v. 6.* *Ibid. v. 5.*

Execratur vitia, quibus mundus inseruit.

Totus itáque mundus hoc tempore nihil est aliud, nisi gula, auaritia, atque libido. Et sicut olim trifariam diuisus est orbis, vt tribus simul Principibus subiaceret; ità nunc genus humanum, heu, proch dolor! his tribus vitijs seruilia colla substernit, eorumq. quasi totidem tyrannorum legibus obtemperanter obedit. Omnes enim, sicut Scriptura dicit, auaritiæ student, a minimo vsque ad maximum. De gulâ verò quid dicam, cùm opulenti quique nesciant famem, nunquam præstolentur esuriem? Tumentes ventres, nisi citiùs per vtrunique spiramen effolleant, crepitum ilibus reformidant. Et sic in manibus fistulæ consistit incolumitas vitæ. Ora flammantia crapulantur, nec tamen dicẽdi sunt, fastidio prohibente, comedere, sed potius ligurire. Atque ideò dum afflictio carnis a cunctis pœnitentibus pæne respuitur, in præfigendis pœnitudinum iudicijs vigor Canonum funditùs eneruatur. Quamobrem aut liber omnino claudendus est Canonum, aut à delegandæ pœnitentiæ taxatione cessandum. Quis enim sæcularium ferat, si vel triduò per hebdomadam ieiunare præcipias? Modò stomachi læsionem simulant, modò splenis, siue vesicæ lamentantur exitium, modò marcidi pulmonis vitio intercludi sibimet anhelitum conqueruntur. Hinc multiplices rei familiaris curas obijciunt, illinc herilis famulatus obsequia laboriosa prætendunt. Quid plura dicam? Labyrintheas argumentorum scenas struunt, Proteum induunt, & in diuersa se formarum monstra

Hier. 6. v. 13. 8. v. 10. *Isai. 56. v. 10.*

Carnis rationes vt excusentur a ieiunio.

monstra conuertunt, cuncta languorum genera simulant, vt quod potissimum metuunt, languorem ieiunij non incurrant. Sed cum tantopere non exigenti naturæ, sed impatiēti gulæ deseruiunt, velint, nolint, libera libidinis fræna laxantur. Venter enim, atque pudenda contiguâ sibi sunt affinitate contermina, & cum ille sine tēperantiæ discretione reficitur, illa protinus ad cōtumelias excitantur. Cibi scilicet ilices sunt libidinum, & immoderatè percepti proprij humoris exuberantiam mox ad pudenda transmittunt. Qui videlicet humores dum congesti pruriunt, & titillant, importunius expetunt, vt per coitum profluant. Hinc est, quod plurimi dum lege permissam ineundi coniugij nouere licentiam, nullam reddendi coniugalis debiti exhibent disciplinam; nec vsu commixtionis vxoriç temperanter vtuntur, dum non gignendæ proli, sed ingenitæ deseruiunt voluptati. Ij planè, non dicam mariti, sed prolectarij, non coniuges, sed potius amatores, sic ad intemperantiam coitus tempus omne continuant, vt vxoribus suis, quod turpe dictu est, nec prægnantibus parcant, & castitatis regulam violare nequaquam homines erubescunt, quam circà prægnantes suas & animalia muta custodiunt. Vide, ô homo, canem, si caniculam, postquam concepit, aggreditur, aspice buculam, vel certè equam, si post conceptum à suis maribus infectantur. Ignorant quippe coëundi libidinem, cum deesse sibi gignendi conspiciunt facultatem. Cum ergò tauri, canes, & cætera bestiarum genera fœtibus suis reuerentiam prębeant, soli homines, quorum Doctor de Virgine natus est, vt vota suę libidinis expleant, paruulos suos, qui ad Dei formantur imaginem, necantes obterere non formidant. Hinc est, quod nonnullæ mulieres ante pariendi tempus abortiunt, aut certè mutilata, vel læsa eorundem paruulorum tenera adhuc membella reperiunt. Et hoc modo dum ad libidinis feruntur incentiua pręcipites, ante parricidę sunt, quam parentes; &, quod valdè periculosum est, dum hæc vitio naturæ peccantis adscribunt, sese tam flagitiosi reatus obnoxios non agnoscunt. Verumtamen & hoc aliquandò non ignorant; sed dum lucrantur ignorantiam populi, dissimulant hoc sacerdotibus confiteri. Barrus, qui & elephas dicitur, vnicè diligere castitatis munditiam perhibetur; & eotenus execratur obscœna libidinum, vt cùm ad propagandum genus coire compellitur, vultum post terga retorqueat: & ita quodammodo naturæ coactus imperio, nolle se, atque erubescere quod agit, ostendat. Bestia ergo quælibet ad hoc solummodo coit, vt gignat; homo solus ad hoc gignit, vt coëat. Pecoribus itaque summa concumbendi partus; hominibus verò summa gignendi concubitus. Vultures pariunt, cum se per coitum, non corrumpant. Apes sobolem successurę posteritatis enutriunt, vt virgines perseuerent. Itaque rationis expertia Filium Virginis imitantur, & homines, quibus vtique natus est, luxuriç volutabro delectantur. Quis enim seminibus semina superiactat, quis agrū vernantium scilicet segetum decore vestitum, sulcandum vomeribus

S. Hieron.

Ciborum copia nutrix libidinis

Incontinentia coniugalis in quo consistat.

Quorum animalium naturas homo imitari debet.

Abortuum causa.

Pudor Elephātis in coitu.

iudicat? Mittit prius falcem, vt cum ager vacat, satio mox segetes germinatura succedat; alioquin si semini semen ingeritur, fortè cõtinget, vt non dicam ex vtroque, sed ne de vtrolibet quidem prouentus copia colligatur. Attende itaque vir eneruis, immò vir euirate, quid ambias, & scito, quia puluis, & cinis est, ad quem luxuriæ facibus inflammatus anhelas; videlicet, vt cum muliebres artus amplecteris, vermes, saniem, intolerabilemque fœtorē, quod paulò post futura est, contempleris, vt consideratio futuræ putredinis fucos cauta despiciat scenicæ venustatis. Sapientis quippe iudicio non modò subiacet, quod lenocinatur oculis: sed quod latet etiam in meteriâ veritatis. Verumtamen omnes illas delitias, quas nunc vxorculæ de se suis coniugibus exhibent, alijs quoque viris, necesse est, præbeant; si eas post eorum obitum biuiras, vt assolent, vel etiam triuiras esse contingat. Non est eis fides vlla post mortem, sed dum placere viris posterioribus concupiscibiliter appetunt: audire quoque nomen priorum suffusæ rubore vultum, impudenter erubescunt.

Noui planè virum, dum illatam vxori vlcisci conaretur iniuriam, gladijs interemptum, quæ tamen ad secundas migrasse nuptias dicitur, antequam anni circulus impleretur. Eant ergo viri, & relicto Deo, spē in vxoribus ponant, quas vtique dum intemperantius diligunt, sæpe per eas non modo extraneis viris, sed & hostibus suis propria bona transmittunt. Hûc accedit, quia si mulier thalamum violat, cum fama iam conuicaneorum omnium ora peruolitet, vir tamen adhuc solus ignorat; & qui suæ domus opprobrium pertulit primus, vix deprehendit extremus. Igitur incentiua libidinis fomites sunt auaritiæ, & materia cupiditatis. Nam cum luxuria multis sumptuum indigere non ambigatur expensis, nisi multiplicibus exuberent commodis, fluere nequeunt in oblectationibus voluptatis. Sed sicut ij, qui mundi huius probantur esse vernaculi, terrenis se rebus ambiunt onerare; sic versa vice mens cælestibus inhians, se gloriatur exuere.

Luxuria est fomes auaritiæ.

O quàm iucundum, quam suaue nuncium, quam denique dulcis ad aures meas nuper fama deuenit, quæ vos Ostiensem Comitatum mihi subtraxisse, & alij tradidisse perhibuit! Romanus enim quidam velut accusans te apud me, & tanquam mihi consulens, atque compatiens, quod factum erat, innotuit, sed quem accusare se credidit, nesciens commendauit. Ego quidem primò quasi grauiter tuli, sed erumpentibus quibusdam lætitiæ signis, vel superficietenus quidem mœrorem simulare non potui. Vltrò etiam diuinam imploro clementiam, vt Episcopatum quantocyus ordinare non differas; & sterile arenosi littoris aratrum mihi de manibus tollas. Non enim est huius temporis, vt qui puritatis, & innocentiæ tramitem tenere desiderat, Ecclesiæ baiulare regimen acquiescat: Cum videlicet omnes pænè per vitiorum abrupta præcipites, & tanquam furentes equi per voluptatum suarum campos ferantur effrænes. Et quid aliud inter hæc tot flagitiorum mala per-

Comitatu Ostiensi priuatus B. Petrus Dam. vt se Episcopatu etiam abdicari possit, enixe rogat.

pendimus, nisi quia venturo citius Antichristo via iam sternitur, per quam inoffensis nequitiæ suæ vestigiis gradiatur? Nam, sicut dicit Apostolus: Mysterium iam operatur iniquitatis. Mundus siquidem lucem 2. Thes. 2. v. 7
tenebris mutuat, cum eius iam terminus appropinquat. Et velut inter diem, & noctem videtur nutare crepusculum, dum occumbente luce virtutum, nox oritur vitiorum. Quod nimirum illud Abrahæ portendebat, quod Scriptura pronunciat: Cum sol, inquit, occumberet, sopor Gen. 15. v. 12
irruit super Abraham, & horror magnus, & tenebrosus inuasit eum. Nam solis occubitus mundi designat occasum; horror verò magnus, & tenebrosus vitiorum figurat, criminumque caliginem, quæ quotidiè pestilenter inhorrescunt per æstuantem reproborũ hominum prauitatem. Vnde & illic paulò post additur: Cum ergo occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans. Ibidem v. 17
Sicut enim fumus ex igne clibani vaporantis egreditur; ita vitiorum omnium, flagitiorũque caligo de camino æstuantis auaritiæ generatur; sicut dicit Apostolus: Quia radix omnium malorum auaritia est. 1. Tim. 6. v 10
Et hoc circa finem dici, hoc est circa terminum mundi. Fumans ergo clibanus tenebrosam caliginem generat, quia caminus auaritiæ, qui in prauorum hominum pectoribus ęstuat, multis peruersitatum tenebris mundum pestilenter obscurat. An non mentes infęlicium cæcat, quæ scilicet & fidem tollit, & omnium virtutum in eorum cordibus lumen extinguit? Vnde cum illud pręmisisset Apostolus, præstò subintulit: Quam videlicet auaritiã Ibid. v. 10.
quidam appetentes errauerunt à fide, & inserüerunt se doloribus multis. Multis quippe se doloribus inserunt, dum propter temporalia lucra infœderabili à se inuicem simultate resiliunt. Et plerumque dùm pro corporalibus in arma concurrunt, corporibus animas exuunt. Qui verò solis cælestibus inardescunt, pro doloribus, oblectationibus potiuntur: quia in fraternæ charitatis dulcedine vnanimiter viuunt. Hinc est, quod in illo sacrificio vespertino, quod tunc Abraham obtulit, pecora quidem terrena ab inuicem sequestrata composuit, sed volatilia non abiunxit. Vnde Scriptura, Qui tollens, inquit, vniuersa hæc, diuisit Gen. 15. v. 10
ea per medium, & vtrasque partes contrà se altrinsecus posuit, aues autem non diuisit. Terrena quidem animalia contra se, & altrinsecus opponuntur; quia terreni quique contra proximos iurgiis, & contentionibus sæuiunt, vel certè occultis aduersus eos odiorum fomitibus inardescunt. At contra qui sese in altum cælestis desiderij plumâ sustollunt, dum sacrificium Deo semetipsos offerunt, à mutuæ dilectionis glutino non recedunt.

Auaritia radix omnium malorum.

Hęc apud te, venerabilis Pater, de mundi furentis insania conqueror, quę & tolerare quotidie, & odire cõpellor. Nec accusatoris vereor notam, dum illi delinquentium expono flagitium, qui corrigẽdi praua præ cæteris obtinet principatum. Non enim detractor ille dicendus est, qui ei curat errantium reatus exponere: qui valet ea, quæ temerè præsumpta sunt, emendare. Hæc porrò Eliæ verba sunt: Altaria tua

3.Reg.19.v.10 14.18. Domine, destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio, & relictus sum ego solus. Cui Dominus, Dereliqui, inquit, mihi septem milia in Israël, quorum genua non sunt curuata Baal. Cum ergo Propheta solum se remansisse dicat, Dominus è diuerso septem millia superasse respondeat; Elias tamen mendacij non arguitur, quia zeli cælestis igne succensus, esse, quod perhibet, opinatur. Si Elias itaque non peccauit, quia non odio, sed zelo modum accusationis excessit; num ego debeo præsumptionis argui, qui pauca de plurimis ei potissimum, qui ius corrigendi principaliter possidet, intimaui? Meum itaque fuit sacris auribus hęc vtcumque suggerere; tuum est, prout facultas attulerit, coërcere. Satagendum est igitur, & instanter elaborandum, vt in tremendo summi Pastoris examine, vel cum Eliâ te intimus zeli feruor excuset; vel cum Petro, quod gloriosius est, multiplex commissi gregis fructus exornet. Ne quæso miremini, si tenor huius Epistolæ stylo currat inculto, quia dum manus ad iaciendos apices properat, hinc Cadalous, draco videlicet teterrimus, sufflat, illinc virulenta serpentium turma de cauernis suis egressa consibilat. Quos, quia non possumus incantationibus frangere, paramus squamea colla gladijs obtruncare. Sed quia Synodus imminet, pedestres etiam versiculos subdo.

Carmina Parænetica.

Sedis Apostolicæ qui vult retinere vigorem,
Aequa libret rigidæ pondera iustitiæ.
Iuris enim pariles nescit suspendere lances,
Quem fauor inflectit, spes vel auara trahit.
Muneribus plenæ cui laxant ora crumenæ,
Iustitiâ vacuam perdit inops animam.
Cæli Roma seras tenet, & regit orbis habenas:
His, si plura velit, tartara sola petit.

EPIST. XVI. Ad eumdem Alexandrum II. Romanum Pontificem, & Hildeprandum S. R. E. Cardinalem Archidiaconum.

ARGVMENTVM.

Reprehensus ab Alexandro Pontifice, & Hildeprando Archidiacono, quod Epistolam quamdam scripsisset Coloniensi Antistiti, exemplar illius Epistolæ ad eosdem mittit. Deinde, quia rogatus fuerat ab ijsdem, vt Romam, & inde Mantuam, vbi conuentus Episcoporum habendus erat, secum proficisceretur: Romanum quidem iter, tanquam minus necessarium, & suæ senectuti nimis incōmodum deprecatur; Mantuanæ verò perfectionis laborem, quod è re Christianæ Reipublicæ esse videretur, omninò non recusat. Sed vsque ad aduentum vtriusque, qui Mantuam illac transituri erant, tanta rei deliberationē reijcit.

Patri, & filio, Papæ, & Archidiacono, Petrus peccator Monachus seruitutem.

EPISTOLAM, de quâ me insugillastis, ad vos mitto, vt videatis: & quid in eâ aduersum vos egerim, liquidò comprobetis. Quod si aliam in illas partes Epistolam misi, vel in hac ipsa aliquid vsque ad vnam litteram, me sciente, auctum est, vel imminutum, aut aliquo modo transmutatum, & non ad vos est simpliciter missa, sicut tunc Domno Coloniensi Pōtifici est directa; Naamam Syri me lepra perfundat, vel Barieu cęcitas oculos meæ frontis obducat. Iesum testor, & sanctos Angelos eius, quia in hac ego satisfactione non mentior. Si pro hac itaq; Epistola mori debeo, tēdo ceruicē, imprimite pugionem. De cętero sanctum satanam meum humiliter obsecro, vt non aduersum me tantopere sæuiat: nec eius veneranda superbia tam longis me verberibus atterat; sed iam iam circa seruum suum vel satiata mitescat. Liuentes quippe scapulæ iam deficiunt, & sulcata tot plagis, totque terga vibicibus tumescentia non subsistunt. Vnde vir sapiens, Flagelli, inquit, plaga liuorem facit, plaga autem linguæ comminuet ossa. Age igitur, tempus est enim, vt ego iam. Sed adhuc spiritum reprimo, labiis digitum superpono: & licet seram, tamen adhuc misericordiam quæro. Quod autem me ad vos Romam venire, deinde vobiscum ire Mantuam præcepistis; vtriusque mihi labor itineris valde difficilis visus est, & meæ senectuti nimium grauis. Vnde Romam venire, quod vobis minus prodesset, omisi: expeditionem verò Mantuani itineris magis vobis necessariam iudicaui. Sed in destinando mihi sanctæ vestræ legationis oraculo, satis vterque inter vos inęqualiter diuisistis. Nimirum vt vnus mihi videatur paterni fauoris affabilitate blanditus, alter hostilibus iurgijs terribiliter comminatus. Vnus vestrum me tanquàm sol corusco feruidi splendoris irradiat, alter velut furens Aquilo violentis impetus sui flabris exufflat. Vnde illud ad mentem redit, quod refertur in fabulis. Dicitur enim, quia dum quidam indutus chlamyde viator incederet, Sol, & Eurus cum quasi materiam sibi proposuere certaminis, quis videlicet è duobus ei chlamydem potuisset auferre. Hoc itaque inter eos fœdere constituto, vt eum, qui victor existeret, virens laurea coronaret; cœpit Eurus violenter infremere, nubium volumina commouere; è contra viator chlamydem stringere, seséque, ne vestem perderet, vndique constipare. Cumque discipulus Aeoli casso labore deficeret, seséque cœptum posse perficere, funditus desperaret, illicò Sol aurea cœpit ora detegere, micantibus terram seruoribus illustrare. Mox viator cum iam æstibus nimij feruoris arescceret, vberque sudor humefactis visceribus ebulliret, proiecit chlamydem, vt nimij caumatis temperaret ardorem. Ille ergo condicti certaminis promeruit palmam, qui leniter egit, non qui vin-

4. Reg. 5. v. 1. Act. 13. v. 11.

Hildeprandū S. R. E. Archi. intelligit. Vid. Schol.

Eccli 28 v. 21.

Aposiopesis.

Apologus facetus.

Lenitas plus agit, quam violentia. &c.

3. Reg. 12. v. 7. 2. Paral. 10. v. 7. 13. cere furendo, & violentiam irrogando tentauit. Sed vt è Scripturis sacris honestius proferatur exemplum: si Roboam senum consilijs acquiescens, populo mitia responderet, totum Israël sui iuris imperio subdidisset; sed quia coæuorum suorum superbiæ credidit, diuisis à se decem tribubus, sublimem Regni potentiam humilem fecit. †Monoceros, siue Vnicornis. † Rhinoceros etiam, qui rabida persequentium canum ora celerrima pernicitate contemnit, capi se gremio blandæ virginis non pauescit. Plin. lib. 32. c. 3. Sed qui cuncta, quæ vestra sunt, reddidi, cur adhuc persecutionem patior? Naturarum certè perhibent rimatores, nescio vtrum adstipulentur etiam vænatores: quia Castor dum natiuo perpendat ingenio Castoris Ingenium. se non ob aliud insectari, nisi pro testiculis, vt medicinali seruentur industriç præcidendis, ad stipitis truncum repentè procurrit, seseque violenter impingens, testiculos proijcit. Mox itaque longius prouolans versus ad vænatorem in duobus se pedibus erigit, nec se iam habere, pro quo quæratur, ostendit Numquid ergò durior satisfactio quæritur ab homine, quàm exigatur ab animalibus brutis? Sed ne modum excedat epistolare compendium, ad hæc expostulanda vestrum in nostras partes præstolemur aduentum.

EPIST. XVII. Ad eumdem Alexandrum II. Romanum Pontificem.

ARGVMENTVM.

Alexandro summo Pont. ex Mantuano Patrum conuentu redeunti has litteras obuiam mittit, in quibus eidem sciscitanti rationem reddit, cur Pontificum Romanorum vita breuis plerumque, & angusta sit. Deinde in admirationem diuinæ prouidentiæ, & bonitatis effunditur, a qua tot, tantáque beneficia in humanum genus profecta sint, & quotidie proficiscantur, quaque omnia hominis gratia creauerit, hominisque imperio subiecerit. Hortatur ergo mortales, vt cum tot res propter se conditas contemplantur, Deo Opt. Max. inexhaustæ beneficentiæ fonti immortales gratias agant: & terrenis his voluptatibus contemptis, ad vera gaudia, quæ in cælo piè, sanctéque viuentibus parata sunt, omni animi contentione ferantur.

Domno Alexandro summæ Sedis Antistiti, Petrus peccator Monachus seruitutem.

QVia redeuntem te, venerabilis Pater, à Mantuano Concilio, finitimis iam audio partibus propinquare, congruum iudicaui exenio litterarum tibi, quo videlicet dono potissimum delectaris, occurrere. Sed & mox vt nauis vestra nostris littoribus appulit, vt ad vos impiger iter arriperem, dulcis fama perciuit. Iacob siquidem, de quo Scri- Gen. 25. v. 27.

ptura dicit, quia simplex habitabat in tabernaculis, iccircò terrenis placandum esse fratrem muneribus duxit, quia sola dumtaxat eum diligere terrena cognouit. Ego quoque, qui cum Iacob domi simpliciter habitaui, quia tibi plus spiritualia, quã carnalia quæque placere non ambigo, spirituali faciem tuã munere placare contendo. Quamquã cũ David fugeret à facie Absalon, magis sibi profuerit Chusai Arachites, qui in Hierusalẽ rediit, quã Ethai, qui videlicet à fugiẽte Dauid indiuiduus assecla non recessit. Idẽ quoque Dauid legẽ constituit in Israël, vt æqua sit pars descendentis ad pręliũ, & remanentis ad sarcinas: & potentius iuuit Israëliticum populum Moyses in Rhaphidim, dum velut otiosus oraret, quã Iosue, licet irruentibus Amalechitis, terribiliter armatus occurreret. Quod perspicuè perhibet Scriptura, cum dicit: *Quia cum leuaret manus Moyses, vincebat Israël: sin autem paululum remisisset, superabat Amalech.* Sed nullum munus cuiquam congruentius datur, quam id, quod ab eo ipso, cui datur, exigitur.

2.Reg.15 v.22, 32.

1.Reg.30.v.24

Exod.17.v.11.

Respondet ad quæstionem Pontificis.

Aliquãdò certè, si ritè teneo, à me sollicitè requisistis, quæ mihi causa videretur, cur Apostolicæ Sedis Antistes, numquã diutiùs viuat, sed intra breue temporis spaciũ diem claudat extremum, adeò vt post B. Petrum Apostolũ, qui per quinque circiter annorum lustra pręsedit nemo postmodum Romanorũ Pontificũ hoc spacium præsulatus æquauerit: modernis immò tẽporibus vix quispiã in prędictæ Sedis culmen euehitur, qui metã quatuor, vel vt multum, quinq; transcẽdat annorũ. Quod considerantibus prodigialis, vt ità loquar, stupor oboritur, quoniã hæc breuiter viuendi necessitas, quantũ ad nostrã notitiã, in nullã aliã totius orbis Ecclesiã reperitur. Sed in quantũ mortalibus, diuinæ dispensationis reuelatur arcanũ, videtur nobis; quia iccircò hoc iudicij cælestis ordo disponit, vt humano generi metũ mortis incutiat; & quã despicienda sit tẽporalis vitæ gloria, in ipso gloriæ principatu euidẽter ostendat; quatenus dum præcipuus hominũ tàm angusti temporis cõpendio moritur, tremefactus quisque ad præstolandi sui obitus custodiã prouocetur, & arbor humani generis, dũ cacumen, ac verticem suũ tam facilè corruisse considerat, flatu concussa formidinis, in suis vndique ramusculis contremiscat.

Cur Romanorum Pontificũ vita breuis sit.

Sed quispiam fortassis obijciat, cur & Regibus hæc eadem viuendi breuitas non occurrat? Nã & Octauianus Augustus, quo imperãte, Saluator mundi de Virgine nasci: & Dauid Rex, de cuius stirpe dignatus est propagari; alter quinquaginta sex, alter quadraginta annorũ curricula in regali fastigio floruerunt: post quos, & alij videlicet vtriusque Regni Principes, etsi minusculè, non tamen ad instar Romanorũ Pontificum, breuissimã regnauerunt temporum quantitate. Ad quod facilè respondetur: quia cũ vnus omni mundo Papa præsideat, Reges autem plurimos in orbe terrarũ sua cuiusque regni meta concludat, quia quilibet Imperator ad Papæ vestigia corruit, tãquam Rex Regum, & Prin-

Amouet tacitam obiectionem.

Cõsule Schol.

ceps Imperatorum, cunctos in carne viuētes honore, ac dignitate pręcellit. Vnde quolibet Rege defuncto, administratione eius regnum tantummodo, cui pręerat, destituitur, cum verò Sedis Apostolicę Pontifex moritur, vniuersis, tamquam cōmuni patre mundus orbatur. quid enim Africa de Regibus Asiæ, aut quid Aethiopia de Principibus sentit Hesperiæ? Nam, siue moriuntur, siue viuant, quia procul à se remoti sunt, vtrumque indifferenter ignorant.

Romani Impp. qui violēta morte periere.

Est & aliud, cum mors cuiuslibet Regis non magnopere sit terrori quoniam sęculares Principes, qui turbis popularibus pręsunt, sæpè gladijs perimūtur. Nam, vt de multis paucos adhibeam, Caius, Claudius, Nero, Galba, Otho, Vitellius: Omnes isti Imperatores per continuam sunt seriem vnus post alterum principati, & excepto Claudio, cuncti sunt, vel suis, vel hostilibus gladiis interempti. Postmodùm quoque, sicut Romana tradit historia, Macrinus, Antoninus, Alexander, Maximinus, Gordianus, Decius, Gallus, Volusianus: Omnes hi seriatim sibimet per continuum ordinē succedentes, gladio trucidante, prostrati sunt. Sęculares ergo Principes, quia diuersę mortis casibus exponuntur, cor audientium eorum exitu non atteritur. Papæ verò vita, quia solâ naturalis obitus lege concluditur, eius ex hac vitâ transitus sine graui formidine non auditur. Porrò quia terreni Principes regni sui quisq; vt dictum est, limitibus includūtur, causa non est, cur per alienas mūdi prouincias eorum obitus diffundatur, Papa verò, quia solus est omniū Ecclesiarum vniuersalis Episcopus, cū luce priuatur, mors eius per ampla terrarum regna diffunditur. Et sicut Sol, quia solus lucet, si Eclipsim fortè sustineat, præstò, necesse est, vt tenebras totus vbiq; mundus incurrat; sic Papa cum ex hac vitâ recedit, illicò, quia vnus in mundo est, longinqua regnorū spatia mortis eius fama percurrit; & consequens est, vt quos tam sublimis, singularisque personæ casus obturbat, propriæ quoque vocationis exitum tremefactis visceribus expauescant. Vbi notandum, quàm velit omnipotens Deus Romani Pontificis vitam hominibus in ædificatione prodesse, cuius etiam mortem decreuit saluti gentium ministrare. Quanto studio debet lucris animarum, dùm aduiuit, insistere, cuius etiam mors prouidetur ad Creatorem suū animas hominum reuocare; vt dùm se Patrem orbis esse considerat, ab inculcandâ tot filijs hæreditate desidiâ non torpescat.

Pulchra comparatio.

Admiratio diuinæ bonitatis, & beneficentiæ.

Hîc libet aciem mentis paulisper attollere, & quanta diuinitus homini gratia prærogetur, breuiter indagare; cui nimirum per diuini muneris institutionem elementa cuncta deseruiunt, & non modò cęlum, & terra, aër, & aqua, sed & quęque in eis sunt, in humanę vtilitatis administratione concurrunt. Primò quidem sibi famulantur quatuor elementa, quæ diximus, quia ex eis constat; deinde quia quidquid habent, illi extrinsecus administrant. In humore quippe terræ radix herbarum, & arborum coalescit, quas postmodum in vsus hominum ad naturalis mensurę celsitudinem porrigit. Ipsa quoque agrestis herba

in carnes

in carnes animalium vertitur; animalium vero carnibus hominum viſcera vegetantur. Animalia quoque ipſa dùm viuunt, diuerſis humanæ ſeruitutis deputantur obſequiis: nimirum, vt alia ſeſe inſidentibus vehiculum præbeant; alia commendandis, proferendiſq. ſeminibus arua proſcindant; alia nobis non modò lactis profluant copiam, ſed & velut Euangeliſtæ ſubiecta doctrinæ, duas tunicas diuidant, dum ſe pellibus, nos velleribus tegunt. *Luc.3.v.11.* Sed quia nos in ſingulis immorari non ſinit Epiſtolare compendium, quæ vix poſſet etiam prolixitas enumerare librorum, ſufficiat nobis breuis illa Pſalmiſtæ concluſio qua dicitur: Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues, & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi; volucres cæli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris. *Pſal.8.v.8.* Et hoc eſt inter cætera valdè mirabile, quoniam ab humanæ ſubiectionis imperio, nec volatus aues, nec fortitudo leones, nec velocitas tigrides, nec proceritatis enormitas eripit elephantes. Leoni planè tantus ineſt terror, vt cum rugitus emittit, multa protinus animalia, quæ illius impetum poterant celeritate curſus euadere, compellantur omnino deficere, & greſſus ſuos ſtupefacta, & attonita cohibere. Leo tamen ab homine capitur, & tamquam debilis cattus caueis inſeritur. *Cõſule Schol.* Tigris quoque, quæ lingua Parthica dicitur ſagitta, vno curſu ſtadia octoginta tranſmittere; integro vero die totum mundum ab ortu vſque ad occaſum dicitur tranſilire: hæc tamen, quæ tam incredibiliter currit, aliquandò venantium laqueos non euadit. Sed cum miranda quælibet animalia virtuti hominum ſunt ſubiecta, etiam minima, vel immunda humanæ ſaluti probantur vtilia. Quid enim vilius cimice? Tamen ſi ſanguiſuga faucibus hæſerit, fumo illius excepto, ſtatim euomitur, & difficultas vrinæ huius appoſitione laxatur. *Plin. lib.29.c.4.* Quid etiam, iuxta legem, immundius vulture? Tot tamen in eo ſunt medicamenta, quot membra. *Idẽ lib.29.c.6* Vidi certè grandæuæ iam ætatis Epiſcopum, qui etiam ad fidem Chriſti conuertiſſe non pauca gentilium millia dicebatur. Hic perhibebat, quia dùm per Æthiopiam tranſiit, magni draconis carnes, fame fauces obdulcante, comedit, vt etiam, iuxta litteram, illud Pſalmiſtæ videatur impleri: Tu confregiſti caput draconis magni, & dediſti eum in eſcam populo Æthiopum. *Pſal.73.v.14.*

Sed cum Deus omnipotens homini cuncta ſubdiderit, hoc etiam nõ minus mirabile eſt, quod ipſa quoque ſibi tempora tàm pulchra qualitatum varietate diſtinguit, videlicet, vt prius brumalis algor ſemina commendata noualibus occultat; deinde veris clementia multiplices geminum fœtus mundum parturire compellat; mox æſtiuum cauma ſegetes torreat: poſtremò pluuialis autumnus & palmitibus vuas, & arboribus quoque turgentia poma decerpat. *Temporũ varietates.* Sed nec ipſos quoque prouentus arborũ, vel agrorũ omnipotens Conditor in vnam quodámodo congeriem coaceruat, ſed diuerſa diuerſis temporibus vel agenda, vel edenda diſpenſat. Nam ſi eodem tempore cuncta ad veſcendum

K

poma concurrerent, & fastidium congesta vescentibus gignerent, & simul consumpta de copia inopiam generarent. Sed nunc ita diuersis sunt variata temporibus, vt dum illa comeduntur, hæc maturescant, & dum alia consumpta pertranseunt, alia mox maturata succedant. Fruges quoque si colligendæ simul ingruerent, laboribus non ferendis agricolas prægrauarent: sed dum variis temporum dispensantur articulis, & prouentus copia non minuitur, & labor hominum leuigatur. Nam quod segetum alia primitiua, alia sint serotina, etiam Moyses perhibet Pharaoni. Postquam enim grando percussit Ægyptum: Linum, inquit, & hordeum læsum est, eo quod hordeum esset virens, & linum iam folliculos germinaret: triticum autem, & far non sunt læsa, quia serotina erant. De primitiuis etiam pomis paulò post dicit: Deuorata est igitur herba terræ, & quidquid pomorum in arboribus fuit, quę grando dimiserat.

Exod 9. v. 31. 32.

Exod. 10. v. 15.

Cum igitur soli homini maria, simul & flumina; paludes & stagna cũ innumeris piscium compellantur seruire generibus, aër cum auibus, simul & imbribus; terra cum pecoribus, cunctisque germinibus: Hæc tamen interim velut parua postponimus, maiora perpendamus. Omittamus igitur, quod huius mundi conditio tanta moderationis arte disponitur, vt aër, & ignis, duo videlicet masculini generis elementa præsideãt; alia verò duo, quę fœminini sunt generis, aqua, simul & terra subsidant; & hoc quasi bino coniugio procreatur quidquid apud nos ex qualibet originali materia prodire conspicitur. Taceamus etiam, quod tota cæli machina vsibus hominum ita mirabiliter seruiat, vt contrà septem planetarum globos perpetuo rotatu circumacta confligat; quatenus dum illæ petunt ortum: ista vergat iugiter ad occasum. Illas tamen secum vi suæ magnitudinis attrahat, easque suos circulos per Zodiacum spatio temporis, quod cuique præfigitur, explere compellat. In quo videlicet vniuersali mundi certamine non paruum spiritualis figuræ mysterium deprehenditur, si quæ sit in homine, minori videlicet mundo, concertatio perpendatur. Quid enim sphæra cæli, quæ planetas includit, nisi corpus designat humanũ, quod rationalem animã cõtegit? Quæ videlicet anima quasi septenario planetarum numero continetur, dùm totidem sancti Spiritus donis imbuitur. Et quid est quod sphæra labitur ad occasum, è contra planetæ concorditer enituntur ad ortum, nisi hoc, quod Apostolus dicit: Quia caro concupiscit aduersus spiritũ, spiritus autem aduersus carnem? Numquid non quasi sphæram contra planetas pugnare conqueritur, cum de carnis, & animæ suæ controuersia lamentatur, dicens: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ? Et tanquam sphæra post-se planetas trahat, protinus addidit: Et captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Planetæ igitur septem enituntur ad ortum, cũ anima rationalis instinctu sancti Spiritus incitata redire conatur ad Deum, quẽ rerum omnium constat esse principium. Sphæra verò prolabitur ad oc-

Homo minor mundus. Μικρόκοσμος. Pulchra cæli cum homine comparatio.

Galat. 5 v. 17.

Rom. 7. v. 23.

casum, cum caro neglectis superioribus, grauatur in ima vitiorum. Vnde scriptum est: Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Sed hæc nos diutius prosequi, epistolaris breuitas non permittit. Quid dicam, quod eadem cælestis sphæræ machina sic se in semetipsam semper, & non in exteriora deuoluat, vt in vnius hemispherij sui reuolutione diem, in reuolutione verò alterius expleat noctem? Et hoc modo dum vna reuolutio totius sphæræ cælestis absoluitur, vigintiquatuor horarum numerus impletur, quibus videlicet vnus dies cum sua nocte perficitur. Hoc itaque modo dum cælum militat homini, & dies Solis radijs illustratur, & nox Lunæ, stellarumque nutantium varietate depingitur. Sed hæc quia corporaliter aspiciuntur, omittimus, ad maiora nunc, & inuisibilia veniamus. *Sap.9.v.1.*

Porrò autem qui diuinarum Scripturarum vacat eloquijs, non ignorat, quia per hunc mundum cælestiũ virtutũ quotidie multitudo discurrit, quæ nobis auxilij manus in certamine porrigit. De quibus per Danielem dicitur: Millia milliũ ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei. Ad hoc enim Deo ministrant, vt nos ab iniquorum spirituũ impugnationibus protegant. Vnde & Paulus ait: Sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Neque enim versutiæ tam callidi, tam exercitati hostis posset fragilitas humana resistere, nisi eos à tentationibus electorum virtus Angelica propulsaret. Vnde vnicuique nostrum à die baptismatis vsque ad obitũ delegatus est Angelus, qui & viriliter decertantem à tentatione custodiat, & auxilium præbere in bonis operibus non desistat. Daremus exẽpla, nisi cerneremus frequentatione notissima. Hîc notandum, cũ Deus homini tãta in præroget gratiam, quantã Deus ab homine patiatur iniuriã. Deputat Deus virtutes Angelicas humanæ custodiæ; & infælix homo relicta munditia, & puritate virtutum, squaloribus se polluit, ac sordibus vitiorum. Nam cum in exhalantis, ac cœnosæ luxurię fœtore prouoluitur; cum vermescentis auaritiæ sordibus inquinatur; cum deniq; ad instar Ægyptiorum fluminum, homicidalis anima in odij sanguinẽ vertitur; postremò cũ velut in cloacam stercorum corruens, multiplicis nequitię fęcibus inuoluta fœdatur: hunc Angelus fœtorẽ, & inhonestã purulentiæ nauseam inuitus satis, & grauiter tolerat: etsi cælestis imperij lege constrictus, obedientiã non omittat. In Angelorum quippe conspectu nil sordidũ, nil fœtet obscœnũ, nisi vitiũ, & peccatũ. Et sic nostri reatus exhorrent, & abominãtur illuuiẽ: sicut homo compellitur ad exhalantis latrinæ screare fœtorẽ. Vnde quotidie ante tribunal æterni Iudicis de cõmissi sui prauitate conqueritur; & quia grauẽ ferat iniuriam, illius obscœna dinumerans, profitetur. Nã si Rex potens cuilibet de suis Princispibus impuberis filij velit delegare custodiã: & ille postmodum in furorẽ versus insaniæ, saliuis se fluctibus, nariumq; mucoribus oblinat, & vel in ignẽ se phrenetica temeritate proiiciat, vel certè in squalẽtis

Angeli per totum mundum discurrunt in auxilium hominum.

Dan.7.v.10.
Heb.1.v.14.

Angelus custos & eius officium.

Hominis ingratitudo extrema in Deũ

Exod.7.v.20.

Angeli custodes suorũ cliẽtum quantùm abhorreant sordes & peccata.

Pulchra comparatio.

cœni volutabrũ sordidæ, Suis se more prouoluat; nonne protinus ille deposceet, & recõligna re depositum, & Papatis abiicere famulatũ? Quãtò magis ergò credendum est, quod Angelica illa sublimitas & largitorem bonorum omnium Deum de conspicua Sanctorum conuersatione glorificat, & in eius conspectu peruersorum hominum scelera subtiliter enumerando condemnat? Huc accedit, quia in die iudicij eorum sunt nequitiæ testes, qui si rectè vixissent, eorũ fierent defensores. Hoc itaq; modo malè agentibus vertitur in perniciẽ, quod rectè viuentibus prouisum est ad salutẽ; quia sancti Angeli, qui deputati sunt iustis in adiutorium, perditionis in reprobos exaggerant incrementũ. Fælices ergo, qui iustè viuunt; quia dũ malignis spiritibus infœderabiliter obluctantur, Angelicæ fortitudinis auxilio muniuntur. Adde etiam, quod & ipsi spiritus iniqui profectus nostri sunt obsequio deputati. Nam dum tentamur, & non succumbimus; dum impetimur, & præualemus; dum oppugnat certè violentus hostis, & non expugnat, futuræ nobis retributionis pondus accumulat; & dum laborem certaminis irrogat, victoriæ nobis materiam subministrat.

Omnia homini seruiunt, etiam & infernus.

1. Cor. 3. v. 22. 23.

Ecce dum raptim, celeriterque cuncta perstringimus, vsibus hominũ ministrare concorditer omnia reperimus, cælum scilicet, terram, pariter & infernũ. Hîc pręsumptionis nos fortasse quis arguat, si authẽtica Scripturæ sententia non accurrat. Sed ecce Paulus Corinthijs dicit: Omnia enim vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue hic mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura. Omnia enim vestra sunt, vos autẽ Christi, Christus autẽ Dei. Sed tunc omnia sunt veraciter hominis, si ipse homo sit veraciter homo. Est enim qui solo nomine sit homo, est qui reipsa & veritate sit homo. Audi Salomonẽ: Finem, inquit, loquẽdi omnes pariter audiamus: Deũ time, & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo. Quis est autem finis loquendi, nisi ille, de quo dicit Apostolus: Finis enim legis ad iustitiam Christus omni credenti. Finis quippe legis ad iustitiam Christus est; quia quidquid, siue vetus, siue noua lex loquitur, ad illum sine dubitatione refertur. Ad iustitiam verò non otiosè dicitur, quia diuinæ legis sermo iustificat, & animam à sordibus mundat, sicut Discipulis Veritas ait: Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Deum verò timere, est, cuncta, quæ Deus prohibet, execrando, & abominando contemnere. Mandata illius obseruare est, omnia, quæ præcipit, operibus exercere. Ille ergò Deum timet, qui satagit cauere, quod prohibet. Ille mandata eius obseruat, qui studet implere, quod imperat. Deum ergò time, & mandata illius obserua: hoc est enim omnis homo. Ac si perspicuè dicat: Qui non studuerit cauere prohibita, qui neglexerit implere præcepta; quia ratione caret, vocabulum quidẽ hominis habet, sed hominis esse non habet; quia non veraciter vtitur virtute nominis, quo censetur. Ille nimirum se credat veraciter hominem, qui hominum recognoscit Auctorẽ: alio-

Eccl. 12. v. 13.

Rom. 10 v. 4.

Ioan. 15. v. 3.

Deum timere, & eius mãdata seruare, quid sit.

quin qui ignorat, ignorabitur. Quid autem sine his sit homo, perspicuè definit Scriptura, cum dicit: Stellæ non sunt mundæ in conspectu eius; quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis? Vnde & Abrahã cũ ad summæ collocutionis culmen attollitur, cũ diuinæ familiaritatis gratiam peculiariter promeretur, huius humilitatis recordatione deprimitur, cum dicit: Loquar ad Dominũ meum, cum sim puluis, & cinis.

1. Cor. 14. v. 38.
Iob. 25. v. 5. 6.
Gen. 18. 27.

Nam & apud Græcos hæc teneri consuetudo perhibetur, vt cum Imperator quis in dignitate creatur, mox vt imperialibus fuerit infulis redimitus, coronæ, simul ac sceptri gloriâ decoratus, cum denique procerum vallatur obsequijs, cum excipitur modulantibus psallentium choris, quidam sibi præstò fit obuius, qui videlicet vnâ manu vasculum plenum mortuorum ossibus, ac pulueribus offerat, in aliâ verò stuppam lini subtiliter pexam, ac pilis pensilibus molliter demolitam, cui protinus ignis adhibetur, & repente in ictu oculi flammâ subitò vorante, consumitur: Vt in altero debeat considerare quod est, in altero valeat videre quod habet. In cineribus si quidem se cinerem recognoscit, in stuppâ iam colligit in die iudicij quàm subitò mundus ardebit; quatenus dum se, simul ac sua tam vana, tam flocci pendenda considerat, de imperialis culminis ascenso fastigio nullatenus insolescat; & dum possessor, atque possessio subiacere communi omnium casui non ambigitur, iam quasi de singulari dignitatis apice, qui ad summa prouectus est, non infletur.

Consuetudo Græcorum in Imperatore creando.

Pulchrum ergò mundanæ conditionis ordinem homo consideret, & dum suis vsibus omnia cernit attribui, non sibi, sed suo referat gratias Conditori; lenocinantem mũdi gloriam sub iudicij sui calcibus deprimat, virorem carnis aridum iam puluerem credat, diem suę vocationis tamquam speculum suis semper obtutibus anteponat, districtum vltimæ discussionis iudicium contremiscat: quatenus dum nunc Creatoris sui legibus subditur, qui inter creaturas, quæ terrenæ sunt, videtur insignis, in cælesti quoque gloriâ veraciter sit sublimis.

Exhortatio ad hominem.

EPIST. XVI. *Ad eundem Alexandrum II. Romanum Pontificem.*

ARGVMENTVM.

Detestatus prius pertinaciæ vitium, quo nihil aut Deo magis inuisum, aut rebus humanis fieri possit perniciosius, vt pote cum ex eâ tamquam ex fonte dissensionum, discordiarumque semina in Ecclesiam deriuentur, in nonnullos Clericos acerrimè inuehitur, qui cum Ecclesiarum fructibus in commune alerentur, pecuniam præterea, & alia bona seorsum possidebant: idque sibi per leges licitum esse facere, pertinaciter asserebant. Hos igitur validissimis rationibus redarguit,

& manifeste probat Clericos ex genere eorum, qui Canonici appellantur, proprium, aut priuatum nihil posse habere: sed debere eos, cum primum sacris initiantur, vniuersa bona, aut pauperibus tradere, aut in commune conferre. Quapropter orat Pontificem Max. vt quod humana, & diuina iura cogunt: id etiam Clericos facere, suâ ipse auctoritate, & iurisdictione compellat.

Domno Alexandro beatissimo Papæ Petrus peccator Monachus seruitutem.

QVantum ad nostræ intelligentiæ modulum, venerabilis Pater, nullum in humano genere malum perniciosioris est criminis, quàm defensio prauitatis. Vnde Dauid ait: Non declines cor meum in verba mala, ad excusandas excusationes in peccatis. Offensio quippe Dei meretur iram, excusatio prouocat ad vindictam. Hoc planè vitium, sicut ex radice humani generis prodijt, quotidie pullulat, & tamquam per erumpentes arboris ramos germinare non cessat. Consultus enim Adam, cur ex interdicto pomo comederit: Mulier, inquit, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Ac si vterque in Conditorem obliquè crimē intorqueat; eumq; a quo redarguuntur, incesset, dicentes: Non nobis, sed tibi procul dubiò debet hic reatus adscribi, qui & coniugem viro iunxisti, & serpentem in paradiso inter homines viuere decreuisti. Quorum vtriusque tamquam primischolus ille discipulus erat, qui de Abel Domino requirenti respondit: Numquid custos fratris mei sum ego? Hoc sanè præcauebat Dauid vitium, cum dicebat: Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum. Nam cùm peccat homo, quasi in puteum labitur; cum verò peccata defendit, os putei super eum, ne pateat egressus, vrgetur. Corruit ergò in puteū homo cum peccat, claudit verò sibimet os putei dum excusat. Ex hac porrò defensione, vel excusatione criminis hæresis nascitur. Hæresis enim interpretatur electio. Et dùm quod eligit, quis defendere nititur, relicto veritatis tramite; quia per abrupta peruersi dogmatis rapitur, in hæresim, necesse est, prolabatur. Hoc autem inter peccatorem, & hæreticum distat; quia peccator est qui delinquit; hæreticus autem, qui peccatum per prauum dogma defendit. Nos autem, quia magistros habemus sanctos Apostolos, & Apostolicos viros, non debemus, quod nobis videtur eligere; neque quod semel electum est, obstinatè, & peruicaciter defensare; sed his dumtaxat, quæ a probatis Ecclesiæ Doctoribus definita sunt, fidem irretractabiliter adhibere. Hæc iccircò præmisimus, quia dolemus nonnullos sanctos fratres, Canonici videlicet ordinis, in tam effrænis prorupisse libertatis audaciam, vt non modò sibi ius habendæ pecunię vindicent, sed & hanc sibimet ex regulari auctoritate competere pertinaciter asseuerent. Ad quos probabiliter reuincendos,

Psal. 140. v. 4. — *Gen. 3. v. 12. 13.* Excusatio in peccatis quantum malum. — *Gen. 4. v. 9.* — *Psal. 68. v. 16.* — Pertinaciæ effectus. Hæresis origo. — Differentia peccatoris, & hæretici.

possemus quidem plurima Scripturarũ & veteris, & noui Testamenti exempla congerere; si priores nostri Patres, ac Doctores Ecclesiæ super hoc themate funditùs siluissent. Sed superfluum est, nos vilibus sarculis illîc glebas effringere, vbi tam strenui cultores terræ viuentium acutissimo linguæ suæ vomere reperiuntur arua sulcasse. Prior igitur Augustinus accedat in testimonium, & vtrum Canonicus habere proprium debeat, euidentissimâ sui examinis auctoritate decernat. Ait enim in Sermone, qui titulatur de moribus Clericorum: Me, inquit, hoc nouerit charitas vestra dixisse fratribus meis, qui mecum manent, vt quicumque habet aliquid, aut vendat, & eroget pauperibus, aut donet, aut commune illud faciat. Ecclesiam habeat, per quam nos Deus pascit. Et dedi dilationem vsque ad Epiphaniam propter eos, qui vel cum fratribus suis non diuiserunt; vel diuiserunt quidem quæ habent apud fratres suos, sed nondum de rebus suis aliquid egerunt; quia expectabatur ætas legitima. Faciant inde quod volunt, dum tamen sint pauperes mecum, simul expectemus misericordiam Dei. Si autem nolunt, qui fortè nolunt, certè ego sum, qui statueram, sicut nostis, nullum ordinare Clericum, nisi qui mecum velit manere; vt si vellet desciscere a proposito, rectè illi tollerem clericatum, quia desereret sanctę societatis promissum, certumq. consortium. Ecce in conspectu Dei, & vestro muto consilium, qui volunt habere aliquid proprium, quibus non sufficit Deus, & Ecclesia eius, maneant vbi volunt, & vbi possunt; non eis aufero clericatum: sed nolo habere hypocritas. Malum quippe est talem fore, malum est cadere a proposito, sed peius est simulare propositum. Ecce dico cadit, qui societatem communis vitæ iam susceptam, quæ laudatur in Apostolorum Actibus deserit; a bono suo cadit, a professione sancta cadit. Obseruet Iudicem, sed Deum, non me. Et paulopost: Qui mecum manere vult, si paratus est pasci a Deo per Ecclesiam ipsius, non habere aliquid proprium: sed aut erogare pauperibus, aut in cõmmune mittere, maneat mecum: qui hoc non vult habeat libertatẽ: sed videat vtrũ habere possit fœlicitatis æternitatẽ.

Ab auctoritate Augustini. Verba Augustini.

Act. 4. v. 32.

In secundo quoque eiusdem operis Sermone sic ait: Quisquis cum hypocrisi vixerit, quisquis inuentus fuerit habens proprium, non illi permitto, vt inde faciat testamentum, sed delebo de tabulâ Clericorum. Interpellet contrà me mille concilia, nauiget contrà me quò voluerit, sit certè vbi potuerit. Adiuuabit me Dominus, vt ibi ego Episcopus sum, ille Clericus esse non possit.

Nimius fortasse fuerim in protelando beati huius Doctoris exemplo. Sed vtinam vel ipsi præbeatur fides, dum nostris verbis omninò subtrahitur. In quibus profectò sancti viri verbis euidenter ostenditur: Quia Clericus, qui pecuniam possidet, ipse Christi possessio, vel hæreditas esse, vel Deum hæreditate possidere non potest. Quod tamen non de Clericis omnibus dicimus, sed de his specialiter, qui Canonico censentur nomine, & viuunt in Congregatione. Ipsis enim, quia

Deut.18.v.1. Deus offertur, terrena possessio prohibetur. Sicut ipse Dominus ad Aaron in Deuteronomio loquitur, dicens: In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos. Ego pars, & hæreditas tua in medio filiorum Israël. Sed si cui ad tollendam pecuniam de Clericis sola tanti Doctoris auctoritas, nec dum fortassè sufficiat, quid etiam beatus inueniatur super hoc decreuisse Hieronymus, non negligenter attendat. Ad Heliodorum namque Episcopum inter cætera sic ait: Animaduerte, frater, non licet tibi quidquam de tuis habere rebus. Omnis, inquit Dominus, qui non renunciauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Cur timido animo Christianus es? respice cum Petro relictum rete, respice surgentem de Telonio Publicanum statim Apostolum. Filius hominis non habet vbi caput reclinet; & tu amplos porticus, & ingentia tectorum spacia metitis? Hæreditatem expectas sæculi? Cohæres Christi esse non potes. Et non longè post Dominum ausculta dicentem: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia tua, & da pauperibus, & veni, sequere me. Tu autem perfectum te esse pollicitus es. Nam cum derelictâ mundi militiâ, te castrasti propter regna cælorum, quid aliud, quàm perfectam sectatus es vitam? Perfectus autem seruus Christi, nihil præter Christum habet: aut si præter Christum habet quid, perfectus non est: & si perfectus non est, cum se perfectum fore Deo pollicitus sit antè, mentitus est. Omnis autem, qui mentitur, occidit animam. Igitur, vt concludam, si perfectus es, cur bona paterna desideras? Si perfectus non es, Deum fefellisti. Diuinis Euangelium vocibus intonat; Non potestis duobus Dominis seruire; & audet quisquam Christum mendacem facere, Mammonæ, & Domino seruiendo? Vociferatur ille sæpè: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum sibi, & tollat crucem suam, & sequatur me; & ego onustus auro arbitror me Christum sequi? Ad Nepotianum quoque presbyterum post multa subinfert: Igitur Clericus, qui Christi seruit Ecclesiæ, interpretetur primò vocabulum suum; & nominis definitione prælatâ, nitatur esse quod dicitur. Si enim κλῆρος Græcè, Latinè sors appellatur: propterea vocantur Clerici, quia de sorte sunt Domini: vel quia ipse Dominus sors, idest, pars Clericorum est. Et quia vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, vt & ipse possideat Dominum, & ipse possideatur a Domino. Qui Dominum possidet, & cum Prophetâ dicit, Pars mea Dominus, nihil extrà Dominum habere potest. Quod si quidpiam aliud habuerit præter Dominum, pars eius non erit Dominus. Verbi gratiâ: Si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem, cum istis partibus Dominus pars eius fieri non dignatur. Si autem ego pars Domini sum, & funiculus hæreditatis eius, nec accipio partes inter cæteras tribus, sed quasi leuita, & sacerdos viuo de decimis, & altari seruiens, altaris oblatione sustentor, habens victum, & vestitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus sequar.

Marginal notes: Num.18.v.20. — Ab auctoritate Hieronymi. — Luc.14.v.33. — Math.9.v.9. — Math.8.v.26. — Matth.19.v.21 — Matt.6.v.24. — Matt.16.v.24 — Clericorum etymon. — Psal.72.v.26.

Beatus

Beatus etiam Prosper cum proprietatem pecuniæ Clericis prohiberet, sententiam deprompsit, dicens: Quia non potest ibi esse vnitas voluntatum, vbi fuerit diuersitas facultatum. Ecce ad condemnandam, & funditus abolendam Canonicorum pecuniam, tres non qualescumque, sed inexpugnabiles in testimonium Doctores adduximus: vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Sed cum hæc illis obijcimus, ipsi regulæ suæ librum nobis protinus offerunt, ad regulæ suæ auctoritatem redeunt: eâq. sibi proprietatis peculium concedente, pati se præiudicium conqueruntur. Quam nimirum regulam nos nec funditus improbamus, nec auctoritatem illi omninò tribuimus. Probamus enim, in quantum sanctis Ecclesiæ Doctoribus consonat: abijcimus autem, atque conspuimus, in quantum authenticis eorum institutionibus non concordat. Sed iam ipsa illorum regula deducatur ad medium, & vtrùm indifferenter tota, an cautè, atque suspectè ex parte dumtaxat suscipi debeat, in vnâ saltem paginulâ discernamus. Hoc planè in quadam eius periochâ reperitur: Sanctorum, inquit, Patrum sententia docet: Clericos non diuitiarum sectatores esse, nec res Ecclesiarum inofficiosè accipere debere. Qui enim Ecclesiæ seruiunt, & ea, quibus opus est, non habent: aut libenter accipiunt, aut exigunt, nimis carnaliter sapiunt. Indignum quippe est, si fidelis, & operosa deuotio Clericorum, propter stipendium sæculare præmia sempiterna contemnat; vt quod accipiat, inde rationem reddat, & peccatis alienis sua multiplicet peccata. Vnde necesse est, imò vtile Clericis, in Ecclesiasticis accipiendis sumptibus, suum vitare periculum. Proinde tam de suis, quam de Ecclesiæ facultatibus non plus accipiant, aut exigant, quàm oportet. Idest, accipiant cibum, & potum, & vestimentum, & his contenti sint: ne plus accipientes, pauperes grauare videantur non sine grandi peccato: & non accipiant, vnde pauper victurus erat. Ecce in his verbis hæc regula, vbi scilicet Clericos cibo, & potu, ac veste contentos esse debere promulgat, & nobiscum, & cum totius Ecclesiæ auctoritate concordat. Quod autem illico sequitur, prorsùs absurdum, ineptum videtur, ac friuolum: Ij vero, inquit, qui nec suis rebus abundant, nec Ecclesiæ habent possessiones, & magnam vtilitatem Ecclesiæ conferunt, accipiant in Canonicâ congregatione victum, & vestimentum, & eleemosynarum partes: quia de talibus in libro Prosperi dicitur: Clerici, quos voluntas, aut natiuitas pauperes fecit, in congregatione viuentes necessaria vitæ accipiant. Prius itaque dat victum, & vestimentum, deinde diuisores constituit eleemosynarum. Illud scilicet ad necessarium vitæ subsidium: hoc ad inferciendam congeriem sacculorum. Illud vt corporaliter viuant: hoc vt æternæ morti pabulum nutriant.

Ab auctoritate Prosperi Aquitani.

Matt. 18. v. 16.

Canonicorum friuola defensio.

Verba regulæ.

Considerãda sunt etiam ipsa reptantium portenta verborum, & ignominiosæ, atque confusæ locutionis opprobrium. Nam cum præmisisset, vt Clerici susciperent cum victu, & vestitu etiam partes eleemosynarum, quasi reddit causam quare hoc: quia de talibus, inquit,

Confutatio. in libro Prosperi dicitur: Clerici, quos voluntas, aut natiuitas pauperes fecit, in congregatione viuentes, necessaria vitæ accipiant. Dic Tullianæ reformator eloquentiæ, dic noue Demosthenes: quia dicit Prosper, vt Clerici necessaria vitæ percipiant, iccircò præcipit, vt præter victus, & vestimenta, per singulas etiam personas eleemosynas diuidant? Vt iuxta tuam interpretationem, necessaria vitæ suscipere, hoc sit, victu, vesteq. perceptis, eleemosynas dispertire? Quam bene faciunt Clerici, qui te præconijs efferunt, qui tam grauia, atque importabilia tuæ legis edicta lætis visceribus amplectuntur! Et reuerà satis grauia sunt, & importabilia, quæ promulgas, cum a maximo vsque ad minimum; id est, etiam si duorum, vel trium sit annorum in Clero puerulus, quinque sibi libras vini, & quatuor panis, vt non ad vomitum, sed ad exenterationem repleatur, accumulas. Et vt plena discretionis tuæ virtus appareat, hoc præcipis; vt etiam si semel in die reficitur, hæc panis, & vini mensura nullatenus minuatur; vt si iuxtà sobrietatis tuæ metam refectionis fræna laxentur, non iam ructare, sed crepare venter, & ilia compellantur. Planè præter nonnullas sanctorum Patrum sententias, quę in eodem libello reperiuntur, apposité de cætero sicut in litteris stylus horret incultus, sic in plerisque sententijs deuius corrigendus est intellectus. Nesciuit enim inuenire quod scriberet, nesciuit scribere si quas etiam ineptias inuenisset. Istos amant flores eloquentiæ, qui spinosis moribus aduersantur Ecclesiasticæ disciplinæ.

En quam regulam obseruabant Canonici Regulares B. Petri Dam. ætate. Cósule Schol.

Enimuerò cum sancti Patres in Clericalis peculij condemnatione nō dissonent, sed in districtè prohibendâ, ac funditus auferendâ Clericis pecuniâ vno spiritu, vno simul ore concordent; vnde tamen hæc hauserint, accedamus ad fontem, & profluentis riui principalem repetamus originem. Et quamquam nefas sit de tantorum virorum disputare sententiâ, non vereamur tamen eorum, hoc est, magistrorum nostrorum adire Doctores; vt ab illis etiam nos mereamur instrui, a quibus & nostri sunt Doctores instructi; quatenus dùm fons patuerit, vnde puritatis riuus oboritur, fœdantis, & obloquentis audaciæ temeritas refellatur. Constat itaque, & perspicuum est, quod Canonicorum regula ab Apostolicæ vitæ normâ prodierit; & dum spiritualis quisque Conuentus rectam sui tenet ordinis disciplinam, teneram quodammodo lactantis Ecclesiæ imitatur infantiam. Audiamus ergò quam conuersationem, quem viuendi ordinem sub Apostolis nouiter ad fidem veniens tenebat Ecclesia Multitudinis, vt Lucas ait, credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat: sed erant illis omnia communia. Ecce vbi non erat diuersitas rerum, vigebat vnitas voluntatum. Nimirum vbi non est diuisio censũs, in vnionem charitatis plurimarum mentium conflatur affectus. Illîc enim mens a mente diuiditur, vbi facultatum communio non tenetur: & vbi possessionum diuersa proprietas, ibi mens possidentium non est vna. At vbi circumstantia quælibet communiter possidentur,

Agit rationibus.

Act. 4. v. 32.

diuersorum mentes in vnâ voluntate concurrunt: quia inde inuicem litigare debeant, non inueniunt. Quisquis ergo Clericus proprietatis conatur habere peculium, non valet Apostolorum tenere vestigia: quia non erit illi cum fratribus cor vnum, & anima vna. Cum Iudâ siquidem loculos, atque pecuniam habere potest: vnanimitatem verò, puramq. concordiam cum Apostolis habere non potest. De quorum videlicet regulâ in eorum Actibus legitur: Quia quotquot possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum: vbi mox additur; Diuidebatur autem singulis, prout cuique opus erat. *Ioan.12.v.5.6* *Act.4 v.34.* *Ibidem.v.35.*

Sed age iam, Clerice, qui recondendæ tibi pecuniæ licentiam vindicas, qui ius habendæ proprietatis vsurpas, responde quæso, cuius sunt facultates, ex quibus tibi licet habere peculium? Tuæ videlicet sunt, an Ecclesiæ? Sed si tuas tibi licet vsurpare pecunias, quomodo posuisti eas ad pedes Apostolorum? Si Ecclesiæ bona sunt, quæ recondis, cur propria contempsisti? Porrò si quid tibi de proprijs reseruasti, audi Apostolum terribiliter obiurgantem: Cur, inquit, tentauit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, vt fraudares de pretio agri? Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tuâ erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo. Quod si non propria pôssidere, sed Ecclesiæ conaris bona diuidere, quæ scilicet communis est tibi cum fratribus; dic ergò, Iesu magister, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem. *Act.5.v.3.4.* *Luc.12.v.13.*

Et notandum, quod Euangelista præmiserat; Ait quidam ei de turbâ. Tu itaque non vt leuita, vel Clericus, sed vt de turbâ vulgaris, & laicus, roga Iesum, vt tibi cum fratre tuo iubeat hæreditatem diuidi. Cui protinus ille respondeat: Homo, quis me constituat Iudicem, aut diuisorem super vos? moxq. subiungat: Videte, & cauete ab omni auaritia, quia non in abundantia cuiusquam vita eius est ex his, quæ possidet. Vis ergo diuidere? Non habebis Iesum iudicem, aut diuisorem, sed schismaticæ potius diuisionis vltorem. Qui non est, inquit, mecum, aduersus me est: & qui non colligit mecum, dispergit. Porrò autem si tibi licet habere pecuniam, nullam melius, quàm tuam. Quod si quæ tua fuerant, possides, quid ergò ad religionis ordinem veniens reliquisti? Immò reuersus ad vomitum, & aratrum deserens, dum in terga reflectis intuitum, vltrà non eris idoneus regno cælorum. Sin autem Ecclesiastica tibi liceat bona recondere, videris auxisse diuitias, non spreuisse; vt magis pecuniæ quæstum, quàm religionis ambias institutum; & non tam sanctitatis culmen voluisse conscendere, quàm aceruos pecuniæ cumulare. An prærogabitur Clericis, quod non permisit Christus Apostolis? Nam cum eos ad prædicandum mitteret, sicut Marcus ait, præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum, non peram, non panem, neque in zonis æs, tibi vero ad æris, hoc est pecuniæ receptaculum, non dicam zona, sed vtinam arca sufficiat. Et cum Apostolus *Ibid.v.14.* *Luc.11.v.23.* *Prou.26.v.11.* *2.Pet.2.v.22.* *Luc.9.v.62.* *Mar.6.v.8.* *Colos.3.v.5.*

auaritiam idolorum nominet seruitutem; quomodò tu Christum colis, qui idolum in pecunia veneraris? Quæ est enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? Aut quæ pars fidelis cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis?

2. Cor. 6. v. 14. 15.

Matt. 6. v. 21.

Planè cum tu contrà tui ordinis institutum recondis in arcâ pecuniam, & confidis in incerto diuitiarum, qui in solo Deo spem tuam ponere debuisti (vbi enim thesaurus tuus, ibi est procul dubiò & cor tuum) non iam iure Christicola dicendus es, sed numicola. Et cum de Leuiticis Dominus dicat: Ego sum hæreditas eorum; & tu psallendo respondeas: Portio mea Dominus. Ecce si ordinem tuum teneas, si abominanda pecuniæ lucra contemnas, & tu hæreditas Dei, & Deus est hęreditas tua. Sed totum hoc sacramentum in adulterium vertitur, dum infælix Clericus pecuniæ seruus efficitur, cui nimirum tanquam Deo per sedulitatem custodiæ famulatur. Ipse enim ab eâ, quam possidet, pecuniâ possidetur: dum in eâ cor figere, eique peruigili deseruire custodiâ, auaritiâ dominante, compellitur. Proijciam ergò Christum de arcâ pectoris mei, & loco eius pecuniam constipabo? Certè tam nobilis pecunia Christus est, vt consortium aspernetur omnino peculij, nec cum sorde pecuniæ se patiatur includi. Vt ergò Christus pectoris tui loculum impleat, ęreus ab eo nummus abscedat; vt Christus animæ tuæ suum characterem imprimat, vile didrachma Cæsaris imaginem pręferens euanescat.

Num. 18. v. 20. Deut. 18. v. 12. Psal. 72. v. 26.

Quanta mala ex peculio oriantur inter Canonicos.

Num. 3. v. 6. 7. 8. 9.

Peculij denique proprietas facit, vt Clerici sui Pontificis dedignentur imperium; vt disciplinæ, vel obedientiæ veram libertatem deserant, & turpi fœdissimæ deditionis opprobrio sæcularibus colla submittant. Cum Dominus Moysi dicat: Applica tribum Leui, & fac stare in conspectu Aaron sacerdotis, vt ministrent ei, & excubent, & obseruent quidquid ad cultum pertinet multitudinis, coram tabernaculo testimonij, & custodiant vasa tabernaculi seruientes in ministerium eius: dabisq. dono Leuitas Aaron, & filijs eius, quibus traditi sunt a filijs Israël. Aaron quippe, & filios eius, quis ambigat ius habuisse Pontificum? Tribum verò Leui quis nesciat prætulisse ordinem Clericorum? Leuitę ergò Aaron, & filijs eius a filijs Israël dono traduntur, cum ex omni Christiano populo Clericalis ordo in excubias Ecclesiastici cultus assumitur: & vt assistant, atque ministrent suis Pontificibus, offeruntur. Sed quisquis seruus est Mammonæ, ritus abhorret Ecclesiasticæ disciplinæ. Nec prætereundem est, quod illìc pręsto subiungitur: Ego, ait Dominus, tuli Leuitas a filijs Israël pro omni primogenito, qui aperit vuluam in filijs Israël, eruntq. Leuitæ mei; vt liquidò pateat, Clericorum ordinem Dei omnipotentis esse peculium, sicut & ipse Deus specialis est hæreditas Clericorum. Et quantæ væcordiæ, quantæq. væsanię est, si ab eo, cui Deus offertur, eo contempto terrenæ facultatis commodum requiratur? Cui Deus in hæreditate non sufficit, quid cum satiare

Ibidem. v. 12.

possit, ignorat: quia mentis eius oculum furiosa cupiditas cœcat.

Et certè qui talis est, quoniam pro amore pecuniæ suum violat ordinem, indignus est proculdubiò, vt Ecclesiasticam obtineat dignitatē. Vnde & Salomon ait: Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij, ita qui tribuit insipienti honorem. Nam quia apud Gentiles Mercurius Deus † sacelli, siue pecunię dicebatur, Aceruus Mercurij cumulus, atq; congeries est nummorū. Et quia nummo regula monetalis imprimitur, quid per nummorum designatur aceruum, nisi regularium, ac veræ sanctitatis imaginem præferentium concio Clericorum? Quid verò per lapidem, nisi duram, stolidam, & insensibilem illius mentem accipimus, qui dum Deum esse indubitata fide non credit, spem suam in terrena qualibet possessione constituit? De quo per Prophetam dicitur: Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Huic autem insipienti tunc honor tribuitur, cum ad Ecclesiastici gradus apicem quispiam non Deo, sed pecunię deditus promouetur. Sed sicut nummorum dissipatur aceruus, si desuper lapis immittitur, ita per indigni, siue lapidei pastoris accessum quasi constipatus ordo destruitur regulariter gradientium, & in charitate obedientium Clericorum. Grauatur enim mali pastoris vmbraculo, & tanquam nummorū cælestium cumulus, tartarei lapidis mole diruitur. Stulto igitur, & insipienti denegandus est honor Ecclesiasticus, ne sanctorum Clericorum tanquam nummorum spiritalium mergatur aceruus. De quo videlicet stulto paulò superius idem Salomon ait: Claudus pedibus, & iniquitatem bibens, qui mittit verba per nuncium stultum. Quibus nimirum verbis quid aliud videtur expressum, nisi vt carnaliter sapienti, ac per hoc stulto cuilibet non committatur prædicationis officium? De sanctis enim prædicatoribus dicitur: Quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Itaque quilibet ordinator Ecclesiæ si dignos, & idoneos in dignitate cōstituit, quasi pedibus rectis incedit. Per eos enim verbum spargendo circumquaque discurrit: & quod per semetipsum non valet agere, per illos satagit efficaciter adimplere. Sin autem carnales quosque, ac reprobos ordinare præsumat, hic claudus pedibus ambulat. Qui etiam iniquitatem bibere dicitur: quia dum verba sanctæ prædicationis per stultum nuncium mittit, & contrà Apostolum; citò manus imponit, peccatis communicat alienis. Nam & si prudenter quisque loquatur, si tamen non agit ipse quod loquitur, in spirituali claudus itinere non immeritò iudicatur. Vnde & illîc aptè subiungitur: Quomodo pulchras frustrà habet claudus tibias, sic indecens est in ore stultorum parabola. Pulchris planè innititur tibiis, qui luculenti nitet claritate sermonis. Sed dum sine bonis operibus accuratum deprimit eloquium, velut sine gressu promouet recta crura verborum. Quasi pulchras ergò habet tibias ad videndum, sed non vtiles ad gradiendum, qui podagricis vitiorum laqueis innodatus, ipse quidem turpiter claudicat, dùm alios, vt agiliter gradiantur, inuitat. In istorum ergò stultorum ore indecens est para-

Prou.26.v.8.

† Lucelli f.

Psal.13 v.1.

Prou.26.v.6.

Esai.52.v.7.

Rom.10.v.15.

1.Tim.5.v.22.

Prou.26.v.7.

Nota de malis prædicatoribus.

bola: quia dum spiritualiter sonant, & carnaliter victitant, eorum vita cũ labiis non concordat. Quos nimirum honesta loquentes, sed inhonestè viuentes prædicatio recta non liberat, sed mordax conscientia vehementer accusat. Vnde illîc non incongruè subditur. Quomodo si spina nascatur in manu temulenti, sic parabola in ore stultorum. Spina quippe in manu temulenti nascitur: cum illi, qui huius vitæ amore est ebrius, reprehensionis in mente aculeus generatur. In ore itaque stultorum parabola quasi spina est: quia dum aliud loquuntur, aliud agunt, mens eorum in semetipsa aliquando redarguitur, & quodam quasi spinæ pungentis aculeo perforatur. Velut spina certè malè viuentis, & benè dicentis conscientia pungit, dum in eo, quod extrinsecus loquitur, quodam pudoris, atque formidinis stimulo intrinsecus sauciatur.

Ibid. v. 9.

Vt ergò ad eos, à quibus cœperat, sermo recurrat, Clericus, qui captus est amore pecuniæ, nequaquam idoneus est administranda verba doctrinæ. Quod etiam in eo, quod superius proposuimus, Apostolico declaratur exemplo. Nam cum Scriptura præmittat: Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna; moxque subiungit: Nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat: sed erant illis omnia communia, protinus addidit: Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium Resurrectionis Iesu Christi Domini nostri, & gratia magna erat in omnibus illis. Deinde subinfert: Nec enim quisquam egens erat inter illos. Quid autem sibi vult, quod huius sacræ Scriptor historiæ dum de continentia loquitur Apostolica & communi vita, repente quasi materiam interrumpit: & ad enarrandam prædicationis constantiam tamquam mutato stylo prosilit, dicens: Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium Resurrectionis. Cur vni materiæ aliam interpolat, qui cœptam persequi, & continuare debuerat; nisi, vt patenter ostendat, quia illi dumtaxat idonei sunt ad prædicationis officium, qui nullum terrenæ facultatis possident lucrum: & dum aliquid singulare non habent, communiter omnia possident? Nihil scilicet habentes, & omnia possidentes. Ij nimirum dum nullis terrenarum rerum præpediuntur obstaculis, expediti stant pro Dominicis castris in campo certaminis: & quia rebus exuti solis virtutum armis accincti, gladio spiritus, aduersus vitiorum dimicant acies, idonei bellatores sunt obluctantium hostium obtruncare ceruices. Cui nimirum bello impares sunt, & eneruiter cedunt, qui communibus non contenti, peculij singularis ambiunt proprietate grauari. Hinc est, quod in Deuteronomio gradientibus ad prælium dicitur; Quisquis est homo, qui plantauit vineam, & nec dum fecit eam esse communem, & de quâ vesci omnibus liceat, vadat, & reuertatur in domum suam, ne fortè moriatur in bello, & alius homo eius fungatur officio.

Act. 4. v. 32.

Ad prædicationis officiũ qui sint idonei.

2. Cor. 6. v. 10.

Deut. 20. v. 6.

Sed iam, venerabilis Pater, incultæ disputationis protraxisse sermonẽ hucusque sufficiat: verumtamen vt hæc apud inobedientium Clerico-

rum, immò nummicolarum rebellionem efficaciter valeant, sanctus Apostolatus vestri vigor impellat.

EPIST. XIX. Ad eundem Alexandrum II. Romanum Pontificem.

ARGVMENTVM.

Præceperat ei Alexander Pont. Max. vt sibi præscriberet quidpiam memoria dignum, & quod propter vtilitatem in publicis monumentis asseruari mereretur. Scribit igitur mores, vitam, & sanctissima gesta Rodulphi Episcopi Eugubini, & Dominici Loricati. Hos proximis diebus diem suum obiisse certior factus erat, & ex vtriusque interitu non parum molestiæ perceperat. De Petro quoque Rodulphi fratre, & alijs monasterij sui monachis vitæ sanctitate, ac conuersatione celeberrimis, nonnihil attingit.

Domno Alexandro beatissimo Papæ Petrus peccator Monachus seruitutem.

PRæcepit mihi Beatitudo tua, venerabilis Pater, vt numquam tibi litteras mitterem, quæ leue quid, & obliuione dignum, ac friuolum continerent; quas scilicet, mox vt lector transiliendo percurrerit, edax flamma consumit; sed tale tibi semper aliquid scriberem, quod & ad ædificationem legentium suscipi, & inter scripturas mereretur authenticas reseruari. Vnde Patri luminum agendæ sunt gratiæ, qui sacrarium tui pectoris hoc igne sui amoris accendit, vt & in antiquorum Patrum studiis iugiter requiescas; & insuper, si qui tibi videntur idonei, ad scribendum eos prouocare non negligas.

A vobis itaque nuper egressus, cum Florentinæ vrbis mœnia subij, nuncius mihi mox repentinus occurrit, qui mihi diem medium in tenebras vertit, omniumque meorum viscerum venas amarissimæ legationis felle compleuit; Episcopum scilicet Eugubinum esse defunctum, cuius vtique conuersatio, si recolitur, non mediocriter ædificare poterit audientes. Valet enim & ad exprimendam rectè viuendi formá, & ad adhibendam corrigendis moribus disciplinam. Nam antè ferè septennium ille cum matre, & duobus fratribus se paululsper ætate præcedentibus, seruis dumtaxat libertate donatis, castrum suum mihi inexpugnabili munitione vallatum, cum omnibus, quæ sui iuris erant, prædiis, contulit; atque ad Eremum veniens, habitum monasticæ professionis accepit. Monasterium planè in eorum possessione construximus, de cuius nunc sancto conuentu regulariter victitante, satis in Domino gratulamur, vbi matre & fratre, qui infirmior est, constitutis, *S. Rodulphus fit monachus.*

iste Rodulphus, qui postmodum ad Episcopatus culmen euectus est, & Petrus primogenitus frater, eremiticā vitā tam continenter, tā districtè duxerunt; vt & audientibus prædicaret eos fama mirabiles, & conniuētibus vita monstraret insignes. Sanè si de Petro vellem cuncta referre, quæ suppetunt, prius schedula fortassis ista deficeret, cum adhuc dicendi materia superesset. Nam vt è multis vnum saltem breuiter referam, dum in capitulo consideremus aliquandò de disciplinis regularibus disputantes, ille, vt erat nouitius, vnum ex sæculari consuetudine inordinatum protulit verbum. Tunc ego velut ira permotus, dura satis illum inuectione corripui, postque redargutionum, atque correptionum longiora flagella, tamquam quæstione pulsato sententiam inferens, per quadraginta dies illum vino abstinere præcepi; & tamen intentione, vt tantum ad præsens illum cum cæteris ab incautis sermonibus deterrerem, postmodùm verò sententiam discretæ remissionis moderamine temperarem. Sed cùm me contigisset diuersis intentum esse negotijs, neque hoc mihi quilibet in memoriā reuocasset, elapso iam præscripto dierum circulo, tandem recordatus expaui; & quid ex iniuncta sibi pœnitentia Petrus egisset, attonitus exquisiui. Fratrum itaque relationibus, didici, pœnitentiam esse peractam. Pœnituit, fateor, prolatæ sententiæ, sed gaudens admiratus sum tantam pœnitentiam fratris; vt pro vno solo verbo inconsultè prolato, tàm longam pœnitentiam pertulisset; & neque per se, neque per alios indulgentiam postulasset.

Item Petrus frater eius.

Petri obediētia mirabilis, & patientia.

Ecce vt olim viguit ordinis disciplina.

Nunc igitur ad Episcopum, à quo cœperat, sermo recurrat. Quamuis enim Petrus idem, vt maior erat ætate, nihilominus etiam in ardui propositi, & districtæ vitæ semper præcederet itinere; hic tamen ad sacerdotalis officij iura promotus, quod in Eremo didicit in Ecclesia non omisit. Eisdem quippe terebat semper membra ciliciis, eisdem contentus erat perexiguis admodùm, ac despicabilibus indumentis. Planè dum iuuenilis ætatis ingruente natura, grauissimam sæpè pateretur acediam, laquearibus cellulæ funiculos innectebat, sicque vlnis insertis psalmodiæ studio pendulus insistebat. Numquam adipe, numquam ouis, vel caseo vescebatur. In eisdem verò, quæ apponebantur, eduliis continens eum frugalitas cruciabat; vt discumbens nō tàm se reficeret, quàm certaret; & intestinum potius esset gulæ bellum, quod extrinsecus videbatur esse conuiuium. Sæpe pugnaui, vt saltem in hiemalis inclementia frigoris, aut papyrinæ sibi storeæ stramenta supponeret, aut vestitus saltem nocte dormiret. At ille in nuda ligni tabula nudus, sola cōtentus interula, cubitabat. Ecclesiam porrò deputabat hospitium, solitudinis autem cellulam habitaculum decernebat. Incōditi siquidem mores populi, & indisciplinatæ ceruices, leue iugum Domini nequaquam sibi patiebantur imponi; sed muneribus terrenis intenti, non ex ore Pontificis Dei verbo, sed tamquam de manibus Præsidis commodis inhiabant. Hæc enim regio quò magis inuenitur aliena diuitiis, eò copiosius exuberat vitiis. Ab egendo siquidem denominari videtur

S. Rodulphus nihil de rigore monastico deponit in Episcopatu.

Lectus eius.

Matt. 11. v. 29.

Eugubium,

Eugubium, vel egens bono. Ideóque me vim ingerente coactus, Ecclesiam, quam dimiserat voto, retinebat officio; in Eremo tamen perseuerantius habitabat.

Eugubinæ ciuitatis etymologia.

Quandocumque impetrare poterat, vt huiusmodi panis in Eremo fieret, edebat panem, non fratrum, non denique puerorum; sed eum qui vel ex puro fieret hordeo, vel ex cantabro potius, quod proiiciendum canibus de puerorũ panibus remansisset. Et licet præter celebriores dies hoc esset quotidie pane contentus, mensuram tamen attentius æquitatis lancibus appendebat. Vnde mihi quandoque conquestus est, quia si sibi mensura concederetur, hunc eumdem panem prurienti gulæ largius indulgeret. Tantâ quippe iuuenculum hominem castigabat inediâ, vt vndecumque solatium alimenti perciperet, vacuo ventre stomachus non curaret. Aliquandò verò etiam diebus Dominicis pulmentum nesciens, pomis tantum, & pane cum aquâ viuebat. Ferreo circà pectus circulo iugiter cingebatur: quem tamen circulum sub ilia dimersum, dum coram fratribus nudaretur, diligentius occultabat. Numquam scilicet capitulo Cõfessor intererat, in quo non acciperet disciplinam; & tunc festiuius exultabat, si non ab vno tantum, sed à duobus flagellari fratribus iuberetur. Sæpè pœnitentiam centum suscipiebat annorum, quam scilicet per viginti dies allisione scoparum, cæterisque pœnitentię remediis persoluebat. Psalterium quotidie, cũ duo non posset, vnum saltem non negligebat implere. Quod nimirum, cum esset in cellulâ constitutus, armata scopis vtráque manu, totum cum disciplinâ continuare consueuerat.

Abstinentia Rodulphi.

Circulum pectorale.

Gaudet disciplinis.

Porrò autem cum in expeditione esset aliquâ constitutus, quantalibet intẽpestę noctis profunditate consurgeret, nudis semper cruribus & pedibus vsque dum dilucesceret, psallere non cessabat. Quam videlicet consuetudinem, dum in cellâ consisteret, diebus, ac noctibus sine cessatione seruabat. Quamlibet grauis bruma rigesceret, simplicibus soccis muniebat pedes, cum tamen frater eius solis calceis contentus esset. Sæpe me per clementiam Christi terribiliter adiurabat, vt si quando fortassis excederet, nequaquam me ab eius correptione subducerem; sed omnem in eo disciplinæ modum, qui monachis debebatur, implerem. Ità planè & regulam monachi, & auctoritatem Episcopi sub alternâ vicissitude laudabiliter obseruabat. Opportunè siquidem, & inopportunè verbo prædicationis instabat; & quidquid domesticis surripere valebat expensis, & bene prodigus in pauperes dispergebat. Congregans annualiter synodum, nullum assuetę oblationis, vel exeniorum canonem à Clericis exigi permittebat; sed ne à lapsis quidem commodum aliquod, præter solam pœnitentiam, requirebat, Absit, inquiens, vt synodum vendam: lapsos etiam potius erigam, quam ex eorum cadaueribus coruino more pinguescam. Tędet vlterius scribendo procedere, & velut paternas à pictura manus dolor videtur Icarpus cohibere.

Eius modestia, & humilitas in Episcopatu.

Instar sanctæ prædicationis.

Quotannis Synodum celebrabat.

Felix obitus eius.
Sap. 4. v. 13.

His igitur, & huiusmodi virtutum floribus adornatum, quasi candens lilium immaturę mortis pruina decoxit: ita vt cum vix triginta plus minus videretur annorum, ad veræ lucis Auctorem ex hac infælici luce migrauit. Consummatus enim in breui, sicut Scriptura loquitur, expleuit tempora multa. Placita enim erat Deo anima illius. Et iure consummatus in breui, multa tempora dicitur expleuisse; quia dùm in eo paruo, quod vixit, iustitiæ tramitem tenuit, quantum ad se omnia tempora in obsequium Conditoris expendit. Planè quidquid illic de sancto viro Sapientia loquitur, ità huic per omnia congruit, ac si de illo specialiter diceretur: Senectus, inquit, venerabilis est, non diuturna, nec numero annorum computata. Cani sunt autem sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata placens Deo. Vnde & sequitur: Factus dilectus, & viuens inter peccatores, translatus est. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam eius. Propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatis.

Ibidem v. 8 10

Vita venerabilis viri Dominici Loricati.

Sed ecce, dùm huius Epistolæ gerulus, qui ad vos veniat, quęritur, & non supperit, repente aliud, quod vberius ad ædificationem proficere valeat, si scribatur, occurrit. Et fortassis ob hoc nuncius mihi superna dispositione subtrahitur, vt interim, vacante me, stylus ad aliud transferatur. Vir itaque Dei Dominicus pater, & Dominus meus ante annum defunctus est, cuius vita si scribatur, vereor ne fortassis à quibusdam fratribus incredibilis iudicetur. Sed absit à me mendacium scribere. Nam qui veritatem pro viribus veraciter colo, commentum fallacię non admitto. Neque enim illud nos latet Apostoli, qui cum pręmisisset: Si Christus non resurrexit, inanis est ergò prædicatio nostra; præstò subjunxit: Inuenimur autem & falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus aduersus Deum, qui suscitauerit Christum, quem non suscitauit, si mortui non resurgunt. In quibus Apostolicę sententiæ verbis, vt non diutius immoremur, in promptu Lector intelligit, quoniam qui vel Deum, vel Dei seruum mirabile quid fecisse confingit, non modo fabricati pręconij præmium non meretur, verum etiam aduersus eum, quem laudauerat, falsum testimonium protulisse conuincitur.

Dominici sanctissima vita.

1. Cor. 15. v. 14. 15.

Dominicus itaque cum esset in sęculo Clericus, quia tunc Simoniaca vigebat hæresis, quæ & nunc vtinam prorsus esset extincta, vt Presbyter fieret, à parentibus eius data est Episcopo Hircinę pellis aluta, quia, sicut ait Apostolus, diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, hæc vna beati viri culpa multorum post bonorum probatur extitisse materia. Nam hoc pauore perterritus, contempsit sæculum, induit monachum, arduumque mox eremiticæ vitæ, tamquam bellator intrepidus, arripuit institutum. Sed quia malè promotus est, donec aduixit, sacrosancti altaris vsurpare ministerium non præsumpsit. Virgo vsque ad obitum fuit, vitam eremiticam non omisit, vbi nimirum

Rom 8. v. 28.

Fit monachus eremita.

Manet Virgo.

ſub magiſterio ſancti viri Ioannis, qui dicebatur de monte Feretri, per plurimos vixit annos. In illâ igitur Eremo, quę ſcilicet erat in regione, quæ dicitur Luceoli, conſtituta, decem & octo videbantur cellulæ ad habitandum fratribus deputatæ, vbi nimirum ſub hac regulâ viuebatur, vt numquam vinum biberent, numquam adipe alimenta condirent. Vnum in Dominicâ die, ſed & quinta feriâ pulmentum ſumerēt, quinque per hebdomadam diebus in pane, & aquâ ieiunium celebrarent; ſolis autem orationibus vacantes, vel manuum operibus inſiſtentes, non agriculturam exercebant, non prædia, vel aliquam ſubſtantiam, præter vnum ſagmarium poſſidebant. Cum quo ſcilicet aſello, vel equo vnus erat minister, qui vel ad acquirendas, vel ad ferendas fruges indeficiens diſcurrebat, ſoluſque eos in cunctis neceſſitatibus ſuſtentabat, Ioannes ſcilicet, qui poſtmodum loci Abbas factus, ſub honeſtâ rexit adminiſtratione Conuentum. Tenebant autem per totam hebdomadam diſtrictâ cenſura ſilentium, quod vtique Dominicâ die poſt veſperum, cibumque ſoluentes habebant loquendi inuicem vſque ad completionis officium, libertatem. Nudis præterea pedibus, & cruribus iugiter in cellulis morabantur. Dixit autem mihi, quia cum cohabitaret Anſoni, religioſo videlicet viro, quem & ipſe vidi, quotidie per omnes horas Canonicas diſciplinam ſibimet inuicem ſcoparum ictibus ingerebant. Qui videlicet Anſo ſibi aliquando conqueſtus eſt, quod nouem diarias panis penſas in ventre ſimul haberet. Tantâ quippe macerebantur inediâ, vt aridus panis conſtiparetur in ilibus, ac digeri difficile potuiſſet.

Eius magiſter B. Ioan de Monte Feretri.

Arduum vitæ inſtitutum.

Ioan. Abb.

Silentiū diuturnum.

Anſo Erem.

Mira inedia.

Illic etiam quidam frater erat, qui ſæpè vagabundus egredi de cellâ tentauerat, quem Ioannes Prior Eremi, prout dignum erat, prius auſterè corripuit, deinde in ſuâ præſentiâ vapulare pręcepit. Cumquē iubente magiſtro, ſe cœpiſſet induere, ſuperbè locutus eſt. Quem rurſus magiſter exui, rurſus præcepit verberari. Sed adhuc etiam ſe veſtire incipiens, ſuperbum quid effluere non ceſſauit. Sic tertiò, ſic quartò, & ſi ritè teneo, vſque ſexies verberatus eſt, nec emendatus. Exutus enim, & reindutus, humilia reſpondere non potuit. Septima verò vice flagellatus, cum ſe cœpiſſet induere, clarâ cœpit voce clamare, dicens: Ecce Diabolus abiit, ecce nequiſſimus mei cordis habitator aufugit, méque nexibus, quibus aſtringebar, effractis liberum dereliquit. Iam iam Domino, & magiſtro meo libenter obtempero, eiuſque me ſubdendum legibus per omnia repromitto. Hoc modo frater ille ad humilitatis cuſtodiam rediit, & in cellulâ iugiter perſeuerans, de cætero irreprehenſibiliter vixit.

Frater ſuperbus flagellis corrigitur.

Longè verò poſt, magiſtro prębente conſenſum, dignatus eſt vir Sanctus prædictus mihi miſero, & quem ipſe ſuſcipere dignaretur, indigno, mirâ ſe prorſus humilitate committere, & ſicut Abbati Monachum ſubiugare. Cui nimirum præſtitit, non accepit. Et quem ſuſceperam velut in ſubiectione clientem, gaudeo me in ſchola Chriſti verè

Fit B. Petri Dam. diſcipulus.

Philosophum percepisse Doctorem. Tota quippe vita eius prędicatio & ædificatio, doctrina erat, & disciplina. Sed quia nos nonnulla huius Sancti viri dicta, vel facta per diuersa dictatus nostri iam opuscula sparsimus, non videtur absurdum, si eadem hîc, quæ tamen præ manibus habentur, eo ipso stylo, quo scripta sunt, apponamus. Sanè facilioris est exitus ex dolatis lignis domum construere, quam dolando, simul & construendo laboris exercitium geminare. Nam & de templo Salomonis scriptum est: Domus autem cum ædificaretur lapidibus, de dolatis, atque perfectis ædificata est; & malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo, cum ædificaretur. Habemus & nos, iuxtà nostræ manus imperitiam, politos lapides, quos vtique sufficit nobis, vt in structurâ dumtaxat, ita vt inuenti sunt, simpliciter ordinemus.

3. Reg. 6. v. 7.

In Epistolâ itaque ad Domnum Theusonem inclusum missa, hoc me scripsisse reperio; sed cur ego Sanctos commemorando viros diuersa passim loca perlustro, quandoquidem intrà limen, & præ manibus teneo, ad cuius dignè efferenda præconia impar viribus non assurgo? Certè cellulis altrinsecus constitutis, solo basilicæ mediantis interstitio ego, illeq; diuidimur. Cuius si virtutibus enumerandis inuigilo, ante dies elabitur, quam scribendi materia deficere posse videatur. Dominicum dico, Doctorem videlicet, & Dominũ meum, cuius quidem lingua rustica est, sed vita artificiosa satis & lepida. Quæ sane vita satis vtilius ad ædificationem viuis operibus prædicat; quàm sterilis quorũdam lingua, quę accurata phaleratę vrbanitatis verba inaniter trutinat. Longo iam annorum elabente curriculo, ferreâ ad carnem loricâ præcinctus, infœderabilem pugnam cum iniquis spiritibus conserit, semperq; paratus ad prælium, non solum corde, sed & corpore præmunito aduersus hostiles acies feruidus bellator incedit. Hanc autem continuæ vitæ consuetudinẽ indiferenter habet: vt vix dies vlla prætereat, quin duo psalteria modulando, vtrâque manu scopis armata, nudum corpus allidat. Et hoc remissiori quidem tempore. Nam quadragesimalibus circulis, siue cum pœnitentiam peragendam habet (crebrò enim centum annorum pœnitentiam suscipit) tunc per dies singulos, dum se scoparum tunsionibus afficit, vt minus, tria psalteria meditando persoluit. Centum autem annorum pœnitentia, sicut ipso auctore didicimus, sic expletur. Porrò cum tria scoparum millia vnum pœnitentiæ annum apud nos regulariter expleant, decẽ autem psalmorum modulatio, vt sæpe probatum est, mille scopas admittat, dum centum quinquaginta psalmis constare psalterium non ambigitur, quinque annorũ pœnitentia in vnius psalterij disciplinâ rectè supputantibus inuenitur. Sed siue quinque vicies ducas, siue viginti quinquies, centum faciunt. Consequitur ergò, vt qui viginti psalteria cum disciplinâ decantat, centum annorum pœnitentiam se peregisse confidat. Quamquam & in hoc plerosque noster Dominicus superet, quia cum nonnulli

S. Dominicus ferrea lorica ad carnem indutus.

Eius vitæ austeritas.

Centum annorum pœnitentia quomodo expleatur.

S. Dominicus

vnam manum in disciplinis agendis exerceant, iste, vt reuera Beniamin filius, contra rebelles carnis illecebras vtráque manu infatigabiliter pugnat. Hanc autem centum annorum pœnitentiam, vt mihi ipse professus est, facilè sex diebus ex more consummat. Memini quoque, quia cuiusdam Quadragesimæ imminentis initio, mille annos imponi sibi per nos ad pœnitentiam petijt, quos certè omnes ferme antequam ieiunij tempus transigeretur, expleuit. Et paulopost hoc prosecutus sum.

Beniamin, id est doloris filius vocatur.

Nunc ad Dominicum, de quo cœperat, sermo recurrat. Enimuero cum hunc iam & incurua senectus deprimat, & crebris insuper sæpe langoribus contabescat, mirum vnde illi tantus feruor incandeat, vt in spiritualibus exercitijs se semper inuictū, semper infatigabilem reddat. Nam, vt ipso referente, cognoui, sæpè duo Psalteria cum disciplinis stando continuat: ita vt neque interim sedeat, neque vel ad momentum à percussionibus incredibili mentis feruore quiescat. Inquirenti mihi aliquandò, vtrum posset cum ferreæ vestis pondere aliquantisper genuum flexibus insudare, sub hac mihi dedit obscuritate responsum: Cum incolumitas, inquit, mihi votiua respondet, quandoque per omnes totius psalterij quindenos psalmos centies genua flectere consueui. Quod quidem tunc non diligenter attendi, postmodū verò quod dictum fuerat, mente reuoluens, à depresso homine mille † metaneas in vno Psalterio fieri, admiratus expaui. Quadam die post vesperam, cellulam meam ingressus, † Magister, inquit (hoc enim indigno vocabulo me ex humilitate cōpellat) hodie feci, quod hactenus me fecisse non memini: octo nempe Psalteria inter diem, & noctē modulatus expleui. Videbatur autē tunc totus vultus eius ita scopis attritus, ac sulcantibus quibusdam vibicibus liuefactus, tanquam si pilâ fuerit, ptisanarum videlicet more, contusus. Psalmodia sane illi iccircò tam facile prouenit, quia non tam verba, vt ipse asserit, linguâ perstrepente, reuoluit, quam sensum mentis viuacitate percurrit.

Magnus feruor in sene.

† Consule Schol.

Aliquandò à me remotus habitabat, cūque ad me ingressum, quibus tunc se vitæ legibus ageret, inquisissem, respondit, se carnaliter viuere, & quintis semper feriis cum Dominicis diebus à solito se abstinentiæ rigore laxare. Requisitus vtrum quolibet pulmento, ouis, vel caseo vesceretur, negauit. Rursus si piscibus, aut pomis; pisces, ait, & poma, si qua sunt, ægrotantibus præbeo, quorū non minimā multitudinem iacere in nostris partibus ingemisco. Cumque illum durus exactor in angusto cōcluderē, dicens: Vnde ergo illis diebus remissius viuis, si nihil eorū comedis, quæ necesse sit vel ignibus decoqui, vel in arboribus inueniri? Respondit: Feniculo, inquiens, cū pane libenter vescor. Mox nimirum peritè cognoui, quā carnaliter homo viueret, qui suas delicias in feniculo constituisset. Habet planè vberem lacrymarū gratiam, sed alternā. Cum enim reclusus sub districto se silentio reprimit, mox, vt voluerit, affluentèr plangit. At si colloquio frequentetur, fletum

Lautior cibus eius panis cū feniculo.

scamisisse conqueritur. Nam & ego illi sępe penuriam meæ ariditatis impropero, dicens: Heu, inquam, mi pater! illæ tuæ lachrymæ infœcundę sunt, quæ alias orando lacrymas parere nequeunt. Optarem namque, quod consequens est, nimirum, vt sicut tu mihi pater es; ita nihilominus & tuæ lacrymę mearum quoque lacrymarum fierent genitrices.

In regulâ quoque Eremiticâ hoc inseruisse me recolo. Dicam. Sed quis sciat, vtrum fides assertioni fidelissimæ præbeatur? Sed paruipendendum est, si humana temeritas arguat, quem summa veritas falsitatis excusat. Est inter nos, qui nonnumquam, vno die continuato cum nocte, nouem Psalteria meditando decurrat: & interim pęnè semper vtraque manu scopis armatâ nudum corpus afficiat. Notandum autem, quia dum hæc peragere satagit, nocte, vel die dormire non vacat: sed aliquando genua flectens, dum caput terræ deponit, sic nudo repente somnus obrepit, quo solo contentus est. Hic mihi aliquando fraternâ familiaritate conquestus est, quia cum nouem sic Psalteria sæpe modulando perficeret, ad decimum numquam potuerit peruenire.

Nouem Psalteria dicit intra 24. horas meditando.

In Epistola quoque, quam Blancæ Comitissæ direximus, hæc nos indidisse videmur: Vtinam daretur tibi nunc domnum meum videre Dominicum, qui quod imperitæ linguę conamur officio, ipse te efficaciori luculentissimæ vitæ doceret, & informaret exemplo. Hic denique à tribus iam circiter annorum lustris loricâ ferreâ vestitur ad carnem, duobus autem ferreis circulis in corpore cingitur, duobus item per brachiorum armos arctatur.

Efficacior vita, quâ oratio. Lorica ferrea vestitur, ac duobus circulis ferreis circumcingitur.

Sed quia de illo in alijs nostris opusculis iam plura digessimus, nunc quod vix ante sex dies ad nos veniens retulit, proferamus. Ait itaque: Contigit me nosse, quod scripseris: nouem me vno die Psalteria decantasse cum corporalibus disciplinis. Quod certè cùm audiui, tremefactus expaui, & conscientiâ remordente, congemui. Væh, inquam mihi! ecce hoc de me, nesciente me, scriptum est: & tamen vtrum à me hoc fieri potuisset, ignoro. Ergo rursus experior, & an hoc implere potuerim, indubitanter agnoscam. Quartâ igitur feriâ me vestibus exui, & armata scopis vtraque manu, totam noctem ducendo peruigilem, psallere, ac me verberare non destiti, donec die altero decursis duodecim ex more Psalterijs, die tertiodecimo ad Psalmum Beati quorum, vsque reptaui. Porrò, quod nobis durum sæpè videtur, & asperum, quam ille puerile deputet, ac despectum, vno doceamus exemplo. Frater quidam cum se scoparum ictibus nimis abhorreret atterere, atque, vt ipse sibimet plagas inferret, atque perferret, grauissimum iudicaret, tandem tamen Domni Dominici crebrius insistentis adhortationibus acquieuit, ac per modulationem totius Psalterij, & insuper quinquaginta Psalmorum sibimet disciplinam inferre proprijs manibus non cessauit.

Duodecim psalteria continenter absoluit, virgis interim se cædens.

Erat autem nox illa præcedens Dominicam diem, & Beati Michaëlis festiuitatem. Cumque facto mane ad prædictum senem frater ille venisset, timensque ne de discretione redargueretur, cum quod egerat, per ordinem retulisset, hac ille voce respondit: Noli, frater, pusillanimis esse vel pro hac tua, quę nunc est, infirmitate diffidere; potest enim Deus ex imis te ad altiora prouehere, & huius lacteolæ tuæ conuersationis infantiam ad iuuenilis roboris incrementa firmare. Et adijciens, ait: Nos etiam primò pedetentim cœpimus, sensimque ad quod nos diuina pietas perducere voluit, licet inbecilles, ac fragiles, educti sumus. Sicque factum est, vt non eum de immoderato feruore, sicut ille timebat, argueret; sed ne desperationi succumberet, tamquam qui minimum quid egerit, animum refoueret. Huius itaque sancti Senis exemplo faciendę disciplinæ mos adeò in nostris partibus inoleuit, vt non modò viri, sed & nobiles mulieres hoc purgatorij genus inhianter arriperent. Nam & relicta Tethbaldi, sublimis vtique generis, & non infimæ dignitatis, mihi aliquando retulit, per prælixam huius disciplinæ regulam centum annorum se pœnitentiam peregisse.

Multi eius exēplo flagellationis purgatorium arripiunt.

In Epistolâ etiam ad Ioannem Priorem Eremi, quę iuxtà Suauicinum montem est constituta, cum eum, eiusque subiectos, ad extensionem brachiorum in orationibus exhortatoriè prouocarem, dixi prius de quodam feruentissimo in amore Christi fratre nostro, Adam nomine, deinde Dominicum in exemplo subieci, ita inquiens: Habemus autem quemdam iuuenculum fratrem, qui mihi confessus est à capite vsque ad finem Psalterij eleuata se brachia tenere, dum psallit, ita vt laquear tabulatum cellulę manibus sæpè contingat. Hac tamen discretione seruatâ, vt per quinquagenos psalmos ad momentum brachia remissa deponat, & protinus erigat. Habemus & alterum prouectioris ętatis, incuruum videlicet senem, &, vt tibi secretè confitear, hic Dominicus est. Is itaque quamdam scriptiunculam reperit, vbi dicebatur: Quia si quis duodecim illic notatos psalmos vicies quater, erectis in modum Crucis manibus, caneret, pro vno posset anno pœnitentiæ regulariter compensare. Protinus ille in exercitium id, quod dicebatur, arripuit, & duodecim illos psalmos, extensis in modum Crucis brachijs, sicut dictum est, vigintisex vicibus sub nullo prorsus interuallo, sed vno ductu quotidie decantabat. Scripsi super hoc & in aliis fortassis opusculis, sed quia vel ad pręsens desunt, vel facilè memoriæ non occurrunt, iam ab eorum replicatione, quæ scripta sunt, ad noua quælibet articulus transferatur.

Nota difficilimum laborem quotidianum.

Enimuerò quasi quidam diuinus ignis in eius pectore iugiter æstuabat, qui numquam permittebat eum à spiritalis exercitij labore quiescere. Aliquandò namque cum ego perquirerem sacrosancto die Paschali cęteris fratribus, iuxtà morem, meridie quiescentibus, vtrum & ipse dormisset, ait: Certè, pater, dixi in corde meo: quid mihi tam lon-

gis adhuc noctibus in die dormire? Extensis itaque in crucis effigiem brachijs, Psalterium cœpi, quo me sic stante decurso, signum protinus horæ Nonæ personuit. Hoc itaque modo iunxi victoriam Crucis cum gloriâ Resurrectionis. Aliquandò cum de quotidianis, vt mos est, inuicem confabularemur operibus, ait: Hac etiam nocte quid mihi cõtigerit, manifesto. Nam dum solutus sopore surrexi, mox brachijs in modum Crucis extensis, Psalterium cœpi; cũque psalmis omnibus, & canticis, quę sequũtur, hymnisq; decursis, eò loci iam essem, vt solo Catholicæ Fidei psalmo, & Litanijs deberem cuncta concludere, accidit in mentẽ, vt interim ista dimitterem, ac pro defunctis psalteriũ decantarẽ. Igitur brachia non deponens, ad defunctorum psalterium transij, quod iuxta morem, per quinquagenos Psalmos trifaria lectionum interpolatione distinxi. Quo sic expleto, ad id protinus, quod omiseram, redij: atque hoc, quod de primo Psalterio reliquum erat, expleui. Cumque de tertio consequenter aggrediendo Psalterio cogitarem, benefactum, vt ita dixerim, repentè signum nocturnæ synaxis insonuit, quod me depositis vlnis officium cum fratribus celebrare coëgit: & certè tunc, nescio, quo anni tempore, noctes breuiores erant.

Diutissime orat extensis brachijs.

Scutica se'mipse flagellat.

Aliquantis porrò ante obitum annis; quasi nouum supplicij genus inueniens, virgarum scopas in corrigiarum scuticas vertit: semelque gustato, quia duriores sunt, in his verberandi se consuetudinem posuit. Hoc flagellum, si quando egrederetur ad sæculum, portabat in sinu, vt vbicumque eum iacere contingeret, à verberibus non vacaret. Aliquandò verò cum loci occasio non præberet, vt totum se posset exuere, per crura saltem, & femora, per caput, atque ceruicem sese non cessabat affligere. Circulis quoque ferreis quatuor, quia sibimet præ longâ consuetudine quasi iam viluerant, quatuor item superaddidit; vt duobus in coxis, duobus consequenter in cruribus stringeretur. Enimuerò loricas, quibus vtebatur tamquam cilicia, vel lanea quælibet indumenta, post menses, siue post spacium prolixius abluebat; vt rubiginem deponerent, & aridis ingerendam membris eredinem non haberent. Porrò autem cum omnes, qui in cellulis habitamus, hoc elaboremus, vt pro muniendis à frigore pedibus vestimenta vsque ad imum defluant pauimentum, hoc etiam nobis in eo intolerabile videbatur, quia cum in Eremo semper & ocreas nesciret, & calceos, vestes tamen eius ad tibias vix medias descendebant. Nudatus autem ad suscipiendã in Capitulo disciplinam, quod scilicet omittere numquam volebat, exesis ieiunio membris, & hamatæ loricæ mole detritis, Æthiopicam contraxisse nigredinem videbatur. Vestimenta verò luridâ, & cariosâ, vt ita dixerim, videbantur vetustate consumpta. Hoc mihi sæpe dicebat: In hoc psalmodia prouenit citò psallenti, si cor ad verba teneat, si quod lingua loquitur, mens veraciter comprehendat: alioquin si cor vagatur, psalmorum cursus ad finem, linguâ nunc fallente, nunc tepescente, tardè perducitur,

Aiebat

Aiebat etiam, quia somnum somnus adescat, & vigiliæ vigilias pariunt. Nam corpus humanum, in quo paulatim prius enutritur, in hoc per incrementa postmodum roboratur.

Notą vm cō-suetudinis.

Sed hîc me quispiam fortasse redarguat, qui videlicet, non tam quem viuendi ordinem vir Sanctus habuerit, sed quibus miraculis in hac vita claruerit, audire festinat. Cui me breuiter hoc respondere sufficiat: quoniam & Maria, & Ioannes Baptista miraculum fecisse non leguntur, cum tamen eorum vita non qualibet Scriptura, sed Euangelio testante, narretur. Quamquam Maria in solo partu, quem edidit, omnium proculdubiò Sanctorum virtutes, ac signa præcellit. Hoc etiam inferam, quia vberiorem fructum præbet audientibus Sanctorum virorum mirabilis vita, quàm ostensa miracula. Illa siquidem exigit imitationem; ista solam ingerunt admirationem. Miracula docent quomodò illi Sancti fuerunt; vita verò insinuat, qualiter & nunc homines fieri valeant sancti. Prætereà, qui miraculum quæris, nonne tibi videtur esse mirabile, hominem fragili adhuc carne circundatum, vt ita loquar, Angelitus viuere; adeò vt inter quamplurima hominum millia vix vnũ eius similem valeas reperire? Et certè quamplures hodiéque sunt inferioris vitæ, per quos Deus Omnipotens dignatur virtutes ostendere.

Partus S. Mariæ miracula omnia antecellit.

Fructuosior est Sanctorũ vita, quã miracula.

Iesu teste, non mentior, quia necdum tres menses elapsi sunt, ex quo ad me, in Gamugni videlicet Eremo diuersantem, duo adolescentes monachi venerunt, quorum alter de Spoletina monarchia, alter verò de Venetiæ partibus, Polensi videlicet vrbe, oriundos se esse dixerunt. Sed Venetus, vocabulo Michaël, sicut nobis in confessione perhibuit, in ipso suæ conuersionis initio, circulo se ferreo sub hac desiderij sui pactione constrinxit, rogans Dei Omnipotentis obnixè clementiam, vt cum locum saluti suæ congruum reperiret, confestim ille circulus frangeretur. Porrò autem ipso die, quo Eremum nouus hospes ingressus est, vix post trium horarum spacium, dum in B. Benedicti regula, sicut est idiota, vtcumque syllabatim legeret, repentè compunctionis eum spiritus in lacrymas soluit, eodemque momento circulus ille fractus apparuit. Quod miraculum, quoniam alibi iam nos descripsisse meminimus, celeriter transcurrentes, sequens aliud, quod nec dũ litteris insertum est, enucleatius digeramus.

Miraculũ Michaëlis Polésis monachi.

B. Benedicti regula.

Miraculum.

Paulopost namque Rauennam vrbem, me iubente, perrexit, vt reculas suas, atque sarcinulas, quas ibi de naui prodiens, reliquerat, exportaret. Illîc itaque apud fabriles officinas noua ferreorum nexuum argumenta confinxit, multisque se vinculis per diuersa membra ipse sibimet Iudex, & reus violenter arctauit. Nam duo dependebant vincula ceruicetenus per humeros altrinsecus, hinc ad sexum, illinc vsque ad femur: duos verò in coxalibus circulos, duos suscepit in vlnis. Vndiq; igitur tam multiplici constrictione vallatus, ad nos rediit, secretè, quod circà se factum erat, ostendit: néue quod fecerat, immutarem,

En vt studene sancti homines domãdæ carni.

vix tandem voti compos, obtinuit. Sed cum hæc illum vltrà vires tormenta grauarent, & ex attritis carnibus iamiam fœtor erumperet insuper accessit, quod cor fratris gloriam respuentis acrius perturbauit. Cœpit enim huius mysterij fama prorumpere, & prius per fratrum, deinde per ora superuenientium quorumlibet volitare. Rogauit itaque Omnipotentis Dei misericordiam, vt quid sibi super hoc cœpto placeret, per suæ virtutis iudicium euidenter ostenderet. Interim verò dum huiusmodi precibus frequenter insisteret, bis per somnium confortatus audiuit: quia ferramenta illa iam essent diuinitus resoluta. Porrò autem in festiuitate beatorum Apostolorum Simonis, & Iudæ, quam nuperrimè celebrauimus, dum nocturno cum fratribus interesset officio, repente duo illa ferramenta quæ super humeros posita vtrinque inferius dependebant, ventremque cum renibus coarctabant, prorsus effracta sunt: & vnum in duas, alterum in tres diuisum est partes. Cæteri vero circuli, non quidem per partes abrupti; sed ita laxati sunt, & quadam facti sunt mollita lenitate flexibiles, vt quodammodò non tàm ferrei, quàm plumbei viderentur, adeò vt etiam si vellet defluentibus eis, ac prolabentibus astringere se, vltrà non posset. Sic sic, frater, qui sanctæ deuotionis æstuanti fuerat ardore constrictus, pio Dei iudicio est mirabiliter absolutus. Quid ergo magnum, si per Dominicum, mirabilem videlicet virum, signum aliquod Deus voluisset ostendere, cũ in ipso sui tyronatus exordio per hunc iuuenculum duo miracula dignatus est exhibere; cum laudabilius sit fortia peregisse, quam noua? Vnde Dauid cum præmisisset, Mirabilis Deus in sanctis suis; protinus addidit: Ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ. Non ait signa, siue prodigia; sed ipse dabit virtutem, & fortitudinem.

Omnes circuli, & ferramẽta eius diuinitus resoluuntur.

Psal. 67. v. 36.

Præterea cum Romanus quidam, Stephanus nomine, iudex sacri Palatij summam præsidatus administraret Auximi, exigente causa, Dominicus ad eum venit, eumque super quadam Eremi possessione, quam ex iure Sedis Apostolicæ detinebat, obnixè rogauit. Quem ille vtpote nulla vestium compositione festiuum, despiciens spreuit: eique nil eorum, quę poscebat, indulsit. Cumque sibi à circumstantibus diceretur: noli eum tam durè suscipere; Sanctus enim vir est. Ille tamquam fel euomens, ait: Sit Sanctus, vt vultis: sed B. Petrus certè sanctior est, cuius ego causam in hac administratione defendo. Igitur impos cœpti Dominicus redit ad cęllulam, ille quoque post paululum reuersus est Romam. Porrò puer quidam despicabilis, qui ad exequendum quodcumque negotium in administratione remansit, quidquid Dominicus petierat à Iudice, cuncta reuerenter impleuit. Iudex autem non diu postquam ad propria repedauit, hostilibus gladijs perfossus interiit: multasque diuitias, quia sobolem non habebat, extraneis hæredibus dereliquit.

Iudex sacri palatij. Tales hodie appellãtur Auditores Rotæ.

Diuina vltio in Iudicem iniquum.

Erat pręterea Dominicus valde cautus in verbis, vt aptè sibi congrue-

ret illa sententia, qua Iacobus Apostolus ait: Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Nā si quādò etiam quæreretur, quota diei hora esset, numquam absolutè dicebat, tota est; sed cum additamento semper, propè tertia hora est, propè sexta hora est. Inquisitus à me, cur semper ita diceret. In hoc, inquit, mendacium caueo. Nam siue sit hora transacta, siue adhuc fortassis immineat, propinqua tamen est, quæ videlicet à momento, in quo loquimur, non elongatur.

Iacob 3. v. 1. Cautela magna vtitur in verbis suis S. Dominicus.

Habebat aliquando cellulam iuxta monasterium, quod dicitur Coniunctuli. In vigilia itaque Dominicæ Natiuitatis cum tota præcedenti Quadragesima mansisset inclusus, tantisque ieiuniis, atque laboribus esset vehementer afflictus, inuitante gloria solemnitatis egressus, Abbati loci humiliter procidit, veniam petiit, actus suos, & cogitationes lachrymabiliter accusauit. Ille autem, vt erat iuuenculus, leuis moribus, & consiliis spiritualibus insuetus, cum sibi sufficeret vnum psalmum, vel perexiguum quid imponere, præcepit, vt pro his, quæ confessus fuerat, triginta psalteria decantaret. Qua nimirum ille sententia velut sagitta percussus, ad cor rediit, atque hoc prouenisse ex diuini dispositione iudicij deputauit. Itaque regressus in cellulā, numquàm prodiit, donec præfixum indictæ pœnitentiæ canonem instantissima sedulitate persoluit.

Magna humilitas.

Solebat autem per interualla, licet parcissimè, vinum bibere; sed longè antequam defunctus est, decreuit ab eo penitùs abstinere. Vt itaque iam, omissis cæteris, ad obitum veniamus, patiebatur grauedinem stomachi, crebris insuper capitis doloribus cruciabatur. Et quoniam alterum sæpe procedit ex altero, proposuit ad purgandum stomachum antidoti sumere poculum. Sexta igitur feria per continuum diem vix desiit, vel modulandis psalmis insistere, vel corrigiarum se ictibus flagellare. Nocte verò, sopore deposito, suscepit antidotum, deinde cœpit angustiari, & de stomachi dolore grauiter conqueri. Post decursum itaque nocturnæ synaxis officium, post matutinos hymnos, cum prima iam hora sibi à fratribus, qui aderant, cantaretur, sanctum Deo spiritum reddidit. Inuenerunt autem & alteram loricam, præter eam, qua indutus erat, lateribus eius, sindonis more, substratam. Vnde suspicati sunt fratres, hoc sibi præter consuetudinem nullatenus accidisse; & quia se sub eam sanus tenere consueuerat, super quam videlicet & in infirmitate iacebat.

Longè ante obitum à vino abstinet.

Laborat dolore stomachi, & capitis.

Felix eius excessus è vita.

Somniauerat autem tunc quidam frater de me, quod oculorum lumē amiseram. Quod dū ego Hildeprando venerabili Romanæ Ecclesię Archidiacono in Lateranensi Palatio retulissem, nequaquā, inquit, vt times, hoc tibi propinquæ est mortis indicium, sed familiaris tibi aliquis extinguetur, qui tibi & charus sit, sicut oculus, & lumen tuum, ac splēdor in bonis operibus videatur. Et, ô verum, sed amarius omni fellę præsagium! Tertio die postquam Romanis mœnibus sum egressus, ecce

Hildeprādus, fuit mox Gregorius Papa. viij.

mihi relatio crudelis occurrit, quæ mihi nihil minus opinanti, cœcatum me remansisse perhibuit: Dominum scilicet, & illuminatorem meum Dominicum ex hoc sæculo nuper egressum. Illicò mihi liquidò patuit, dùm ille petiit lucis Auctorem, in tenebrarum me remansisse caligine. Fratres autem corpus eius, ne à vicinis monachis eorum raperetur è manibus, in eadem, in qua defunctus est, cellula, defossa humo, celeriter obruerunt. Nos autem ipso die Dominico, quo Eremum ingressi sumus, Sanctum corpus inde sublatum, reuerenter, vt dignum erat, in Capitulo sepeliuimus. Et cum nonus esset depositionis eius dies, prædictum corpus sanum, illibatumque reperimus.

Post nonum diem manet corpus eius incorruptum.

Eant nunc, qui carnis suæ delectantur illecebris, medullas absorbeat voluptatum, & occisionis victimæ ad æternum nutriantur incendium. In superbiæ se cornibus efferant, ventilent innocentes, ad votum molliter viuant; vt eorum viscera postmodum pœnis semper vltricibus amarescant. Nunc velut infrænes equi, per voluptatum suarum prata discurrant; vt post eorum manus, & brachia districtionis extremæ lora cohibeant. Dominicus autem noster stigmata Iesu portauit in corpore: & vexillum Crucis nō tantū in fronte depinxit, sed cunctis etiā vndiq; membris impressit. Exustus & aridus ab humore calami, & iunci vberibus cælestis gratiæ meruit imbribus irrigari. Hîc ferrea lorica præcingitur, illic niueis Angelicæ glorię vestibus decoratur. Hîc duritia cubilis atteritur; illîc molli Patriarcharum gremio confouetur. Tota hæc vita facta est sibi parasceue Crucis; illîc autem festiuus, & splendidus æternam celebrat gloriam resurrectionis. Nunc inter ignitos supernæ Hierusalem lapides emicat, nunc ornatus victoriarum suarum titulis æterna laude triumphat, atque in illa beatorum ciuium iucunda societate coniubilat.

Galat. 6. v. 17.

Tota vita parasceue Crucis sibi fuit.

Obiit autem B. Dominicus pridiè Idus Octobris, regnante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Deo Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

EPIST. XX. Ad Cadaloum Episcopum Parmensem, qui & Honorius II. Antipapa.

ARGVMENTVM.

Cadalous Parmensis Episcopus præter alia vitia, quæ in eo complura inerant, magnus ambitionis facibus inflammatus, ingentes in Romana Ecclesia turbas concitauit. Alexandro enim legitimo Pontifice reiecto, largitionibus, & pessimis quibusque artibus effecit, vt ipse à quibusdam Cisalpinis Episcopis sui similibus (ad quos tamen electionis ius minimè pertinebat) tamquàm verus & germanus Pontifex promulgaretur. Igitur sceleste cupiditatis compos effectus

ſcelera, quæ anteà occultius patrabat, publicè iam, & in conſpectu omnium edere cœpit. Rapinis namque, cædibus, & direptionibus omnia fœdabat: bona Eccleſiaſtica militibus ſuis, & ſatellitibus diripienda concedebat: denique, vt vno verbo abſoluam, humana, & diuina permiſcebat. Leniter primò admonitus: & deinde cum hac ratione nihil proficeretur, ter in Patrum Conuentibus publicè damnatus, & a Catholicâ communione ſummotus, ab amentiâ, & furore non deſtitit. Ad hunc hominem tam impium, tamque obfirmato animo ſalutaria conſilia reſpuentem, ſcribit B. Petrus Damianus. Et quidam poſtquam illi ſceleris, quod admiſerat, magnitudinem ante oculos poſuit, poſtquam quibuſcumque potuit rationibus, ad ſanitatem reuocare conatus eſt, triſti demum eius mortis vaticinio epiſtolam concludit.

Cadaloo dicto Epiſcopo, Petrus peccator Monachus, quod dignum, & iuſtum eſt.

QVi non corripit puerum oua furantem, magnum poſteà latronem patitur, equorum ſtabula perfringentem. Si a † corynetis ſuis matrona potens negligit arcere petulcum, quid mirum ſi in eam quoque ille poſtmodum væſaniæ ſuæ porrigat appetitum? Vtque de Scripturis aliquid inferam: Dauid Rex, qui in Abſalon fratricidium non vlciſcitur, ab ipſo deinceps eiectus, regalis ſolij dignitate priuatur. Adonias filius Agith, dum in ſuperbiæ faſtum proteruus erigitur, dum conniuente patre, paratis equis, & curribus regnum ſibimet pollicetur, ad hoc quandóque progreditur, vt Abiſag Sunamitem in coniugium quærat, ac paternos inceſtare thalamos concupiſcat. In multis tibi, frater, Romana pepercit Eccleſia, frequenter a te legitimi rigoris cohibuit diſciplinam, adeò vt aſſerant, qui ſe interfuiſſe fatentur, quod in tribus iam Concilijs Synodalibus, Papienſi ſcilicet, Mantuano, & Florentino, perſpicua damnationis in te ſententia claruit; vbique tamen Sedes Apoſtolica maternę pietatis affectu tibi clementer indulſit. Sed dum illa ſtuduerit Canonum circà te coërcere vigorem; tu non vereris aduerſus eam hoſtilem redhibere tyrannidem. Porrò autem ſi Scripturæ ſeries diligenter attenditur, ter vnctus in Regem Dauid fuiſſe reperitur. Prius ſcilicet a Samuele in Bethleem, ſecundò a viris Iuda in Hebron, tertiò coram vniuerſis tribubus Iſraël rurſus in Hebron. Et vt de Piſcatore noſtro, cui tantopere vis ſuccedere, ſimile quid perhibeam; tres Petrus ſedes obtinuit, quas diuerſis ſui prælulatus priuilegijs inſigniuit; Anthiochenam ſcilicet, vbi poſtquàm ipſe ſe fidei poſuit fundamentum, † Ignatium vice ſuâ mox ordinauit Epiſcopum. Alexandrinam quoque, vbi ſanctus Euangeliſta Marcus poſtquam nouæ fidei ſemen ſparſit, eam beati magiſtri ſui Petri glorioſo nomini fideliter dedicauit. Poſtremò Romanæ Vrbi per quinque annorum luſtra præſedit, quam etiam cum coapoſtolo ſuo Paulo pretioſo triumphalis victorię ſanguine purpurauit. Sed cur nos vel illum ter vnctum, vel iſtum ter præſidentem

† Famulabus credid.

2. Reg 13. v. 39
1. v. 14.
3 Reg. 1. v. 5. 2. v. 17.

1. Reg. 16. v 13.
2 Reg 2. v. 4.
2. R g. 5. v. 3.

† Immò Euodium, vt Ignatius ipſe in epiſt & alij teſtantur.

in allegationem huius disputationis adducimus, nisi vt tu interim ad conscientiam redeas, teque totidem vicibus, & si non iudicio sacerdotum, sed Canonum auctoritate depositum, quam procul a sanctis viris sis, & ipse perpendas? Licet enim illorum vtriusque trina promotio tamquam vna dumtaxat, nullum vel regni, vel sacerdotij fuerit incrementum; quodammodò tamen plenioris fuit sanctitatis indicium. Sicut enim ille pietate, vel iustitiâ Reges; sic & iste transcendit omnes priuilegio sacerdotes. Hinc est, quod cum reliquis Sanctis hoc non impendimus, solius B. Petri festiuè cathedram celebramus. Cum itáque sacerdotium tuum tantâ laboret infamiâ, quo pacto præsumpsisti, vel, vt mitius loquar, acquiescere potuisti, ignorante Romanâ Ecclesiâ, Romanum te Episcopum eligi? Taceamus interim de Senatu, de inferioris ordinis Clero, de populo. Quid tibi de Cardinalibus videtur Episcopis? Qui videlicet & Romanum Pontificem principaliter eligunt, & quibusdam alijs prærogatiuis, non modò quorumlibet Episcoporum, sed & Patriarcharum, atque Primatum iura transcendunt? Saluo quippe vniuersalis Ecclesiæ Sacramento, isti sunt oculi vnius lapidis, id est Romanę Ecclesiæ. De quibus per Zachariam dicitur: Ecce, inquit, lapis, quem dedi coram Iesu. Super lapidem vnum septem oculi sunt. Ipsi lucernæ vnius candelabri, de quibus ipse postmodum loquitur, dicens: Vidi, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius super caput ipsius, & septem lucernæ super illud. Ipsi sunt & candelabra, in quorum medio Iesus, iuxta B. Ioannis verba discurrit, & hunc sermonem, qui illic præstò subiungitur, in te quodammodò specialiter dirigit: Memor esto, inquit, vnde excideris, & age pœnitentiam. Planè si pœnitentiâ iure plectendus est, quisquis cuilibet irrogat iniuriam sacerdoti; quâ tu sentētiâ dignus es, qui illis præiudicium sacerdotibus intulisti, quorum consilio, & iudicio status, ac disciplina debet totius Ecclesiæ Catholicæ gubernari? Et cum Canonica decernat auctoritas, vt vel humilis cuiuscumque Ecclesiæ Clero liceat liberum de illo, qui sibi præferendus est, habere iudicium, quâ tumoris audaciâ tu præsumpsisti te violenter illis ingerere, qui præter communem Ecclesiæ regulam, super ipsos quoque Pontifices authenticam præualent promulgare censuram? Cur per ambitionem adipiscendi culminis, inaccessibilisque fastigij, totum ferè mundum in condemnationis tuæ iurgium concitasti? Vt illud Hieremiæ Prophetæ quodammodo vociferantes exclament: Terra, terra, terra, audi sermonem Domini: Hæc dicit Dominus: Scribe virum istum sterilem, virum, qui in diebus suis non prosperabitur. Et tu è contrà ei usdem Prophetæ verbis aptę valeas respondere: Væh mihi mater mea! quare me genuisti virum rixæ, virum discordiæ in vniuersâ terrâ? Non fœneraui, nec fœnerauit mihi quisquam: omnes maledicunt mihi. Rursus illud æquè propheticum: Maledicta dies, in quâ natus sum; dies, in quâ peperit me mater mea, non sit benedicta; vbi pręstò subiungit: Maledictus vir, qui annuntiauit patri meo, dicens: Natus est tibi puer

S. R. E. Episcopi Card. dignitate antecellunt Patriarchas, & Archiepiscopos.

Zach. 3. v. 9.

Zach. 4 v. 2.

Apoc. 1. v. 13.

Apoc. 2. v. 5.

Hier. 22. v. 29. 30.

Hier. 15. v. 10.

Hier. 20. v. 14. 15. 16. 17.

masculus & quasi gaudio lætificauit eum. Sit homo ille, vt sunt ciuitates, quas subuertit Dominus, & non pœnituit eum. Audiat clamorem manè & vlulatum in tempore meridiano, qui non me interfecit à vuluâ, vt fieret mihi mater mea sepulchrum & vulua eius cōceptus æternus. Non hîc dies illa, in quâ natus est homo, maledicitur; sed prosperitas potius, quâ lenocinante in peccatum lapsus est, condemnatur. In quâ videlicet die tu quodammodo morereris in vuluâ, si ab eâ, quam cœperas, immò in quâ malè nascebaris, desisteres culpâ. Cum te videlicet alieni, & non filij Apostolicæ Sedis eligerent, & ab eâ potius, quam tenebas, Sede deponerent, quàm ad aliam, non per iudicium, sed per strepitum promouerent, sicut scriptum est: Deiecisti eos, dùm alleuarentur. Sæculares a liminibus Ecclesiæ coërcemus, qui dimissis vxoribus proprijs, extraneis fœderantur; sed quantò deterius adulterium ille committit, qui absque synodali sententiâ, relictâ suâ, alieni iuris Ecclesiam more prædonis inuadit? Hoc adulterium deplorat Propheta, cum dicit: Contritum est cor meum in medio mei, & contremuerunt omnia ossa mea: factus sum quasi vir ebrius, & quasi homo madidus à vino à facie Domini, & à facie verborum sanctorum eius. Cur autem tanto doloris tædio contabescat, protinus aperit, cum subiungit: Quia adulterijs plena est terra, quia à facie maledictionis luxit terra, arefacta sunt arua deserti. Quod autem genus hominum hoc perpetret adulterium, vnde & terra lugeat, & corda hominum velut arua deserti ab inundatione prædicationis arescant, aperit illicò, cùm consequēter adiungit: Propheta namque, & sacerdos polluti sunt, & in domo mea inueni malum eorum, dicit Dominus. Sed quid eisdem adulteris sacerdotibus, & prophetis immineat, mox subsequendo declarat: Iccircò via eorum erit quasi lubricum in tenebris; impellentur enim, & corruent in ea; afferam enim super eos mala, annum visitationis eorum. Prophetabant in Baal, & decipiebant populum meum Israël, & in Prophetis Hierusalem vidi similitudinem adulterantium, & iter mendacij. Audis similitudinem adulterantium, audis iter mendacij? Alterum scilicet pendet ex altero. A tramite quippe veritatis oberrat, qui per luxuriantis concupiscentiæ ambitum castitatis Ecclesiasticæ munditiam fœdat. Nunc Ecclesiam, proh dolor! vsque ad verticem constupratam dolemus, quod Hierusalem dudum Hieremias contigisse conqueritur: Filij, inquit, Mempheos, & Taphnes constuprauerunt te vsque ad verticem. Hierusalem namque vsque ad verticem constupratur, quandò a minimis quibusque Ecclesijs vsque ad Apostolicam Sedem, quę omnium caput est Ecclesiarum, luxuria vęnalitatis extenditur. Sed huius adulterij dulcedo in quantam vertatur amaritudinem, illicò vox diuina subiungit: Ecce, inquit, ego cibabo eos absinthio, & potabo eos felle. Fac itaque, frater, iuxta vocem Prophetę, dicentis: Redite pręuaricatores ad cor. Discute, obsecro, conscientiam tuam, & prudenter examina, quâ quiete, quo refrigerio potitus es, postquam te huic periculoso negotio, tamquam Scyllæ voraginis

Psal. 72. v. 18.
Hier. 23. v. 9.
Ibidem. v. 10.
Ibid. v. 11.
Ibid. v. 12.
Hier. 2. v. 16.
Apostolica Sedes est caput omnium Ecclesiarum.
Hier. 9. v. 15. & 23. v. 15.
Esai. 46. v. 8.

fluctibus immersisti. Dilapidantur æra cupidinis, exhauriuntur folles diuersi generis metallo turgentes; profligantur in cuneos militum erogandæ pauperibus Ecclesiæ facultates. Cunctisque subiectus obtemperas, vt cunctis in dignitate precellas, & ambitio dominationis iuri te mancipat seruitutis. Vnum te non lateat, quia quisquis Ecclesiæ per venalitatem semel irrepserit, donec illi pretuerit, redimere non cessabit. Iusto quippe Dei iudicio agitur, vt quisquis regimen ecclesię nundinatus aggreditur, quietis, vel opulentię commodum, quod sperauerat, de suo commercio non lucretur; sed sedens in cathedrâ pestilentię fabriles semper malleos versat, vt immundæ prelationis riuus per sordida conuexa decurrens, vnde funestus oboritur, suo semper fonti respondeat.

Est onus onerum. S. Leo Papa. Enimuerò cum religiosus quisque vir subire tam laboriosæ Sedis onus abhorreat, illicque constitui vix vllis hominum precibus acquiescat, cur tu onus onerum, vt sanctus Leo Papa dicebat, non modo non paras aufugere, sed vltrò etiam preces, & precium offerendo anxiè te conaris intrudere? Vt liquido videatur tibi sententia illa congruere, quam per Ezechielem aduersus Hierusalem diuinus sermo pronunciat: Omnibus, ait, meretricibus dantur mercedes; tu autem dedisti mercedes

Ezech. 16. v. 33. cunctis amatoribus tuis. In eo enim, quod dedisti mercedes, & mercedes non accepisti, factum est in te contrarium. Prætereà, si eos sacri Canones hæreticos notant, qui cum Romanâ Ecclesiâ non concordant; quâ tu iudicaberis dignus esse sententiâ, qui sibi resistenti, & obstinatissimè reluctanti, non pastor, sed tyrannus ingereris: eamque quam supra petram fidei Petrus prædicator erexit, tu cum satellitibus satanæ nouus præliator euertis? & vt immeritum pastoris nomẽ obtineas, ipsam confundere, ac dilacerare pascuam cum suis gregibus non formidas? Sed audi quid tibi, tuisque similibus Dominus per Prophetam dicat: Væh

Hier. 23. v. 1. 2. pastoribus, qui disperdunt, & dilacerant gregem pascuæ meæ, dicit Dominus. Ideò hæc dicit Dominus Deus Israël ad pastores, qui pascunt populum meum: vos dispersistis gregem meum, & eiecistis eos, & non visitastis eos; ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum. Hoc autem, quod tu nunc moliris, non est gregem Domini

Ioan. 10. v. 10. visitare, sed potius instar prædonis, ac furis perdere, & mactare. Sicut in Euangelio Dominus dicit: Fur non venit, nisi vt furetur, & mactet, & perdat.

Numquid ad hoc natus es, vt mundum in bella concutias, Apostolorum labores, & opera destruas, totamque Christi Ecclesiam, tuâ, vnius videlicet hominis, ambitione, confundas? & hæc fortasse turbatio tui nominis est intentata præsagio. Cadalous quippe vocaris. Et prima qui-

Cadaloi nominis interpretatio. Cõsule Schol. dem pars huius nominis manifestè denunciat casum, secunda populum: λαὸς si quidem Græcè, Latinè populum sonat. Et quid aliud in hoc exprimitur nomine, nisi quod Scriptura dicit: Quia videlicet ruina populi sunt sacerdotes mali? Hoc itaque modo, qui sanctæ Ecclesiæ fueras filius, aduersus eam factus es gladius. Et fortè tu ille es gladius, de quo

de quo Ezechiel Propheta dicit: Gladius, gladius exacutus est, & limatus. Cur autem duo hæc iste gladius habeat, hoc est, vt limatus sit, & acutus, secutus exponit: Vt cædat, inquit, victimas, exacutus est; vt splendeat limatus est. Nonne in te videntur ista congruere, qui videlicet vt solus valeas dignitate splendere, totum regnum laboras in prælium, velut occisionis victimas congregare? Sed adhuc audi, quod præstò subiungit: Qui moues sceptrum filij mei, succidisti omne lignum; & dedi eum ad læuigandum, vt teneatur manu; deinde sequitur: Iste exacutus est gladius, & iste limatus est, vt sit in manu interficientis. Tu profectò, tu ille es gladius, qui Filij Dei moues sceptrum; hoc est, qui eum, in quo ille regnat, & imperat, commoues populum. Sceptrum Filij Dei est Ecclesia Catholica, hęc regnum, hęc est & nostri Redemptoris imperium: Quam tu mouere meritò diceris, dum eam vexare, & conturbare contendis. Non est mihi propositum Prophetæ verba more commentantis exponere, vt debeam de lignis quoque, vnde post arcam Noë nunc fabricatur Ecclesia, disputare: sufficiat mihi dumtaxat illa perstringere, quę tuæ videantur vęsaniæ conuenire. Porrò autem, quia conatus tuus iste numquam perueniet ad effectum, sed infaustum postremò concludetur in exitum; & qui Romanis arcibus superbus inueheris, ad solum proprium cum ignominia reuerteris; audi quod sequitur. Nam postquam diuina vox ait: Mucro, mucro, euagina te ad occidendum; lima te, vt interficias, & fulgeas; paulopost sequitur: Reuertere ad vaginam tuam, in locum, in quo creatus es: in terra natiuitatis tuæ iudicabo te, & effundam super te indignationem meam, & ignem furoris mei sufflabo in te. Habes nunc forsitan mitram, habes iuxta morem Romani Pontificis, rubeam cappam; caue ne hanc aduersum te sententiam diuinus per eumdem Prophetam sermo decernat: Tu autem prophane, impie dux Israël, cuius venit dies in tēpore iniquitatis præfinita; hæc dicit Dominus Deus: Aufer cidarim, tolle coronā: nonne hæc est, quæ humilē subleuauit, & sublimē humiliauit? Ac si patenter enunciet, quia quisquis adhāc cidarim, vel sacerdotalē coronā arrogāter anhelat, iure deprimitur: qui autem indignū se vociferās renuit, meritò sublimatur. Multùm sanè lætificat, quod huiusmodi te Pontifices elegerunt, Placentinus videlicet, & Vercellinus, qui nimirum multū petulci, ac prolectarij, sicut norunt disputare de specie fœminarum, sic vtinam potuissent in eligendo Pontifice perspicax habere iudicium. Ecce iterum duo senes illi, de quibus locutus est Dominus: Quia egressa est iniquitas de Babylone a senibus iudicibus, qui videbantur regere populum. Ecce iterum Susanna in iudicium accusata producitur: ecce falsum innocenti crimen intenditur, & sanguis innoxius condemnatur. Sed numquid deerit etiam Daniel, cuius repentè Spiritus suscitetur, falsorumque testium nequitias vlciscatur? Aderit vtique, aderit verus ille vir desideriorum, de quo dicit Prophèta: Ecce veniet desideratus cunctis gentibus. Aderit, inquam, potentior ille Daniel, qui & impios senes perperam

Ezech. 21. v. 9. 10.

Ibid. v. 10. 11.

Scepturum Filij Dei est Ecclesia Catholica.

Ibid. v. 28.

Ibid. v 25. 26.

Placentinus, & Vercellinus Episcopi Cadaloum in Antipp. eligunt.

Dan. 13. v. 5.

Aggei 2. v. 8.

iudicasse conuincat, & Susannam nostram ab iniustæ sententiâ damnationis absoluat. De cuius repentino iudicio alius Propheta dicit:
Hier. 23. v. 19. Ecce turbo Dominicæ indignationis egredietur, & tempestas erumpens super caput impiorum veniet: non reuertetur furor Domini vsque
Cōsule Schol. dum faciat, & vsque dum compleat cogitationem cordis sui. Saluâ planè dignâ reuerentiâ Regibus nostris, quibus vtique siue pro sexus, siue pro ætatis infirmitate subripi potuit: præter illos, quicumque te ad hoc flagitium impulerunt, filij Cayphæ, primogeniti dicendi sunt Satanæ, adiutores Antichristi, aduersarij Veritatis. Itaque libet exclamare: O cælum! ô terra! cum quibus scilicet & omnia turbanda sunt elementa. O tragœdia omnibus ante nos sæculis inaudita! vt alienus Episcopus, propriâ sede contemptâ, ignorante Deo, nesciente Petro, nesciente Romanâ Ecclesiâ, super Romanam constituatur Ecclesiam? & quod non fert Ecclesia cuiuslibet infimæ dignitatis, perferat illa, quæ mater est, & magistra totius Christianæ religionis? Sed quispiam fortassis obijciat, inordinatæ huic ordinationi aliquem interfuisse Romanum. Erubescat ad hęc lingua phrenetica, & quę nescit esse facunda, discat esse vel muta: nescit aliquid vtiliter dicere, sciat saltem sine damno tacere. Nimirum cum electio illa per Episcoporum Cardinalium fieri debeat principale iudicium, secundo loco iure præbeat Clerus assensum, tertio popularis fauor attollat applausum: sicque suspendenda est causa, vsque dum regiæ celsitudinis consulatur auctoritas; nisi, sicut nuper contigit, periculum fortassis immineat, quòd rem quantociùs accelerare compellat. Portò autem sicut diabolus diuino nomini pluralem numerum indidit, vt diceret mulieri: Eritis sicut Dij scientes bonum, &
Gen. 3. v. 5. malum; ità tu Grammaticorum regulis nouum aliquid addidisti, vt in declinatione iam pueri dicant: Papę Paparum. Per te itáque senex iam mundus addiscit, quod hactenus ignorauit. Et sicut iuxta Pauli vocem,
Heb. 9. v. 25. summus Pontifex in Sancta per annos singulos ingrediebatur in sanguine alieno; sic & tu nunc miserorum hominum, velut porcorum succidium facis, & sanguinem fundis, vt ad B. Petri sanctuarium cruentus
Act. 5. v. 5. 10. ingrediaris. Caue frater, caue, ne velut hostis insurgas tam præcipitanter in Petrum, qui certè & Ananiam cum coniuge verbi sui telo confodit: & Simonem arroganter astra petentem, in gehennæ profunda demersit.

Diuina vltio in Pontificē S. Petri possessionem alienantem.

Quod mihi a senioribus intimatum est, refero: in Babyloniæ partibus possessionem Apostolica Sedes habebat, vnde tantum balsami reditum per annos singulos capiebat, quod indeficienti fomite sufficeret lampadi, quę videlicet ante altare beati Apostolorum Principis rutilabat appensa. Quam possessionem, acceptâ pecuniâ, Papa distraxit, Canonemque aromatis, quem recipere solebat, amisit. Aliquantò post, cum idem Papa prędicto sacrosancto altari, quasi deuotus assisteret, & oraret, ecce quidam terribilis, & grandæuus senex, in cuius etiam facie barbirasium videbatur, elato brachio colaphum sibi vehementer incussit, & ait: Tu

extinxisti lucernam meam ante me, & ego extinguam lucernam tuam ante Deum: moxque disparuit. Ille verò protinus corruit, & paulopost diem clausit extremum. Sic sic nimirum meretur corripi, qui illi se præbet aduersum, qui cæli, terræque primus Pastor obtinet principatum. Quis, oro, duorum Paparum duriori tibi videtur austeritate plectendus? Vtrùm ille, qui sacri altaris lucernam præsumpsit extinguere; an tu, qui totam vniuersalem Ecclesiam per furtiuæ promotionis exordium niteris obscurare? Qui enim iuxtà Veritatis vocem, intrat per ostium, Pastor est ouium; qui autem intrat aliunde, fur est, & latro. Sed sicut per Pastoris ostium qui iam vtique præsidet, domui lumen infunditur; ita per tuum aliunde, nihil aliud, nisi fumus, atque caligo; chaos, & horror ingeritur tenebrarum. Hùc accedit, quia dum in imis est quispiam, eius quodammodò vitia delitescunt; cum verò ad dignitatis culmen ascendit, in superficiem mox erumpunt: & quæ fuerant eatenus inaudita, iam per ora rumigeruli populi trita vulgantur. Quot hominum millia nunc tua facta dinumerant, qui vsque ad hoc tempus ea funditùs ignorabant? Nam præbendarum Ecclesiæ tuæ, vel Ecclesiarum damnanda commercia, aliaque longè turpiora, quæ nos erubescimus dicere, hactenùs in tuo tantùm narrabantur oppidulo: nunc alter ad alterum vbiquè regni huius, & mercatores loquuntur in foro, & fossores in agro. Pueri, qui rhetoricantur in scholis, ciues, qui glomerantur in triuijs, omnes pęne te lacerant, teque dijudicant. Hoc si quidem tibi contigisse comprobatur, quod transgressori cuilibet per Hieremiam dicitur: Propter multitudinem iniquitatis tuæ reuelata sunt verecundiora tua, pollutæ sunt plantæ tuæ. Cui paulòpost etiam dicitur: Hæc sors tua, parsque mensurę tuæ apud me, dicit Dominus, quia oblita es mei, & confisa es in mendacio. Vnde & ego nudaui femora tua contra faciem tuam, & apparuit ignominia tua, & adulteria tua, & hinnitus tuus scelus fornicationis tuæ. Veruntamen si ego te conueniendum esse decernerem, hisque in os sermonibus obiurgarem; nonne tu quæ gratis offerenda sunt in Ecclesiâ distraxisti? Nonne hæc, & illa cælo, terràque testibus commisisti? Quę videlicet si ego tibi dicerem, non me latet, quoniam dum negare hæc, mundo teste, non posses, protinùs ad futuræ correctionis patrocinium conuolares. Quilibet enim culminis appetitor dum de transactâ vitâ, conscientiâ remordente confunditur, emendationem sibimet in posterum pollicetur; sed dum culmen celsitudinis occasio sit peccandi, quomodò per scopulosi montis prærupta non offendet, qui per plana gradiens impingebat? Possem præterea respondere, quod per Prophetam Dominus tibi, tuisque similibus dicit: Si mutare potest Aethiops pellem suam, aut Pardus varietatem suam, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum. De quâ varietate, & alibi dicit: Numquid auis discolor hæreditas mea? Numquid auis tincta per totum? Sed culpæ varietatis, præstò subinfert sententiam vltionis: Venite, inquit, congregamini omnes bestiæ terræ, properate

Ioan.10.v.1.
Hier.13.v.22.
Ibid.v.25.
Culmen celsitudinis occasio est peccandi.
Ibid.v.23.
Hier.12.v.9.
Ibid.v.v.10.

ad deuorandum. Quibus autem huius adnimaduersio deuorationis immineat, illicò subdendo, manifestat: Pastores multi demoliti sunt vineam meam, conculcauerunt partem meam, dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis, posuerunt eam in dissipationem. Quæ videlicet omnia nihil aliud vtique designantia, nisi Ecclesiam à malis Pastoribus dissipatam, quoniam & te hoc nosse credo, dum verbis pluribus non indigeant, non expono. Hoc tantum te latere non patior, quia & tu, & quicumque tibi similiter, per ambitionem Ecclesiæ culmen appetitis, Deum procul dubiò nescientes, Ecclesiam laceratis. Vnde & per eundem Prophetam dicitur: Quia stulte egerunt pastores, & Dominum non quæsierunt: propterea non intellexerunt, & omnis grex eorum dispersus est. Spondes itaque nunc emendationem, vt concupitam obtineas dignitatem. Humiliter loqueris, vt ad celsitudinem proueharis. Humilitas hæc, quia de radice superbiæ nascitur, ad satisfaciendum idonea non videdetur. Illud interim ad memoriam redit, quod in libri Geneseos reperitur historiâ: Quia Dinam Liæ filiam cum vidisset Sichen, filius Hemor Heuæi princeps terræ illius, adamauit, & rapuit, & dormiuit cum ea, vi opprimens virginem: & conglutinata est anima eius cum ea, tristemque blanditijs deliniuit: eamque tàm impatienter amauit, vt non modò se, sed & omnes suæ ciuitatis masculos circumcideret, vt eius dumtaxat potuisset coniugium obtinere. Sed hæc satisfactio non Deo placuit, non fratrum illius corda placauit: quia non ob religionem, sed ad potiendam carnis facta est voluptatem. Fratres enim illius sæuientes ob stuprum, omnes, qui circumcisi fuerant, gladijs peremerunt. Tu ergò, tu nouus es Sichen, corruptor Dinæ, violator Ecclesiæ. Circumcidis carnem, vt carnis valeas explere libidinem. Prauos te polliceris mores abscindere, vt in prauitate postmodum impunè te liceat permanere. Sed ecce Simeon, & Leui Sichen gladijs impetunt; quia vetus, & nouum Testamentũ dum suis te sententijs damnant, quasi totidem te gladijs armati fratres obtruncant. Siue vt vindices propiùs acquirantur; Petrus, & Paulus, qui mundi sunt Iudices, ipsi quoque fiant tuæ transgressionis vltores. Fœdam enim rem operatus es in Israël. Sed ne quis mihi fortassis obijciat, quod interfectores illi Sichen, Simeon videlicet, & Leui, obeunte Patriarchâ Iacob, reprobationis meruere sententiam; sciat illîc a prophetico spiritu futuram potius mortem Saluatoris attendi, quam peractam dignè stragem luxuriosi hominis condemnari. De Simeon enim Scribæ sunt Iudæorum; de Leui verò tribu Principes Sacerdotum. De quibus vtique scriptum est: Quia concilium fecerunt, vt Iesum dolo tenerent, & occiderent. De quo concilio dicitur: In concilio eorum non veniat anima mea: & in cœtu illorum non sit gloria mea. Quia, inquit, in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum. Virum scilicet illum, de quo Sapientia ait: Opprimamus virum iustum, quia contrarius est operibus nostris. Murum autem suffoderunt

Hier. 10. v. 21. Gen. 34. v. 2. 3. Gen. 34. v. 7. Matt. 26. v. 4. Gen. 49. v. 6. Sap. 2. v. 12.

suffoderunt, hoc est, illud fortissimum, ac spiritale propugnaculum quod custodit Israël. Vt igitur expositoribus cætera relinquamus, sufficiat hîc intelligi non vindictã stupri, sed peremptorum Christi sacrilegia condemnari. Quam planè vindictam Iudith quoque Deo placitam docuit, dicens: Domine Deus patris mei Simeõ, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum, qui violatores extiterũt in coinquinatione sua, & denudauerunt femur virginis in confusionem, & dedisti mulieres illorum in prædam, & filias eorum in captiuitatem, & omnem prædam in diuisionem seruis tuis, qui zelauerunt zelum tuũ. Porrò autem non es contentus mensura hominis, sed in humano genere mõs videri appetis, & quasi promontorium superbię in fastigij te culmẽ attollis. Non vis esse de vallibus, de quibus dicitur: Valles abundabunt frumento. Sed audi, quod tibi Dominus per Prophetam dicat: Ecce ego ad te mons pestifer, ait Dominus, qui corrumpis vniuersam terram, vt extendam manum meam super te, & euellam te de petris, & dabo te in montem combustionis, & non tollent de te lapidem in angulum, & lapidem in fundamenta; sed perditus in æternum eris. Et iterum: Ecce ego ad te superbe, dicit Dominus, quia veniet dies tuus, tempus visitationis tuæ: & cadet superbus, & corruet, & non erit qui suscitet eum. Tantum ne in te damnationis ardor inferbuit? Huccine te superbiæ fastus, & celsitudinis ambitio prouocauit; vt reginam Ecclesiarum, siue vt ita fatear, regnorum omnium temerares imperium? Sed despexit te, subsannauit te virgo filia Sion; post te caput mouit filia Hierusalem. Cui exprobrasti, & quem blasphemasti? Super quem exaltasti vocem, & leuasti altitudinem oculorum tuorum? Ad sanctum Israël? In multitudine inquiens, quadrigarum mearum ego ascendam altitudinem montium, iuga Libani; Romanam videlicet Ecclesiam in mundi totius culmine constitutam, & nitore virginalis pudicitiæ candidatam. Sed audi quid tibi per eundem Prophetam diuina vox dicat: Habitationem tuam, & egressum tuum, & introitum tuum cognoui, & insaniam tuam contra me; cum fureres aduersum me, superbia tua ascendit in aures meas. Moxque sententiam in conclusione subnectit: Ponam ergò circulum in naribus tuis, & frænũ in labiis tuis, & reducam te, in via, per quam venisti.

Iudit. 9. v. 2. 3. *Psal. 64. v. 14.* *Hier. 51. v. 25.* *Hier. 50. v. 31. & 32.* *Esai. 37. v. 22.* *Ibid. v. 24.* *Ibid. v. 28.*

Sed ecce nos multa adhuc plura, dictante materia, nec dum expleuimus votum, & iam excedimus epistolare compendium. Rogandus est ergo dumtaxat Omnipotens Deus, vt & te ad humilitatis reuocet spiritum; & sopitis erroribus simultatum in Ecclesia sua pacis, atque cõcordiæ, quæ per te scissa est, stabiliat fundamentum: In fine libet hæc plangere:

Rythmus de Ecclesia Rõ. ab Antipp. inuasa.

Heu Sedes Apostolica	*Terunt incudem mallei;*
Orbis olim gloria,	*Nummi sunt tartarei.*
Nunc proh dolor! efficeris	*Iusto Dei iudicio,*
Officina Simonis.	*Fit ista conditio.*

Vt quisquis Apostolicam
Sedem semel comparat,
Redimere non desinat,
Donec malè pereat.
Cathedram pestilentiæ,
Pressus anathemate
Tenet cum sacerdotibus
Christi peremptoribus:
Fit sibi terra ferrea,
Celi sedes ænea.

Diligenter igitur intende, quod dico:

Triste Tristichô Cadaloo.

Fumea vita volat, mors improuisa propinquat,
Imminet expleti præpes tibi terminus æui.
Non ego te fallo, cœpto morieris in anno.

EPIST. XXI. Ad eundem Cadaloum Episcopum Parmensem, qui & Honorius II. Antipapa.

ARGVMENTVM.

Scribit iterum ad eundem scelestissimum Cadaloum, qui superiori Epistola accepta, non modò nihil de impietate remiserat: verum etiam peiora audens, Romam cũ exercitu violenter ingressus, pugna cum aduersarijs commissa cruentissimæ stragis auctor extiterat. Non autem nunc, vt anteà fecerat, cum eo leniter agit: sed ea, quâ meretur, seueritate accusat; & nisi tandem aliquando resipiscat, propinquum diuinæ vltionis fulmen minitatur.

Petrus peccator Monachus, Cadaloo pseudoepiscopo quod meretur.

SI Niniue post prædicationem Ionæ ita constanter à sua se prauitate corrigeret, vt spretis semel vitijs, denuò se nullatenus implicasset; Propheta Nahum aduersus eam nequaquam onus hoc leuaret, vt in ipso libri sui principio protinus in hæc verba prorumperet: Deus æmulator, & vlciscens Dominus, & habens furorem: vlciscens Dominus in hostes suos, & irascens ipse inimicis suis. Scripsi tibi nuper antequam Romam cum satellitibus satanæ fuisses aggressus, denuncians, & contestans; vt te à tam cruenti moliminis intentione compesceres, vt intrà mensuræ tuæ te septa reprimeres, & nec motum diuini furoris aduersum te, nec mundum aduersus Ecclesiam in bella nefaria concitares. Verum tu tamquam * Vesecuus gehennæ flammas eructans, non quiescis; pecuniæ fauillas, vt ita loquar, per populum spargis, & per æstum cupidinis miserorum hominum corda corrumpis. Tuam profligas Ecclesiam, vt obtineas alienam. Illinc aurum, argentumque stateris appenditur; hinc stipulationes, rata, & signa procedunt, sub hypothe-

Nahum. 1. v. 2.

* Vesuuius

cario iure monimenta fiunt; sicque prolabentis Ecclesiæ prædia distrahuntur. Ducis post te castra, auro potius armata, quàm ferro; & sic nummi proferuntur è loculis, tamquam gladij vibrentur è thecis. Phalangas planè, quæ te sequuntur, ad tuæ signa militiæ non tàm litui, buccinæ, vel tubæ clangor excitat, quam vena metalli vibrantis inuitat. Habens enim, vt aiunt rustici, pugillum aureum, frangis murum ferreũ. Sed sunt diuitiæ, vt Salomon ait, conseruatæ in malũ Domini sui. Quid enim profuit aurũ Ptolomeo, Regi scilicet Ægypti, qui post nauale bellũ, quod Iulio Cæsari perfidus, ac superbus intulerat, enecatus fluctibus, neglectus, atque despectus in littore sine custode iacebat: nec aliter est inter cæteros agnitus, nisi quia aurea erat lorica præcinctus? Melius ei fuerat sub pannoso tegmine viuere, quã in purpura, vel auro perire. Imperator Nero retibus aureis piscabatur, eaque vt historiæ tradunt, blattinis è gurgite funibus extrahebat: sed eũ nullatenus potuerunt ab imminenti discrimine neq; diuitię, neq; deliciæ liberare. Nam cum à Romanis pro incomparabilis enormitate flagitij, ad supplicium quæreretur, pauefactus è palatio fugiens, ipse sibimet in suburbio consciuit interitum. Iustinus Imperator tantam thesauri copiam possidebat, vt ad opum custodiam vxor eius arcas ferreas fabricaret; sed postmodum impos mentis effectus, dum se perdidit, etiam possessa quælibet cum ipsis quoque regalibus sceptris amisit. Vnde bene per Prophetam dicitur: Argentum eorum foras proiicietur, & aurum eorum in sterquilinium erit: argentum eorum, & aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini; animam suam non saturabunt, & ventres eorum non implebuntur; quia scandalum iniquitatis eorum factum est, & ornamenta monilium suorum in superbiam posuerunt. Gothorum Dux Alaricus, vt authentica testatur historia, dum inopinatas se possidere diuitias gloriatur, apud Consentiæ regionem subita morte defungitur. Gothi verò protinus Barentum amnem à suo alueo per alium tramitem captiuorum labore deflectunt: sicque Alaricum cum multis opibus in eodem alueo aqua deficiente sepeliunt, moxque fluuium proprio meatui iuxta consuetudinem reddunt; ac nequis addiscere locum posset, captiuos omnes, qui interfuerant, extinxerunt. Et ô vtinam sic tuam tibi pecuniam tuus etiam miles infoderet, ne per eam, sicut iam cœpit, status Ecclesiæ deperiret; vt quod magistro tuo dictum legitur, tibi quoque meritò diceretur: Pecunia tua tecum sit in perditione. Habuit porrò mater Michæ, sicut in libro Iudicum legitur, argentum, vnde conflatum est idolum; sed absit, vt tantum ex illa, quantum de tua pecunia, prodierit sacrilegium. Ex illa quippe summa in vna tantum tribu Israël factum est scandalum; tua vero pecunia Christianæ Fidei, & totius sanctæ Ecclesiæ nititur euertere fundamentum. Et, ô scelus inauditum! Pilati milites inconsutilem Domini non presumunt scindere tunicam; & tu in duos Papas Catholicam partiris Ecclesiam? Illi pendentis in Cruce Saluatoris ossa non frangunt; & tu sectis Ecclesiæ

Eccl 5 v.12. Eutrop histor Rom. lib. 6 in fin. | Eutrop. hist. Rom. lib. 7. | Paul. Diac de Gest. Longob lib 3 c 11. | *Ezech. 7. v. 19.* | Iornandes de Got. orig. c. 30 | *Act 8. v. 20.* | *Iudic. 17. v. 5.* | *Ioan. 19. v. 24.*

membris; quæ proculdubiò corpus eius est, sacramentum violas vni-
1.Reg.5.v.8. tatis? Captam bello Arcam Dei Israël, Philisthinorũ Principes temerare non audent, sed clausam vndique, illibatâque conseruant; tu Christianæ pietatis arcanum, & non lapidearum tabularum, sed Verbi Dei viui, & permanentis cæleste mysterium vexare, ac soluere niteris frementiũ
2.Reg.6.v.7. cuneis bellatorum. Si Oza moritur, quia humerum supponit, ne arca Domini corruat; quid illi meritò fiet, qui se super Ecclesiam Christi, vt in eius ruina ipse sublimis videatur, exaltat? Audi quid tibi per Abdiam
Abdia cap. vnic.v.3. diuina vox dicat: Superbia cordis tui extulit te habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum. Qui dicis in corde tuo: Quis detrahet me in terram? Vbi mox sequitur: Si exaltatus fueris vt aqui-
Ibid. v.4. la, & si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus. Luce clarius constat, quia Dauid in Regem per Samuelis ministerium vngitur, Saul verò diuini iudicij sententia reprobatur. Sed donec Saul aduixit, nec perexiguam quidem regni particulam Dauid sibimet vsurpare præsumpsit. Sed quid dicimus, quod Dauid, viuente Saul, regij culminis apicem non ascendit? cum & eo etiam iam defuncto, nequaquam mox ad obtinenda regalia sceptra se contulit; sed vtrum ius saltem habitandi in qualibet regni Vrbe mereretur, humiliter inquisiuit, dicens: Nùm ascendam
2.Reg 2.v.1. in vnam de ciuitatibus Iuda? Cui cum diuinitus diceretur, ascende: Non mox, in quam sibi melius videretur, credidit ascendendum; sed geminat inquisitionem, vt capiat certitudinem. Inquirit adhuc quò potissimum ascendere debeat, ne iudicium se disponentis in aliquo vel minimo, quod absit, offendat. Quò, inquit, ascendam? Ait Dominus: In Hebron. Dauid ergò Rex in regno sibi diuinitus tradito, nõ modò regnare, sed ne quidẽ habitare præsumit, nisi diuinæ iussionis adhuc renouetur imperium; & nos, qui sacerdotes dicimur, alienas Ecclesias prædonum, atque raptorum more peruadimus, easque mundo stupente, Deo prohibente, contra decreta legum, contrà sententias Canonum, vænali commercio redimere festinamus. De quibus sub
Hier 5.v.7.1.8 adulterorum specie per Hieremiam dicitur: Saturaui eos, & mœchati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur: equi amatores in fœminas emissarij facti sunt; vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat. Vn-
Ibid.v 9. de & sequitur: Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? & in gentem talem non vlciscetur anima mea? Enimuerò sicut per auxe-
Peccatũ peccatorum quid sit. sin dicitur, Sancta Sanctorum, & Cantica Canticorum; sic Romanã Ecclesiam vænaliter distrahi, peccatum est vtique peccatorum. Quamlibet quippe Ecclesiam redimens, simoniacus est; qui autem Romanam Ecclesiam ad taxationem pecuniæ redigit, quid aliud, quam omnes per vrbem terrarum Ecclesias, quibus illa prælata est, vænaliter vsurpare contendit? Sanè sicut triginta denariis Iudas Iscarioth Dominum vendidit: ita triginta nihilominus maledictiones eius reperiuntur in Psalmo,

Psalmo, quem aduersus eum Propheta descripsit. Quæ scilicet maledictiones ab eo versiculo incipiunt, vbi dictum est: Constitue super eum peccatorem; illic autem desinunt, vbi subiúnctum est: Operiantur sicut diploide confusione suâ. Si ergò iuxtà peccati modum, maledictionis, siue damnationis ponderatur elogium, quantæ perditioni Romanæ Ecclesiæ mercator erit obnoxius, qui dum vnam negotiatur, omnes simul Ecclesias comparare conuincitur? Quamobrem non subdit hanc in te redundare sententiam, quam per Ezechielem Dominus intentat, dicens: Venit tempus, prope est dies occisionis, & non gloriæ montiú. Nunc de propinquo effundam iram meam super te, & complebo furorem meum in te, & iudicabo te iuxtà vias tuas, & imponam tibi omnia scelera tua: & non parcet oculus meus, neque miserebor, sed vias tuas imponam tibi, & abominationes tuæ in medio tui erunt: & scies, quia ego sum Dominus percutiens te. Defuncto Cęsare Augusto, quo videlicet imperante Saluator mundi nasci dignatus est, mœrens Romanus populus lugubre clamitabat: Vtinam aut non nasceretur, aut non moreretur. De te autem, Cadaloe, meritò dicimus: Vtinam aut non nascereris, aut illicò morereris. Fuisset vtique, iuxta Scripturam, conceptus tuus conceptus æternus: abortisset mater tua, non peperisset; & abortum potius funderet, quam sobolem genuisset. Narrat Eutropius, quia paulò antè quàm Saguntini ab Hannibale famis inopiâ caperentur, ac vltimis cogerentur interire suppliciis; cum mulier quædam iam pænè fuisset enixa, infans repentè regressus in vterum, illius Ciuitatis portendit exitium. Optaremus etiam, vt tu quoque in viscera materna regressus, super Vrbem vnam potius triste prodigium intentares, quam ad ætatis incrementa perueniens, totam Ecclesiam Catholicam non iam significatione, sed viua potius operatione destrueres. Ad hoc enim te furiosa dominandi libido, & non appetendæ sublimitatis præcipitauit insania, vt vnius Episcopatus non sis mensurâ contentus, sed super vniuersalem Ecclesiam, generalem ambias principatú: & vt solus emineas, totum orbem in præcipitium mergere non formidas. Planè Diocletianus Imperator, sicut Historiarum tradit antiquitas, regalis fastigij insigne deposuit, & non procul à Salonis per nouem ferè annos vsque ad obitum, priuatus in amœnâ virentis hortuli culturâ permansit. Qui dum ab Herculio, atque Galerio ad recipiendum obnixè rogaretur imperium, tamquam pestem aliquam perhorrescens, hoc fertur dedisse responsum: Vtinam Salonæ possetis olera visere nostris manibus instituta, profectò numquam iudicaretis hanc sarcinam nostris iterum ceruicibus imponendam. Cùm pater magni Constantini Constantius, atque Galerius crearentur Augusti; Romanus inter eos ita diuisus est orbis, vt Gallias, Italiam, Africamq; Constantius; Illyricum, Asiam simul, & Orientem Galerius obtineret. At Constantius Augusti dumtaxat cú Gallijs dignitate contentus, Italiæ, simul & Africæ administrandę sollicitudinem recusauit. Vir etiam ille egregius, & præstantissimæ ciuilita-

Psal. 108. v. 6. 19.

Ezech 7. v. 7. 8. 9.

Martyrol. Ro. ad 8. Kal. Ian. & ibi Card. Baron.

Eutrop. hist. lib. 7.

Hier. 20 v. 17.

Eutrop. hist. lib. 4.

Eutrop. hist. lib 9.

Præclarum Diocletiani responsum.

Eutrop. hist. lib. 10.

tis, dum priuatorum, atque prouincialium diuitiis studuit, Fisci cōmoda non admodùm affectauit: melius iudicans publicas opes à priuatis haberi, quam intra ærarii vnius angustias reseruari. Reges ergò gentium propter curarum ingruentium tędium amplioris regiminis iura contemnunt, Imperialium dignitatum apices fugiunt; & sacerdotes Dei, qui hoc specialiter prædicare debuerant, in superbiæ se cornibus eleuant, & non sacerdotalem, sed regalem, immò tyrannicam ferulam arripere super humanum genus anhelant? Illi concessa ordini suo arma deponunt, vt quietis otio perfruantur, isti constipati legionibus armatorum, velut hostium castra, Christi Ecclesias impetunt, & gladio corruentium sanguine, tamquàm brutorum animalium pinguedine saginantur? Strix malefica etiam si alienum sanguinem sugit, suis tamen pignoribus parcit. Saturnus dum proprium deuorare filium nititur, in suis se dentibus † Abbadir inuenire miratur. Romanos certè tuos esse filios asserebas, quos tamen in ore gladij deuorare, non vt pater, sed tanquam crudelis vitricus decreuisti. In fortibus quidem velut lapideam reperisti duritiam; sed ex miseris, atque debilibus gauisus es triūphalem reportare victoriam. In quo planè certamine & tu Regis Totilę iudicaris superare tyrannidem, & tuus miles Gothorum excedit immanitatem. Ille namque, sicut nota narrat historia, cum Romam circūfusis militibus obsideret, & inclusus populus tantâ laboraret inediâ, vt iam pignorum suorum matres decreuissent artus absumere, tandem per Ostiensem ingressus est portam: qui parcere Romanis ciuibus cupiens, per totam noctem clangere tubam iussit, vt dum irrupisse hostem, buccinâ diutius intonante, pernoscerent, à Gothorum se gladiis quibuslibet interim latibulis occultarent. Tu autem, milesque tuus tantam plebis inualidæ, atque imperitæ bellorum stragem dedistis, vt cæsorum numerus ignoretur. Certè dum Pōpeius aduersus Cæsarem ciuili prælio dimicaret, inter hortandum, cuique tantum aiebat: Parce ciuibus. Cum Cæsar è contrario insisteret, inquiens: Miles, faciem feri. Tu itaq; Cæsareæ crudelitatis instinctu, dum accendis animosa corda satellitū, retulisti manubias, & spolia de cadaueribus peremptorum, vt de re per similitudinem illud dici possit: Et de præliis Iudę narrabant omnes gētes, Et in his omnibus nil aliud niteris, nisi vt Pręsulem Apostolicæ Sedis eijcias, & cathedram non vacantem alieni iuris inuasor obtineas. Sed vt noueris, quia molimen hoc nequaquam tibi faustum concedet in exitum, de proximâ tibi, atque contiguâ regione præbeamus exemplum.

Conuicanea autem tibi regio Placentia est, cuius Episcopus non diu ante nostram ętatem subdolę calliditatis artifex extitit, & ad instar tui, sublimitatis, & gloriæ satis, superque ambitione flagrauit, adeò vt prius antè se gestandam, sicut & tu nunc agere diceris, Crucem argenteam impetraret; qui etiam cum Imperatrice, quæ nunc erat, obscœni negocij dicebatur habere mysterium; deinde sensim ad maiora prosiliens,

Ouid. lib. 6. Fast.

† Α'βαὶρ f. Lat. tenuis, minutus.

Paulus Diacon. hist. Rom. ad Eutrop. lib 17 in fine. Ex Procopio de bello Gothor. lib. 3.

Eutrop. hist. lib. 6.

1. Mach. 3. v. 26.

Ioan. Ep. M. Antipp. de quo Car. Bar. An. Eccl 10. 10.

tandem Apostolicam Sedem familiaris tibi pecuniæ patrocinio violẽtus inuaderet. Eiecto itaque Gregorio, Imperatoris Ottonis vtique consanguineo, Romanæ Ecclesiæ cathedrã, non vt sacerdos magnus, sed vt fur, atque tyrannus obtinuit, sed paulò post, resipiscente Quiritum populo, atque in zelum dignæ vltionis vnanimiter exardescente, irruentes in eum manus inijciunt, oculos eruunt, aures, naresque præcidunt. Expertus est itaque, quod & tunc sibi, & nunc tibi per Ezechielem Prophetam Dominus comminatur, dicens: Venient super te instructi curru, & rotâ populorum multitudo, loricâ, & clypeo, & galeâ armabuntur contrà te vndiqui, & dabo coram eis iudicium, & iudicabunt te iudiciis suis, & ponam zelum meum in te, quem exercebunt tecum in furore, nasum tuum, & aures tuas pręcident, & quæ remanserint, gladio concident. Et vt attentione tua condignam vsque ad finem prosequamur historiam, postquam Romani ità, vt dictum est, † respondissent Pontifici; mox antè retrò conuersum in asello gloriosum equitem posuerunt, tenẽtemque sui vectoris in manibus caudam per publicam totius Vrbis viam, hæc, vt canerent, impulerunt: Tale, inquit, supplicium patiatur, qui Romanum Papam de suâ Sede pellere nititur. Audiat igitur hoc quilibet Ecclesiæ fornicator exemplũ: Expauescat id ipsum hodiéque super se diuinæ seueritatis inuigilare iudicium. Audiat quid per eumdem Prophetam sibi diuina Vox dicat: Nouissimum, inquit, tuum deuorabitur igni, & denudabunt te vestimentis tuis, & tollent vasa gloriæ tuæ, & requiescere faciam scelus tuum à te, & fornicationem tuam de terra Aegypti; quia hęc dicit Dominus: Ecce ego tradam te in manus eorum, quos odisti: in manus, de quibus satiata est anima tua, & agent tecum in odio, & tollent omnes labores tuos, & dimittent te nudum, & ignominia plenum, & reuelabitur ignominia fornicationum tuarum. Scelus tuum, & fornicationes tuę fecerunt hæc tibi. Propriam quippe dimittere, & aliam Ecclesiam simoniacis contaminationibus prophanare, per extremæ fornicationis genus agnoscitur. Porrò autem si tu culmen Apostolicæ Sedis fueris, Deo mundum negligente, sortitus, gliscunt, & exultant omnes reprobi, omnes Christianę religionis tripudiant inimici. E contra quicumque Dei iustitiam esurientes sitiunt, qui pietatis opera cernere concupiscunt, te rerum culmen adeptum, totius Ecclesię præcipitium credunt.

Quam malè habitus schismaticus Papa.

Ezech. 23. v. 24 25.

† repẽdissẽt f.

Exemplum notabile diuinæ Iustitiæ in Antipapã.

Ezech. 23. v. 25. 29.

Libri Primi Epistolarum finis.



BEATI PETRI DAMIANI MONACHI BENEDICTINI, S. R. E. Cardinalis, Episcopi Ostiensis.

Epistolarum Liber II. Ad S. R. E. Cardinales.

EPISTOLA I. Ad S. R. E. Episcopos Cardinales.

ARGVMENTVM.

Cardinales Episcopos, ad quos scribit, hortatur, vt in tam corrupto sæculo, & tantâ omnium viuendi licentia, itâ vitam instituant, vt eos cæteri homines tanquam morum exemplar intueantur, & imitandos sibi proponant: Breuiterque ostendit, quanta sit sacerdotibus, & præsertim Episcopis necessitas indictæ probitatis, vt pote cum eorum munus sit peccatorum, & culparum veniam pro reliquis hominibus à Deo deprecari: quam si volunt impetrare, necesse est, vt ipsi ab omni prorsus crimine, si fieri potest, integros se, immunesque custodiant.

Venerabilibus in Christo sanctis Episcopis Lateranensis Ecclesiæ Cardinalibus, Petrus indignus intimæ deuotionis affectum.



CASTRENSIVM specularum, turriumve custodes, vt se promptius exhibeant, intempestâ nocte priuigiles, clamosas, sibimet inuicem sæpè dirigunt voces: sic itáque dum alios excitant, semetipsos vtique ad peragendas excubias vigilantiores seruant. Ego quoque, qui pro castris Ecclesiasticæ militiæ stantium vtcumque particeps esse coactus sum, ad vos, venerabiles Patres, ista conscribo, & impolito stylo quasi raucis vocibus perstrepo: non vt vos sopor deserat, vtpote strenuè vigilantes, sed vt me potius

excitem, sub torpore desidiæ ignorabiliter oscitantē. Sæpè namq; melius ipsi discimus, dum docemus: & quasi proprio ore compellimus exequi, quod alijs inculcamus, Salomone attestante, qui ait: Anima laborantis laborat sibi, quia compellit eum os suum. *Prou.16 v.26.*

Videtis itaque, dilectissimi, quia totus mundus pronus in malum per lubrica vitiorum in præceps ruit: & quanto fini suo iam iam vicinus appropinquat, tantò grauiorum super se quotidie criminum moles exaggeret. Ecclesiastici siquidem genij vbique pęnè disciplina negligitur, debita sacerdotibus reuerentia non prębetur, Canonicæ sanctionis instituta calcantur, & soli terrenæ † inhianter explendæ digna Deo cura seruitur. In fœderandis porrò coniugiis legitimus ordo confunditur: & ô nefas! ab eis in veritate Iudaicè viuitur, qui superficietenus Christiano vocabulo palliantur. Enimuerò vbi rapinæ desunt? vbi furta cauentur? qui periuria? qui lenocinia? qui sacrilegia metuunt? qui denique perpetrare quælibet atrocissima crimina perhorrescunt? Iamdudum planè virtutum studijs repudium dedimus, omniumque peruersitatum pestes, velut impetu facto, feraliter emerserunt. Sed ne tāquam coturnati tragœdiam videamur attollere, sufficiat nobis Apostolica dumtaxat super his verba referre. Nam velut prophetiæ depromit oraculum, dicens: Hoc autem scito, quod in nouissimis diebus erunt tempora periculosa: & erunt homines seipsos amantes, cupidi, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, voluptatum amatores magis, quam Dei: habentes quidem speciem sanctitatis, virtutem autem eius abnegantes. Inter hęc ergo tam profunda periclitantis mundi naufragosa discrimina, inter tot immane patentes perditionis humanę voragines, vnicus, & singularis portus Romana patet Ecclesia: &, vt ita fatear, pauperculi Piscatoris est parata sagena, quę omnes ad se sincerè confugientes de procellarum intumescentium fluctibus eripit, & in littore salutiferæ quietis exponit. Hinc est, quod ipsa Ecclesia excellentioribus præ cæteris totius orbis Ecclesiis nititur priuilegiis, sed & mysticis etiam instituta, atque disposita non ambigitur Sacramentis. Nam, vt de pluribus pauca perstringam, Lateranensis Ecclesia, sicut Saluatoris est insignita vocabulo, qui nimirum omnium caput est electorum, ita mater, & quidam apex, & vertex est omnium per orbem Ecclesiarum. Hæc septem Cardinales habet Episcopos, quibus solis post Apostolicum, sacrosanctum illud altare licet accedere, ac diuini cultus mysteria celebrare. In quo nimirum illud Zachariæ continetur euidenter oraculum: Ecce, inquit, lapis, quem dedi coram Iesu: super lapidem vnum septem oculi sunt. Lapis autem iste illa proculdubio petra est, de qua verus Iesus Petro pollicetur, dicens: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Septem igitur oculos habet hæc petra, quia totidem sancti Spiritus donis sancta prefulget Ec-

Deplorat sui sæculi prauos mores.

† Substantiæ s. vel cupiditati vel quid simile addid.

1. Tim. 3. v. 1. 2

Lateranensis Ecclesiæ excellentia.

Zach. 3. v. 9.

Matt. 16. v. 18.

clesia, quibus nimirum velut candelabrum aureum inextinguibiliter rutilans, ignorantiæ tenebras effugat, & ad contemplandum iustitiæ solem hominum mentes illustrat. De quo idem Propheta, Vidi, ait, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius super caput ipsius, & septé lucernæ eius super illud. Quod vtique Sacramentū & B. Ioannes in Apocalypsi se didicisse non tacuit, cui dictum est: Mysterium septem stellarum, quas vidisti in dexterâ meâ, & septem candelabra aurea. Septem stellæ, Angeli sunt septem Ecclesiarum; & candelabra septem, septem Ecclesiæ sunt.

Zach 3. v. 2.
Apoc. 1. v. 20.

Ecclesia Lateranensis est Princeps Ecclesiarum.

Hæc igitur ad honorem condita S. Saluatoris Ecclesia culmen, ac summitas totius Christianę religionis effecta, vt ita dixerim, Ecclesia est Ecclesiarum, & Sancta Sanctorū. Habet autem altrinsecus Beatorū Apostolorū Petri, & Pauli diuersis quidē locis constitutas Ecclesias, sed sui compage Sacramenti, quia videlicet in quodam meditullio posita, quasi caput membris supereminet, indifferenter vnitas. His itaque tāquam expansis diuinæ misericordię brachiis summa illa, & vniuersalis Ecclesia omnem ambitum totius orbis amplectitur. Omnes, qui saluari appetunt, in maternæ pietatis gremio confouet, & tuetur. Hac Iesus, summus videlicet Pontifex, arce subnixus, totam in orbe terrarum Ecclesiam suam in Sacramenti vnitate confœderat, vt vnus sacerdos, vna meritò credatur Ecclesia. Vnde per Prophetam dicitur: Ecce vir Oriens nomen eius, & subter eum orietur, & ædificabit templum Domino, & ipse extruet templum, & portabit gloriam, & sedebit, & dominabitur super solium suum, & erit sacerdos super solio suo. Sed quia nobis non est propositum cuncta figuratum mysteria illius comprehendere, hæc aliis consideranda relinquimus, ad exhortationis verò seriem, sicut instituimus, articulum reflectamus.

Zach. 6. v. 12. 13.

Hinc colligitur etiam, B. Petrum Dam. fuisse Episcopum Card.

Nos itaque, fratres mei, vt & me vobis audenter interseram: nos, inquam, qui tamquam septem sumus oculi super lapidem vnum, qui stellarum portamus imaginem, qui Angelorum tenemus per annunciationis officium dignitatem, videamus, splendeamus, & verba vitæ populis non solum vocibus, sed & moribus nunciemus. Sermonem siquidem prædicantium lingua quidem nunciat, sed vita commendat. Porrò quia ad Lateranēse palatium à diuersis populis de toto terrarum orbe cōfluitur, necesse est, vt ibi præ cæteris vspiā locis, recta semper viuendi sit forma, districta teneatur assiduè sub honestis moribus disciplina. Et tanquā si iugiter iaceat in fornace moneta, quæ lęsis nūmis reformet imaginem; sic in sacerdotali domo omnem deprauatæ vitę suæ debēt homines corrigere falsitatē. Quod si ipsius monetæ oblitterata, vel detrita sit regula, postquā metallis imprimitur, non nūmus, sed† paracaraximus inuenitur. Non ergò quorūlibet hominum tam noxia est quam prauitas sacerdotū, dum proponitur ad exēplum. Nam qui Dux itineris constituitur, si ipse in præcipitium labitur, necesse est, vt quisquis eius vestigia sequitur, in eiusdem ruinæ profundo mergatur.

†id. sine nota.

Consideremus intereà quid super hâc sententiâ Prædicator egregius dicat: Qui Episcopatũ, inquit, desiderat, bonum opus desiderat. Hîc euidenter ostenditur nihil aliud esse Pontificẽ, quàm boni operis sectatorem. Non enim dixit: bonam dignitatem, vel bonũ honorẽ desiderat; sed qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Ac si dicat: Qui ad Episcopatum anhelat possidendũ sine bono opere, inane vult nomen induere sine rei ipsius veritate. Non ergo constat Episcopatus in turritis Gebellinorũ, transmarinarumve ferarum pilcis, non in flammantibus Martorũ submentalibus rosis, non in bractearum circũfluentium phaleris, non denique in glomeratis cõstipantiũ militum cuneis, neque in frementibus, ac spumantia fræna mandentibus equis; sed in honestate morũ, & sanctarum exercitatione virtutũ. Moxque subiungit: Oportet Episcopũ irreprehensibilẽ esse. Hîc tantæ vult esse perfectionis Episcopum, vt pænè extrà naturam loquatur Apostolus. Quis enim in carne constitutus tàm cautè viuat, tàm se sollicitè vndique circũspiciat, vt reprehendi aliquandò nequeat? Væ his, qui & reprehensibiliter viuunt, & locum irreprehensibiliter viuendi adhuc reprehensibilius concupiscunt. Ex his nimirum sunt, qui obliuiscentes affectum cognationis, & patriæ, sequuntur castra Regum per ignota, & barbara regna terrarum. Et ad hoc eos impellit pereuntium ambitio dignitatum, quod extorquere non potuit cælestium promissio præmiorum. Vt enim non sint domesticâ facultate contenti, fiunt apud extraneos peregrini: vtque super alios vel seram arripiant ferulã, duram ipsis propositis exhibent clientelam. Enimuerò facilioris exitus fuerat, si pro honoribus vænaliter acquirendis pecunias semel appenderent, quàm tot laborum, tot pressurarum molestias sustinerent. Nam cum Propheta de viro iusto dicat: Qui excutit manus suas ab omni munere, quis eum à munerum præstatione defendat, qui & semetipsum alienæ seruitutis imperio subiugat, & insuper in diuturnæ expeditionis impensas facultatum suarum lucra profligat?

1. Tim. 3. v. 1. Qualis debeat esse Episcop.

Ibid. v. 2.

Isaye 33. v. 15.

Tria sunt munerum genera. Vide Epist. 3. lib. 2.

Planè Prophetica illa sententia sic exponitur, vt tria dicantur munerum genera, scilicet munus à manu, munus ab obsequio, munus à linguâ. Siquidem munus à manu pecunia: munus ab obsequio obedientia subiectionis: munus à linguâ fauor adulationis. Et cum ab vnoquoque horum manus excutiendas Propheta denuntiet, omnibus his manus implicasse conuincitur, qui nanciscendæ dignitatis ambitu potestatum sublimium castra sectatur. Nam dum in vehiculis acquirendis, diuersorumq; sumptuũ apparatibus, non modica summa profunditur, hic proculdubiò datæ pecuniæ obnoxius inuenitur: qui etiam nulli dubium quin ei & obsequium præbeat, cui factus assecla sub tanto laboris, & itineris fasce desudat. Postremò dum Domino suo blandiri, eiusque voluntati congruere per omnia nititur, sæpè sibi quibusdam adulatoriis fauoribus assentatur. Porrò autem quisquis in dandis, accipiendisve dignitatibus Ecclesiasticis vnâ dumtaxat earum, quæ

prędictę sunt, peste corrumpitur, simoniacæ hęreseos teneri crimine iudicatur. Quam ergo sui afferent excusationem, qui licet verbis non contraxerint vænalis pacta commercij, operatione tamen non vno, sed omnibus his probantur laqueis irretiti? Verumtamem iactant se, & eò gloriantur innoxios, quia nullam talenti summam pro suscipiendis honoribus se pepigere daturos. Sed dic mihi, ô Clerice! quisquis es, si redempto quolibet aureo vase, vel prædio, distractor exigeret, vt retenti apud te vice pretij huiusmodi sibi sedulitatis impendium exhiberes, numquid non postmodum constanter assereres, te quod acceptum est, iusto pretio comparasse? non videlicet quia pecuniam persoluisti, sed quia seruitium præbuisti. Diceres enim, & non fortassis impudenter astrueres: charius emi, dum tanto me labore vexarem, dum toties facultatum mearum sumptus expenderem, quàm si semel præfixæ quantitatis pecuniam numerarem. Nequaquàm ergo sibi innocentiam spondeant, & à simoniacæ hæreseos maculis se mundos esse confidant, qui licet metalla vibrantia non appendunt, pretium tamen pro suscipiendis honoribus per subiectionis, & obsequij quædam quasi talenta persoluunt. Hæc aduersus eos dicta sufficiant, qui negant se vęnalis reos esse commercij, dum tamen fuerint pro dominationis ambitu durâ diu seruitute grauati.

S.R.E. Cardinalium auctoritas.

Vos autem, dilectissimi, quibus hæc, & alia praua datum est ex Apostolicæ Sedis auctoritate corrigere, vosmetipsos cęteris non modo fidelibus, sed & sacerdotibus quamdam viuendi regulam exhibete. In vitâ nostrâ legatur quid agi, quid vitari conueniat; ex labiis nostris verba otiosa non effluant, sacerdotalem linguam discreti silentii censura compescat, non ioci soluant, non pectus nostrum lætitia immoderata concutiat. Puerilis ludus abscedat, mordax eloquentia: vrbana dicacitas euanescat. Caueantur scurrilia verba, nec aliquando misceantur fabulosa colloquia. Quomodo enim ex ore sacerdotis oratio ad Deum munda dirigitur, quod videlicet praui sermonis sordibus inquinatur? aut quomodo inter Deum, & homines lingua mediatrix efficitur, quę iram Iudicis ex proprio reatu & ipsa meretur? In caussam quippe reus supplicationibus vtitur, non intercessor ipse culpabilis inuenitur. Mementote quod sacerdotibus dicitur: Vos estis sal terræ. Sed sicut veritas dicit: Si sal euanuerit, in quo condietur? Exiguo quippe sale multa dulcescunt, & paruo sacerdotum numero totius Christianæ plebis eruditur, & instituitur multitudo. Sicut enim Episcopi duodecim Apostolorum noscuntur obtinere primatum; ita & sacerdotes Ecclesię septuaginta Discipulorum ordinem repræsentant. Quod profecto mansio illa Israëlitici populi in Helim figuratè designat. Ibi nimirum duodecim profluebant Apostolici fontes, qui diuini verbi imbribus arentia hominum corda perfunderent: ibi septuaginta virebant palmæ, totidem videlicet Discipuli, qui mundo diabolicæ tyrannidis seruitute depresso, victoriæ Christi palmas inferrent.

Matt. 5. v. 13.

Episcoporum, & sacerdotum dignitas.

Exod. 15. v. 27.
Num. 33. v. 9.

ferrent. Illi siquidem fontes palmarum arbores irrigant; quia sacri Pontifices verbis affluunt, vnde cæteri sacerdotes Ecclesiæ in spem cælestiũ præmiorum sine cessatione virescunt. Qui nimirum decuplato septenario numero hoc significare videntur, vt per septiformis gratiæ Spiritum legis decalogus impleatur.

Quia igitur, dilectissimi, non modò sacerdotes, sed & sacerdotum vos decet esse magistros; necesse est, vt vita vestra quædam sit linea, & velut adamantis signaculum, quod viuendi cæteris adhibeat formam. Adamantinum quippè sigillum suam cæteris imprimit, à nullis verò metallis imaginem sumit. Cum igitur ex diuersis mundi partibus aduẽtantium vobis ingruit multitudo, cum multimodæ conspersionis homines obstrepunt, cum morigerari sibi quisque vos importunè compellunt, vultus vester semper idem, sic festiua quadam serenitate resplendeat, ne, quod absit, in aliquo leuitas puerilis erumpat: sic sacerdotalem vultum grauitas matura componat, ne rigorem nimium intuentium infirmitas perhorrescat: Sic alios hilaritatis nostræ dulcedo demulceat, vt seueritas nostra sese in petulantiam, vel lasciuiam non resoluat. Ridere quis, vel leuiter loqui incipiens, si nos repente conspexerit, verbum supprimat, ori digitum superponat, territus obmutescat. Sic sic videlicet cum Petro claues Ecclesiæ meritò facti participes, obtinemus: dũ nosmetipsos certam viuendi formam, atque signaculum, cæteris fidelibus exhibemus.

S.R.E. Cardinales sacerdotum magistri.

Matt.16. v.19.

EPIST. II. Ad S. R. E. Episcopos Cardinales.

ARGVMENTVM.

Auaritiæ vitium, & præcipuè in accipiendis muneribus, grauissimè detestatur: Cardinalesque Episcopos hortatur, vt illud ab vniuersa Ecclesia, & sacerdotum mentibus, si fieri potest, euellere, & exterminare conentur. Prudenter autem hoc admonet vir Sanctissimus. Videbat enim omnes ferè clades, & ærumnas, quibus illa tempestate Christiana Resp. premebatur, atque adeò vexabatur, ex auaritiæ fonte deriuatas esse: cuius teterrimam pestem, si princeps Ecclesiæ oppEcclesia opprimeret, facilè deinde futurum apparebat, vt in toto Catholico orbe aboleretur.

Cardinalibus Episcopis Apostolicæ Sedis, Petrus peccator Monachus salutem in Domino.

SIcut verba præsentibus indicia sensuum, sic inter absentes litteræ sunt instrumenta animarum. Bellatoriæ artis industria, sicut in bello discitur, vt in pace postmodum doceatur; sic aliquandò, dùm docetur in otio, cautius exerceetur in bello. In conflictu Sedis Apostolicæ

in quo vos adhuc vnanimiter desudatis, concertator & ipse pugnaui. Sed ecce cum militari cingulo sim solutus, & in municipij pace compositus, libet iam docere quod didici. Inter omnes itaque vitiorum circũfrementium acies, inter densissimas iaculorum ingruentium more grandinum tempestates, aduersus auaritiam vobis est attentius vigilandum, eiusque sagittis semper opponendus est clypeus. Quæ nimirum ad hoc præcipitanter anhelat, vt lethale miseris vulnus infligat, principiò tamen, vt obtutum non frontis, sed cordis extinguat. Vnde vir Sapiens ait: Exenia, & dona excæcant oculos iudicum; & quasi mutus in ore auertit correptiones eorum. Armat enim muneribus aduentantes, & per eos expugnat, ac cęcat eorum corda, qui suggerendi locum apud aures obtinent principales, de quibus per Esaiam Dominus conqueritur, dicens: Principes tui iufideles, socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Dicat aliquis. Ego quidē nihil quæro, sed si quid gratis offertur, accipere nō recuso. Ecce hic non notantur ij, qui munera quærunt, sed qui tantummodò diligunt. Qui etiam socij furum non immeritò dicuntur, quia dum furtiua dona suscipiũt, etiam a comministris suis, & sodalibus deprehendi velut in furti crimine, perhorrescunt. Et notandum quod dicitur: sequuntur retributiones; quia quamuis munificis suis auxilium, quod postulantur, impendunt, reatus tamen maculas non euadunt; quia dum beneficij sui talionem recipiunt, fructus æternæ mercedis amittunt. De quibus & paulopost dicit; Heu cōsolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis. Filij plane Samuelis nullũ aliud crimen habuisse leguntur, nisi quia munera dilexerunt: & quia paternæ munditiæ non sequebantur exēplũ, irrecuperabiliter amiserunt plebis Israëliticæ principatum. Et notandum, quia dum de illis Scriptura dicit: Declinauerunt post auaritiam, acceperunt munera; protinus intulit: peruerterunt iudiciũ. Vicinũ quippe est, atque cōtiguum, vt post munus acceptũ, peruertatur etiā corrupto cēsore iudiciũ. O quā mundam Samuel frontem habebat à muneribus, cum dicebat: Conuersatus coram vobis ab adolescentia mea vsque ad diem hanc, ecce præstò sum; loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius: vtrum bouem cuiusquam tulerim, aut asinum, si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquē, si de manu cuiusquam munus accepi: & contemnā illud hodie, restituamque vobis. Vnde & in lege præcipitur: Ne accipias munera, quæ excæcant etiā prudentes, & subuertunt verba iustorũ. Et in Deuteronomio nō dissimile, Non accipies, inquit, personam, nec munera: quia munera excæcant oculos sapientũ, & mutant verba iustorũ. Quā auersus à suscipiēdis muneribus erat Abrahā, cũ Regi Sodomorum Bara obsistebat, dicens: Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem cæli, & terræ, quod à filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus, quę tua sunt. Quam mundus à susceptis muneribus Moyses erat, qui scientem omnia Dominum

Exhortatio contra auaritiam.

Auaritiæ finis, & intentio.

Eccl. 20. v. 31. *Deut. 16. v. 19*

Esai. 1. v. 23.

Quod iudices ne gratis quidem accipere possint dona.

Ibid. v. 24.

1. *Reg.* 8. Munera peruertunt iudicium.

1. *Reg* 13. Samuelis integritas.

Exod. 23 v. 8.

Deut. 16. v. 19.

Gen. 14. v. 23. Abraham ab accipiēdis muneribus auersus.

in testimonium deducebat: Tu, inquit, scis, quod ne asellum quidem vnquam acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorũ. Nam vbi muneribus inhiatur, consequens est, vt sicut Iudex hunc, accepta mercede iustificat; sic illũ, qui nil dedit, affligat. Vnde per Esaiam dicitur: Væh qui iustificatis impiũ pro muneribus, & iustitiã iusti aufertis ab eo. Quibus illicò vindictã, quę illis debetur, intẽtat, cũ subdit: Propter hoc sicut deuorat stipulã lingua ignis, & flãmæ calor esurit, sic radix eorũ quasi fauilla erit, & germen eorũ vt puluis ascendet. De quibus idẽ Propheta alibi conqueritur, dicens: Omnes in viã suam declinauerũt, vnusquisque ad auaritiam suã à summo vsque ad nouissimũ. Auaritia plane Dei Omnipotentis aduersum se iracundiam prouocat: & cor quod possidet, vanis semper cogitationibus vexat. Hinc est, quod de auaro conqueritur populo, dicẽs: Propter iniquitatẽ auaritiæ eius iratus sum, & percussi eum, & abscondi, & indignatus sum, & abiit vagus in via cordis sui. Nulla sanè putredo vulneris in Dei naribus intolerabilius fœtet, quã stercus auaritiæ. Et cupidus quisque dum sordentis pecunię quæstus accumulat, vertens exedrã in latrinã, quasi molẽ stercoris coaceruat. Hinc est, quod per Ezechielẽ dicitur: argẽtũ eorũ foras proiicietur, & aurũ eorũ in sterquiliniũ erit: argentũ eorũ, & aurũ non valebit liberare eos in die furoris Domini. Et alibi scriptũ est: Vęh ei, qui multiplicat nõ sua vsquequo, & aggrauat cõtra se dẽsum lutũ! Auaro sane cõtra se dẽsum lutũ aggrauare, est terrena lucra cũ peccati põdere cumulare. Abacuc etiã Propheta, Vęh, inquit, qui cõgregat auaritiã malã domui suę; vt sit in excelso nidus eius, & liberari se putat in die mali. Porrò sicut ignem ligna non satiant, sic ęstũ auaritię pecunia cumulata nõ sedat. Sed sicut flãma fomentis extollitur, ita nihilominus auaritia dũ lucra cumulantur, augetur. Vnde & Ecclesiastes, Auarus, inquit, non implebitur pecunia: & qui amat diuitias, fructus non capiet ex eis. Fructus quippe ex illis caperet, si eas benè spargere non amando voluisset; quia verò retinendo diligit, hîc vtique sine fructu derelinquit; vbi & sequitur: Vbi sunt multæ opes, multi sunt qui comedunt eas. Et quid prodest possessori, nisi quod cernit diuitias oculis suis? De quibus idẽ Salomon ait: Diuitiæ conseruatæ in malum Domini sui. Pereunt enim in afflictione pessima; generabit filium, qui in summa egestate erit. Et vt ostendat, quam infideles sint diuitiæ possidenti, mox subiicit: sicut egressus est nudus de vtero matris suę, sic reuertetur, & nihil auferet secum de labore suo. Miserabilis prorsus infirmitas quomodo venit, sic reuertetur. Quid ergo prodest, quod laborauit in vẽtũ cunctis diebus vitæ suæ? &c. An iccircò fortè lucra congerimus, vt possessiones, ac prædia redimamus? Sed quid prodest confinia proprij iuris extendere, cùm hæc vitæ nostrę nequeant angustias protelare? Vnde vir sapiens ait: Noli attendere ad possessiones iniquas, & ne dixeris, est mihi sufficiens vita: nihil enim proderit in tempore vindictæ. Nam & Esaias ait: Væh, qui cõiungitis domum ad domum, & agrũ agro copulatis vsque ad terminum loci: numquid habitabitis in medio terræ so-

Moyses munera nõ accipit.
Num. 16. v. 15.
Esai. 5 v. 23.
Ibid. v. 24.
Esai. 56. v. 11.
Esai. 57. v. 17.
Auaritia Deo quã. sit exosa.
Ezech. 7. v. 19.
Abac. 2. v. 6.
Ibid. v. 9.
Eccl. 5. v. 9.
Fructus ex diuitiis capitur, cũ dispensantur pauperibus.
Ibidem v. 10.
Ibidem 11. 19.
Ibidem 14. 15.
Eccl. 5. v. 1.
Esai. 5. v. 1.

li vos? Ac si apertè dicat: Quousque vos extenditis, qui in communi mundo degere sine consortibus non potestis? Adiacentes quidem, atque contiguos premitis; sed contrà quos vos valeatis extendere, semper inuenitis. Vnde scriptum est: Qui quærit ditari, non erit innocens. Et alibi dicitur: Auaro nihil est scelestius. Quid superbis terra, & cinis? Nihil est iniquius, quam amare pecuniam. Dura certè, & nimis formidolosa sententia. Si enim nihil est auaro scelestius, nihil iniquius, non ergò melior parricidis, non præfertur incestis, æquatur hæreticis, assimilatur idololatris. Vnde & Apostolus dicit: Auaritia quæ est idolorum seruitus. Sit ergò quilibet castus, sit sobrius, sit indigentibus alendis intentus, hospitalitati deditus, ieiunet, vigilet, diem nocti psallendo continuet, si tamen auarus est, totum perdit; ita vt inter omnium criminum reos nequiorem se inuenire non possit. Nihil est enim, sicut dicitur, auaro scelestius, nihil iniquius, quam amare pecuniã. Quid ergò proderit non occidere? non mœchari? nõ rapere? non denique periurare? immunemque te prorsus à cunctis criminibus custodire? dummodò si à te auaritia non expellitur, nihil te nequius, nihil scelestius reperitur. Eat ergò auarus, parietes Ecclesiæ constituat, studio prędicationis insistat, dissidentes in pace confœderet, titubantes in Catholicæ Fidei veritate confirmet, offerendis quotidie sacrificiis sit intentus, à negotiis sæcularibus sit remotus; donec tamen in eo ardor auaritiæ non extinguitur, omnis flos virtutum eius exuritur, & nullus eo criminosior inuenitur. Enimuerò postquam Scriptura posuit, auaro nihil esse scelestius; ne quis in hoc verbo, quod est auarus, dubietatis scrupulus posset emergere, vigilanter addidit: nihil iniquius, quã amare pecuniã. Igitur auarũ esse, nihil est aliud, quã amare pecuniã. Amatur enim acquisita pecunia, amatur nihilominus acquirenda. Auaritia quippe quasi biceps est coluber: vtroque consueuit ore mordere, vtroque pestiferum virus influere; dum aut aliena res quæritur, aut habita delectabiliter possidetur. De illo sane, qui vtroque huius serpentis ore deglutitur, scriptum est: Viro cupido, & tenaci sine ratione, & substãtia: & homini liuido ad quid aurũ? iniustè aliis cõgregat, & in bonis illius alius luxuriabitur. Sunt præterea, qui totis ad appetenda aliena desideriis inardescunt: sed hęc postquã adepti sunt, præcipitanter effundunt. Sunt qui ad aliena quidẽ acquirenda non inhiant, sed quæ sua sunt, tenaci custodia tamquam Cereris sacra conseruant. Teterrimũ autem genus est eorum, qui & aliena turpiter ambiunt, & quæ iam sui iuris sunt sordida tenacitate custodiunt. Peiores scilicet draconibus Babylonię, qui licet infinitam auri, argentique dicantur seruare congeriem, nulli tamen propriam diripiunt facultatem: & contenti quasi propriis rebus, non inhiant alienis. Porrò autem quid mihi congregare diuitias, quas neque huc quispiam dum ingrederetur, aduexit, neque comitari poterunt de sæculo recedentem? Vnde dicit Apostolus: Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid possumus: habentes au-

Prou. 28. v. 20. Eccl. 10. v. 9. 10 Auaritia omnia scelera superat.

Coloss. 3. v. 5. Auarus quidquid boni fecerit, donec erit auarus, amittet. Eccl. 10. v. 9.

Auaritia nihil est aliud, quã amare pecuniã.

Auarus, aut sua nimis amat, aut aliena desiderat. Eccl. 14. v. 3. Auarorũ triplex genus.

tem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Quid ergò mirum, quod superius diximus, auaro nihil esse scelestius; cum dicatur, omnium malorum radix esse cupiditas? In quo enim radix est omnium malorum, ille consequenter omnium malorum reus esse conuincitur: quia quorum habet in sui pectoris agro radicem, non potest venenatam vitare propaginem. Nec prætereundum, quod ait: Quam quidem appetentes errauerunt à fide. Nimirum sicut proditor Saluatoris, qui vt exiguæ summæ perciperet quantitatem, sub vænalitate distraxit rerum omnium conditorem, & pro vilis amore pecuniæ Auctorem tradidit vitæ. Sicut etiam Balaam filius Beor, qui dum ad pecuniæ quæ offerebatur, inhiat quæstum, Dei fide contempta, de Israëlitici populi dedit ruinâ consilium. Hunc planè quidam non contemnendæ auctoritatis viri tradunt, Heliu fuisse Buziten de progenie scilicet Buz, qui secundus filius fuit Nachor fratris Abraham. Qui videlicet Heliu in libro B. Iob eius amicus dicitur extitisse; quoniam Propheta fuerat, & spiritalis gratiæ reuelatione pollebat: sed dum auaritiæ paulatim declinasset in vitium, de Propheta factus ariolus, de ariolo conuersus perhibetur in magum. Ecce quid vtilitatis conferat auaritia, quæ dum fidem hominibus tollit, Prophetam vertit in magum, ex Apostolici culminis apice mergit in tartarum. Numquid & Giezi a fide non errauerat, qui dum argentum Naaman offerente perciperet, Domini sui spiritum suspicabatur absentem? Sed ait Helisæus: Nonne cor meum in præsenti erat, quando reuersus est homo de curru suo in occursum tibi? Vbi cautè considerādum est, quia si ille leprâ mulctatus est, qui pretium tulit de virtute Prophetæ, quo pacto quis audeat vendere iudicium Papæ? Accepisti, inquit Helisæus, argentum, & vestes, vt emas oliueta, & vineas, oues, & boues, seruos, & ancillas; sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo in sempiternum.

1. Tim. 6. v. 7. 8. 9.

Quam sit perniciosum diuitias appetere.

Ibid. v. 10.

Matt. 26. v. 16.

Num. 22. v. 7.

Cōsule Schol.

Iob 32. v. 2.

Auaritiæ effectus.

4 Reg. 5. v. 25. 26.

Ibidem v. 27.

Duo planè simoniacæ hæreseos reperiuntur auctores, vnus in veteri testamento, alter in nouo: quæ etiam duo simoniacorum genera perfecerunt, vendentium scilicet, & ementium. Giezi si quidem donum S. Spiritus vendidit, Simon Magus comparare tentauit. Nec ille solummodò dicendus est simoniacus, qui dat, vel accipit de sacris ordinibus pretium; sed & qui vendit Synodum, qui distrahit sacerdotale iudicium. Sed fortassè aliquis dicat: & ille ergò, qui pro synodali sententiâ quidquam tribuit, simoniacum crimen incurrit? Non hoc dixerim, quia neque Naaman deliquit, dum fraudulento seruo pro mundatoris sui reuerentia munus obtulit. Aliud quippe est, quamlibet causæ suæ desiderare iustitiam, aliud canonicam, quæ per Spiritum sanctum constituta est, vęnalem habere censurā. Et quā conscientiā de promulgando

Duo auctores simoniæ vnus in veteri testamento, alter in nouo.

4. Reg 5 v. 23.

Act. 8. v. 26.

iudicialis sententię calculo pretium sumimus; cum ille, cui patrocinium vænale præbemus, aut iustè, aut contendat iniustè? Quod si iustè litigat, veritatem procul dubiò vendimus: si verò iniustè, cōtra veritatem, quæ Christus est, impudentis audacię temeritate pugnamus. Hinc est, quod
Deut. 16. v. 20 in lege præcipitur: Iuste quod iustū est, exequeris. Iniustè quippe, quod iustum est, exequitur, quisquis ad defensionem iustitiæ non virtutis æmulatione, sed amore præmij temporalis excitatur. Nam iniustè, quod iustum est, exequi iure dicitur, qui iustitiam, quam prætendit, venundare non veretur. At ille quod iustum est, iustè probatur exequi, qui in assertione iustitię nil aliud præter solam iustitiam quęrit. Et quia sunt nonnulli, qui vel antequam consecrationis exhibeant ministerium, vel antè decisum causæ negotium, nullum pacti sunt commodum: postmodùm verò tamquàm à debitoribus exigunt, & extorquendis remunerationibus vehementer insistunt; hi se Giezi non dubitent crimen incurrere, qui postquam Naaman curatus est, iamque reuertens, de dono sancti Spiritus ausus est pecuniam postulare. Et sicut ille, non alia, quam lepræ plaga percussus est, quæ homines remouebat a castris; sic iste non leui, sed illius labe perfunditur criminis, quod ab Ecclesię separet Sacramentis.

Simoniaci sūt nō solum qui paciscuntur, sed etiam qui pecuniam nō pactam postulant.

4. Reg. 5. v. 27.

Vidi plane, dum Episcopalis apicis officio fungerer, quemdam de fratribus nostris, nomen quidem supprimo, vitium noto, qui sic subsultabat, atque gliscebat, dum præfixum Synodalis Concilij tempus insisteret, ac si trituræ, siue vindemialis prouentus articulus immineret. Accingebat enim se muneribus colligendis, ad quos vtique præcidendos non aciem ferri, sed falcem exacuebat eloquij; qui etiam huius fraudis habere pseudo dicebatur apostolos, qui nimirum pecunias hinc inde corraderent, eosque marsupijs iam euomentibus infercirent. Si quis autem mihi fortè succenseat, quod Consacerdotem meum tam mordaciter reprehendam; Ioannem corripiat, & Matthæum, qui, dum sacræ prosequuntur historiæ veritatem, Coapostolum suum pecunijs inhiantem sacrilegum perhibent traditorem. Sperantes autem huiusmodi quęstus hostis antiquus sæpè deludit, vt eis nullatenus impleat, quod promisit. Sicut enim auceps accipitrem ad escam carnis blandiens prouocat: sed mox vt manu tenuerit, carnem subtrahit, loro pedes astringit; ita diabolus primò quidem pollicetur lucrum, quod postmodum subtrahens, peccati dumtaxat inijcit laqueum. Hoc itaque modo qui muneribus inhiat, tamquam mus dum escam corrodere nititur, tendiculâ suffocatur. Quod nimirum egregiè præcauit insignis ille Fabricius, quem dum Pyrrhus Epirotarum Rex aduersus Imperium Romanæ Reipublicæ dimicans, esse pauperem comperisset, sollicitare cœpit, quartamque regni sui partem sibi, si ad se transfugeret, compromisit. Quod ille dedignatus abhorruit, & quouis gloriosior Rege, in suâ paupertate permansit. Hoc itaque Christianus, qui auarus est, audiat: sicque gentilitatem suam, & Gentilis hominis Euangelium erubescat. Et sæpè sub hac

Quod non vere S. Doctor Episcopatu se abdicarit, licet voluerit, alibi dicemus.

Ioan. 12. v. 6.
13. v. 2. 18. v. 5.
Matt. 26. v. 16.

Eutrop. histor. Rom. lib. 2.

Excerpere munera, quā periculosum.

intentione munus accipitur, vt si munificus reperiatur esse culpabilis, aufugium iustitiæ non lucretur. Quod facile quidem promitti, sed difficilè valet impleri. Acceptis quippe muneribus, si contra datoré quid agere volumus, mox in ore nostro verba molescunt, locutionis acumen obtunditur, lingua quadam pudoris erubescentiá præpeditur. Mens quippe percepti muneris conscia, debilitat iudicialis censuræ vigorem, reprimit eloquentię libertatem. Nam & si iudicij rectitudo funditùs non adimitur, iudicandi tamen auctoritas eneruatur. Nonnulli verò hanc circà se reperiuntur habere custodiam, vt iudicialis adhuc causæ pendente negotio, nil etiam ab offerente suscipiant: sopitis verò litibus gratis oblata non spernant. Sed emergentibus causis sæpè contigit: vt quod se putauerant gratis accepisse, in alijs cogantur negotijs compensare; fluuijque periculum, quod se sperauarant reliquisse post tergum, insperatè coram se reperiunt enatandum. Hoc est ergò tutum, & integrum, vt iuxta Prophetam, Excutiamus manus nostras ab omni munere, & nocendi siue iuuandi seruemus nobis ingenuam libertatem: vt non litigemus sub seruitute pecunię, sed seruiamus in libertate iustitiæ. Si quis fortè domesticæ facultatis conqueratur angustias, audiat attentè quod scriptum est: Propter inopiam multi deliquerũt; & qui quęrit locupletari, auertit oculum suum. Si ergò illi delinquunt, qui rei familiaris inopiam perferunt, qui ea quoque, quę victui sunt necessaria, sibimet deesse conspiciunt: Si, inquam, & isti peccant, dum acquirendis rebus non superfluis, sed necessariis æstuant; quod illis iudicium, qui ad hoc ditari moliuntur, vt effluant? Vt diuersas metallorũ species, & obnoxia tineis vestimenta recondant? Quibus terribiliter intonás Iacobus comminatur Apostolus: Agite, inquit, nunc diuites, & plorate vlulantes in miserijs, quæ aduenient vobis. Quibus præmissis, & causam præstò subiungit: Diuitię vestræ putrefactæ sunt, vestimenta vestra a tineis comesta sunt, aurum, & argentum vestrum æruginauit, & ęrugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis: thesaurizastis enim vobis iram in nouissimis diebus. Porrò autem qui eiusmodi sunt, non ad hoc conqueruntur inopiam, vt indigentiam naturæ necessitatum sustentaculis fulciant; sed vt turritæ dapibus lances Indica pigmenta redoleant, vt in crystallinis vasculis adulterata melle vina flauescant. Ad hoc certè ditari cupiunt, vt quócumque deueniunt, pręstò cubiculum operosis, & mirabiliter textis cortinarum phaleris induant, sicque parietes domus ab oculis intuentium tamquam sepeliendum cadauer obuoluant. Mox etiam tapetis prodigiosas imagines præferentibus sedilia sternunt, peripetasmata laquearibus ne quid occiduum delabatur, opponunt deinde clientium turba diuiditur. Alij si quidem domino suo reuerenter assistunt, nutumque eius si quid fortè iubeatur, curiosa nimis, velut rimatores siderum, obseruatione custodiunt. Alij Marthæ ministerio dediti, velut hirundines, inquieti per diuersa discurrunt. Inter has autem delicæ ambitionis insanias, quid sibi dorsalia

Esai. 33. v. 15.

Eccl. 27. v. 1.

Iacob. 5. v. 1.

Ibid. v. 2.

Diuitiæ non appetuntur ad indigentiam, sed ad luxum.

quærunt, quæ à suis conspici dominis non merentur? Graue quippe dispēdium sui patiuntur ornatus, dum in occipitio, vel ceruicibus oculi non erumpunt. Et quàm vtile diuitiarum genus, quod dùm nullum vsum præter solam habeat pulchritudinem, specie tamen suâ nequeat pascere possidentem. Alienorum nempe dumtaxat oculorum famulatur illecebris, dum non ad aspectum, sed post tergum sui appenditur possessoris. Cui non dissimilis & illa creditur esse dementia, dum lectulus tam operosis decussatur impendijs, vt ornamentum sacrosancti cuiuslibet, vel etiam ipsius Apostolici præcellat altaris. Et quàm videtur absurdum, vt stratus ille diligentius excolatur, vbi corruptibilis caro soporis quiete resoluitur; quam ara Crucis, in quâ videlicet hostia Dominici corporis immolatur. Hoc ergò modo cum sobrietas soleat commendare Pontifices, effusis nūc opibus facti sunt helluones. Regalis itaque purpura, quia vnicolor est, vilipenditur, pallia vero diuersis fucata nitoribus ad sublimis lectuli deputantur ornatum. Et cum domestici murices nostris aspectibus sordeant, transmarinorum pelles, quia magno pretio coëmuntur, oblectant. Ouium itaque, simul & agnorum despiciuntur exuuiæ, Ermelini, Gebellini, Martores exquiruntur, & Vulpes. Cum illa scilicet in sacris honorentur eloquijs, & vel Ecclesiæ, vel personam exprimant Saluatoris. Oues, inquit, meæ vocem meam audiunt; &, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. De istis verò vel taceatur omnino, & indigna sint, quæ Scriptura commemoret; vel si eorum reperitur vlla memoria, sinistram probantur habere figuram. Sicut est illud: Vulpes foueas habent, Filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet. Ecce non reclinatur in vulpeculis Christus; dormit sub vulpinis pellibus Christianus. Respuit animalia Redemptoris mundi vocabulo decorata; illud suum deputat ornamentum quæ figuras innuunt reproborum. Sed diuites isti non mediocri percelluntur obstaculo, quia dum phaleratis, atque depictis se lodicibus contegunt, væh, væh illis! apertis oculis dormire non possunt. Inuidendum est ergò Regulo dudum Consuli Romanorum, cui Carthaginenses, dum in Reipublicæ constanter amore persisteret, oculorum palpebras præciderunt. Et reuerà ad quid decor iste pulchritudinis, si non aspicitur? Ad quid certè rerum tam speciosa varietas, si hac intuentis animus non pascatur? Præclarum videlicet hoc diuitiarum est genus, quod dum vtitur, nequeat aspici: dum aspicitur, vsum præbere non possit. Tædet cætera vanitatis attexere, non ridenda, sed gemenda ridicula: fastidium est tot ambitionis, ac prodigiosæ vęsanię dinumerare portenta. Papales scilicet infulas, gemmis micantibus, aureisque bratteolis per diuersa loca corruptas. Imperiales equos, qui dum pernices gressus arcuatis ceruicibus glomerant, sessoris sui manus loris innexas, indomitâ ferocitate fatigant. Omitto annulos enormibus adhibitos margaritis. Prętereo virgas, non iam auro, gemmisque conspicuas, sed sepultas. Numquam certè vidisse me memini pontificales baculos tàm continuò

Diuitiæ nullum vsum afferunt, præter solum aspectum.

Cōsule Schol.

Ioan 10.

Ioan. 1.

Matt. 8.

Luc 9.

Eutrop. histor. lib. 2 in fine.

continuò radiantis metalli nitore contectos sicut erant, qui ab Esculano, atque Tranensi gestabantur Episcopis. Vterque tamen alter in Apulis finibus, Nicolao præsidente; alter in Lateranensi Ecclesiâ coram Alexandro, Romanis scilicet Pontificibus, sunt deiecti. Nec eis profuit, quod Pontifices lignei, auratis vsi sunt baculis, dum sacerdotij meritum non nitor efficiat vestium, sed spiritualium norma virtutum: & non micantia margarita vel gemmæ, sed mores aurei deceant sacerdotem. Sicut enim vera sacerdotis humilitas Deum sibi conciliat, & cætera eius bona commmendat; sic arrogantiæ tumor, & vanitatis ambitio diuinæ aduersum se indignationis iracundiam prouocat, & contra bonum, quod aliquando forsitan operatus est, pugnat. Vnde per Esaiam Dominus dicit: Numquid super his non indignabor? Super montem quippe sublimem sacerdos ascendit, cùm sese in superbiæ fastum per quasdam adulterini decoris insolentias erigit. Et cum anima sacerdotis tamquam sponsa Christo spiritalis sit coniugij fœdere copulata, si sic exteriorem ambiat cultum, vt interiorem postponat ornatum, quodammodo viri sui toro introducit adulterum. Vnde Vox diuina præstò subiungit: Quia iuxta me, ait, te discooperuisti, & suscepisti adulterum. O quam acerbi doloris est, si cum maritus est præsens, tunc introducatur adulter: & in thalamo quo recubat spōsus, riualis admittatur incestus! Vnde protinus additur: Dilatasti cubile tuum, & pepigisti cum eis, dilexisti stratum eorum in manu apertâ. Et ne de ornatu, vel delicijs taceat, illicò subijcit: Et ornasti te regio vnguento, & multiplicasti pigmenta tua. Postquam verò confudit arrogantiam superborum, & luxuriosè viuentium, mox spiritum consolatur humilium, & salubriter afflictorum: Auferte inquit, offendicula populi mei, quia hæc dicit Dominus excelsus, & sublimis, habitans æternitatem in excelso, & in sancto habitans, & cum contrito, & humiliato spiritu, vt viuificet spiritum humilium, & viuificet cor contritorum. Cor denique Sacerdotis Dei templum, Christi debet esse sacrarium, non certè, sicut legitur, spelunca latronum, vel sordentis pecuniæ receptaculum. Hoc enim vna quoque mens in diuino deputatur examine, quod versat per concupiscentiam in cogitatione. Fornicationem imaginatur, vel adulterium, lupanar efficitur meretricum: effusionem sanguinis meditatur, & odium, campus est frementium bellatorum: ciborum, & suauium epularum versat quis in cogitatione delicias, quid aliud in cōspectu Dei videtur, nisi cacabus, siue lebes, in quo cibus excoquitur? Controuersias tractat, atque litigiū, quid aliud quā tribunal Iudicis aspicitur, siue forū? Vnde cum Dominus ad Ezechielem diceret: Ingredere, & vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hîc, præstò subiungit: Et ingressus vidi, & ecce omnis similitudo reptilium, & animalium, abominatio, & vniuersa idola domus Israël depicta erant in pariete in circuitu per totum. Quod enim versatur in mente, tamquam depictum cernitur in pariete. Et mens ipsa earum rerum imagines

Esculani, & Tranensis Episcopp. fastus, & depositio.

Esai 57. v. 7.

Ibidem v. 8.

Ibid. v. 15.

Hier. 7. v. 11.
Matt. 21. v. 13.

Mens vertitur in illud, quod cogitat.

Ezech. 8. v. 9.

contrahit, quas sedulâ meditatione reuoluit: & tamquam diuersis actionum imaginibus pingitur, prout vana, vel vtilia meditatur. Ac si quispiam micantia nunc astra suspiciat, nunc declinet oculos in latrinam, modò miretur radiantis auri fulgorem, modò scabram ferri contempletur eruginem, sic sic humana mens dum terrena meditatur, & infima, proculdubiò terra conspicitur; cùm verò quæ pietatis sunt, tractat, cum diuina cogitat, atque cælestia, meritò cælum, templum Dei videtur, atque sacrarium.

Rom. Ecclesia Sedes est Apostolorum.

Nunc præterea Romana Ecclesia, quæ sedes est Apostolorum, antiquam debet imitari curiam Romanorum. Sicut enim tunc terrenus ille Senatus ad hoc communicabant omne consilium, in hoc dirigebant, & subtiliter exercebant communis industriæ studium: vt cunctarum gentium multitudo Romano subderetur imperio: ita nunc Apostolicæ Sedis æditui, qui spiritales sunt vniuersalis Ecclesiæ Senatores, huic soli studio debent solerter insistere, vt humanum genus veri Imperatoris Christi valeant legibus subiugare. Et sicut tunc Romanorũ Consules ex diuersis mundi partibus reportabant, peractâ hostiũ cæde, victorias; sic isti nunc animas hominũ de manu diaboli debent liberare captiuas. Ad hos quippe victoriarũ titulos, ad hos debẽt semper inhiare triũphos; videlicet, vt antiquo prædoni animarũ pereuntiũ manubias rapere, & Regi suo Christo signa gaudeant victricia reportare. Hunc porrò conflictũ Dauid signauit, cũ Rabbath ciuitatẽ victor obtinuit. Rabbath quippe multitudo, vel grandis interpretatur, quod non inconuenienter vniuersitatem huius mundi significare cognoscitur. Dauid itaque Rabbath obtinuit ciuitatem, cum suis legibus Christus grandem, & copiosam huius mundi subdidit multitudinem. Coronam verò de capite Regis illius Dauid abstulit, sibique, sicut Scriptura testatur, imposuit quod tunc verus Dauid Christus impleuit, cum mundi sapientes, quibus quodammodò diabolus ornabatur, eripuit, & in sui decoris, & gloriæ diadema conuertit. Multitudo quippe fidelium non modò Christi, sed & Doctoris cuiusque corona perhibetur, cuius prædicatione conuertitur. Sicut Paulus Philippensibus ait: Itaque, fratres mei charissimi, gaudium meum, & corona mea, sic state in Domino. Sed & prædam, iuxta Scripturam, asportauit multam valdè. Pręda quippe de Rabbath tollitur, cum ex hoc mundo quippe fideles, atque deuoti ad Dei omnipotentis obsequium conuertuntur. Vos, inquam, ô sancti Pontifices, vos potissimum huiusmodi debetis esse prędones, qui quotidie desudetis animas hominum de manibus reprobi possessoris eripere, & triumphales Regi vestro Dauid manubias reportare. Nec tamen sufficit, cum Diabolo raptus ad Deum quisque piâ deuotione conuertitur, nisi mox etiã a status sui duritiâ quasi crebro sanctę prędicationis malleo cõteratur. Vnde per Hieremiã: Nũquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus: & quasi malleus conterens petram? Verba quippe Domini quasi ignis sunt, quia frigus expellunt, calorem mentibus in-

4. Reg. 12. v. 20.

Quid sit Dauid obtinuisse ciuitatem Rabbath.

Ibid. v. 30.

Philip. 4. v. 1.

Hier. 23. v. 29.

gerunt: malleus autem sunt, quoniam obstinationis, & peruicaciæ duritiam molliunt. Congruè ergò sacra subnectit historia: Populum quoque eius adducens, serrauit, & circumegit super eos ferrata carpenta; diuisitque cultris, & transduxit in typo laterum. Quid enim per ferrata carpenta, quod vtique genus est curruum, nisi fortem, atque inexpugnabilem quadrigam sanctorum Euangelistarum, ac per hoc omnium diuinarum scripturarum intelligere debemus eloquium? Nam prout alibi iam diximus, vile quidem ferrum, tamen edomat omne metallum. Sicut ferrum metallis omnibus dominatur; sic Euangelica doctrina duras mentes emollire cognoscitur. Quid est ergò super captos homines ferrata carpenta circumagere, nisi sacræ scripturæ rotis humanarū mentium arcam triturare? Vt in eis sermo diuinus & vitiorum reluctantium glebas obterat, & eas ad suscipiendas mandatorum cælestium segetes complanare, & exæquare contendat. Et quid est, eos cultris diuidere, nisi peccatorum hominum conscientiam ad confessionem diuini Verbi prædicationibus aperire? De quo verbo dicit Apostolus: Gladium spiritus, quod est verbum Dei. Tunc enim tamquam spiritalibus cultris homo diuiditur, cum ad detegendas animæ suæ plagas diuini verbi gladio desecatur. Cur autem eos in typum laterum transduxisse narratur, nisi quia lateres, & terreni sunt, & decocti? Tunc enim peccator in typum lateris vertitur, cum ad prædicationis vocem sancti Spiritus ardorem concipit: & veraciter humiliatus terram se, ac lutum esse perpendit. Sic itaque quisque conuersus, ac pœnitens in lateris formatur imaginem, cum & humiliatur ex suę fragilitatis luto, & quasi rubescit, siue flammescit in amore diuino: vt dum se terrenum puluerem pensat, cor suum ad referendas Deo gratias, qui se reuocauit accendat. Vnde & Adam interpretatur terra rubra; vt ex primi parentis nomine quisque condiscat, vel quid originaliter sit, vel quid eum actualiter esse conueniat. Ad hos itaque sacerdotes Ecclesiarum, ad istas sancti Pontifices debuerant anhelare victorias, non sumptuosis epularum ferculis, non resolui lenocinanti petulantiâ voluptatis. Post mundi quippe nascentis exordium per mille fermè, atque sexcentos annos humanum genus sine vini poculo, & esu carnium vixit: nec tamen quispiam, quem Scriptura commemoret, vsque ad obitum languore contabuit.

2. Reg. 12. v. 31.

Quid per ferrata carpenta signetur.

Ephes. 6. v. 18.

Adam interpretatur terra rubra.

Sed vt iam, quæ suprà latius comprehensa sunt breuis Epilogi fine concludam: & cotis functus officio, dum ipse non incidam, incidentis aciem ferri magis, ac magis exacuam; euellatur à corde nostro radicitus auaritia, concurrentibus scilicet omnium scripturarum testimonijs, euidentissimè condemnata: & cum Achar filio Charmi, quasi tot Patrum sententijs, quot lapidibus obruta. Non accipiendis muneribus delectemur, ne in occulti Censoris examine a sacerdotali, quod absit, deijciamur ordine; sicut filij Samuelis ob hoc iudicialis amisere culminis

Epilogus, & epistolæ conclusio.

Iosue 7. v. 25.

1. Reg. 8. v. 3.

dignitatem. Non vendamus Synodum, nec synodale decretum redigamus ad pretij quantitatem, ne sacri Concilij Spiritum sanctum distrahere videamur auctorem. Sæcularis pompæ facessat ambitio, moderetur nitor, & insolentia vestium, epularum, ac potuum ingurgitatio temperetur. In manus pauperum nostra pecunia transeat: quæ per auaritiam turserat, per misericordiam exhausta iam crumena follescat. Nostræ diuitiæ, nosterque thesaurus lucra sint animarum, & in arcâ nostri pectoris pretiosa recondantur talenta virtutum. In hac etiam arâ principaliter sacrificium offeramus, & profligatis, quæ circa nos sunt, demum nosmetipsos Deo viuentes hostias immolemus; quatenus qui sacerdotes in oculis hominum cernimur, in obtutibus etiam occulti Iudicis veri sacerdotij iure fungamur.

Sacerdotum thesauri sunt lucra animarum.

EPIST. III. *Ad Bonifacium S.R.E. Cardinalem, Episcopum Albanensem.*

ARGVMENTVM.

Inuehitur in Clericos, qui vt Episcopatus sibi possint, & dignitates Ecclesiasticas comparare, sæcularium Principum se famulatui addicunt. Docet autem illos non icirco ab infando simoniæ crimine immunes esse, quod pecunia ad eas scelestas emptiones conficiendas non vtantur, immò multò magis eâ culpâ irretitos teneri; quia scilicet seipsos, quod maius est, vendũt, vt sacerdotia adipiscãtur. Principibus quoque cauendum esse ait, nedum improbis, & flagitiosis hominibus Ecclesiarum gubernacula committunt, aliena peccata in se transferant: quod pluribus exaggerat, multisque rationibus confirmat.

Domno Bonifacio reuerentissimo Episcopo, Petrus peccator Monachus seruitutem.

Eccli. 37. v. 13. *Ibid. v. 12.*

ADmonet vir Sapiens: Cum emptore, inquit, tracta de venditione, cum viro liuido de gratijs agendis, cum impio de pietate, cum honesto de honestate. Quibus etiam ante præmiserat: cum viro religioso tracta de sanctitate, & cum iusto de iustitia. De Sacerdotibus ergò nulli congruentius sermo dirigitur, quam Sacerdoti. Cum itaque, venerabilis Pater, de modernis Episcopis mihi perplura displiceant, illud intolerabilius arbitror, quia nonnulli dum honores Ecclesiasticos Æthnæis vaporibus æstuantius ambiunt, in clientelam potentium tamquam seruos se dedititios obscænè substernunt. Ecclesiastica quippe deserunt, dum Ecclesias concupiscunt: & vt tyrannidem arripiant super ciues, vt ita dixerim, dedignantur esse conciues: militiam fugiunt, vt militibus præferantur: & dum

De Clericis obsequio sæcularium Principum dedititis.

non erubescunt templo Dei mutare palatium, de religione Canonica in ordinem transeunt laicorum. Virtutum arma deponunt, procinctum spiritalis militiæ deferunt, castra transfugiunt, militare cingulum soluunt. Dedignantur cum cæteris stipendij percipere donatiuum, ad solius anhelant dictaturæ, vel imperij principatum. Qui nimirum dum nõ per Ecclesiæ ingrediuntur ostium, sed per sæculare posticum, non pastores ouium, sed fures, & latrones fiunt. Veritate perhibente, quæ ait: Qui non intrat per ostium in ouile ouium; ille fur est, & latro. Porrò si non ex aliena, sed ex eadem militia militum tribunus eligitur, si sæpius eiusdem regni oriundus, ad regiæ dignitatis apicem promouetur, si denique ex eiusdem fundi accolis quispiam in rurali villicatione præponitur, quo pacto sola Christi Ecclesia extraneo, vel ignoto cuilibet homini, tãquam vile stabulum, committetur? Si terrena quæque per suos domesticos disponuntur, quomodo sancta Ecclesia, quæ sceptrum regni, & aula est cælestis imperij, spretis propriis, in exteros transfertur? Vndecumque tamen sit, si ab ipsis, quibus est præponendus, eligitur, non extraneus iudicatur. Sed quis ferat illi Ecclesiastica iura committi, qui vt Ecclesiam nanciscatur, Ecclesiam deserit: & dedignatur obsequium dependere propriæ, vt sibi regimen arroget alienæ? Præterea cum de viro iusto Propheta perhibeat: Quia excutit manus suas ab omni munere; quis eum à munerum valeat præstatione defendere, qui & semetipsum alienæ seruitutis imperio dedere, & in diuturnæ expeditionis impensas facultates suas conuincitur profligare? Prophetica planè illa sententia sic exponitur, vt tria dicantur esse munerum genera, scilicet munus à manu, munus ab obsequio, munus à lingua. Et munus quidem à manu pecunia, munus ab obsequio obedientia subiectionis, munus à lingua fauor assentationis. Sed si ritè considerentur hæc tria munerum genera, in eo quod medium ponitur, & primum, simul & tertiũ continetur. In obedientia quippe subiectionis & munus à manu quod est pecunia; & munus à lingua, quod est fauor adulationis, subsequenter agnoscitur. Quis enim manifestius approbatur pro adipiscendis honoribus præstare pecuniam, quam is, qui tot expensas vtendo vehiculis, tot facultatum summas in accurandis pretiosarum vestium prodigit ornamentis? Eoque superat eum, qui pecuniam semel appendit; quia non contentus solummodo facultates expendere, semetipsum quoque nõ dubitat tamquam seruum Domino vendititiũ subiugare. Iam verò quis ambigat eũ, cum datur occasio, fauorabilibus dominum suum verbis oblinere, vt cum blanda possit adulatione mulcere? Vtque eius animum capiat, quod sibi magis placeat, callidus obseruator explorat. Oculis gliscit, gestibus inuenit, festiuitatem sereni cordis ore prætendit. Pendet ad nutum, vt sic herile præceptum, tamquam per Sybillinum os Phœbi præstoletur oraculum. Ire iubetur, euolat; stare præcipitur, silicem repræsentat. Si dominus feruet, iste sudat; si ille æstum, hic cauma conqueritur. At si vel leuiter frigerat, hic ne-

Ioan. 10. v. 1.

Isaye 33. v. 15.

Tria munerũ genera de his etiam Epist. 1. lib. 2.

Assentatorum vitia execranda.

cesse est, tremefactus visceribus obtorpescat. Si ille dormire vult, hic accidiatur; si satur est, hic ructare compellitur. Sicque non suus nil aliud loquitur, nisi quod illi placere suspicatur. Sicut de quibusdam non dissimilibus per Esaiam dicitur: Qui dicunt videntibus, nolite videre: & aspicientibus, nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores, auferte à me viam, declinate à me semitam, cesset à facie mea sanctus Israël. Et hoc iste modo iuxtà Psalmistam, dum oleum malè blandientis assentationis exaggerat, mentem illius, quæ caput est cogitationis, impinguat. Oleum, inquit, peccatoris non impinguet caput meum. Et Salomon ait, Fili mi, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis. Peccatores etenim lactant, cum vel perpetranda mala blandimentis inferunt, vel perpetrata laudibus extollunt. Quibus nimirum Scripturæ testimoniis patenter ostenditur, quia quisquis adulatur, generale peccatoris nomen per auxesin specialiter promeretur. Et cum Psalmista dicat: Quia laudatur peccator in desideriis animæ suæ; & qui iniqua gerit, benedicitur; & is, qui laudat, & qui sponte laudatur, non dispari reatus obligatione constringitur. Hoc ergò genus muneris cæteris muneribus & deterius est ad peccandum, & grauius ad persoluendum. Quoniam illa vtraque sine isto possunt facile reperiri; hoc autem sine duobus illis vel vix, vel numquam valet impleri. Nam venditoribus Ecclesiarum si auari sunt, sufficit pecunia cum appenditur; si gloriosi, solus adulationis fauor aliquandò vice pretij compensatur. Qui verò se mundi principibus pro nanciscendis honoribus tradunt, & pecunias necessariò prodigunt, & de lenificis patronos suos adulationibus lingere non omittunt. Nequaquàm ergò diffiteantur se dedisse pecuniam, qui prælationis ambitione Principibus exhibent clientelam. Qui nimirum dominationis desiderio seruiunt; & vt diuitiis affluant, cum facultatibus suis, & semetipsos expendunt. Humiliantur, vt postmodùm impunè superbiant; se pedissequos exhibent, vt præcedant; laboribus atteruntur, vt gaudeant; affliguntur inopia, vt nuptialis edulij continua postmodum epulatione turgescant; & velut proposita vænalitatis mensa, fœnerando seruitiū, mercantur imperium. Amant enim primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Dent alij insensibilis metalli summā, trutinent stolidæ pecuniæ quantitatem, numerentur æra, vasa ponderentur anaglifa. Dent, inquam, alij nummos; isti dant pretium semetipsos. An non est pretium sedulum subiectionis obsequium? Nam vt de spiritali conuertamur ad carnale coniugium, numquid Iacob, qui vicennali pro vxoribus ætate seruiuit, dicendus est pretium non dedisse, quia Laban socero suo pecuniam non appendit? Sed audi, scriptura teste, quid eius vtræq; conquerātur vxores: Numquid, inquiunt, habemus residui quidquam in facultatibus, & in hæreditate domus patris nostri? moxque subiicit: Nonne quasi alienas reputauit nos, & vēdidit, comeditque pretiū no-

Esaia 30. v. 10.

Psal. 140. v. 5.

Prou. 1. v. 10.

Psal. 9. v. 24.

Adulatio in clericis est simonia.

Matt. 23. v. 6.

Hominū obsequia pretio donantur.

Gen 31. v. 14. 15.

ſtrum? Cum profectò Iacob nullam pro vxoribus pecuniam dederit, niſi dumtaxat, quia ſoceri pecora cuſtodiuit. Dumque apud eum opilionis officio fungitur, geminam filiarum eius copulam promeretur. Vis itaque pretium ex ore Iacob ipſius audire? Die, inquit, noctúque æſtu vrebar, & gelu; fugiebat ſomnus ab oculis meis; ſic per viginti annos ſeruiui tibi in domo tua. Dauid quoque non aliud Sauli pro filia pretium dedit, niſi quia dumtaxat eius militiam baiulauit. Vnde leuiro ſuo Isboſeth per nuncios dicit: Redde vxorem meam Michol, quam deſpondi mihi centum præputiis Philiſtiim. Laboris quippe ſui victoriam dotem deputat, quam & Saul velut quamdam pecuniam ſponſalium vice ſuſceperat. Sic, inquit, loquimini ad Dauid: non habet neceſſe Rex ſponſalia, niſi tãtùm centum præputia Philiſtínorum, vt fiat vltio de inimicis Regis. Sicut ergò Laban filias vendidit, pretiumque comedit, non quia recondidit pecuniæ lucrum, ſed quia laborioſæ ſeruitutis percepit impendium. Et ſicut Saul nupturæ filiæ non auri, vel argenti dona quæſiuit, ſed laborem belli, vel inſigne triumphi, vice dotis accepit; ſic ille neceſſariò Eccleſiæ venditor eſſe conuincitur, qui ſubiectionis obſequium de male ſperata eius largitione mercatur. Et cum is, qui pretium accipit, aſſeratur Eccleſiam vendere; iſte congruentius dicitur venditare: quia vænale commercium, quod ille ſemel init; hic longa, vt ita loquar, ac diuturna negotiatione protraxit. Et infælix Clericus, quot ſeruitia fucatæ humilitatis exhibuit, quaſi toſt pecuniarum ſummas appendit. Qui nimirum aſſentationibus ſuis dum aucupatur nomen Epiſcopi, laruam induit paraſiti. Et dum ſpirat ambitione Pontificem, ſcenicum exhibet hiſtrionem: atque ideò hic non ſimplex, ſed omnigena dicendus eſt ſimoniacus, quia quidquid eſt, per quod Eccleſia vendi potuit, hic triplici vænalitate commiſit. Nec glorietur metalli ſe non dediſſe pecuniam, qui, quod pretioſius habebat, ſemetipſum vænalem præbuit, qui naufragio ſe tam duri laboris immerſit, & in huius expeditionis ſumptus nonnihil ex propriis facultatibus profligauit.

Ibid. v. 40.

2. Reg 3 v. 14.

1. Reg 18. v. 25

Ponamus, verbi gratia, duos Clericos centenas nummorũ libras non diſpari peculio poſſidentes, quorum alter curiam Regis adeat, ſenſimque in proprios vſus, quod in ſudario latet, inſumat; alter cum Iacob in tabernaculis maneat, nec alutam ære turgentem follere compellat. Vtrique poſtmodùm vno die ſua cuique delegetur Eccleſia: Et hic quidem totum æs, quod crumena ſeruabat, in ſacrilegij pretium funeſtus negotiator effundat; alter verò quia ſeruiuit in curia, nil nouiter tribuat, ſed ad percipiendum Eccleſię villicatum tamquam gratuitus mercator accedat. Quis horum quęſo carius emit Eccleſiam? Numquid non ille, qui licet patrono nil dederit, tot ærumnis, & laboribus preſſus, quicquid habebat, in tam grauis, & diuturnæ expeditionis ſumptus expendit; & iſte vilius, qui ſine labore ſuam venditori pecuniã nu-

merauit? Nam perspicua ratio persuadet, quia pluris emit Ecclesiã, qui sua omnia cum laboribus perdidit; quam is, qui quietus, & otiosus præfixæ quantitatis pacta persoluit. Portò cum & forensibus legibus cautũ sit, vt curialis quisque funditus arceatur à Clero; iste de Ecclesia migrauit ad curiam. Et heu prodigiosa væsania! vt præferatur Clericis, qui de Clerico efficitur curialis: factus est seruus mundi, vt ius domini, immò cathedram pestilentiæ vsurpet in domo Dei. Qui si semel inuestituram de manu largitoris acceperit, vel quolibet prorsus ingenio culmen regiminis indeptus ascenderit, mox vt sibi fautores inueniat, larga de facultatibus Ecclesiæ dona dispensat.

De Episcopo quodam Bononiensi.

Nostris certè temporibus Bononiensi Ecclesiæ quidam præsedit Episcopus, eo scilicet modo, quo diximus, curialis: qui nimirum postquam lætissima Ecclesiastici iuris prædia in suburbio constituta distraxit, subsequenter obmutuit. Sicque ferè per Septẽnium donec aduixit, paralyticus, & elinguis elanguit. Iustè scilicet, superno dispensante iudicio, vt qui linguam suam fecerat negotij ferialis interpretem, cum ipsa quoque prorsus amitteret totius eloquij facultatem. Quilibet itaque curialis Episcopus hos muneribus attrahit, illis beneficia latiora concedit; sic à quibus non erat electus, eligitur; & vt sibi de Simone nihil desit, ipsam electionem sacrilega vænalitate mercatur. Verumtamen in hoc sui sceleris turpitudinem palliat, quia sub colore fidelitatis Ecclesiasticæ municipes per iusiurandi sacramenta confirmat, Cum nemo deterius Ecclesiam lædat, quam ijdem ipsi infidi fideles, qui eius diripere facultates anhelant. Cum illis ergò munera tribuit, cum sub nomine velut Ecclesiæ sibi potissimum iurare compellit, non Ecclesiæ consulit; sed sibi quietè possidendi culminis aditum pandit. Siue ergò ante consecrationem, hoc, siue postquam consecratus est, faciat, valdè sibi timendum est, nedum non pro Ecclesiæ vtilitate, sed pro sua potius confirmatione, sacri loci bona dilapidat, in voraginem se simoniacæ hæreseos, dum extolli conatur, immergat, & hinc perniciosè coram diuinis obtutibus corruat, vnde se inter homines arroganter exaltat. Sicut scriptum est: Deiecisti eos dum alleuarentur. *Psal. 72. v. 18.*

Sed & hoc prætereundum non est, quia sicut is, qui regiminis apicem inuitus assequitur, si quid illic asperum, si quid patiatur aduersum, ad cumulum sibi prouenit meritorum: & pro tribulatione, quam tolerat, non incassum exultationis æternæ præmium sperat. Sic ille, qui vltroneus ambit, vel importunus ingeritur, vix pro aduersitate, quam in regimine patitur, præmium consequetur. Ad se itaque quod patitur, referat: sibique omne, quod laceratur, adscribat. Labores, quos sustinet, honoribus recompenset: fructumque laborum potius in adeptâ dignitate constituat, quam de futuri muneris retributione præsumat. *Matth. 6. v. 2.* Domino de talibus attestante: Quia receperunt mercedem suam. Nam sibi ipse concinit, vnde mens eius tot casibus concussa succũbit. Enimuerò qui ad ministerium terrenæ dispensationis coactus attrahitur,

hitur, cum in excutionibus eius aduersa pertulerit, laboris sui præmio non carebit. At si villicatus pretio, vel precibus obtinetur, erubescit pro laboribus suis commodum retributionis exigere, qui se laborandi materiam meminit importunis anxietatibus extorsisse. Hæc itaque diximus, vt non sibi glorientur simoniacam deesse vænalitatem, qui famulãdo Principibus Ecclesiasticam adepti sunt dignitatem. Nec sibi regulam gratuitæ promotionis applaudant, cum se redemisse, quod possidetur, duris laboribus non ignorant. Principibus quoque, & quibuslibet ordinatoribus Ecclesiarum summopere cauendum est, ne sacra loca, non considerato diuino iudicio, sed pro arbitrio, & ad libitum præbeant, ne ad suam confusionem diuinæ legis ordinem, & sacrorum Canonum statuta confundant. Nam quisquis Ecclesiam Dei non regulariter, sed potentialiter ordinat, in promouentis caput omnia illius, qui promotus est, mala redundant. Vnde Prædicator egregius cum dixisset: Manus citò nemini imposueris; præstò subiunxit: Nec communicaueris peccatis alienis. Alienis quippe peccatis communicare conuincitur, quisquis indignum, & improbum, atque ideò cupidum ad regimen prouehere non veretur. Et cum Ecclesia Christi non habens maculam, neque rugam, reprobâ cuiuslibet ordinatione fœdatur, in ordinantis animam omnis illa lethiferę contagionis lepra transfunditur.

Peccata Epis. non recte ordinati in promotoris caput redundant.

1. *Tim.* 5. *v.* 22.
Ephes. 5. *v.* 17.

Romanorum nempe tradit historia, quia petentibus Gothis, vt eis Imperator Valens Episcopos destinaret, à quibus Christianę Fidei rudimenta susciperent; ille doctores ad eos non Orthodoxos, sed Arriani dogmatis misit, rudemque populum, quibus inuolutus erat, erroribus, implicauit. Sed ô prædicandam, veréque laudabilem diuini examinis æquitatem! Nam cum Gothi iàm ab Hunnorum agminibus ex antiquis sedibus fuissent violenter eiecti, & citra Danubium, intrà Romanos scilicet fines, à Valente sine vllâ fœderis pactione benignè suscepti: diuino tamen iudicio postmodum contrà Valentem in arma consurgunt, eiusque exercitum acerrimâ cæde prosternunt. Quibus cognitis Valens egressus Antiochiâ, contrà Gothos innumeris vallatus agminibus, properat: serâ ductus pœnitentiâ, Sanctos quosque reuocari de exiliis imperat: mox tamen committit, & perdit. Nam ad primum Gothorum impetum, Romanorum equitum acies perturbantur, nudosque pedites deserunt. Qui mox equitatu hostium septi, ac sagittarum nubibus obruti, dum hûc, illûcque velut amentes pallando diffugiunt, hostilibus gladiis funditus perimuntur; ipse quoque Imperator sagittâ sauciatus, equo delabitur: in vilissimam segetem, milite gestante, defertur: sicque superuenientibus Gothis, ignibus atrociter concrematur. Iusto quippe Dei iudicio ab eisdem consumptus est flammâ vindictæ, quos ipse percusserat igne perfidiæ. Sic, iuxtà Scripturæ sententiam, egressus est ignis de rhamno, & deuorauit cedrum Libani.

Paulus Diac. hist. Rom. ad Eutrop. lib. 11. in princ.

Iudic. 9. *v.* 15.

S

Sed & per hoc exemplum, quod nunc de Scriptura posuimus, illud etiam non inconuenienter occurrit, quod ibidem in libro Iudicum positum memoramus. Nam dum hoc ferreo sęculo, & ij, qui regimine digni sunt, fugiant; & illi, qui meritò reprobandi sunt, irreuerenter accedant; hoc agi videtur per operationis effectum, quod illic legitur per allegoriæ mysteriũ, Ait enim: Quia stetit Ioathan in vertice montis Garizim, eleuatáque voce clamauit: Audite me viri Sichem, ita vt audiat vos Deus: Ierunt ligna, vt vngerent super se Regem, dixeruntque oliuæ, impera nobis. Quæ respondit: Nunquid possum deserere pinguedinem meam, qua & dii vtuntur, & homines: & venire, vt inter ligna promouear? Dixeruntque ligna ad arborem ficum: veni, & super nos regnum accipe. Quæ respondit eis: numquid possum dulcedinem meam deserere, fructusq; suauissimos: & ire, vt inter cętera ligna promouear? Locuta sunt quoque ligna & ad vitem: veni & impera nobis. Quæ respondit: nûm possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum, & homines, & inter ligna cætera promoueri? Deinde Scriptura subiungit: Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum, veni, & impera nobis. Qui respondit eis: si verè regem me vobis constituitis, venite, & sub vmbrâ meâ requiescite. Longum est, si dicamus Gedeonem typum tenere Saluatoris. Per plurimas eius vxores, diuersas debere nationes intelligi, quæ sibi cohęsere per fidem. Per septuaginta filios, totidem linguarum populos. Per concubinam synagogam. Per Abimelech Antichristum, qui synagogæ filius erit. Vnde & in Apocalypsi his, qui credituri sunt, dicitur: Qui dicunt se Iudæos esse, & non sunt, sed sunt synagoga satanæ. Et sicut ille peremit septuaginta fratres; sic iste persecuturus est omnes, quæ sibi non consentient, nationes. His, inquam, omissis, quæ longioris styli videntur egere tractatu, in quantum patitur epistolare compendium, ita dumtaxat cœptæ disputationi congruere videatur, prolixæ historię figuram succinctè perstringimus.

Ibidem v. 17

Christi typus. *Iudic. 8 v 30. 31.* *Apoc. 2. v. 9.*

Quid ergo per Ioathan, qui interpretatur consummatus, siue perfectus, nisi sanctum, & doctum quempiam prædicatorem debemus accipere? Hic in montem Garizim ascendit, & voce magnâ clamauit. Prius ascendit, & postmodum clamauit. Ante consurgit in montem, & sic eleuat vocem. Quia nisi Doctor virtutum priùs culmen ascendat, inaniter clamat. Sicut per Esaiam dicitur: Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelisas Hierusalem. Per Garizim autem sancta designatur Ecclesia, quæ est virtutum omnium schola, & cælestium segetum vbertate fœcunda. Hic est enim mons, qui dandis per Moysen benedictionibus deputatus est: & Ecclesia mons benedictionis est, cuius filijs per Apostolum dicitur: In hoc vocati estis, vt benedictionem hæreditate possideatis. Hanc hæreditatem à viduâ matre suscepimus, pro quâ vir eius mori dignatus est; de quâ & per Psalmistam dicitur: Viduam eius benedicens, benedicam. Et congruè Garizim, qui interpreta-

Quid per Ioathan designetur. *Deut. 27. v. 12*

Esai. 40. v. 9 Quid per Garizim.

1. Pet. 3 v. 9

Psal. 131. v. 15.

tur diuisio vel aduena, sanctam figurat Ecclesiam; quoniam Ecclesia gentium, quæ prius extitit funditus à Dei lege diuisa, in primâ vocatione facta est aduena, iamque per incrementum gratiæ facta est omninò domestica. Vnde iam firmiter radicatis, & velut in vrbe cõpositis Paulus ait: Iam non estis hospites, & aduenę: sed estis ciues Sanctorum, & domestici Dei. Sed vt omittentes plurima, quod propositum est, transiliendo celeriter percurramus, ligna siluæ sunt homines vani, & infructuosi, ac flammis vltricibus merito suæ sterilitatis obnoxij. Omnis enim arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Qui verò per oliuam, quæ & signum pacis ostendit, oleique pinguedinem fundit, nisi illi designantur, qui Spiritus sancti pinguedine delibuti euangelizando pacem, reconciliant homines Creatori? Quam, inquit, speciosi pedes euangelizantium pacem. Ficus autem sacræ legis imaginem tenet, vnde & in Euangelio dicitur: Quia quidam paterfamilias plantauit vineam, in qua scilicet plantauit & ficum. Vinea quippe Domini Sabaoth domus est Israël. In quâ nimirum plantauit diuina manus Decalogum legis. Sed hæc ficus priorem populum quasi grossos suos, aridos scilicet, & inutiles protulit, & abiecit, nouum verò Christianæ Fidei germen ad maturitatẽ internę pinguedinis, suauitatéq; perduxit. De quibus Hieremias ait: Video ficus, ficus bonas, bonas valde: & malas, malas valde, quæ comedi non possunt, eo quod sint malæ. Per ficus ergò illi possunt non inconuenienter intelligi, qui sacræ legis eruditione sunt sufficienter instructi. Vitis etiam idipsum pænè videtur significare quod ficus. Dicit enim Dominus: Ego sum vitis vera, & vos palmites. Et quia de palmitibus fiunt vites, quid mirum si & sancti Doctores asserantur vites; vt quod Saluator mundi per naturam, hoc illi glorientur habere per gratiam? Qui nimirum dum triumphum Dominicę passionis prædicare non cessant, quasi per doctrinæ suæ botros arentia corda nostra vino beati cruoris inebriãt. De hoc vino per Iacob super Saluatore nostro allegoricè dicitur: Lauabit in vino stolã suam, & in sanguine pallium suum. Stola Christi fuit in Apostolis, & cęteris credentibus synagoga: cuius etiam pallium gentilis est populus. De quibus sibi per Prophetam dicitur: Viuo ego, dicit Dominus, quia his omnibus velut ornamento vestieris. Hos itaque Christus in sanguine vuæ lauit, quem de semetipso contritus in † prælio Crucis expressit. Vnde & Ioannes ait: Qui dilexit nos, & lauit nos à pecatis nostris in sanguine suo. Cum igitur oliua, ficus, ac vitis, hoc est, spirituales viri lignis præesse siluestribus, id est, terrenis hominibus, atque carnalibus nullatenus acquiescant; offert se rhamnus, & ab eis cõsumendus, & eadem vel prauę conuersationis exemplo, vel erronei dogmatis incendio consumpturus. Rhamnus enim spinis crebrescentibus horret, per quem scilicet quilibet peruersus inuenitur, qui sic peccatorum tamquam veprium asperitate densatur. Vnde & primo homini dictum est; Terra tua spinas, & tribulos germinabit tibi.

Ephes. 2. v. 19.
Quid item per ligna siluæ, oliuam, ficum, & vitem.
Matt. 3. v. 10
Rom. 10. v. 15
Matt. 21. v 33
Esai. 5. v. 7
Hier. 24. v. 3
Ioan. 15. v. 5
Gen. 49. v. 11
Stola Christi synagoga Iudæorum.
Esai 49. v. 18
† prælo f.
Apoc. 1. v 5.
Gen 3. v. 18.

id est, corpus tuum aculeatis vitiorum punctionibus subiacebit. Et per
Tren. 5. Prophetam Dominus, Spinis inquit, peccatorum suorum circumdederunt me. Lignis itaque petentibus Regem, id est, prauis quibusque carnaliter eligentibus Præsulem; rhamnus accedit in medium, quilibet videlicet reprobus, qui & ignem damnationis in se ex eorum prauitatibus augeat, & eos peruersè viuendi, vel docendi reciprocâ combustione consumat. Vnde & illîc dicitur: Egrediatur ignis ex eo, vt consumat habitatores Sichem, & oppidum Mello: egrediaturque ignis de
Iudic. 9. v. 20. viris Sichem, & de oppido Mello, & deuoret Abimelech. Hęc autem Ioathas constitutus in verticæ montis eloquitur; quia per sanctos in Ecclesia prædicatores addiscimus, quomodò quibusque peruersis, ac reprobis vana petentibus resistamus.

Ecce, venerabilis frater, vnam dumtaxat Epistolam petisti, sed insuper & alteram recepisti. Ipse quoque versâ vice deposco, vt dum integra nostræ dilectionis vna dirigitur, ad nos etiam iuxtà vetustæ disputationis ethicos gemina reuertatur. Quod si te de curialibus Episcopis adhùc latius audire delectat, eiusdem thematis † epistolam, quam Concardinalibus tuis olim misi, te videre non pigeat. Illud etiam in epistolæ calce subnecto, vt amodò, & deinceps, sicut ij, qui Ecclesiæ militando promoti sunt, vocantur ex more Pontifices; ità qui famulando Principibus fiunt, dicantur à curiâ Curiales.

† Epist. 1. lib. 2.

EPIST. IV. Ad S. R. E. Cardinales, Bonifacium Episcopum Albanensem, & Stephanum Presbyterum.

ARGVMENTVM.

Hanc Epistolam scribit pro quodam sancti Apollinaris monasterij Abbate, orans Bonifacium, & Stephanum S. R. E. Cardinales, vt illi humanitatem, & clementiam exhibeant. Quamobrem autem, aut qua in re humanitatem ei præstari velit: quia ipse non indicat, haud sanè licet diuinare.

Sedis Apostolicæ Sanctis, ac reuerentissimis sacerdotibus Bonifacio, & Stephano Petrus peccator Monachus seruitutem.

NOLO vos lateat, dilectissimi mihi fratres, & Domini, quia modernus iste Iacob, Rector videlicet monasterij sancti Apollinaris, nostri montis cacumen irrepsit; immò, qui in planis, ac inoffensis solitus est conuallibus repere, timoris calcaribus concitatus, velut alarum remigio pręrupijs montium coactus est perniciter inuolare: & qui per plana vix claudicans reptat, scopulosa montium iuga subsilien-

do perlustrat. Quapropter obsecro fraternitatis vestræ clementiam, vt qui duo tamquam Petrus & Ioannes claudum compellitis currere, nō aurum sibi, vel argentum, quod vobiscum fortasse non est: sed misericordiam, quam habetis, & abundanter affluitis, clementer exhibete. Consolidentur itaque eius bases, & plantæ, vt de ruinâ sui loci, vel habitationis excidio non necesse sit trepidare. Prosit igitur illi tam ardui montis subijsse fastigium, & sit vnde Deo gratias referat adhuc suum ingressurus in templum, ambulans, & exiliens, & laudans Deum. *Act. 3. v. 5.*

EPIST. V. Ad S. R. E. Cardinales, Hildeprandum Archidiac. & Stephanum Presb.

ARGVMENTVM.

In hac Epistola arcana totius mundi creationis mysteria, & præcipuè Sabbatum, quo die rerum omnium Conditor ab omni opere cessauit, interpretatur. Per Sabbatum autem Christum intelligi docet, in quo huius mundi voluptatibus posthabitis, & terrenarum rerum amore deposito, humana mens quasi feriata fælicissimè conquiescit: necessarium tamen esse, vt hanc requiem adipiscamur, animum nostrum à prophanis cogitationibus, & mundi illecebris tamquam ab iniustis possessoribus vindicare, & Christo vero Domino sincerum, illibatumque reseruare. Ita enim verè Sabbatismus implebitur, dum scilicet & nos in eo, & ille in nobis æternum domicilium statuemus.

Gemino Sedis Apostolicæ Hildeprando, Petrus peccator Monachus indissolubile vinculum charitatis.

VVLGARE est, dilectissimi, quia locupletes quilibet vberibus diuitiarum copijs non affluerent, si pauperes sibi vilia saltem munuscula, vel exenia de suis reculis non offerrent. Et sæpè delitiosum quemque tenue pauperis delectat olusculum, atque hoc protinus iacentem stomachum recreat, qui scilicet eatenus quasi languens adipati iuris edulium nauseabat. Vt quid igitur ego, licet incircumcisus eloquio, pauper ingenio, claros, & eruditos viros verear alloqui; cum ijdem ipsi nobiscum non philosophorum, sed discipuli sint vtique Piscatorum? Præsertim cum & Paulus dicat: Sapientibus, & insipientibus debitor sum. Sed quoniam ego nuper à vobis carne, non corde, quietis amore disiunctus, spirituale proposui Sabbatum colere: libet super hoc Sabbato cum sanctâ vestrâ prudentiâ succinctè quid disputare. Itaque qui Sabbatum celebro, quid mihi de illo videatur, expono. *Rom. 1. v. 14.*

Nullum namque præceptum in totâ veteris instrumenti lege reperio tam districtè propositum, tàm frequenter indictum, tot admonitionibus inculcatum. Hoc enim non modò sæpissimè inter sanctiones, & ceremonias legis, sed etiam in Prophetarum frequentatur oraculis.
Exod. 31. v. 14. Custodite, inquit, diem Sabbati. Omnis homo, qui non obseruauerit diem Sabbati, peribit anima illa de populo suo. Quid ergò per Sabbatum debemus intelligere, nisi Christum? In isto quippè Sabbato requiescimus, cum in illo solo spem ponimus, cum hunc toto cordis amore diligimus: ac rerum temporalium concupiscentiam postponentes, à seruilium operum labore cessamus. Vnum scilicet, idemque legis præceptum est, & Sabbatum colere, & præcedentis Angeli vocibus obedire. Ecce, inquit, ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in viâ, & introducat in locum, quem paraui. Obserua eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaueris, & est nomen meum in illo. Quod si audieris vocem eius, & feceris omnia, quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te, præcedetque te Angelus meus. Vnde est, quod in primâ earum tabulâ, quæ Moisi datæ sunt, vbi non sunt nisi tria dumtaxat mandata conscripta, hoc tertium inuenitur. Nam postquam illic scriptum est: Non habebis Deos alienos; & Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum; protinus additur: Memento, vt diem Sabbati sanctifices. In aliâ vero tabulâ, vbi non iam ad diuinam substantiam pertinentia, sed exteriora septem videnter inesse mandata, sic incipit: Honora patrem tuum, & matrem, de quo iccircò dicit Apostolus, quod sit primũ mandatum in promissione, quoniam primum in secundæ tabulæ ponitur ordine: alioquin quartum potius deberet dici, quàm primum, in promissione scilicet longæuitatis. Dicit enim alibi: Honora patrem tuum, & matrem, vt sis longæuus super terram. Quia ergò per Sabbatum Christus innuitur, rectè in illâ tabulâ Sabbati mandatum ponitur, vbi sola Dei fides habetur. Nam & in ipso mundi nascentis exordio, cum vnumquemque diem scriptura mane præfigat, & vespere; iam cum ad Sabbatum peruenit, neutrum horum nominat: vt illud quasi sine initio esse, vel fine prorsus ostendat. Nam stylus historię hunc ordinem tenet: Factum est, inquit, vespere, & mane dies sextus. Igitur perfecti sunt cœli, & terra, & omnis ornatus eorum; statimque subiungit: Compleuitque Deus die septimo opus suum quod fecerat: & requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat. Non enim ad instar aliorum dierum, de creatione Sabbati prius aliquid dixerat, sed sic ad illud quasi iàm notum repentè prorupit: & dum nec mane eius, nec vesperam dixit, quodammodo nec initium, nec finem habere monstrauit. Ad similitudinem quippè Melchisedech Sacerdotis, etiam Sabbatum Moyses introducit, de quo ad Hebræos dicit Apostolus: Rex Salem, quod est Rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealo-

Marginal notes: Per Sabbatum Christus intelligitur. — Exod. 23. v. 20. — Exod. 20. v. 3. — Deut. 5. v. 16. Ephes. 6. v. 2. — Exod. 20. v. 12. — Gen. 1. v. 5. 2. v. 1. & 2. — Heb. 7. v. 3. — Comparatio Melchisedech cum Sabbato.

gia, nec initium dierum, neque finem habens: assimilatus autem filio Dei manet sacerdos in perpetuum. Et rectè quæ vnum sub allegoricâ figurâ significant, in ipso quoque scriptionis ordine non discordant. Illud quoque ab vtroque non discrepat, quia sicut Melchisedech Rex Salem, Rex pacis dicitur; ita nihilominus Sabbatum requies interpretatur. Igitur hęc duo, quæ pacem, siue requiem suis nominibus exprimunt, congruenter in hunc, qui summa pax est, typicâ significatione concurrunt. Ipse est enim pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Et rectè in hoc Sabbato rerum Conditor requieuit, quia in Christo Iesu mediatore Dei, & hominum, Pater omnipotens, quod se posset offendere, penitùs non inuenit. In eo denique meritò requieuit, de quo Discipulis audientibus intonuit, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. In illo siquidem suauiter requieuit, & nos requiescere præcipit. Vnde & in Leuitico dicit: Sabbata mea custodite, & Sanctuarium meum metuite. Qui enim Sabbatum, ipse est & Sanctuarium. In quo videlicet habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & de quo idem dicit Apostolus: Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi. Sed & eadem in Euangelio Veritas dicit: Non pro his autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt in me per verbum ipsorum, vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint. Et iterum: Ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnum.

Ephes. 2. v. 14. *Matt 3. v. 17.* *Leuit. 19. v. 30.* *Coloss. 2. v. 9.* *2. Cor. 5. v. 19.* *Ioan. 17. v. 20.* *Ibidem. v. 23.*

Sed qualiter homo valeat consummari, quomodò debeat perfici, libet succinctè perstringere, prout in ipso mundanæ creationis datur ordine reperiri. Nam quia homo μικρόκοσμος, hoc est, minor mundus asseritur, necesse est, vt ad suæ plenitudinis incrementa contendens, ipsam mundanæ conditionis speciem imitetur, vt sicut visibilis, atque corporeus hic mundus per suarum molem, ac multitudinem consummatus est partium; sic & homo noster interior paulatim ad sui plenitudinem veniat per augmenta virtutum. De quâ nimirum plenitudine spirituali dicit Apostolus: Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensurâ ætatis plenitudinis Christi. Age igitur dixit Deus: Fiat lux. Tunc autem in homine dicitur; vt lux fiat: cum datur, vt illuminatio sibi credulitatis infulgeat. Prima quippè mentis lux fides est. Vnde iam fidelibus dicit Apostolus: Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: & hoc est primum in lege præceptum. Audi Israël: Dominus Deus tuus, Deus vnus est. Tunc itaque in homine primus dies fit, cum nouus ad fidem venit.

Homo rite perfici poterit, si mundi creationem contẽpletur. *Ephes. 4. v. 13.* *Gen. 1.* Fides est primus dies in homine. *Ephes. 5. v. 8.* *Deut. 6. v. 4.*

Secundo die fecit Deus firmamentum, quod est cælum, fecitq; diuisiones aquarum, vt aliæ per inferiora defluerent, aliæ in superioribus remanerent. Quid autem firmamentum, nisi robur est scripturarum? Vnde legitur, quia cælum in die iudicij plicabitur sicut liber. Quid autem aquæ inferiores, nisi multitudines hominum? Quid superiores,

Isaye 34. v. 4.

nisi chori sunt Angelorum? Angeli enim scripturarum cælum non habent super se, sed sub se: quia non egent, vt verbum Dei legentes audiant, qui ipsum Deum præsentem manifestè conspiciunt, & in eius semper amore flammescunt. Cum igitur homo per firmamentum, hoc est, per cęlestis eloquij documentum iam incipit inferiores aquas, superioresque diuidere, id est, carnalia à spiritualibus, terrena à cælestibus separare; iam in eo secundus fit dies, quia non modò fidei lucem, sed & rerum incipit habere discretionem.

Secundus dies rerũ discretio.

Deinde dixit Deus: Congregentur aquæ, quę sub cælo sunt, in locum vnum, & appareat arida. Facta igitur diuisione inter terrena, sicut dictum est, atque cælestia, necesse est, vt humana mens hęc eadem terrena adhuc inter se minutius diuidat: & sic reprobos homines huius terrenę sapientiæ salsugine prurientes à iustis fontem fidei sitientibus, tamquam ab aridâ mare decernat. Infideles enim, siue carnales quilibet amaris tentationum fluctibus quatiuntur, & tamquàm procellosis cupiditatum, vel arrogantiæ tempestatibus intumescunt. Sancti verò quique, ac iusti velut arida Deum sitiunt, & tamquam ferax terra virentes bonorum operum fructus germinare contendunt. Ideóque præcepit Deus, vt eodem die germinaret terra herbam virentem faciẽtem semen, & lignum pomiferum faciens fructum. Quisquis ergò hęc solerter exequitur, quisquis hæc subtiliter meditatur, huic proculdubiò tertius iam dies exoritur. Vnusquisque ergò se ab amarâ carnaliter sapientium salsugine diuidat; fontem vitæ Deum, factus arida, medullitùs sitiat, bonorum fructuum germina proferat; vt sibi dies tertius illucescat.

Tertius dies Sanctorum operum exercitium.

His enim ita compositis, & salubriter ordinatis, anima hominis quasi dimotis, atque sopitis tenebris vitiorum, incipit radiare nitore virtutum. Atque ideò dicitur, quia quarto die facta sunt luminaria in firmamento cæli. Quid est enim, quia prius germinat terra, & protinus luminaria sunt creata, nisi quia prodeunte germine boni operis, lux in animâ copiosior oritur, vt imitari valeat sui vestigia Redemptoris? Acceleret ergo terra mentis humanæ spiritalium segetum germinare prouentum, vt rutilantibus intimæ lucis radijs illustretur; quatenus dum quarti diei luce perfruitur, etiam ad contemplanda cælestia more spiritualium volucrum rapiatur.

Quartus dies splendor virtutum.

Vnde est, quod in quinto die creati sunt pisces, per quos designantur ij, qui baptismatis sacramenta suscipiunt; volucres etiam, qui significant eos, qui virtutum pennis ad cęlestia se contemplanda suspendunt. Quintum ergo diem cum volucribus habet quisquis sęculi huius amore contempto, quasi dedignatur cænum calcare terrenum, ac per contemplationis gratiam ad cælestis gloriæ se prouehit appetitum. Hic itaque non iam in terrâ graditur, sed per aërem volat: quia terrena quæque despiciens, ad cælestia sitibundus anhelat: *Sitiuit, inquiens, anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam, & ap-*

Quintus dies desiderium rerum cælestium.

Psal. 41.

pareb9

parebo ante faciem Dei? Hic ergò quasi vir perfectus ad sui Conditoris merito formatur imaginem, nimirum qui tantam spiritualium charismatum possidet dignitatem; vt non iàm solummodò quorumlibet normam præcipiatur tenere Sanctorum, sed & ipsum Dei, in quantum fas est, imitari conetur exemplum. Sicut dicit Apostolus: Estote imitatores Dei sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos. Differentia quippe erat inter Paulum, qui imitabatur Christum; & eos, quos prouocabat ad imitandum se ipsum: Imitatores, inquit, mei estote, sicut & ego Christi. *Ephes. 5. v. 1.* *1. Cor. 11. v. 1.*

Vnde sexto die creatus est homo ad sui similitudinē Creatoris. Quod vtique sicut tunc factum est per humanæ conditionis exordium, ita nūc agitur per instaurationis intimæ Sacramentū. Hic prætereà inter omnia terræ, aquæ, simul & aëris animantia quasi monarchiam accipit, & quemdam sublimioris excellentiæ principatum; quia vir quisque perfectus, ac virtutibus consummatus nouit de singulis rectum proferre iudicium. Sicut Apostolus ait: Spiritualis autem iudicat omnia, ipse autem à nemine iudicatur. Hic itaque Deus omnipotens virum, mundo scilicet mortuum, sibique viuentem, suum constituit thronum, ac per eum sæpè iustitiæ suæ promulgat edictum. Hinc est etiam, quod ordo ille Angelicus, per quem frequentius iudicia sua decernit omnipotens Deus, thronus vocatur; quia in eis summus arbiter præsidet, cum iudicia per eos æquitatis exercet. Perfectum itaque virum Deus suum constituit solium, vt in eo suauiter requiescat. Vnde per Prophetam, Super quem; inquit, requiescet Spiritus meus, nisi super humilem, & mansuetum, & trementem sermones meos?

Sextus dies de singulis rectū profert iudicium. *1. Cor. 2. v. 15.* Vir sāctus est Dei thronus. *Esaia. 66. v. 2.*

Et notandum, quod per vnumquemque diem dicitur: Factum est vespere, & mane; vespere scilicet ipsa boni operis est perfectio, manè verò lux mentis. Nam cum bonum opus peruenit ad perfectionem, tunc in operantis mente lux gratiæ spiritualis exoritur; vt dùm lucidum opus foris exequitur, intrinsecus ipse gratia Spiritus illustretur.

Quid per vespere, & mane.

Sic itaque peruenitur ad Sabbatum, in quo Deus & ipse consummatis operibus requiescit, & hominem requiescere præcipit. Hoc itaque modo & homo fit Sabbatum Dei, & Deus Sabbatum hominis; cum & ipse in Deo, & Deus requiescit in eo. Manete, inquit, in me, & ego in vobis. Ipse quippè nobis & intemporale tempus, & illocalis est locus. Illocalis scilicet, quia non circumscribitur; intemporalis, quia numquā finitur. Tempus itaque nobis est, dum dicit: Nonne duodecim horæ sunt diei? Se scilicet diem, duodecim autem horas totidem didicit Apostolos. Locus verò illîc indubitanter exprimitur, vbi Propheta cum præmisisset: Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient; protinus addidit: Filii seruorum tuorum habitabūt ibi, haud dubium quin in te. Fecit itaque Deus cælum, & terram, & requieuisse non dicitur: fecit germinantia terræ, & luminaria cæli, & requieuisse non dicitur: fecit omnia, quæ pascuntur in terris, vel quæ mouentur in aquis, & in omni-

vij Dies & Sabbatū, quo Deus in homine, & homo in Deo quiescit. *Ioan. 15 v. 4.* *Ioan. 11. v. 9.* *Psal. 101. v. 28 29.*

T

fluentibus ex se quatuor gurgitibus irrigat, atq; ad proferendos bonorũ operum fructus cælestis gratię madore fœcundat. Hæc proculdubiò paradisus, hæc est hortus deliciarum, de qua Dominus per Esayam dicit: Effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam, & germinabunt inter herbas quasi salices iuxtà prę-terfluentes aquas. Tunc illi, quod per Osee Prophetam promittitur, efficaciter adimpletur: Ero quasi ros. Israël germinabit quasi lilium, & erum pet radix eius vt Libani: ibunt rami eius, & erit quasi oliua gloria eius, & odor eius vt Libani. Conuertentur sedentes in vmbra eius; viuent tritico, & germinabũt quasi vinea; memoriale eius sicut vinum Libani. Hãc igitur animam sicut de Sabbato legitur, Deus omnipotens sanctificat, & benedicit, & in ea delectabiliter requiescit. Hæc siquidem verè Sabbatum, hæc templum, hæc sui Creatoris est sanctuarium.

Esaie 44. v. 3.

Oseæ vlt. v. 6.

Porrò autem sicut Ægyptum percussit plaga muscarum, Israëliticus autem populus accepit in munere Sabbatum, ità semper & reproba mẽs auidè per mundi huius negotia inquieta diffunditur, & anima sancta in sola sui Redemptoris quietudine delectatur. Hinc est, quod non alibi, sed in Reblatha Rex Babylonis Sedechiæ filios trucidauit, & post eiusdem oculos eruit. Planè dum Scriptura sacra Sedechiæ captiuitatem narrat, ordinem captiuitatis internæ denunciat. Rex quippe Babylonis est antiquus hostis, possessor intimę confusionis, qui prius filios ante intuentis oculos trucidat, quia sæpè sic bona opera interficit, vt hæc se amittere ipse, qui captus est, dolens cernat. Nam gemit plerumque animus, & tamen carnis suæ delectationibus victus, bona, quæ genuit, amans perdit, ea, quæ patitur, damna considerat, nec tamen virtutis brachium contrà Regem Babylonis leuat; sed dùm videns nequitiæ perpetratione percutitur, ad hoc quandoque peccando perducitur, vt ipse quoque rationis lumine priuetur. Vnde Babylonis Rex extinctis prius filijs, Sedechiæ oculos erüit, quia malignus spiritus subductis prius bonis operibus, post intelligentiæ lumen tollit. Quod rectè Sedechias in Reblathâ patitur. Reblatha quippè, multa hæc, interpretatur. Ei namq; rationis lumen meritò clauditur, qui sanctæ quietis rigore postposito, per negotia mundana raptatur. Iure in Reblathâ cæcus efficitur, cùm contempto vno, per multa vagus, & impatiens animus dissipatur. Israëlitica igitur anima sabbatizat, dum remota à negotiorum sæcularium strepitu, lectionibus, & orationibus vacat; Ægyptiaca verò muscarum ingruentium infestatione percellitur, dum terrenorum actuum inquietudine delectatur. Quid est enim in hac vità laboriosius, quàm terrenis desiderijs æstuare? Quid quietius, atque suauius, quàm huius sæculi nihil prorsus appetere? Ait Salomon: Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti; quia cogitationes superfluæ quę assiduè in animo carnalia cogitãte nascuntur, atque deficiũt, eam suauitatem, qua vnusquisque intrinsecùs per Spiritum vnctus est, perdunt. Vndè cum miro pietatis opere ad cor veritas venit, prius

Exod. 8. v. 24.

4. Reg 25. v. 6. 7.

Sedechiæ captiuitas mystice declaratur.

Eccl. 10. v. 1.

ab eo cogitationum carnalium æstus eiicit, & post in eo virtutum dona disponit. Quod benè nobis sacra Euangelij historia innuit, in qua dum ad resuscitandam filiam Principis Dominus inuitatus dicitur, pro-
Matth.9.v.25. tinus additur: Et cum eiecta esset turba, intrauit, & tenuit manum eius, & surrexit puella. Foras ergò turba eiicitur, vt puella suscitetur, quia si non prius à secretioribus cordis expellitur importuna sæcularium multitudo curarum, anima quæ intrinsecus iacet mortua, non resurgit. Nā dùm se per innumeras terrenorum desideriorū cogitationes spargit, ad considerationem sui sese nullatenus colligit. Nullus quippe sapiētiam, quæ Deus est, plenè percipit, nisi qui ab omni se abstrahere actionum
Eccli.38.v.25. carnalium fluctuatione contendit. Vnde aliàs dicitur: Sapientiam scribere in tempore otij, & qui minoratur actu, ipse percipit eam. Quia ergò sine cultu, & obseruatione Sabbati esse Israëlitæ non possumus, celebremus spiritualis otij Sabbatum, vt non sicut Ægyptij perturbemur ab ingruentium importunitate muscarum. Nam quia, donante diuina clementia, iam possessuri peruenimus in Israëliticam terram, non est fas Israëlitarum ignorare culturam; ne si eorum cerimonias non addiscimus, cruentis leonum inuisibilium dentibus exponamur. Sicut enim
4.Reg.17.v.26 sacra Regum testatur historia, Nunciatum est Regi Assyriorum: Gentes, inquit, quas transtulisti, & habitare fecisti in ciuitatibus Samariæ, ignorant legitima Dei terræ. Et immisit in eos Dominus leones, & ecce interficiunt eos, eò quod ignorent ritum Dei terræ. Quisquis autem, qui in spirituali constitutus est ordine, sic Deo deseruit per exterioris habitus speciem, vt tamen sæcularis vitæ non deserat vetustatem: hic quodammodò vnius Dei cultum, ac cerimonias
Ibid.v 33. ignorare perpenditur, & quasi diis pluribus deseruire conatur. Vnde & de illis quoque dicitur: Quia cum Dominū colerent, diis quoq; suis deseruiebant, iuxtà consuetudinem Gentium. Dominū quippe, & deos Gentium quodammodò colere quisque conuincitur, si sic sacri ordinis in quo est officium administrat, vt tamen à negotijs secularibus, & carnalis vitę consuetudine non recedat. Nemo, inquit Dominus, potest
Matth.6.v.24 duobus dominis seruire. An quia tolerabilius videtur quēpiam carnaliter viuere, vel obsequia mundo seruitutis impendere, quam iuxtà ri-
Psal.95 v 5. tum Gentium dæmonibus immolare? Sed idem Propheta, qui dicit:
Psal. 118.v.11 Omnes dij Gentium dæmonia, dicit etiam: Maledicti qui declinant à
2.Cor.6.v.16. mandatis tuis. Idem Apostolus, qui dicit: Quis consensus templo Dei
Rom 8 v.8. cum idolis? dicit etiā, Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt.
2.Tim 2.v.4. Et iterum: Nemo militans Deo, implicat se negotijs sæcularibus; vt ei placeat, cui se probauit. Malignus etiam spiritus, qui auctor est idoli, di-
Iacob.4.v.4. citur princeps mundi. Et Iacobus: Quisquis, ait, amicus est huius mundi, inimicus Dei constituitur. Quid ergò differt, vtrum per sacrilegas hostias, siue per reprobam vitam ad Dei inimicitias prauus quisque prorumpat? Sicut ergo iam diximus, nil prodest, quod terram Israël inhabitare iam cœpimus, nisi vnum, & solum Deum Israël sine

Gentilium deorum admixtione colamus. Quæ autem est terra, quam dicimus, nisi illa, quam significabat Naaman Syrus, cum diceret Elisæo: Obsecro, inquit, concede mihi seruo tuo, vt tollam onus duorum burdonum de terra? Quid autem per allegoriam Naaman Syrus, nisi genus designat humanum? Sicut enim Naaman antè leprosus, mox vt septies aquâ Iordanis abluitur, ab omni lepræ squalore purgatur: ità mundanus populus septem charismata illius columbæ percipiens, quę supra Dominum in Iordane descendit, per sacri Baptismatis lauacrum contagia deposuit peccatorum. Quid verò terra, quam Naaman postulat, nisi incarnationem significat Redemptoris? Hæc est per mysterium illa repromissionis terra, quę lac, & mel fluere dicitur. Lac enim de carne fluit, mel de superioribus venit. Quia igitur in vno mediatore Dei, & hominum, & humanitatis lac, & mel diuinitatis inesse cognoscitur, rectè per terram lacte, & melle manantem, incarnationis eius mysterium figuratur. Quod autem ex hâc terrâ onus duorum burdonum petit, quid aliud, quam duorum Apostolorum, Petri scilicet, & Pauli documenta deposcit? Vnde & vnus eorum dicit: Qui operatus est Petro in Apostolatu circumcisionis, operatus est & mihi inter gentes. Et quia non modò Apostolos, sed etiam omnes predicatores scientiam, & operationem habere necesse est: duos in castellum, quod contrà se erat, Dominus discipulos misit; atque, sicut Lucas testatur, in omnem ciuitatem, & locum, quò erat ipse venturus, geminos destinauit. Quod ergò Naaman de terrâ sanctâ duorum burdonum expetit sarcinam, super Incarnatione Dominicâ genus humanum Apostolicam videtur efflagitare doctrinam; vt hi sagmarij mundo terram inuehant, ex quo ad offerenda sacrificia altare in conspectu Conditoris fiat. Vnde filijs Israël pręcipit, dicens: Altare de terrâ facietis mihi. Altare scilicet de terrâ Deo facere, est in nostri Redéptoris Incarnatione sperare. Tunc quippè à Deo nostro munus accipitur, quandò in hoc altari nostra humilitas idest, super Dominicę Incarnationis fidem posuerit, quidquid operatur. Altari ergò de terrâ, oblatum munus imponimus, si actus nostros Dominicæ Incarnationis fide solidamus. De quo altari per Esaiam dicitur: In die illâ erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus iuxta terminum eius Domini. Et erit in signum, & in testimonium Domino exercituum in terra Ægypti. Quod autem Naaman non ob aliud terram Prophetæ poposcisset, nisi vt ex eâ Domino altare construeret in suis ipse verbis ostendit, cum illîc præsto subiungit: Non enim faciet vltra seruus tuus holocaustum, & victimam dijs alienis, nisi Domino. In hac ergò terrâ & nos colamus Deum, non secundum nostram, sed secundum legem suam; ne sicut de illis dicebatur, & de nobis valeat dici: Ignorant legitima Dei terræ. Secundum propriam quippe legem Deum colere cernitur, qui specietenus quidem eius mandatis obtemperat; sed in ijs, quæ facit, ad propriæ vtilitatis commodum principaliter

Reg. 5. v. 17.
Quid per terram Naaman Syri designetur.
Cõsule Schol.
Matt 3 v. 16.
Mar. 1. v 10.
Luc. 3. v. 22.
Ioan. 1. v 33.
Incarnatio domini per terram repromissionis significata.
Galat. 2. v. 8.
Matt. 21. v 2.
Luc 10. v. 1.
Exod. 20. v. 24
Esai. 19. v. 19. 20.
4. Reg 5 v. 17.
4 Reg 17. v 26

spectat, & dum exteriorem Christianitatis exhibet regulam, sub honestatis quidem colore se palliat: sed ad hoc intrinsecus vt in hac vitâ prosperetur, anhelat. Tunc autem Deum secundum eius legem, ac cerimonias colimus, si quidquid eum velle cognoscimus, neglectis omninò, quæ nostra sunt, votis omnibus adimplemus. Si non magnoperè perpendamus, quàm circà nos sit ampla substantia, sed quàm simplex, quàm munda, quàm denique sincera sit intrinsecus conscientia. Si non curamus quomodò sublimes equi nobis insidentibus glomerét gressus, quomodò per auratam videantur insanire ceruicem: sed quomodò nos ipsi Deum mereamur habere sessorem. Si non amplectamur mortuum quodcumque metallum, sed in capsidili nostri pectoris recondamus lapidem viuum. Si non in vestibus ornamenta gemmarum, sed in mentibus rutilent margaritæ virtutum. Si in cordibus nostris & puritatis vitrũ, & sapientiæ salutaris resplendeat aurũ; vt illã iam imitetur ciuitatem, de qua in Apocalypsi per Ioanné dicitur: Structura muri eius ex lapide Iaspide; ipsa vero ciuitas ex auro mũdo simul & vitro mũdo, fundaméta muri ciuitatis omni lapide pretioso adornata. Hæc igitur anima, quæ talis est, proculdubiò paradisus est; hæc ille deliciarũ hortus est, cuius inhabitator est Deus. Quæ dum sui conditoris cõtemplatione perfruitur, ad illam dignitatem, in quâ primus homo conditus fuerat, reformatur. Vndè Dominus in Leuitico cum dicturus esset: Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abijciet vos vltra anima mea, & ambulabo inter vos, & ero vester Deus, vosque eritis populus meus; præmisit dicens: Comedetis vetustissima veterum, & vetera nouis superuenientibus proijcietis. Vetustissimum quippe nobis est, primos homines Deum in paradiso conspicere. Vetus autem Israëliticum populum circumcisionis, ac sacrificiorum ritum, diuersarumque cerimoniarum mandata seruare. Tunc itaque vetustissima veterum mentis ore comedimus, cùm ad instar primi parentis Dei speciem contemplamur; vetera verò nouis superuenientibus, procul abijcimus, dùm Euangelij gratiâ coruscante, Mosaycæ legis obseruantiam non curamus. Qui ergò possidere cùm Deo paradisi gloriam quærimus, hîc necesse est, vt ei nosmetipsos prius habitaculum præbeamus; quatenus dum ipse in nobis habitat, & nos in eo; sic studeamus non ignobilis otij, sed laboriosæ quietis Sabbatum colere: vt ex hoc mereamur in diem Dominicum, qui nullo clauditur fine transire.

Diuinæ legis obseruantia qualis esse debet.

Apoc. 21. v. 18. 19.

Anima sancta deliciarum hortus est.

Leuit. 26. v. 11.

Ibid. v. 10.

Deus Omnipotens, dilectissimi, qui vos coram hominibus fecit insignes, tribuat etiam in suis obtutibus legis suæ veraciter esse cultores.

EPIST. VI. Ad eosdem Hildeprandum, & Stephanum S. R. E. Cardinales.

ARGVMENTVM.

Librum sibi, quem multis laboribus, vigilijsque proximè confecerat, ab Alexandro II. Rom. Pont. subreptum fraude vehementer queritur: &, vt sibi restitui operam dent, Hildeprandum, & Stephanum Cardinales efflagitat.

Inexpugnabilibus Romanæ Ecclesiæ clypeis Domino suo Hildeprando, & dulcissimo fratri Stephano, Petrus peccator Monachus seruitutem.

QVerelam omnipotenti DEO, & vobis, qui eius estis membra, depono de DOMINO nostro Papâ, qui cor meum tàm crebro mœrore conturbat, & grandæui iam senis animam ad amaritudinem prouocat. Tulit enim librum nostrum, quem videlicet de paupertatulâ inopis ingenioli cum magno labore decerpserat: & velut vnicum filium vlnis vterinæ dulcedinis amplectebar: & hunc qualiter tulerit, operæpretium est, agnoscatis. Sciebat enim hoc se à me aliter impetrare non posse, domno Abbati S. Saluatoris me præsente tradidit, præcipiens vt transcriberet. Nocte verò, me nesciente, tulit, suisque scrinijs infarciuit. Et reuerâ hoc est munditiæ sacerdotalis ingenium, immò hoc Papalis puritatis est argumentum. Ex his tamen cùm expostulatur, arridet, caputque meum tamquàm oleo iocosæ vrbanitatis suauitate demulcet: sacerdotem scilicet deputat histrionem, dùm me rebus impugnat, verbis obdulcat. Manus incutit colaphum, os excitatur ad risum. Cui simile Salomon in Prouerbijs, Sicut noxius est, inquit, qui mittit lanceas, & sagittas in mortem; sic vir, qui fraudulenter nocet amico suo, & cum fuerit deprehensus, dicit: Ludens feci. Romana porrò tradit historia: quia Tiberio Cæsari, quoniam multo se vino sæpius ingurgitabat, dùm vocaretur Claudius Tiberius Nero, dicebant histriones: Caldius Biberius Mero. Ego quoque quia nescio saltare, sed scribere: scribam fortassis aliquandò non quod sacerdotem, sed quod deceat histrionem. Nam & ego DOMINI mei nomen facilè possem iocoso sale conspergere, nisi hoc mihi tantæ dignitatis excellentia prohiberet. Alexander quippè leuans angustias tenebrarum interpretatur, sicut in Hebraicorum nominum interpretationibus inuenitur. Quibus nimirum tenebrarum augustijs quid aliud designatur, quam tot laboris, & calamitatis ærumnæ, quas frenetica rabies, ac furor

Cõsule Schol.

Abbas Papiẽsis S. Saluatoris.

Prou. 26. v. 18. 19.

Suet. cap. 41.

Nominis Alexandri interpretatio.

nobis Cadaloicus intulit? Cadalous planè tenebrarum excitauit angustias, quas iuxta sui nominis etymologiam, Alexander Papa leuauit; quia dum ille sulphureo, vt ita loquar, Æthenex cupidinis fumo lumen Apostolicę sedis est aggressus extinguere, omnes nos tenebrarum compulit angustias tolerare. Quamobrem non modò Dominus noster Papa, sed omnes nos in conspectu Cadaloi, dici possumus Alexandri; quia dùm ille tenebrarum nobis imponit angustias, cuius sumus participes in labore, meritò censemur & nomine. Sed cùm hoc nomen habeat, leuare, illud exprimat, cadere, per hoc, inter leuantem, & cadentem prælium, illum quem Ioannes narrat, ad memoriam cogimur reuocare conflictum. Factum, est inquit, prælium in cælo: Michaël, & Angeli eius præliabantur cum dracone. De quo etiam paulòpost additur: Et proiectus est in terram draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & satanas. Ad cuius exemplum & Cadalous de cælo in tartarum cecidit, cum de Sedis Apostolicę culmine, quod sperabat, in anathematis voraginem corruit.

Cadalous Antipapa.

Apoc. 12. v. 7.
Ibid. v. 9.

Prætereà numquàm huius nominis Pontifex Apostolicæ Sedi præsedisse legitur, nisi solus ille Martyr insignis, quem quinto loco a B. Petro, in eius cathedrâ constitutum, per omnia nouimus fuisse mēbra transfixum. Et quia compellor ad ludum, hoc in Apostolicâ Sede vocabulum omnia sibi vindicat genera tormentorum: & ab antiquâ non degenerat cōsuetudine, dùm hæreditate possidet tribulationem. Immò iuxtà nominis huius interpretationem, totus mundus factus est Alexandria, dùm vbique terrarum tota vniuersalis Ecclesia sub diuersis pressurarum gemit angustijs constituta. Reproborum scilicet hominum paret hinc inde rapinis, laceratur iniurijs, calamitatum fasce deprimitur, sublatis quotidie possessionibus angustatur: & dùm ambages, atque tumultus peruersa loquentium patitur, titionum quodammodò tenebris denigratur, dicens per Salomonem: Nigra sum, sed formosa filiæ Hierusalem: nolite me considerare quod fusca sim, quia decolorauit me sol.

S. Alexander Papa, & Mart.

Deplorat calamitates Ecclesiæ S. Doctor,

Cant. 1. v. 4. 5.

Sed cùm hæc verba præfatus Dominus noster audierit, fortassis, vt solet illicò respondebit. Durè loqueris, & quid ego commerui? Quid in te graue commisi? Cui non dissimile fuit, quod filij Dan dicebant ad Michan, cui nimirum, quę possidebat, cuncta rapuerant: Quid inquiunt, tibi vis? cur clamas? Quibus ille respondit: Deos meos, quos feci, mihi tulistis, & sacerdotem, & omnia, quæ habeo; & dicitis, quid tibi est? Sed quoniam sicut vir Sapiens ait: Musica in luctu importuna narratio est; licet histrio sim, non libet labijs ludere, dùm compellar corde lugere: nec citharam crispare delectat, quem amissi codicis iactura perturbat. Reddat ergò librum, si vult possidere libri ficum. Et propter breuem vilis articuli seriem, pauperculum eiusdem styli non amittat auctorem. Hæc scilicet merentur impendia tot laborum, tot pericula mortium, cum illud Prophetæ lugubri cogeremur voce cantare; Quoniam

Iudic. 18. v. 23. 24.

Eccl. 22. v. 6.

Quæ & quāta pro Sede Apostolicâ pertulerit.

Quoniam propter te morte afficimur totâ die, æstimati sumus vt oues occisionis? *Psal. 43. v. 22. Rom. 8. v. 36.*

Planè sicut octo beatitudines enumerat Euangelium; sic in legibus suis Tullius octo nihilominus genera describit esse pœnarum. Et quia beatitudines illæ sicut nobis sunt in cognitione, sic vtinam haberentur in opere; nos hîc, iuxta Tullianum ordinem, sola pœnarum genera numeremus: Damnum videlicet, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, mortem, seruitutem. Cùm igitur hęc omnia ferè pro Sedis Apostolicę seruitio pertulerimus, dignum, quęso, est, vt quasi soluto pœnarum debito, nunc eidem Sedi potissimum etiam fœnus iniuriæ persoluamus? Quamquàm & beatitudinum Euangelij pro eiusdem Papæ seruitio non omninò videamur expertes. Habemus enim primam, & vltimam, paupertatem scilicet, & persecutionem: harum scilicet beatitudinum copijs abundamus. Romani quippe volunt Alexandrum, sed ærarium. Hunc scilicet, quem Apostolus reprobat; non eum, qui per Apostolorum, Apostolicorumque Pontificum tramitem currat. Nolunt, inquam, Alexandrum Euangelicam Ecclesiasticæ mensæ pecuniam proponentem, sed sordentis auaritiæ potiùs æra librantem. Petri respuunt successorem, & alumnum Simonis amplectuntur pro vænalitate Spiritus pecunias offerentem. Proinde Dominus noster, quia sua nobis prębere non vacat; non saltem quæ nostra sunt, tollat. Apostolica quippe sententia est: Non debent filij thesaurizare parentibus, sed parentes filijs. Sed dùm tanto Patri præsumentes obloquimur, quia mensuram nostram insimulantes excessimus, à vobis dilectissimi, procacibus labijs pœnitentiam postulamus. Inter serui scilicet, Domini̇́que litigium debetur & satisfactio delinquenti, & pœnitentia vapulanti.

Matt. 5. v. 1.

Octo genera diuersa pœnarum ex Tullio.

Alludit ad illud Apost. 2. ad Timoth. 4. v. 14.

Act 8 v. 19.

2. Cor. 12. v. 14

EPIST. VII. Ad Hildeprandum S. R. E. Archidiaconum Cardinalem.

ARGVMENTVM.

Occasione cuiusdam, qui per quadraginta dies non modò tunc, cùm ab Ecclesiâ sancitum est: sed alijs etiam annis temporibus, cibis lautioribus abstinebat, quadragenarij huius numeri mysteria, & quasdam quasi prærogatiuas ex sacris litteris colligit. Deinde quadragintaduo loca, in quibus morati sunt paulisper Hebræi antequam ad destinata sibi diuinitùs arua peruenirent, mysticè interpretatur, ità vt per ea virtutum quibusdam quasi gradibus ad perfectionem & felicitatem tendentem Christiani hominis vitam occultè significari luce clarius ostendat.

Reuerentissimo fratri Hildeprando, Petrus peccator Monachus intimæ dilectionis affectum.

QVod ego, simul & tu, venerabilis frater, vicariâ nuper interlocutione contulimus, non otiosum, vel superfluum ducimus, si per titulatis etiam styli seriem digeratur. Dixi si quidem, si oblitus non es, nosse me seruum Dei, qui pręter illas quadragesimas, quæ scilicet a Patribus institutæ, suisque limitibus per anni circulum sunt præfixæ, alias occultè † carinas celebrat, quibus scilicet illices carnalium passionum appetitus frangat, ac prurientes æstuantis illecebræ cōcupiscentias crucifigat. Modò quippè per quadraginta dierum spatium piscibus abstinet, modò se vel à pomorum, vel etiam olerum, quę sibimet aptiora sunt perceptione coërcet. Aliquandò siquidem cerasorum primitias comedit, aliquandò peponum, aliquandò ficuum, vel vuarum, vel quidquid illud est, quod delicatius sapit. Sed mox vt gula prouocatur, vt comedat disciplina protinus adhibetur, ne desiderata contingat: & quia quod ardor edendi iam gustauerat, auidius concupiscit, ille protinus frænum abstinentiæ faucibus inijcit; non vtique condemnans cibos, quos Deus creauit, ad percipiendū cū gratiarum actione fidelibus; nec ignorās quia omnis creatura Dei bona, & nihil reijciendū quod cū gratiarū actione percipitur. Cū omnia scilicet comedere prius incipiat quamquā esus ille magis ad cruciatū, quā ad oblectationis emolumēta proficiat. In hac igitur abstinentiâ gulæ frangitur appetitus, cōcupiscentiæ feruor extinguitur, nō Dei, quod absit, creatura dānatur: & in hoc vberior mercedis fructus acquiritur, quod hæc quasi vilium rerum abstinentia non famosa, vel celebris, † & palàm geritur, & tamen velut occulta nescitur. Quem videlicet fratres, si quis cur hoc, vel illo cibo non vtatur, inquirat, respondet illicò, quia suis infirmitatibus hunc noxium non ignorat. Quod tamen iste de languoribus animæ loquitur, hoc ille de incommoditate corporis arbitratur. Et hanc per singulos illos cibos abstinentiam quadrageno semper dierum circulo tenere consueuit.

Cuiusdam abstinentia.

† Carrinas. f.

1. Timoth. 4. v. 4.

† sed.

Ipse quoquè mihi nuper confessus es, quoniam ideò te funditùs à porrorum, siue ceparum perceptione compescis, quia videlicet his acuminibus vberiùs delectaris. In his itaque despicabilibus rebus & grauior abstinentia, & minor est gloria. Faciliùs enim carne, quam sale quis abstinet; grauiùs est abijcere fructus arborum, quam aspersas patinis fragrantias pigmentorum. Quamquàm & parentes nostros de paradiso pomum proiecerit, non pigmentum. Quia non est in culpâ quod pluris emi, sed quod possit auidius cōcupisci. Sed potiorum rerum abstinentia plausu fauoris attollitur, vilium verò contemptus dignus pręconio non videtur. Vndè fit, vt quod minoris est honoris in publico, maioris glorię pondus habeat in occulto. Sicut ait Prædicator egregius: Quod momentaneum, inquit, & leue est tribulationis nostrę, super modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Enimuerò mihi videtur seruus ille Dei, quem diximus, de sancti Spiritus

Hildeprandi Card. abstinentia.

In rebus despicabilibus grauior est abstinentia.

Gen. 3. v. 24.

2. Cor. 4. v. 17.

hoc infusione concipere, quod semper vult de quadragesimâ in Quadragesimam per varias succedentis abstinentiæ vicissitudines currere, & nunquàm velut à propositâ sacrati huius numeri lineâ declinare. Hic est enim numerus, quo cælum cataclismus a aperuit; cùm abolitis iniquitatum sordibus, mundi faciem diuina pietas innouauit. Per huius numeri continentiam Moyses b scripta digito Dei legis mandata promeruit: per hanc & Elias c vsque ad montē Dei Horeb indefecuâ gressuum agilitate peruenit. Accedit huic numero longè clarior gloria, cū & ipse Domin⁹ d & quadraginta dieb⁹ ieiunauit in deserto, & totidē horis postmodū iacere dignatus est in sepulchro. Post Resurrectionē e quoque quadraginta diebus cū Discipulis deguit, donec ad maiestatis Paternæ cōsessum victor ascendit. Quod ergo frater ille huius sacri numeri mysterio delectabiliter pascitur, vt intrà metā eius per salutaris semper abstinentiæ vicissitudines transferatur, diuini proculdubiò Spiritus promouetur instinctu: vt dùm intra quadragenarij numeri modum iugiter graditur, ex Ægypto cum Israëlitis ad patriam se properare testetur. Per hunc enim numerum Israëliticus populus terram repromissionis ingressus est. Et, ô quam profundi, quamque admirabilis altitudo mysterij! quia per quam Sacramenti lineam Deus est conuersus ad homines, per hanc homo reuersus est ad Auctorem. In egressione quippe filiorum Israël ex Ægypto quadraginta duæ sunt mansiones, & aduētus Domini Saluatoris in mundū per quadraginta duas nihilominus generationes inducitur, quas videlicet Euangelista Matthæus enumerat, dicens: Ab Abraham vsque ad Dauid generationes quatuordecim, a Dauid vsque ad transmigrationē Babylonis generationes quatuordecim, a trāsmigratione Babylonis vsq; ad Christū generationes quatuordecim. Ipso ergò numero Dominus in Ægypti huius ima descēdit, quo populus Israël ad terrā repromissionis ascendit. Descendit, inquam, ille, vt iste ascenderet. Ille seruitutis induit formam, vt iste de seruitutis ergastulo liber exiret. Et obseruanter Moyses posuit, dicens: Ascenderunt filij Israël cum virtute sua. Quæ est enim electorum virtus, nisi Christus, qui est virtus Dei? Qui ergò ascendit, cum ipso ascendit, qui ad nos non necessitate, sed dignatione descendit; vt illud verum esse non dubitetur, quod per Apostolum dicitur: Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cælos, vt adimpleret omnia.

Quadragenarij numeri mysteria.

a *Gen. 7. v. 12.*
b *Exod. 24. v. 18.*
c *3. Reg. 19. v. 8.*
d *Matt. 4. v. 2.*
Mar. 1. v. 12.
Luc 4. v 1.
e *Act. 1. v. 3.*
Num. 14. v. & 33. v. 13.
Deut. 29. v. 5.
Ios. 5. v. 6.
Matt. 1. v. 17.
Philip 2. v. 7.
Exod. 13. v. 18.
1. Cor. 1. v. 24.
Ephes. 4. v. 10.

Sed quia nos ex occasione prædicti fratris in materiam huius disputationis incidimus, non otiosum credimus, si in eâ paulo diutiùs immoremur; præsertim cùm nonnulli diuinæ rationis ignari, friuolum conquerantur, atque superfluum, vt in Ecclesiâ legatur istarum descriptio mansionum. Arbitrantur enim hęc scire, vel legere nil penitùs vtilitatis afferre: putantes quod rem tantummodò gestam narret historia, & hanc cum ipsâ tunc vetustate transisse, neque nunc ad nostram aliquatenus notitiam pertinere. Sed si subtiliter ipsa Scripturæ verbâ perpendimus, quàm extremæ dementiæ sit hoc dicere, luce clariùs

Contra eos, qui literaliter tantū sacram Scripturam intelligunt.

inuenimus. Ait enim historica series: Et hæ mãsiones filiorum Israël, ex quo exierunt de terrâ Ægypti cum virtute suâ in manu Moysi, & Aaron; moxque subintulit: Et scripsit Moyses profectiones eorum per verbum Domini. *Num. 33. v. 1. 2.*

Audistis, quia scripsit hæc Moyses per verbum Domini? Et quis hoc audeat dicere? immò quis temerario præsumat ore garrire, vt quod Domino iubente conscribitur, nil vtilitatis, nulla conferat emolumenta salutis? Aggrediar ergò, frater mi, si tibi onerosum non est, mansionum illarum figuras summatim, ac succinctè perstringere, & quod ex dictis Patrum indagare potuerim, compendiosis verbis breuiter annotare, vt querelosus quispiam ex gustu micarum labentium colligat, quàm nectareis dapibus pleni ferculi mensa redundat.

Mansiones Israelitarum spiritualiter intelligendæ. Notandum autem, quoniam omnis ille discursus, & quidquid illîc gestum historialiter legitur, totum in nobis per mysterium spiritualis intellectus impletur. Quod enim tunc visibiliter gestum est, nobis per spiritualem intelligentiam congruit, nostro tempori vetus illud sæculum militauit. Hæc enim, vt ait Apostolus in figura contingebant illis. *1. Cor. 10. v. 1.* Nos enim de fornace Ægyptiacæ seruitutis egredimur, & terram repromissionis ingredi per plurima mansionum loca, hoc est, per diuersa virtutum incrementa conamur. Sed quoniam absque tribu solâ Leui, Patrum pænè omnium cadauera prostrata sunt in deserto; ad terram autem illam filij tantummodò peruenerunt, expedit, vt vetus homo noster intereat, & nouus, qui secundum Deum creatus sit, ad obtinendam terram viuentium conualescat. *Ephes. 4. v. 24.* Quod autem tribus Leui cum cęteris in deserto non perijt, hinc manifestè colligitur, quia postquam omnium Israëlitarum numerus à viginti annis, & suprà, Moyse supputante, descriptus est, præstò subiunctum est: Leuitæ autem in tribubus familiarum suarum non sunt numerati cum eis. Dicit enim Dominus ad Moysen: Tribum Lebi noli numerare, neque ponas summam eorum cum filijs Israel. *Num. 1. v. 33. Num. 1. v. 49.* Postmodùm verò Scriptura dicit: Hic est numerus filiorum Israel, qui descriptus est à Moyse, & Eleazaro sacerdote, inter quos nullus fuit eorum, qui antea numerati sunt à Moyse, & Aaron in monte Sinai. *Num. 26. v. 63.* Prædixerat enim Dominus, quòd omnes morerentur in solitudine. Quibus videlicet historiæ verbis patenter ostenditur, quia cęteris in deserto prostratis, ad repromissionis terram Leui tribus incolumis & illibata peruenit. Quisquis ergò se potuerit in sacerdotum, vel Leuitarum ordine constituere; Quisquis noluerit cum reliquis hominibus in terrâ sortem hæreditarię portionis acquirere, sed solùm cum tribu Leui contentus sit Dominum possidere; iste profectò in huius mundi deserto non moritur, sed terram repromissionis ingredi, viuus, & incolumis promeretur. Qui ad promissiones ergò Patrum peruenire desiderat, hæreditatis in terrâ funiculum cum tribu Leui possidere contemnat. Nam qui se pro terrenis in terram deijcit, qui sese vbi cũ amaritudine Pascha celebrandum est, ac velociter

transeundum, diutius gaudere confidit: Anima, inquiens, habes multa bona reposita in annos multos, requiesce, comede, bibe, epulare, non sine causa meretur audire: Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te: quæ autem parasti, cuius erunt? Hic itaque non die, sed nocte perimitur, sicut primogenita Ægyptiorum. Nimirum qui nō spreuit Ægyptū, sed obsequium præbuit rectoribus tenebrarum, qui & ipsi nocte animā eius repetunt, quoniam odiuit lucem, nec iustitię consecutus est veritatem. Sed dum vagantius ad exteriora progredimur, iam quasi præmissæ sponsionis obliti, nunc ad Israëlitarum mansiones, in quibus aliquantulùm immoraturos nos esse promisimus, iam quodam, vt ita loquar, postliminio redeamus.

Luc. 12. v. 19. 20.

Exod. 12. v. 29.

Itaque sicut dictum est, in quadragintaduabus mansionibus peruenerunt filii Israël vsque ad principium capiendæ hæreditatis. Principium verò capiendæ hæreditatis fuit, vbi Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manasse, accipiunt terram Galaad in possessionem. Porrò autem sicut illi ascenderunt per quadraginta duas mansiones; ita Saluator noster in Ægyptum mundi huius descendit per totidem Patres. Quod si iam intelligimus quantùm Sacramenti numerus iste contineat, humanæ scilicet Ascensionis, & diuinę descensionis, incipiamus iàm per ea, quæ descendit Christus ascendere; & primam nobis eam mansionem, quā ipse nouissimam habuit, ædificare. Si quis enim ad nos per loca quælibet veniat, vt mox rediens per loca nos eadem ducat, vbi desinit ille, nos iter incipimus; & vbi ille cœperat, nos finimus. Prima scilicet Christi generatio cœpit ab Abraham, vltima verò velut postrema mansio terminauit in Virginem. Et quoniam Abraham interpretatur Pater excelsus, nos hoc iter incipimus à Virginis partu, vt peragrantes sequentia deinceps mansionum loca, postremò ad Deum, Patrem videlicet perueniamus excelsum. Partus ergò Virginis nobis ex Ægypto exire volētibus in primis occurrit, cū Verbum Dei carnem factum in hunc mundum venisse credentes, relictis omnibus caducis, & transitoriis, in illo solo requiescimus: in illo nostræ quietis, & spei habitaculum collocamus. Post hæc iam si perficere, & ad singulos quosque Fidei, & virtutum gradus ascendere nitimur, tamdiu debemus immorari, donec valeant virtutes in consuetudinem verti. Et tunc non quasi transcurrere spiritualis vitæ deserta conspicimur, sed mansiones facere, vel etiam habitare in ipsis virtutum profectibus iudicamur. Nam qui bonū opus non perseueraturus incipit, quasi viam properando transcurrit: qui verò in ea, quam semel arripuit, permanet sanctitate, ibi quodammodò ædificat mansionem. Et notandum, quia cum ire, & manere, ac per hoc iter, & mansio, à se sint penitùs dissona, nec sibimet inuicem congruant, vtrumque tamen in illo Israelitico procinctu conuenisse, Scriptura confirmat; vt illi per desertum & iter habuisse dicantur, & mansiones. Quia nimirùm nos, qui terram viuentium intrare contendimus, & manere debemus per fixum professionis nostræ propositū, & ire sem-

Num. 32 v. 33. Filij Israël figura sūt Christi.

per per meliorandæ conuersationis, & cumulandi profectus augmentũ.

j. Mansio. In primis ergò proficiscuntur filij Israël de Ramese. Ramese, sicut nõnullis videtur, in nostra lingua commotio turbida, vel commotio tineæ dicitur. In quo datur intelligi, quod omnia, quæ mundi sunt, in cõmotionibus, & perturbationibus constituta, & corruptelæ, quam tinea designat, probantur obnoxia. In quibus vtiq; non oportet animam residere, sed incunctanter exire. Quidã verò Ramese interpretari cõmotionẽ, vel tonitruum putauerũt. Quod vtiq; nobis aptari nõ incõgruè poterit, quia dùm ad prædicationẽ Euãgelicæ tubę commoti fuerimus, velut ad tonitruũ cælestiũ nubiũ excitati, ex Ægypto mundi huius eximus. Exierunt autẽ illi mense primo, quintadecima Luna, in ipso scilicet plenilunio, ac veris exordio. Et nos cùm summæ lucis radiis illustramur, cùm in bonis bonæ voluntatis flores erũpunt, cùm omnia renouãtur, cùm prata denique nostrorum cordium superni Solis fomite recalescunt, tũ ç ex Ægypti tenebris egredi festinamus.

ij. Secunda mãsio fit in Sochot. Sochot autem interpretatur tabernacula. Primus igitur animæ profectus est, vt terrenis se cõmotionibus diuidat, sibique tamquam peregrinæ, & incolæ non habitaculum figat, sed exilij

Psal. 119. v. 5. tabernaculum struat; lugens cũ Propheta: Heu me, quia incolatus meus prolongatus est!

iij. Deinde veniunt in Ethan, siue, vt septuaginta Interpretes dicunt; Buthã, quę est in extremis finibus solitudinis. Ethan fortitudinẽ sonat. Qui ergò iã pro Deo peregrinantur in mundo, qui se incolas, & exules recognoscũt, necesse est, vt quãtò magis se præbent in terrenis actibus debiles, tantò sint in humilitate, ac patientia fortiores. Buthan autẽ vallis interpretatur, quod ab eodem sensu nequaquam discrepat. Oportet enim vt quisquis ad terram viuentium properat, ad perferenda tentationum iacula in humilitatis, & patientiæ conualle persistat.

iiij. Inde profecti sunt in Phiairoth, quæ respicit Beelphegor, & castrametati sunt ante Magdalum. Phiairoth interpretari dicitur os nobilium, per quod exprimitur lingua Doctorũ. In cõualle quippè patientię constitutus, quò grauius vel persecutionũ, vel carnaliũ tentationum flagellis atteritur, eò magis necesse est, vt ei ab ore nobiliũ, idest, à Sãctorũ Doctorum exhortationibus succurratur. Si verò non Phiairoth, sed Ositaath proferendum est, vt alia testatur editio; sciendum est, quod Irath vicus interpretatur. Ad hos ergò, hoc est, ad primũ vici huius venitur ingressũ, quod significat nouæ conuersationis initiũ. Vnde non ad vrbem, sed ad vicum veniũt; quia necesse est, vt nouitij quique interim se intra suburbanæ vitæ cohibeant modum, nec præcipitanter adhuc audeant Senatoriæ perfectionis attentare fastigiũ. Vndè benè dicitur, quoniã Arioth

Num. 33 v. 7. respicit Beellephon. Beellephõ siquidem interpretatur ascensio speculæ, siue turris. A paruis enim ad magna conscenditur. Non enim hæc mãsio fuit in ipsa specula, sed respiciebat speculam. Quia nouitius quisque, & si ad speculatiuam vitam iam per desiderium tendat, nec dum

tamen ad ſpeculatiuæ perfectionis culmen aſpirat. Quamobrem illic aptè ſubiungitur: Et caſtrametati ſunt ante Magdalum. Magdalus magnificentia dicitur. Nouiter enim quis ad Dei ſeruitium veniens, aſcenſionem ſpeculæ; & magnificentiam iam quidem in conſpectu ſuo per intentionem tenet, ſed per effectum virtutis nec dùm poſſidet. Quia licet ſpe contemplationis, ac perfectionis iam paſcatur, & nutriatur, nec dùm tamen conſummatæ munditiæ, vel ſupernæ gratiæ nitore perfruitur. Vt ſi Beelſephor interpretatur dominus Aquilonis, ſicut à quibuſdam dicitur, quid per hunc Aquilonis dominum, niſi antiquus hoſtis exprimitur, qui frigidis, & ab amore Dei alienis cordibus principatur? Ante hunc ergò, id eſt, contra hunc caſtrametamur, cùm aduerſus eum infœderabili dimicatione confligimus. *Ibidem.*

Inde profecti per mare Rubrum venerunt in Mara, quæ interpretatur amaritudo. Rectus ſcilicet ordo eſt, vt qui ad terrã properant melle manantem, in deſerto vitę huius laboris, & tentationis amaritudinem hauriant: & per diſciplinæ præſentis aſperitatem perueniant ad remunerationis internæ dulcedinem. Vnde dicit Apoſtolus: Omnis, inquit, diſciplina in præſenti quidẽ non videtur eſſe gaudij, ſed mœroris: poſt autẽ fructũ pacatiſſimũ exercitatis per eã reddet iuſtitiæ. In procinctu ſiquidẽ ſpiritualis militiæ cõſtitutis, modò amara dulcibus, modò dulcia miſcentur amaris; vt per hæc experiatur humana conditio, & quid à ſe patiatur infirmitatis, & quid à Deo debeat ſperare virtutis. Sicut eidẽ populo dicitur: Afflixi te, & cibaui te mãna in deſerto, quod neſciebant patres tui, donec dignoſceretur quid eſſet in corde tuo. *v.* *Heb. 12. v. 11.* *Deut. 8. v. 3.*

Vnde ſequitur, quia profecti de Mara, venerunt in Elim, vbi duodecim erant fontes aquarum, & ſeptuaginta palmæ. Vides poſt tentationis amaritudinem ad quantam deueniunt & dulcium pomorum, & aquarũ profluentium amœnitatem? Per tentationis itaque pugnam, perducuntur ad palmas, & per ſitis intolerandæ penuriam ad irriguam veniunt aquarum viuentium affluentiam. Animarũ quippe medicus Omnipotens Deus ſic omnia ordinatè diſpenſat: vt tanquam melle pigmentis infuſo, & triſtibus læta, & lætis triſtia miſceat; quatenus mens infirma, & aliquandò percuſſa numquàm de proſperitate ſuperbiat: & aliquando refota, in aduerſitatibus non ſuccumbat. Elim præterea interpretatur arietes, qui nimirum ſunt gregum ſequentium duces. Qui verò ſunt duces rationalis gregis, hoc eſt, populi Chriſtiani, niſi ſancti Apoſtoli? Hi nimirum ſunt duodecim fontes ariditatem mentiũ doctrinæ cæleſtis fluoribus irrigantes. Verùm quia nõ illos duodecim dũtaxat Apoſtolos Saluator noſter elegit, ſed & alios ſeptuaginta cõſtituit, iccircò non ſolum duodecim fontes, ſed & ſeptuaginta deſcribuntur illic arbores fuiſſe palmarum. Nam & ipſi Apoſtoli nominãtur, ſicut & in B. Pauli verbis agnoſcitur. Cũ enim dę Reſurrectione Saluatoris ageret: Viſus eſt, inquit, Cephe, & poſt hęc illis vndecim, deinde apparuit Apo- *vj.* *Apoſtoli ſunt duces populi Chriſtiani.* *1. Cor. 15. v. 5. 6*

stolis omnibus. Ex quibus verbis manifestè colligitur, quod præter illos duodecim, & alij Discipuli non inconuenienter Apostoli nominẽtur.

vij. Sed egressi de Elim, iuxtà mare Rubrũ fixêre tentoria. Nota, quia nõ mare rursus ingrediuntur, sed iuxta mare tabernaculum figunt: vt mare tantum, & procellarum cumulos procul aspiciant, nequaquam tamen motus eius, & impetus pertimescant. Nos etiam post tentationum fluctus, post vndisoni maris formidolosa naufragia, eadem sæpe mala, quæ pertulimus, ante oculos ponimus: vt iam, velut in littore constituti, dignas ereptori nostro Deo gratias referamus.

viij. Profecti quoq; de mari Rubro, applicuerũt in desertũ Sin. Sin interpretatur rubus, siue tẽtatio. Incipit ergò Christi militi iam prosperitatis spes arridere, & collocutionis diuinę verba promittere. De Rubo siquidẽ Dominus apparuit, & Moysi ad filios Israël perferre mandata præcepit. Illìc ergo tibi datur sperãdæ clemẽtiæ signũ, vbi factũ est Israëliticæ visitationis initiũ. Sed nõ otiosè Sin etiã tẽtatio dicitur. Solet enim sæpius & in visionibus interuenire tẽtatio, dũ nõnũquã spiritus iniquitatis trãsfigurat se in Angelũ lucis. Et ideo subtiliter est agendũ, vt discernãtur genera visionum. Sicut & Iesu Naue cũ Angelum cerneret, & tẽtationes aliquando huiusmodi visionibus inesse nullatenus dubitaret, protinus ab eo, qui apparebat, requisiuit, dicens: Noster es, an aduersariorum? Nam & per Apostolum discretio spirituum inter dona sancti Spiritus enumeratur. Quod autem Sin etiam odiũ interpretari dicitur, neq; hoc quidẽ à spirituali exorbitat intellectu. Quisquis enim peruenit ad visionem, vel allocutionem Dei, confestim concipit odium mundi.

Exod. 3. Etiam in visionibus tentatio interuenit. *2. Cor. 1. v. 14.* *Ios. 5. v. 13.* *1. Cor. 12. v. 10*

viiij. Sed & inde progressi, venerunt in Depthca: siue vt alia translatio perhibet, Raphaca. Depthca deniq; pulsatio dicitur. Et nos postquàm pertingimus ad Ecclesiam, quam videlicet Rubus ille significat, vbi Dei meretur homo colloquium, vbi visio conspicitur Angelorum; tunc incipimus petere, quærere, ac regni cælestis arcana pulsare. Domino præcipiente, & pollicente, qui dicit: Pulsate, & aperietur vobis. Si verò Raphaca quis malit admittere, quæ sanitas dicitur: hoc nomen animæ dudum languidæ, sed iam per donum sanctę Ecclesiæ languoris nexibus absolutæ conuenienter aptatur. Hæc est enim anima, cui dicitur: Benedic anima mea Dominũ, & omnia interiora mea nomini sancto eius. Quem quæso Dominum? Qui sanat, inquit, omnes languores tuos, qui redimit de interitu vitam tuam. Languor scilicet animæ vitia sunt, mors animæ peccata criminalia sunt. Peccatum enim cum consummatum fuerit, generat mortem.

Exod. 3 v. 2. *Matt. 7. v. 7.* *Luc. 11. v. 9* *Psal. 102. v. 1.* *Ibid. v. 3.* Languores animæ vitia, mors eiusdem peccata criminalia. *Iacob. 1. v. 15.*

x. Deinde veniunt in Halus. Halus interpretatur labores, siue fermentũ. Et certè sanitatem labores sequuntur, quoniam ad nil aliud sanitatem sancta debet anima concupiscere, nisi vt labores pro Deo valeat, pressurasque perferre. Ideò nempè socrus Petri de febre conualuit, vt Domino per sedulitatis obsequiũ ministraret. Ideò per Ananiã sanatus est Paulus, vt continuis postmodùm laboribus insudaret. Hinc est, quod

Matt 8. v. 15. *Mar 1. v. 31.* *Act. 9. v. 16. 17.*

quod eidem Ananię de illo dictum est: Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Quod autem Halus etiam fermentum interpretari dicitur, & hinc nobis congruæ significationis intellectus offertur. Hoc est enim fermentum illud, quod tollens mulier commiscuit in farinæ satis tribus, donec fermentaretur totum, id est, sanctum Euangelium. In hac siquidem solitudine populus murmurauit, & manna, simul & coturnices accepit. Et cùm non modò fermentum, sed & manna sacrum significet Euangelium, miro modo hæc simul in decimâ mansione conueniunt: vt post legis præmissæ decalogum panis euangelij succedere videatur. *Matt. 13. v. 33.* *Luc. 13. v. 21* S. Euãgelium per manna significatum.

Post hęc veniunt in Raphidin. Interpretatur itáque Raphidin laus iudicij. Et certè satis congruit, vt & labor antecedat laudem, & laus proueniat post laborem. Verùm non cuiuscumque rei, sed laus iudicij, † videlicet de rationis iudicio prodeat, non laus, quæ de superbiæ vanitate procedat. Spiritualis enim homo iudicat omnia, & à nemine iudicatur. Reperiuntur & alię horum nominum interpretationes; sed si cuncta, quæ nobis in hac materiâ suggeruntur, amplectimur, iam non seruabitur epistolaris ordo compendij, sed onerosi consurget enormitas libri. Israëlitarum ergò mansiones succinctè transcurrimus, non vt earum scrutemur arcana cubicula, sed vt in earum nominibus, tanquam exteriora parietum simpliciter ostendamus. xj. † quæ add. 1. Cor. 2. v. 15

Deinde veniunt in desertum Sinai. Sin, quam superius diximus, & Sinai, vnum non ambigitur esse desertum: sed Sin dicitur ipsa planicies, Sinai verò mons est in eadem supereminens solitudine, in quo nimirum Dominus legis edicta promulgat, & Moyses tabernaculum fabricat. Et hoc aptissimè congruit, vt postquàm rationabilis anima rectum, ac per hoc laudabile cœperit habere iudicium, tunc in se Deo suo construat tabernaculum, & digna iam Creatoris alloquio cęlestium percipiat mysteria mandatorum. xij. *Exod. 24. v. 16*

Post hæc profecti sunt ad sepulchra concupiscentiæ: vbi scilicet pulcher ordo contexitur. Nam cùm fælix anima suo sit tabernaculum Creatori, cùm mandatis diuinę legis intenta iam cœperit cœlestia contemplari; mox æstuantium vitiorum ardor extinguitur, & omnis carnalis illecebrę concupiscentia sepelitur; vt non iam caro se aduersus spiritum moueat, non aduersus carnem spiritus concupiscat. xiij. *Galat. 5. v. 17*

Inde transitur in Aseroth, quod interpretatur atria perfecta, vel beatitudo. Et, ô quam pulcher ordo mysterij, quam decora series spiritualis incrementi! vt postquàm sepelieris concupiscentias carnis, præstò peruenias ad atrium perfectionis, & præmium beatitudinis. Fælix anima, quę nullis iam vitijs carnis vrgetur, quia mox ad beatitudinem percipiendæ remunerationis ingreditur. xiiij.

Post hæc venerunt in Rethmâ, siue Pharam. Rethma, vt opinamur, interpretatur visio consummata, Pharam verò visibile os. In quibus xv.

quid aliud intelligitur, nisi vt sancta quælibet anima post sepultas iam carnis concupiscentias, perducta iam ad atrium perfectionis, secura de pręmio beatitudinis ad consummatam mox Dei visionem veniat, eiusque visibile os, hoc est, pręsentem Dei specien cernat? Nunc enim
1. Cor. 13. v. 12. videmus eum, sicut dicit Apostolus, in speculo, & in ęnigmate; tunc autem facie ad faciem: & nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum. Quæ tamen omnia, quia Sancti quilibet in carne constituti, habere nequeunt pleniter in re, iam habent in spe, quam scilicet spem iam firmissimam tenent; quia Spiritum sanctum, qui eos in vię huius laboribus roborat, pignus habent. Vnde, & illa interpretatio, quâ Rethma sonitus, siue iuniperus dicitur, non incongrua iudicatur. Ferunt enim lignum hoc ignem in se longo tempore conseruare, adeò vt si prunæ eius fuerint cineribus adopertæ, vsque ad annum ignitæ perueniant. Quia ergo Spiritus sanctus, sicut legitur, scientiam habet vocis: & in Apostolos missus est in specie ignis, hæc interpretatio, quâ Rethma sonitus, vel iuniperus dicitur, aptissimè Spiritui sancto conuenire videtur.

Viri sancti in hac vita habẽt beatitudinem in spe.

Plin. lib. 16. c. 25.

Sap. 1. v. 7. Act. 2. v. 3

xvj. Hinc itaque digressi, castrametati sunt in Remon Phares, quod apud nos excelsa intercisio dicitur. Nam cum animæ redeuntis ad Deũ intellectus augetur, mox ei datur perfecta notitia, quâ scilicet excelsè, atque sublimiter nouit, & terrena à cælestibus intercidere, & caduca quælibet, ac transitoria à perpetuis separare. Si vero Remon Phares, vt alibi reperitur, mali punici diuisio dicitur, per hoc proculdubio sancta designatur Ecclesia, quæ tanquàm multa grana vno cortice contegit, dum omnem credentium turbam inseparabili Catholicæ Fidei vnitate concludit.

xvij. Deinde transeunt in Lebnâ, quod interpretatur dealbatio. Non autem ignoramus dealbationem aliquandò pro crimine poni, sicut dicuntur monumenta dealbata, & paries dealbatus; sed hic illa dealbatio debet intelligi, de qua per Esaiam dicitur: Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, vt lana alba erunt. Et in Psalmo: Niue dealbabuntur in Selmon. Et in Apocalypsi capilli Iesus tanquam lana alba referuntur. Quapropter hic dealbatio conuenienter intelligitur de veræ lucis splendore prodire, & de summæ visionis claritate descendere. Quod si Lebna, vt quidam dicunt, in laterem vertitur, in quo videlicet opere Israëliticus in Aegypto populus coactus est laborare, hoc datur intelligi, quia sicut illi post tàm sublimia loca rursus in laterem veniunt; ità nos quamdiu in huius mundi deserto peregrinamur, necessitate compellimur aliquandò à summis ad ima descendere, & à spiritualibus ad terrenæ actionis opera transmigrare.

Esai. 1. v. 18

Psal. 67. v. 15 Apoc. 1. v. 14.

xviij. Post hæc veniunt in Ressâ, quod in Frænos vertitur, & non incongruè. Si enim post perfectionis culmen ad opera lutulenta descendi-

mus, disciplinæ nexibus, & pœnitentiæ loris infrænandi sumus, ne vagemur per abrupta præcipites, sed citò redeamus ad consuetæ munditię puritatem. Interpretatur etiam Ressa visibilis, siue laudabilis tentatio. Quamuis enim mens cuiuslibet iusti viri iam ad alta proficiat, tentatione tamen adhuc in ima deprimitur, ne per tumorem superbiæ de virtutibus extollatur. Stimulus enim tentationis ad custodiam adhibetur humilitatis. Vnde dicit Apostolus: Ne magnitudo re- *1.Cor.12.v.7*
uelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ, qui me colaphizet. Hæc ergo tentatio visibilis est, quia manifesta: laudabilis, quia salutifera.

Inde progressi veniunt in Ceelatha, quod interpretatur Ecclesia; vt xix.
videlicet instabiles quique, qui se per vitiorum abrupta præcipitanter impellunt, sacræ Scripturæ frænis ad Ecclesiam retrahantur; siue quod alia tenet edititio, Machebat, quod est principatus virgæ. Quod vtrúque potestatem videtur exprimere. Carni quippe, qui tentatur, necesse est, vt pręsidens spiritus principetur. Vt cum illa abijciat pugnam, iste quasi desuper intentet minaciter virgam, dùm rigidi terroris adhibet disciplinam.

Caro in tentatione subijcienda Spiritui tanquam equus sessori.

Exinde venitur in montem Sepher, siue Sephar, quod tubicinatio xx.
appellatur. Tuba signum est belli. Equus enim Dei odoratur bellum, *Iob.39.v.25*
& cum audierit buccinam, dicit, và; & miles Christi cum se persenserit vitiorum ingruentium tentatione vallatum, virtutum protinus arma corripiens procedit ad prælium: & cominus in bella congreditur, ne degeneri torpore solutus, ab aduersariis facile perimatur, & tunc poterit gloriosius tubâ canere, hoc est, ad spirituale certamen & alios prouocare.

Vnde illic dicitur, quia inde profecti venerunt in Harada, siue quod xxj.
alibi dicitur, in Charadath, quod in nostrâ linguâ sonat, idoneus effectus; vt ipse nimirum iam prędicator factus meritò valeat cum Apo- *2.Cor.3.v.6*
stolo dicere: Qui idoneos nos fecit ministros noui testamenti.

Sed & inde proficiscentes, veniunt in Maceloth, quod interpreta- xxij.
tur ab initio. Quisquis enim ad perfectionis summam contendit, omnium rerum contemplatur initium, dum cuncta viscerum suorum vota conuertit ad Deum. Et dum cor ad auctorem suum iugiter dirigit, à rerum omnium initio non recedit. Vel si Maceloth, vt quidam sentiunt, dicatur esse conuentus, per hoc Ecclesia intelligitur, in quâ videlicet à cunctis fidelibus conuenitur. Vnde canitur: Ecce quam bo- *Psal.132.v.1*
num, & quam iucundum habitare fratres in vnum.

Deinde venitur in Thaath, vel, sicut alibi legitur, in Caath, quod est xxiij.
patientia, vel confirmatio. Quisquis enim desiderat terram viuentium per præsentis vitæ labores ingredi, necesse est, eum ad toleranda mundi pericula per patientiam confirmari. Vel si Thaath, vt à quibusdam dicitur, vertitur in pauorem, dicatur vnicuique certanti, vel iam fortè per diuinam gratiam, triumphanti: Noli altum sapere, sed time. *Rom.11.v.20*

xxiiij. Sed inde perfecti veniunt in Thare, quod Græce quidem ecstasis interpretatur, in nostrâ vero linguâ dicitur contemplatio. Consequens est enim, vt quisquis anteâ probatur per patientiam, proinde ad contemplationis perueniat gratiam: & qui prius in tribulatione deprimitur, postmodum ad visionis intimæ lętitiam sustollatur. Sin autem Thare, sicut quidam putant, astutia, vel malitia debet intelligi, hoc ad Ecclesiarum Præpositos non immmeritò videtur posse referri; vt ipsi suis auditoribus timeant, qui in tentationum tribulatione laborant. Astutia enim, & malitia illius cauenda est, de quo dicitur: Quoniam aduersarius noster tamquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. *1.Pet.5.v.8*

xxv. Deinde procedunt in Methca, vel, sicut alibi legitur, Maathica, quod interpretatur mors noua. Numquam tàm perfectè diabolica cauetur astutia, quam si Christo commorimur; vt tamquàm insensibiles ad hostis callidi tentamenta reddamur. Quam nouam mortem contemplatio parit, quæ scilicet & mundum nobis, & nos mundo mortuos efficit. Quod si Methca, vt quibusdam placet, in dulcedinem vertitur, quid mirum, si de contemplatione ad dulcedinem veniatur, cum ipsa contéplatio nil aliud sit, quam ineffabilis, & imméſa dulcedo?

xxvj. Post hęc venitur in Hesmona, quæ festinatio dicitur. Nam postquã pertingimus ad dulcedinem contemplationis, moram non ferimus tarditatis. O quàm molestè moram patiebatur ille, qui dicebat: Vtinam dirumperes cælos, & descenderes, & liquefierent montes à facie tua! Quàm grauiter hanc moram ferebat ille, qui dicebat: Cupio dissolui, & esse cum Christo, multò magis melius. Sin autem à Sennâ dicatur, quod ossa significat, hoc ad robur constantiæ pertinet. Quod necesse est, vt Christi amator habeat, ne per amorem nimiùm impatiens fiat. *Esai. 46.v.1* *Phil.1.v.23*

xxvij. Hinc iam transitur in Moseroth, quod significare putatur, excludens. Anima quippe, quæ ad perfectum sponsi sui amorem peruenit, tentationes à se callidi corruptoris excludit. Vnde & Apostolus, Nolite, inquit, locum dare diabolo. Quod si Moseroth, iuxtà quosdam, interpretatur, vincula, sanus per omnia, & congruus intellectus elucet. Nimirum sancta quælibet anima, quæ cælesti sponso in amore coniungitur, necesse est, vt ei assiduis scripturarũ meditationibus quasi quibusdam vinculis insolubiliter connectatur. De quibus vinculis Christo per Esaiam dicitur: Viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt, & post te ambulabunt colligati vinculis. *Ephes.4.v.27.* *Isaye 45.v.14.*

xxviij. Vnde non immeritò iam venitur in Banaëim, quod significat fontes, vel excolationes, id est, vbi diuinarum Scripturarum fontes anima bibit, & excolat, hoc est, subtiliter tractat, ac ruminat. Excolat, inquam, cum illud Euangelicum seruat: Vt ne vnus quidem apex, aut vnum iota de lege prætereat, quin omnia fiant. Si verò Bene iaacan, sicut quidam dicunt, transfertur in filios necessitatis, siue stridoris, hoc *Matt.5.v.18.*

significat, quia quisquis diuinis eloquijs eruditus est, & affluenter instructus, necesse est, vt post se & alios trahat, ac filios gignat. Quibus nimirùm dùm fletus, & stridorem dentium minaciter obijcit, quodammodò necessitatem eis, vt ad Deum conuertantur, imponit. Ij sunt ergò filij necessitatis, vel stridoris, de quibus & prophetice canitur: Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum. *Psal.28.v.1.*

xxix. Post hęc ascendunt in montem Gadgad, quod interpretatur nuncius, vel accinctio, vel certè concisio. Quibus enim verba Dei annunciamus, eos proculdubiò cõmonere debemus, vt & se virtutum armis accingant, & inuisibilium hostium spiritualibus gladijs terga cõcidant. Quod dùm eos agere non segniter edocemus, cum eis simul ad montana conscendimus. Quod si Gadgad, vt quidam putant, tentamenta significat, datur intelligi, quoniam his, qui ad cælestem patriam tendunt, tentationes deesse non possunt. Et sæpè tentatio virtutibus admiscetur, vt laborioso Christi militi merces vberior acquiratur. *Quare tentatio virtuti admisceatur.*

xxx. Et quia per mala tentationum ad præmiorum bona transitur, congruè sequitur, quoniam inde profecti venerunt in Ietebatha, siue, vt alibi legitur, Iatbatha, quod interpretatur bonitas, siue bonum. Ergò per experimenta tentationum ad bonitatem, quę proculdubiò Christus est, peruenitur.

xxxj. Inde profecti sunt in Ebrona, quod transitus appellatur. Animo quippè transeunda sunt omnia; & in eum solùm debes obtutum mentis infigere, cum quo sine transitu valeas permanere.

xxxij. Post hæc veniunt in Asiongaber, quod interpretatur consilia viri. Postquàm enim nos in Christum omnino proijcimus, postquàm in eum omnem cordis nostri fiduciam collocamus, esse pueri sensibus vlterius non debemus, imitantes Apostolum, qui dicit: Cum autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli. Et iterum: Nolite pueri effici sensibus. *1.Cor.13.* *1.Cor.14*

xxxiij. Sed quoniam qui apponit scientiam, apponit dolorem, iterùm veniunt in desertum Sin, quæ est Cades. Sin autem tentationem interpretari, iam superius diximus. Sicut enim vas aureum, vel argenteum sæpe malleus percutit, sæpe lima hinc inde poliendo circumdat, vt clarius fiat; sic iterata tentatio, constantis, & non cedentis animæ rubiginem purgat. Vas enim figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. Et quia Cades fructificatio sancta dicitur, vides quoniam tentationum sulcos sancta fructificatio subsequatur. *Eccles.1.v.18* *Eccli.27.v.6*

xxxiiij. Sed & hinc applicuerunt in montem Hor in extremis finibus Edom. Hor montanus interpretatur, Quisquis enim tentatus non labitur, sed de tentatione fructificat, consequens est, vt ad montem, qui Christus est, victor ascendat. Hic est enim mons ille coagulatus, mons pinguis, de quo per Prophetam dicitur: Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleua- *Psal.67.v.16* *Esai.2.v.2*

bitur super colles,& fluent ad eum omnes gentes. Hic mons dicitur montanus,quia vbi Christus,ibi & proculdubio Christianus. Vbi sum,
Ioan.12.v.26 inquit,ego,illic & minister meus erit.

xxxv. Deinde veniunt ad Salmona, quod interpretatur vmbra portionis. Et meritò postquã in montem, qui est Christus, ascendimus, vitiorum fugientes ardorem, sub defensionis eius vmbraculo residemus. De
Thren.4.v.20 quâ videlicet vmbrâ per Hieremiam dicitur:Spiritus oris nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris, cui diximus: In vmbrâ tuâ viuemus in gentibus. et Angelus ad Mariam, Virtus, inquit, Altissimi obumbrabit tibi. Salmona etiam,vt alicubi reperitur, imaguncula
Luc. 1. v. 35 dicitur: quod vtique loco illi non absurdè congruit, dum ibi æneus
Num 21.v.9. ille serpens appensus sit, qui Crucifixi repręsentat imaginem Salua-
Ioan.3.v.14. toris.

xxxvj. Fit prætereà transitus in Phinon,quod interpretatur os, vel oris parsimonia. Et os quidem, quia mox vt passionis Christi sacramenta cognoscimus,quod corde credimus, ore pronunciamus; sicut scriptum
Psal. 115.v.1 est: Credidi propter quod locutus sum. Et Apostolus: Corde creditur
Rom. 10.v. 10 ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Oris verò parsimonia dicitur: quia dùm tàm profunda redemptionis humanæ mysteria penetrare non possumus, quasi ori nostro digitum superponimus, vt diuinitatis Christi celsitudinem maioribus relinquentes, de solâ tantùm eius Cruce tractemus. Sicut dicit Apostolus: Nihil iudicaui me scire
1.Cor.2.v.2 inter vos, nisi Christum Iesum, & hunc Crucifixum.

xxxvij. Post hæc profecti sunt in Oboth, quod vtique vertitur in Magos, siue Phitones. Propter quod datur intelligi: quia post imaginem Dei, quæ in cordis ratione concipitur, post acceptam fidem,quæ oris confessione profertur;consurgunt aduersum nos hæretici, errorem venenatæ perfidiæ dogmatizantes,tanquam Phitones, & Magi malefica incantationum carmina conspergentes.

xxxviij. Hinc transitur in Gebarim, quæ est in finibus Moabitarum. Gebarim significat aceruos lapidum transeuntium. Isti portò sunt lapides viui, Sancti scilicet, ex quibus non modo Hierusalem superna construitur, sed & præsens Ecclesia tanquam margaritis coruscantibus adornatur. Qui meritò transeuntes dicuntur, quia terrena quælibet, ac transitoria mente calcant, atque ad cęlestia transire festinant. Si verò non Gebarim, sed Gai dicatur, quod alia testatur editio, & hoc ab intellectu transeuntium non oberrat. Gai siquidem interpretatur Chaos. Dicit autem Abraham diuiti: Quia inter nos,& vos Chaos magnũ firmatum
Luc.16.v.26 est. Ad illum ergò Sancti semper transire desiderant, vt in eius sinu, sicut & beatus ille Lazarus, fæliciter requiescant.

xxxix. Vnde satis aptè consequitur, vt post Chaos Phitonum,atque Magorum, quod est tenebrosa calliditas hæreticorum,præstò veniant in Dibongad,quod significare dicitur apiarium tẽtationum. Apes enim ore
Hæretici apibus similes. mella ferunt, sed aculeis pungunt; sic & hæretici, verbis quidem

manifestè blandimenta prætendunt, sed quasi post se erroris acu-
leos contegunt. Primo distillant ore dulcedinem, sed postmodum
spargunt aculeatæ falsitatis errorem. Vnde Propheta conqueritur, *Psal.117.v.12*
dicens; Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in
spinis.

Inde profecti sunt in Helmondeblathaim, quod vertitur in con- xl.
temptum palatarum, hoc est, ficuum, siue contemptus opprobrij. Ficus
autem delitiosus est fructus, per quod intelligitur necessarium esse, vt
qui iam donis cælestibus appropinquant, cuncta carnalis illecebræ
blandimenta contemnant. Quod si contemptus opprobrij magis
admittitur, per hoc indubitanter instruimur: vt si quandò vel hæreti-
corum, vel reproborum quorumlibet dehonestamur iniurijs, non
turbemur. Per quod scilicet vtrumque salubriter edocemur, vt nos
nec inhonesti contemptus irrisio moueat, nec vlla terrenæ dulcedi-
nis oblectamenta resoluant; quatenus de hoc mundo valeamus dicere
cum Propheta: Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius. *Psal.138.v.12*

Inde commigrant ad montes Abarim contrà Nabo. Abarim, transi- xlj.
tus, Nabo abscessio interpretatur, vbi scilicet anima quasi per omnes
itineris mansiones, ità per cunctas fuerit progressa virtutes: quia iam ad
culmen perfectionis ascendit, mente mox transit ex hoc sæculo, & ab-
scedit. Quæ nimirum & si adhuc manere videatur in mundo, in carne *1.Cor.10.v.13*
tamen, non secundum carnem ambulans, iam recessit è mundo. Sicut *Gen.5 v.24.*
de Enoch dicitur: Et non inueniebatur, quia transtulit illum Deus. Ità Sancti sunt
quisquis sanctitate perfectus, & mundo iam mortuus pertransijt mun- mortui mun-
dum, & habitat in regione virtutum. do.

Postrema verò mansio est in campestribus Moab super Iordanem xlij.
contra Iericho. Ad hoc enim tàm longi itineris transitus agitur, ad hoc
totus ærumnis, ac laboribus per vastam huius mundi solitudinem sus-
piratur; vt applicemus ad Iordanem, hoc est, accedamus ad inexhau-
stam cælestis sapientiæ plenitudinem. Iuxtà quam peregrinationis no-
stræ tabernaculum construentes, eius fluentis à cunctis nos Aegypti
squaloribus properemus abluere, vt purificati terram repromissionis
valeamus intrare: vt simus, sicut de Sponsa in Canticis dicitur: Oculi *Cant.5.v.12*
eius sicut columbæ super riuos aquarum, quę lacte sunt lotæ, & resi-
dent iuxtà fluenta plenissima. Et notandum quod perfectio illa non
in montibus, sed in campestribus desinit; quoniam Sancti quique Sancti quanto
quantò celsiori perfectione sunt præditi, tantò maiori sunt humilitate perfectiores,
fundati. Qui etiam contrà Iericho mansiones edificant, quoniam ad- tanto humi-
uersus mundum, qui per eam designatur, infœderabiliter pugnant. liores. *Ioan.15.v.19*
Quibus dicitur: Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat,
diligeret; sed quia de mundo non estis, propterea odit vos
mundus.

Hęc tibi, venerabilis frater, de Israëliticis mansionibus summatim, Epist. Epilog.
raptimque transcurrimus: profundiora verò mysteria vacationi tuæ,

quę liberior est, reseruamus. Inquirendi quidem, vel intelligendi dedimus occasionem, non autem plenæ contulimus intelligentię facultatem. Et nos quidem earumdem mansionum tantummodò quasi ianuas aperuimus, tuę prudentiæ sit eas ingredi, earumq; mysteria velut occulta thesauri cælestis talenta rimari. Mihi autem dumtaxàt obtinuisse sufficiat, vt fatuus quisque nesciens quę loquitur, vel de quibus affirmat, non vlterius garriat hæc nihil vtilitatis afferre; sed mysticis allegoriarum spiritualium Sacramentis non dubitet omnia redundare. Nos itaque post metata tot mansionum castra, post tam longæ perfectionis ærumnas, Aaron, & Moyse iam defunctis, hoc est, veteri sacerdotio, ac lege solutis, sub Iosue Duce terram Euangelicæ repromissionis sumus ingressi. Terram, inquam, lacte, ac melle manantem, hoc est, humanitatis Christi, atque diuinitatis mysteria profluentem; quibus vtique iam nil aliud restat, nisi vt in Hierusalem pectoris nostri construamus Domino templum, ita decore virtutum tanquam auri, & argenti, omniumque gemmarum varietate conspicuum. In cuius scilicet templi vestibulo duas erigamus hinc inde columnas ad Salomonis exemplum, ponentes & catenulas in earumdem capitibus columnarum. Sicut enim Scriptura testatur: Vnam columnam à dextris, & alteram posuit à sinistris, vbi mox sequitur: eam, quæ à dextris erat, vocauit Iachim, hoc est, firmitas: & quæ ad lęuam Booz, hoc est, in robore.

2. Par. 3. v. 17.

Quid per columnas duas templi à Salomone constructi intelligendum.

Quid enim per columnam, quæ à dextris erat, & vocatur firmitas, debet intelligi, nisi dilectio Dei? Et quid per eam, quæ à sinistris est, & vocatur in robore, nisi delectio proximi. Aliud est enim firmitas, hoc est ipsũ robur, aliud in robore; quoniã aliud est deligere ipsum Deũ, aliud diligere proximum in Deo. In dilectione quippè proximi mensura ponitur, Deum verò diligire sine vllâ prorsus mensurâ iubemur. In vestibulo ergò templi columnam, quę firmitas vocatur, erigimus; cùm in hac præsenti Ecclesiâ quæ cęlestis illius Ecclesiæ vestibulum est, Deum totis viribus firmiter, & constanter amamus. Ipsa quippe dilectio, sicut Ioannes Euangelista perhibet, Deus est. Et de Deo Propheta psallit: Tu es Deus meus, & fortitudo mea. Columnam verô, quæ vocatur in robore, in sinistra eiusdem vestibuli parte statuimus, cùm proximum nostrum in Deo, sicut nosmetipsos amamus. Vbi notandum, quod Scriptura prosequitur: Necnon & quasi catenulas in oraculo, & superpoposuit eas capitibus columnarum. In nostrę quippè mentis oraculo capitibus columnarum catenulas superponimus, quibus scilicet vtramque columnam sibimet inuicem connectamus, quia nec Deũ sine proximo, nec proximum verè diligimus sine Deo. Quod vtique templum tu, venerabilis frater, optime potes, Deo manum prębente, construere, qui mutuatus es ab Ægyptijs aurea vasa, & argentea cum vestibus pretiosis. Thesaurum quippe tollit Aegyptijs, vnde Deo tabernaculum construat, qui Poëtas, ac Philosophos legit, quibus ad penetranda

1. Ioan. 4.
Psal. 42.
2. Paral. 3. v. 16

Hildeprandus in lectione Poëtarum, & Philosophorum versatus.

Exod. 12. v. 35

Poëtarum & Philosophorum lectio ad

penetranda mysteria cælestis eloquij subtilius conualescat. Ipse tabernaculum hoc in nostra dignetur mente construere, qui destructum sui corporis templum triduano potuit spatio reformare.

penetrãda sacræ Scripturæ mysteria vtilis.

EPIST. VIII. Ad eundem Hildeprandum S.R.E. Archidiaconum Card.

ARGVMENTVM.

Conqueritur cum Hildeprando, quod parùm se ab eo diligi comperisset. Primùm, quod numquam ad se scriberet: deinde quod in sermonibus sinistram de se mentionem faceret. Quàm immeritò id sibi accidat, ostendit, qui illi pro viribus obtemperare semper studuerit, & maximo amore prosequatur. Ad extremum Episcopatu se abdicat. Quam rem scilicet causam, cur se ei Hildeprandus subiratum præberet, fuisse credibile est: nolebat enim in illa temporum necessitate, & bonorum sacerdotum penuria, tàm sancto Antistite Ecclesiam orbari.

Domno Hildeprando Archidiacono, Petrus peccator Monachus seruitutem.

MIror, venerabilis frater, cur sancta mens tua nulla circà me valeat occasione mitescere; vt ne vnum quidem verbum, præsertim quandò absens sum, vel ad me, vel de me proferas, quod ad charitatis videatur officium pertinere; sed quandocumque, vel ad me legatio destinatur, vel te præsente, sermo quilibet ex me fortassis oboritur, mox paruitatis meæ nomé exploditur, fama cõspuitur, leuitas irridetur: ac de me talia proferuntur, quæ & inimicis meis iucunda sit fabula, & mihi confusio luctuosa. Planè postquam Romanę sum alligatus Ecclesiæ, vtinam tàm Deo, vel Petro, quam tuis cœptis, tuisque conatibus semper obtemperare contendi: & in omnibus tuis certaminibus, atque victoriis, ego me non commilitonem, siue pedissequum, sed quasi fulmen inieci. Quod enim certamen vmquàm cœpisti, vbi protinus ego non essẽ & litigator, & iudex? Vbi scilicet non aliam auctoritatem Canonum, nisi solùm tuæ voluntatis sequebar arbitrium: & mera tua voluntas mihi Canonum erat auctoritas. Nec vmquàm iudicaui, quod visum est mihi, sed quod placuit tibi. Præthereà nomen tuum in quanta benedictione fuerit apud labia mea, saltem domnum Cluniacensem, qui tibi non est ignotus, inquire. Nam dùm super te aliquandò disputarem: Nescit, inquit ille, tantam tibi sui amoris inesse dulcedinem, Quam profectò si nosset, incõparabili penes te amore flagraret. Sed cur

Cardinalatũ, vt ita dicam, intelligit. B. Petri Dam. obsequium in Hildeprandũ.

Abbatẽ Cluniacensem testẽ aduocat.

ego scriptionis huius articulum protraho, quam te lucturum esse non spero? Certè nemo viuit in carne, cui libentius scriberem, si tu dignareris oculum adhibere. Sed quia spes ista non est, vide quàm accuratus, & limatus sit stylus, qui flores eloquij, quę resplendeat vrbanitas dictionis. Sed siue videas, siue non videas, ego tibi Episcopatum, quem dedisti, per has litteras reddo, omneque ius, & potestatem à me, quæ mihi super eum competere videbatur, abscido.

Renunciare vult Episcopatui.

EPIST. IX. Ad eundem Hildeprandum S. R. E. Archidiaconum Card.

ARGVMENTVM.

Iterum cum eodē Hildeprando expostulat, habitā ab eo esse fidem maleuolis quorumdam sermonibus: qui beatum virum in alieno solo monasterium ædificasse per calumniam asseuerabant. Quod esse falsum manifestè ostendit.

Immobili columnæ Sedis Apostolicæ domno Hildeprando Archidiacono, Petrus peccator Monachus salutem.

VBeres ago gratias, venerande frater, quia cum ad regalis aulæ contenderes apicem, æstuantem circà me vaporare persensi de sacrario tui pectoris charitatem. Nec mirum, cum Deus ignis dicatur esse consumens, si sancti Spiritus habitaculum quibusdam scintillis erumpentibus videatur ignitum. Nam vbicumque illius itineris mentio mei nominis incidit, memoria mea penes te in benedictione fuit. Quod factum & amicorum meorum mentes erexit, & detrahentium labia dignæ responsionis obicibus oppilauit. Verumtamen †Florentiæ mens tua, quæ contrà vaniloquos, ac mendaces cauta consueuit esse semper, & rigida, delinifica quorumdam obtrectatorum esse persuasione mollita. Comitis quippe Guidonis asseclæ cū grege seruili calumniabantur me construxisse cœnobium, ex his vtiq; prædijs; quæ in clientelæ suæ stipendium ex herili dudùm liberalitate concesserant. Cur quęso illius tunc sententiæ recordatus non es, qua dicitur: Cibaria, & virga, & onus asino; panis, & disciplina, & opus seruo? Vbi mox sequitur: Laxa manus illi, & quærit libertatem. Cur & ille tibi versiculus excidit: Iugum & lorum curuant collum durum, & seruum inclinant operationes assiduæ? Cur etiam illud tua memoria non recoluit: Seruo maleuolo tortura, & compedes. Mitte illum in operationem, ne vacet. Sed quid mirum, si te licet prudentem, & sanctum virū potuit artifex seruitus, & versuta decipere, cum & prophetico plenum spiritu Dauid, Siba seruus Saul callidè mentiens, compulit à iustitia declinare?

Deut. 4. v. 24. Heb. 12. v. 29.

† Fertur f. vel aliquid simile.

Falsa crimina in B. Petrum Dam.

Eccli. 33. v. 25.

Ibid v. 26.

Ibid. v 28.

Tu inquit, & Siba diuidite possessiones. Ille siquidem innocentem Miphiboseth mentitus est contrà regiam agere maiestatem; isti me conditionem perhibent proscripsisse seruilem. Sed quæso, frater, numquid Tethgrimus Guidonis hui' patruus, qui sine liberis obiit, de tot agris, ac villis perexigua saltē, quæ videbantur esse cōtermina Monasterio legare non potuit? an adhuc obsequētis cunei iudicabitur indigus, qui cū ex hac ipse vita decesserit, posteritas ei nulla succedit? Huic etiā, qui aduiuit, quia clientes omnia possident, aliquid Deo conferre, de sui iuris allodio non licebit? Censebis vt ij, qui rotandis ad ignem verubus, vel abluendis sunt lebetibus deputandi, sic herilia bona possideāt, vt eorū Domini recedentes è sæculo, sanctis Ecclesijs sui iuris impendia non relinquant? Dignum ne perhibes, vt mācipia nostra gerant ora flāmantia, vt pretiosi cultus induāt ornamenta, nos æstuantis Auerni tolerare supplicia? Proh pudor, vt illi fluant, & nos inopia coarctemur! Illi ructent pridiana conuiuia, nos quæramus apud inferos micam! Meritò perdit hæreditatem, qui seruum relinquit hęredem. Excludi meretur à numero filiorum, qui propria salute contempta, sibi substituit seruile mancipium. Obstruatur igitur os iniqua loquentium: & iuxta Prophetam, sepiantur aures spinis à versipellium mendaciis detractorum. Qui ad faciē quidē blanda prætendunt, sed intrinsecus virus malitiæ contegunt: & velut apes ore mella ferunt, sed aculeis pungunt. Et quid mirum, si nos, qui ad terram melle manantem contendimus, apum circumuolantium stimulis laceramur? Ad quam profectò terram festinabat ille, qui dicebat: Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis.

Huc accedit, quia cū ad mel terrę viuētiū properare cōtēdimus, diuini quoq; verbi dulcedinē propinantes, etiā fauos mellis in ore portamus. Scriptū est enim: De ore prudentis procedit mel. Et dilectus ad Sponsā, Fauus, inquit, distillans labia tua sponsa; mel, & lac sub lingua tua. Quæ rursus de spōso: Guttur eius dulcedo, & totus concupiscentia. Quid ergò mirum, si nos & ad mel properātes, & mel in ore portātes examē apū hinc inde circumuolant, vt obtrectationum nos aculeis pungant? Hinc est, quod Israëliticus ille populus dum ire per desertum ad terrā repromissionis properant, prius castrametati sunt, sicut vetus habet editio, in Gai, deinde veniunt in Dibongad. Gai nimirum interpretatur Chaos. Et quid per Chaos, nisi cor intelligitur hominum peruersorum, obscurū scilicet, tetrū atque profundū? Prauū est enim cor hominis, sicut Scriptura dicit, & inscrutabile, & quis hominum cognoscit illud? Dibōgad autem significat apiariū tentationū. Post chaos itaque ad apiarium peruenitur; quia postquam cor obscurum, dolosum, atque profundū, more chai caligo malitiæ, ac fraudis obtenebrat, ad hoc etiam quandoque per iniquitatis augmenta progreditur; vt proximos quosque velut apes, & præsentes assentationis melle demulceant, & absentes

2. Reg. 9. v. 19 | Tethgrimus Guidonis Comitis patruus | *Eccli. 28. v. 28* | *Psal. 117. v. 12.* | *Prou. 16. v. 24.* | *Cant. 4. v. 11.* | *Cant. 5. v. 16.* | *Num. 33. v. 45.* | *Hier. 17. v. 9.*

obtrectationum aculeis pungant. De Gai ergo in Dibongad, de Chao venitur ad apiarium; quia de fraudulenta malitia tenebrosi cordis prauus quisque progreditur ad infligenda spicula detractionis. Quid itaque de te dicam, qui quamquam primò fœderatæ concordiæ circà me iura seruaueris, quandoque tamen & oblatrantium canum neglexisti rictus infringere, & fidem non horruisti detrahentibus adhibere?
Psal. 21. v. 13. Vituli multi, & tauri pingues obsederunt me; & tu patienter audisti. Dicam itaque de summæ Sedis Archidiacono, quod de Iacobo tunc dicebatur Apostolo: O, & iustus errauit. Sed quoniam & pro fauentibus,
Ex Egesippo Euseb. hist. Eccl. lib. 2. c. 22. & pro lædentibus indifferenter orandum est, depositæ querelæ calumniam orationis fine concludam.

Deus omnipotens, venerabilis frater, & ex impensæ charitatis officio multiplex tibi præmium reddat: & quod detractoribus consensisti, clementer indulgeat.

EPIST. X. Ad Petrum S. R. E. Cardinalem Archipresbyterum Lateranensem.

ARGVMENTVM.

Petro Cardinali viro insigni currenti, vt aiunt, stimulos addit, dum in Clericorum impudicam vitam longa oratione inuectus, illum hortatur, vt suscipiat hanc cogitationem dignissimam suæ virtutis: eorundem scilicet intemperantiæ totis viribus oppugnandæ, vt aliqua ratione, si fieri possit, coerceatur. Quàm sit Deo rem gratam facturus, exemplo Phinees, & Moysis ostendit. Multis quoque rationibus, & argumentis illum instruit, & vt castitatem tueri, & Clericorum possit libidinem sua oratione destruere.

Domno Petro Lateranensis Canonicæ Archipresbytero, Petrus peccator Monachus fraternæ glutinum charitatis.

TAntum valet iaculum, quanta virtus est bellatoris. Nam quantalibet limetur, & exacuatur industria, si brachium vibrantis elangueat, insignis victoriæ manubias non reportat. At vbi bellator est strenuus, per obtusum quoque gladium cæsis hostibus aliquandò fit triumphus. Nam & Goliath insigni munitus gladio, non modò perdidit, sed & percussus occubuit. Et Samson cum vili mandibula asini mille de Philistijm viros occidit. Hinc est, quod cum
1. Reg. 17. v. 49. Iudic. 15. v. 15. Iether primogenitus Gedeonis, gladium timuisset educere, Zebee,
Iudic. 8. v. 21. & Salmana Reges Madian, dixerunt Gedeoni: Tu surge, & irrue in nos, quia iuxta ætatem robur est hominis. Itaque qui contrà Clericorũ

luxuriam tamquam tudites iaculum fabrico, in nullius cùm melius, quam in tuis manibus pono. Tanto quippe zelo vidi te semper aduersus eorum perditos mores medullitus inardescere, vt Phinees, vel Heliæ iudiceris incendio non egere, adeo vt plus in suggillationis suæ vereantur obloquium, quam ipsum quoque timeant Papale decretum. Nam velut egregius canis aulæ regiæ custos, nocturnos fures claris baubatibus impetis, eosque ne libidinis suæ facibus palatium regale comburant, mordicùs apprehendis. Non enim te latet, quia Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, tam districtæ, tàm rigidæ regula castitatis indicitur, vt omni Catholicorum Patrum concurrente iudicio, à contrahendis nuptijs, funditùs abscindantur. Et certè satis est ratione plenissimum, vt post Episcopos, in his quoque tribus gradibus, niueus pudicitiæ candor efflorea, qui nimirum sacris mysterijs familiarius appropinquant. Nam quia Dominicum corpus in Virginalis vteri templo coaluit, nunc etiam a ministris suis continentis pudicitiæ munditiam quærit.

Zelus B. Petri in luxuriam clericorum.

Presbyteris Diaconis, & Subdiaconis cælibatus est seruandus.

Cur Clerici debeant esse casti.

Planè sicut concipienti Deificæ Virgini non virile semen influxit, sed virtus sancti Spiritus obumbrauit; ita nunc in altari positum Sacramentum eadem sancti Spiritus virtus est, quæ viuificat: & necesse est, vt hoc pudica manus, & impolluta contingat. Sed quoniam super hoc themate prolixius iam alibi disputauimus, & primò quidem piæ memoriæ Nicolao Papæ, deinde Taurinensi Episcopo, postremò etiam Comitissæ Adalaidi, viritim scribentes diuersa Scripturarum exempla congessimus: ad illa te, frater venerande, transmitto, illis te velut armis militaribus induo: atque vt alter Iosue Vrbem Iericho subuertere nitaris, impello. Superest ergo nunc, vt eosdem Clericos ipse paulisper aggrediar; quatenus quod in camino pectoris feruet, ita labijs quasi rimis patentibus euaporet.

Sacramentum in altari positum virtus Spiritus sancti viuificat.

Iosue 6. v. 24.

Conuenio vos, ô prolectarij, vxorij, ac mulierum dominantium ditionibus inseruiti: vt quid Canonicæ sanctionis iura confunditis, & a sanctis Patribus institutā puritatis Ecclesiasticæ regulam violatis? Proh pudor! libidinis vestræ legibus colla submittitis, & promulgata per ora Doctorum sancti Spiritus edicta calcatis? Ecce per vos Apostolorum labor euertitur, & ædificium, quod Doctores Ecclesię fundauerunt, liquet, quod vobis impugnantibus, obruatur. Et ita fit, vt lex Ecclesiæ quam Clericalis ordo constituisse dignoscitur; per eundem rursus ordinem è contrario destruatur. Amnon, & Absalon fratres fuerunt, quos vnus quidem pater genuit; sed alterum alter extinxit. Cain trucidauit Abel, malus scilicet iustum; sæpius etiam adulterinus legitimum perimit, sicut Iugurtha, perhibente Crispo, Hiempsal, & Adherbal occidit; ità quodammodò spurij fratres legitimos perimunt, cum ij, qui se solo nomine Clericos profitentur, sanctorum Patrum iudicia destruunt. Et tamquàm ipsos videntur extinguere, quorum non metuūt sententias

In Clericos impudicos.

2. Reg. 13. v. 29

Gen. 4. v. 8.

Crispus Salust. de bello Iugur.

annulare. Quos videlicet aptè significare videtur Abimelech filius Ierobaal, quem Scriptura genitum refert de concubina, quam habuerat in Sichem. Hic enim occidit fratres suos filios Hierobaal, septuaginta viros, super lapidem vnum. Quid enim per septuaginta viros, nisi prædicatorū Ecclesiæ libra signatur? de quibus ait Lucas Euangelista: Quia designauit Dominus septuaginta, & misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem, & locum, quò erat ipse venturus.

Iudic 9. v. 5 Quid intelligatur per septuaginta viros quos occidit Abimelech. *Luc. 10 v. 1.*

Hic etiam prædicantium ordo iam figurabatur in illis, de quibus ad Moysen Dominus ait: Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israël, quos tu nosti, quod senes populi sint, & magistri, & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis. Idem quoque mysticus numerus prædicatoribus conuenire tunc indubitanter agnoscitur, cum Israëliticus populus in Elim castra posuisse narratur; vbi videlicet erant duodecim fontes, & septuaginta palmæ. Quid enim per duodecim fontes, nisi sancti designantur Apostoli qui ariditatem cordis humani sanctæ prædicationis non desinunt irrigare fluentis? Quid verò per septuaginta palmas, nisi inferioris gradus debent Sacerdotes intelligi, qui cōstituti sunt per mundum Christi narrare victorias? Palma si quidem cōsueuit coronare victores; denarius autem numerus in his per septenarium ducitur; quia necesse est, vt peteptiformis Spiritus sancti gratiam decalogus impleatur.

Num. 11. v. 16. *Exod. 15. v. 27.* Quid per duodecim fōtes in Elim. Quid per septenarium numerū in Septuaginta.

Nec prætereundum, quod populus ille antequam venerit in Elim, pridiana castrametatus fuerat in Maram. Vbi nimirùm cum aqua tàm esset amara, vt poculum non admitteret: lignum, quod Deus ostendit, ingeritur, & protinus obdulcatur. Occidentem quippè litteram veteris legis, quia nemo valebat implere, quasi præ amaritudine salsas aquas horrescebant homines bibere: sed his aquis cum lignum Crucis adhibetur, cum Dominicæ passionis series applicatur, mox spiritualis intelligentiæ cum dulcedine bibitur Sacramentum. Sicque populus de Marā venit in Elim; amaræ scilicet litteræ spernit horrorem, & ad Apostolicos fontes, atque ad palmalis fructus gaudet festinare dulcedinem. Legalem abijciens seruitutem, dulcem expetit Euangelicæ gratiæ libertatem. Vt ergò ad id, quod cœpimus, reuertamur, cum per septuaginta viros, quos occidit Abimelech, prædicatores figurentur Ecclesię; quid per eundem Abimelech, qui eorum frater erat, sed spurius, nisi luxuriosi, atque carnales intelligendi sunt Clerici, qui Catholicorum, sanctorumque Pontificum & fratres quidem sunt per acceptum Ecclesiasticum ordinem, & tamen spurij iudicantur per degeneris vitæ, & ignobilium operum prauitatem? Hi fratres suos occidunt, cùm sanctorum Patrum iudicia destruunt, cùm sanctiones eorum, atque decreta peruersè viuendo confundunt. Et hęc interfectio fit super lapidem vnum. Lapis iste Saluatoris est Ecclesia, de quâ per Zachariam dicitur: Ecce ego adducam seruum meum orientem, quia ecce lapis, quem dedi corā Iesu, Super lapidem vnū septem oculi sunt. Lapis iste vtrobique

Exod. 15. v. 25. Abimelech est figura luxuriosi Clerici. Lapis est Ecclesia. *Zach 3. v. 9.*

vnus aptissimè dicitur, vt vnitas Ecclesiæ commendetur. De qua sponsus ait in Canticis: Vna est columba mea, vna est Genitricis suę. Quid sunt autem septem oculi super lapidem vnum, saluo tamen, si est, altiori mysterio, nisi illi septuaginta viri, hoc est, Doctores sancti in Ecclesiasticę pacis vnitate coniuncti, septiformis sancti Spiritus charismatibus illustrati? Per hos enim oculos sancta videt Ecclesia, per hos conspicit, vbi recti operis pedem ponat, ac per viam mandatorum Dei gradiens normam rectitudinis non offendat.

Cur lapis vnus dicatur. *Cant 6. v 8.* Quid septem oculi.

Abimelech ergo manzer, ac spurius septuaginta legitimos fratres super vnum lapidem perimit; quando † pars Clericorum ab Ecclesiasticæ castitatis nobilitate degenerans, obscœnius se luxuriæ legibus subijcit. Et dùm sacros Canones reprobandos iudicat, eorum conditores, Sanctos scilicet viros, ac per hoc nobiles, Gedeonis, id est, Saluatoris & Ecclesiæ filios, impiâ quodammodò crudelitate trucidat. Habent enim adulterinos Canones, & quasdam argumentorum cauillantium nouitates, quibus etiam sequaces suos ad imitationem sui dogmatis prouocent, & arcem Ecclesiasticæ castitatis oppugnent. Quod videlicet in illâ quoque turris Sichimorum obsidione signatur, cùm de eodem fratricidâ per historiæ seriem dicitur: Abimelech, inquit, audiens viros turris Sichimorum pariter conglobatos, ascendit in montem Selmon cum omni populo suo, & arreptâ securi, præcidit arboris ramum, impositumque ferens humero, dixit ad socios: Quod me videtis facere, citò facite. Deinde sequitur: Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes, sequebantur Ducem, quibus circumdantes præsidium succenderunt: atque ita factum est, vt fumo, & igne mille hominum necarentur, viri, pariter ac mulieres, habitatorum turris Sichem.

† primus.

Iudic. 9. v 48. 49.

Non est huius loci sacræ figuras historiæ solerter exponere, sufficiat nobis, quantum ad propositum attinet, rem summotenus prælibare. Rami arborum sunt sententiolæ scripturarum, quas dum impudici quique ad allegationis suę robur violenter inflectunt, fumo, simul & igne numerosas hominum cateruas extinguunt; fumo scilicet erroris, & igne libidinis; vt deceptas malè discentium mentes & luxurię flamma succendat, & praui dogmatis caligo confundat. Hæ sunt enim merces, quæ de Sodomâ, & Gomorrhâ prodire visę sunt post excidium. Abraham, inquit Scriptura, consurgens manè vbi steterat prius cum Domino, intuitus est Sodomam, & Gomorrham, & vniuersam terram regionis illius: viditque ascendentem fauillam de terrâ, quasi fornacis fumum. Porrò autem & dum Thebes cum suis agminibus obsideret oppidum, eumdem contrà Castitatem Abimelech videtur figurasse conflictum. Erat autem turris excelsa, vt Scriptura testatur, in medio ciuitatis, ad quam confugerant viri, simul ac mulieres, & omnes Principes ciuitatis, clausa firmissimè ianua, & super turris tectum stantes per propugnacula. Ciuitas, vniuersalis Ecclesia; turris castitatis est eminentia, ad quam confugerant viri, simul ac mulieres, fortes scilicet, & infirmi.

Quid per ramos arborum intelligẽdum sit.

Gen. 19. v. 27. 28.

Iudic. 9. v. 51.

Principes etiam ciuitatis, ordo videlicet Clericorum, qui tenet Ecclesię principatum. Accedens itaque Abimelech iuxtà turrim, cœpit instantius dimicare, & appropinquans ostio, ignem conabatur apponere. Hoc itaque modo Clerici petulantes, & infruniti, turri castitatis moliuntur incendium, dum multos ad suæ libidinis, & æstuantis insaniæ cohortantur exemplum. Ignibus armati turrim castitatis impetunt, dùm incesti castos flammâ pestiferæ persuasionis accendunt. Sed huic certamini, qui finis imponitur? Quos victoriæ titulos hæc pugna sortitur? Ecce, inquit, mulier fragmentum molę desuper iaciens, illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum eius. Qui vocauit cito armigerū suum, & ait ad eum: Euagina gladium tuum, & percute me, ne forte dicatur, quod a fœminâ interfectus sim. Qui iussa perficiens, interfecit eum. Vt autem in his verbis non diutiùs immoremur, fragmen hoc molæ, quod Abimelech cerebrum fregit, nihil est aliud, quam saxum illud, quod Daniel sine manibus abscissum de monte conspexit; ipse videlicet Dominus, qui de se in Euāgelio dicit: Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem verò ceciderit, conteret eum. Mulier verò de cuius manibus mittitur, sacra lex est, quæ flagitiosis pudicitiæ contemptoribus, repentinum Christi iudicium comminatur. De quo per Hieremiam dicitur: Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petram? Armiger verò Abimelech, diabolus est, qui videlicet omnibus, qui turrim Castitatis oppugnant, arma libidinis, & acuta luxuriæ iacula subministrat. De quibus iaculis dicit Apostolus: In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Et Propheta: Ibi, inquit, Assur cum armis suis. Quem ergò mulier fragmine molæ percussit, armigerense peremit, quia castitatis aduersarios, quibus Scriptura sacra iudicium diuinæ animaduersionis intentat, diabolus æternæ mortis internecione trucidat; vt quibus fuerat minister in pugnâ, eorumdem sit postmodum tortor in pœnâ, quæque illis contrà pudicitiam arma suggesserat: eadem exigentibus meritis in eorum tunc iugulum vertat. Eant igitur nunc Clerici molles, incesti, atque à genuinâ sui ordinis nobilitate degeneres; cum Abimelech arma corripiant; legitimos super vnū lapidem fratres occidant; turrim Thebes, id est, castitatis, arcem expugnare contendant. Omnis tamen eorum conflictus hoc fine concluditur, vt post ictum lapidis, armigeri quoque sui gladio perimantur; quatenus qui super lapidem gladio fratres extinxerant, lapide proterantur, vt gladium non euadant: eosque pondus primo diuinæ sententię conterat, deinde maligni spiritus pœnalis mucro concidat; quamquam non ignoremus, non absurdè significari posse per Ieroboal Christum; per Abimelech Antichristum. Qui nimirum sicut ille concubinæ, sic & iste est reiectæ filius synagogæ. Per septuaginta verò fratres, quos Abimelech occidisse narratur, septuaginta linguarum gentes, quas Antichristus in sęculi fine persequitur. Sed & nos vt cœpimus, Clericorum adhuc væsaniam prosequamur.

Hi planè

Ordo Clericorum tenet Ecclesiæ principatum.

Ibid. v. 53.

Dan. 2. v. 34.

Matt. 21. v. 44.

Hier. 23. v. 29.

Ephes. 6. v. 16.

Ezech. 32, v. 22.

Alia interpretatio allegoriæ Abimelech.

Hi planè tamquam filij Iacob, paternæ quidem prosapiæ titulo decorantur: sed quia spurij, atque degeneres, non legitimam ex vxoribus, sed ignobilem potiùs, quasi ex concubinis originem trahunt. Sicut enim Scriptura dicit: Spuria vitulamina non dabunt radices altas. Non enim Liæ, siue Rachelis; sed Balæ potius, vel Zelphæ ancillarum filij in seruili sordidæ conuersationis opere comprobantur. Bala siquidem interpretatur inueterata. Et hi dum carnaliter viuunt, non ex nouitate spiritus, sed ex carnali vetusti hominis germine se prodire testantur. Zelpha verò in nostrâ linguâ sonat os iens. Hæc itaque illorum mater rectè dicitur, quorum scilicet in prædicationem veritatis os videatur ire, sed cor non ire; de quibus vtique scriptum est: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est a me. Quibus etiam Apostolus quasi personaliter exprobrans, ait: Qui ergo alium doces, teipsum non doces? Qui prædicas non furandum, furaris? Qui dicis non mœchandum, mœcharis? Qui abominaris idola, sacrilegium facis? Qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras? Nomen enim Dei per vos blasphematur in gentibus. Verbum quippe Dei, quod labijs astruunt, reprobè viuendo conuellunt. Et loquentes quidem de clarissimâ Patriarcharum videntur nobilitate descendere, viuentes autem ex ignominiosâ fœdi prostibuli comprobantur lineâ propagari. Abraham planè vnum quidem de vxore, plures autem ex concubinis filios genuit; sed eos ab illo procul, dùm aduiueret, separauit. Non enim fratri fieri poterant cohæredes, qui ancillabantur in germine. Quid itaque Scriptura dicit? Dedit Abraham cuncta quæ posséderat Isaac, filiis autem concubinarum dedit munera. Et quidem dum superesset Abraham, omnes gloriabantur esse filios Abrahæ: sed cum in fine totum vni patrimonium contulit, qui reuera filii nomen obtineat, qui concubinali notantur infamiâ, manifestè discreuit. Nunc itaque manzeres Clerici inter legitimos Abrahæ filios communi videntur admixtione discurrere, sed postmodum ab hæreditatis consortio repelluntur, qui modò mulieribus quasi perceptis a patre muneribus, delectantur. Sed dicunt: Nonne dicit Apostolus: Propter fornicationem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque virum suum habeat? Vir vxori debitum reddat, & vxor viro? Ecce inquiunt, hæc Apostolica verba generalia sunt: & dum vnicuique nubendi licentiam tribuunt, nos excipere non videntur. Ad quod ego: Si per hæc verba coniugalis incontinentiæ passim fræna laxantur, Episcopis etiam, siue monachis, insuper & Abbatibus libertas eadem non negetur. Et quoniam vterque sexus non diuersâ lege constringitur, etiam sacræ Virgines ad ineunda coniugalis copulæ fœdera prouocentur. Sed quæ aures Ecclesiasticis attritæ doctrinis hoc æquanimiter ferant, & non protinus expauescentes immane sacrilegiũ perhorrescant? At nonnulli super hac quæstione conuenti, ad paupertatis illicò patrocinium conuolant, vnde sibi clypeũ friuolæ excusationis opponant; Muliebris, inquiunt, sedulitatis

Sap. 4. v. 3.
Esai. 29. v. 13.
Rom. 2. v. 21.
Gen. 25. v. 5. 6.
1. Cor. 7. v. 2.
Clericorum defensio praua.
Refutatio.
Alia excusatio Clericorum.

auxilio carere non possumus, quia rei familiaris inopiam sustinemus. Quibus etiam è contrariò respondemus: quia vbi angustiora sunt ali-
Refellitur. menta, ibi minor est alenda familia; & mensa quæ non grauatur eduliis, non est pluribus obeunda conuiuiis. Vnde necesse est, vt paupertas indiga solitudinis, fœminarum doceat abdicare consortium, & greges inhianter edentium prohibeat gignere paruulorum.

Verùm quâ mentis audaciâ diuinis non expauescunt appropinquare mysteriis; cum Dauid antequàm panes propositionis attingat, mundum se, ac suos iàm per triduum a contactu mulierum reuerenter excusat? Dixerat enim sibi Abimelech sacerdos: Non habeo panes laicos,
1. Reg. 21, v. 24. sed tantum panem sanctum. Si mundi sunt pueri, maximè a mulieribus, manducent. Vbi notandum, quia cum dicit, eos, qui panem sanctum cogebantur edere, maximè à mulieribus mundos esse debere; perspicuè docet, nullum culpæ contagium, nullum omninò reatum diuinis mysteriis magis esse contrarium, quàm est illicita præsertim commixtio fœminarũ. Porrò dum tantus apud veteres metus inesset vmbræ Dominici Corporis, quanta nunc debetur ipsi reuerentia veritati? Et si coniugale commercium ab illius panis compescebat accessu, quantò magis ab hoc sacrosancto mysterio remouendus est pellicatus? Ah scelus! Ma-
Exclamatio ab indignitate. nus, quæ deputatæ fuerant ad ordinandas in cælestis mensæ ferculo vitales epulas Angelorum, tractare non metuunt obscœnitates, & spurca contagia mulierum. Ii, qui inter illa terribilia sacramenta choris admiscentur Angelicis, mox tamquam de cælo ruentes, ad fœmineæ fœditatis relabuntur amplexus, & velut Sues immundæ cænosis vermigenæ luxuriæ volutabris immerguntur. Quorum scilicet ignis non ex-
Esai. vlt. v. 24. tinguetur, & vermis non morietur. Cælum aperitur, summa simul in vnum & ima concurrunt, & se sordibus quilibet audacter ingerere non veretur. Potestates Angelicæ trementes assistunt, inter offerentium manus virtus diuina descendit, donum sancti Spiritus influit, Pontifex ille, quem adorant Angeli à sui corporis, & sanguinis hostiâ non recedit, & adesse non trepidat, quem tartareæ libidinis æstus inflammat. Si
Matt. 22, v. 13. is, qui nuptialibus non ornabatur induuijs, manuum, pedumque loris addictus in tenebras proiicitur vltionis, quid illi sperandum est, qui cælestibus tricliniis intromissus, non modò non est spiritalis indumenti decore conspicuus, sed vltrò etiam fœtet sordentis luxurię squalore perfusus? Si ille stridore dentium, & fletu plectitur oculorum, qui cultu vestium, conuiuantium non oblectat aspectus; quod illi iudiciũ, qui fæculentus, ac luridus; quantùm ad seipsum nuptialis edulii munditiam polluit, discumbentium cãdidatos offendit, ipsumque Regem sordidis manibus attrectare præsumit? Dathan, & Abiron iurgantes cõtra Moy-
Num. 16. v. 32. 35. sen, & Aaron dehiscens terra deglutiit. Chore propter hoc ipsum cũ ducentis quinquaginta viris, repentinũ de cælo descendentis ignis incendiũ deuorauit; & iste quomodo viuet, qui non hominẽ, sed hominum tam cruentè, tã turpiter offendit Auctorẽ? Huiusmodi plane Clerici legationem mittunt Domino non quidem strepitu verborũ, sed linguis

operum, & intentione votorum. Nolumus hunc regnare super nos. De quibus vtique dicturus est postmodum: Verumtamen inimicos meos, illos, qui noluerũt me regnare super se, adducite, & interficite ante me. Pharaonis quippe sibimet præesse delectantur imperium, & Deum Israël super se regnare contemnunt. Sed ille eos luto, & lateribus opprimit, quia lutulentis, atque cœnosis operibus incubare compellit. Quibus operibus admiscentur & paleæ, actiones scilicet inutiles, & infœcundæ, ac flammis inextinguibilibus deputatæ. *Luc. 19. v. 14.* *Exod. 1. v. 14.*

Istis prætereà propheticum lumbar illud aptissimè congruit, de quo Hieremias ait: Dixit Dominus ad me, vade, & posside tibi lumbar lineum, & pones illud super lumbos tuos. De quo paulopost: Surgens, inquit, vade ad Euphraten, & absconde illud ibi in foramine petræ. Quod cum fecisset, & in Euphrate, sicut iussus fuerat, abscondisset, post plurimos dies, ait Dominus ad eum: Surge, vade ad Euphraten, & tolle inde lumbar. Et abii, inquit ad Euphraten, & tuli lumbar de loco, vbi absconderam illud: & ecce computruerat ità, vt nulli vsui aptum esset. Et ait Dominus; Sic putrescere faciam superbiam Iuda, & superbiam Hierusalem multam; populum istum pessimum, qui nolunt audire verba mea, & ambulant in prauitate cordis sui: & erunt sicut lumbar istud, quod nulli vsui aptum est. Quid hîc Hieremiæ persona, nisi Dominum? Quid lumbar, nisi ordinem significat Clericorum? Omnis Ecclesia vestis est Christi, de cuius sibi membris per Prophetam dicitur: Omnibus bis velut ornamento vestieris. Sed sicut lumbar intimum est humano corpori, & arctius adhæret, quam reliquę vestes; ità Clericalis ordo familiarius diuinis agglutinatur obsequijs, quàm cæteri homines; sicut illîc de Israëlitico populo diuina vox ait: Sicut enim adhęret lumbar ad lumbos viri, sic agglutinaui mihi omnem domum Israël, & omnem domum Iuda, dicit Dominus: vt essent mihi in populum, & in nomen, & in laudem, & in gloriam; & non audierunt. Quibus quæso tàm aptè, tàm expressè sicut Clericis possunt ista congruere, qui nomen Dei, laudem, & gloriam specialiter constituti sunt prædicare? Sicut enim Israël, & Iuda peculiaris erat populus Deo inter omnes gentes terræ; ità nunc Clerici specialiter adhærent Christo præ cunctis membris Ecclesiæ. Isti nempe sunt lumbar lineum arctiori diuino corpori familiaritate connexum. Linum siquidem laboriosè peruenit ad candorem; & Clerici modò literarum studijs insudando, modò per interualla temporum quibusdam gradibus ascendendo, difficilè promouentur ad sacri ordinis dignitatem. Alioquin si quis contentiosius astruat hoc iuxtà Scripturæ seriem historialiter factũ, nec spiritualiter intelligendũ, quomodò Hieremias potuit inter innumerabiles Assyriorum, Chaldęorumque nationes vrbem Hierusalem constipatis agminibus obsidentes, lumbari præcinctus exire: idque in Euphrate, qui tàm longè decurrit, abscondere? Postmodùm quoque profligato diuturni temporis cursu, quo pacto quasi securus redijt: illudque putrefactum, sicut Scriptura testatur, *Hier. 13. v. 1.* *Ecclesia vestis est Christi.* *Esai. 49. v. 18.* *Hier. 13. v. 11.* *Lumbar Hieremiæ mysticè, non literaliter intelligendum.*

inuenit, cum Hierusalem videlicet fossâ, vallo, castellis, & tàm crebrâ vndique esset munitione circumdata? Nam cùm aliquando idem Propheta ad Anathot viculum suum in tertio milliario ab vrbe situm conaretur exire, in portâ protinus capitur, ad principes trahitur, grauiter verberatur: & tamquam transfuga, siue patriæ proditor in carcerem truditur. Quia ergò non consequitur, vt intelligatur historialiter factum, constat proculdubio typicæ figuræ nō deesse mysterium. Benè ergo per lumbar lineum iuxtà hæc, quæ superius dicta sunt, chorus exprimitur Clericorum. Quod autem hoc lumbar in Euphrate, hoc est, in aquoso loco, & in foramine petræ, id est, in obscuritate, atque vmbrâ poni iubetur, quid per hoc exprimitur, nisi illa Clericorum pars, quæ sub voluptatis vmbrâ, & in fluxu luxuriȩ commoratur? De quorum duce in libro Iob Dominus dicit: Sub vmbrâ dormit in secreto calami, & locis humentibus. Protegunt vmbræ vmbram eius, circumdāt eum salices torrentis. Atque vt ostendat quantùm cum suis familiaribus in habitatione fluminis delectetur, protinus addidit: Ecce absorbebit fluuium, & nō mirabitur, habet enim fiduciam, quod influat Iordanis in os eius. Quod autem dicitur fuisse positum in foramine petrȩ, potest non inconuenienter intelligi intrà septa Ecclesiæ. Quasi enim in foramine petrȩ Clerici recludūtur, dùm intrà Ecclesiȩ limina suis excubare ministerijs sedulâ frequentatione iubentur. Lumbar ergò in humenti loco positum putruit, quia de ijs, qui in luxuriæ fluxibus immorantur, Propheta testatur: Computruerunt iumenta in stercore suo. Iumenta quippe in stercore suo computrescunt, dùm quique carnales, & sordidi vitam suam in luxuriȩ fœtore concludunt. Nulli etiam vsui aptum repertum est; quia Dominus ait: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & aspiciens retro, aptus est regno Dei. Ac si aperte dicat: Quisquis, dictante sui ordinis regulâ pudicitiæ semel arripit stiuam, si postmodùm per arborem libidinis oculos reflectit ad Sodomam; quia iam montana desperat, regno Dei se prorsus inutilem factum esse demonstrat. Ad instar ergò lumbaris in humecto loco positi Clerici computrescunt, dùm tumidos crapulâ, & ebrietate ventres ingurgitant: dùm illuuie se libidinis, & cœnosæ luxuriæ fluentis inundant. Sicque cunctis vsibus redduntur inutiles: quia quò magis videntur in carne virescere: eò deterius marcescentes obsolescunt in squalentis animæ fœditate. De quibus in Psalmo, Corrupti sunt, inquit, & abominabiles facti sunt in voluptatibus suis.

Iob. 40. v. 16. 17.

Ibid. v. 18.

Ioel. 1 v. 17.

Luc. 9. v. 62.

Psal. 13. v. 1.

Tu autem, venerabilis frater, his, alijsque Scripturarum telis armatus, aduersus Madian castra congredere; Zambrin, & Cosbin in meritorio turpiter coëuntes diuini Verbi pugione transfige; vt pacē fœderis Domini, & ius sacerdotii sempiterni cum Phinees merearis accipere. Ecce, inquit Dominus, do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi, quam semini illius pactum sacerdotii sempiternum; quia zelatus est pro Deo suo, & expiauit scelus filiorū Israël. Non itaque hostilitas timeatur humana,

Adhortatio ad Petrum Card.

Num. 25. v. 13.

quæ pace diuini fœderis compensatur. Moyses namque quia percussit Ægyptium, profugus mox amisit Ægyptum: vnde postmodùm velut aucto fœnore, totius Israëliticæ plebis obtinuit principatũ. Vidit enim *Exod.2.v.12.*
vt Scriptura testatur, virum Ægyptium percutentem quemdam de fratribus suis, quem illicò percussum abscondit sabulo. Tu quoque dùm vides Ægyptium, hoc est, principem tenebrarum, quemlibet de fratribus tuis, Clericalis scilicet ordinis, virga libidinis affligentem: immò quod magis congruit, lethali iaculo trucidantem, vibrato protinus verbi gladio in ictum te vulneris exere, cumque qui domesticum seminis tui mulctabat, occide, argue, obsecra, increpa in omni pa- *2. Tim. 4.v 2.*
tientia, & doctrina. Sed quoniam, sicut idem testatur Apostolus, erunt nonnulli, qui sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus, & auertent quidem auditum à veritate, ad fabulas autem conuertentur; tu noli cessare, sed age, quod sequitur; Tu verò, ait, vigila, in *Ibidem v. 5.*
omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple. Hoc itaque modò, quos poteris, attrahe; contumaces autem, & obstinata mente rebelles in obscœnitatis suæ fœditate relinque. Hoc est enim Ægyptium in sabulo sepelire. Sabulum quippè arenosa est, & fragilis terra, quæ surgentis ædificij continere nequeat fundamentum. Vnde non in arena, sed in petra perpetuò non lapsura fundatur Ecclesia. Super hãc, inquit Dominus, petram ædificabo Ecclesiã *Matt.16.v.18.*
meam. Fundamentum ergò suum in petra Ecclesiæ collocant, quique fixi, ac stabiles in bonis operibus perseuerant. De quibus in Euangelio Dominus ait: Omnis homo, qui audit verba mea hęc, & facit ea, as- *Matt.7.v.24.*
similabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam suprà petram. *Luc.6.v.48.*
Descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat suprà petrã. Qui verò fragiles sunt, atque puluerei, & velut arundo impellentibus carnalis illecebræ flatibus agitati, arenosi procul dubiò sabuli sunt subsiciuio comparandi. De quibus per Psalmistam dicitur: Non sic impij, non sic; sed tamquam puluis, quem proijcit ventus a facie terræ. Et Domi- *Psal.1.v 4.*
nus, Omnis, inquit, qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis *Matt.7.v 26.*
erit viro stulto, qui ædificauit domum suam supra arenam, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina eius magna. Hinc etiam in libro Regum, Omnia, inquit, vasa, quæ fecit Hiram Regi Salomoni in domo *3. Reg.7.v.45. 46.*
Domini, de aurichalco erant, & in campestri regione Iordanis fudit ea Rex in argillosâ terrâ. Nam quia vasa illa carnales quosque designauit, non ex auro, sed ex aurichalco potius dicuntur esse formata: & ideò non in montibus, sed in campestri regione funduntur; quia qui per hæc figurantur, non virtutum montana conscendunt, sed in carnalis, & luxuriosæ vitę conualle subsidunt. Nec enim ductiles, sed potius fusiles sunt, quia non extenduntur Crucis, & pœnitentiæ malleis, sed

dinum laxantur illecebris, & fluoribus resoluuntur obscœnissimæ voluptatis. Ideoque sicut in Euphrate lumbar est positum, sic ista vasa iuxtà Iordanem fusa referuntur: & non insolida, ac firma terra, quæ basis iniectæ contineat fundamentum, sed in argillosa potius, & arenosa, quę repentinum pariat subsiciuium.

Exod. 2. v. 12. Tu itaque, venerande frater, cum Moyse zelo districtæ correptionis Ægyptium percussorem fratris interfice, eumque tamquam sabulo in mentibus arenosis absconde: vt argillosam terrenarum mentium sepulturam mortuus impleat, ibique vermes concupiscentiæ pariat: Eos autem, qui vere Israëlitæ sunt, tentationum suarum flagris verberare desistat. Non enim casu accidit; quod caput electorum Dominus in saxeo monumento; Ægyptius vero, qui diabolum figurat, sepelitur in sabulo. Diabolus enim, qui interpretatur deorsum fluens; illos sibi vindicat, qui ad ruinam semper velut arena dissiliunt. Qui autem Christi sunt, cōstanter in sancti propositi soliditate persistunt. Sepultura verò domus est mortuorum. Et quia diabolus mortuus est, quoniam à Deo, vera scilicet vita, disiunctus est: omnem mentem, quam inhabitat, facit absque dubio sepulturam. Vnde per Prophetam dicitur: Ibi Assur, & sepulchra eius. Ægyptius ergò sanctę eloquentiæ tuę mucrone percussus intereat, eumq; sabuli sepultura concludat; vt Israëlitica plebs Pharaone demerso, & pudicitiæ præcedente vexillo, cum triumphalibus hymnis ad terrā repromissionis ascendat.

Matt. 27. v. 60
Mar. 15. v. 46.
Luc. 23. v. 53.
Ezech. 32. v. 22

EPIST. XI. Ad Desiderium Abbatem sacri Monasterij Casinensis, S. Q. R. E. Presbyterum Cardinalem Tit. S. Cæciliæ.

ARGVMENTVM.

Desiderium Casinensem Abbatem saluberrimis monitis instruit. Ea sunt, primùm vt sua ipsius errata semper ob oculos habeat, virtutes post tergum; vt aliorum increpationes non molestè ferat, sed amplectatur; vt pro officio suo subditorum culpas non negligat, sed corrigat: absentibus non detrahat, sed in faciem obiurget; ieiunium amet; vt denique sacrificium Christi Passionis assiduè celebret.

Reuerentissimo Abbati Desiderio, Petrus peccator Monachus salutem in Domino.

2. Reg. 14. v. 29 30. 31. SAcra testatur historia, quoniam Absalon Ioab militiæ principem, vt ad se veniret nuncio discurrente, poposcit; qui tamen venire contēpsit. Cumq; ad ipsum denuò peteret, sed ille obstinatus, ac rigidus fun-

ditus abnuisset; ad agrum illius Absalon protinus misit, messemq; hordei, quo plenus erat, ignibus conflagrauit. Præstò Ioab Absalon expostulaturus aggreditur; ille gaudet, quod eius accessum talibus beneficijs promeretur: nimirùm quod petitionibus non obtinuit, læsionibus impetrauit. Ego autem tibi, venerabilis frater, non bis, sed sæpius scripsi: verùtamen vsque hodie ne vnũ quidẽ iota, vt rescribere dignareris, extorsi. Ipse quoq; pollicitus es, quia mihi Notarium mitteres, qui saltem ea, quæ in te specialiter scripseram, in tui sumptus pergamena transferret. Sed supersedisti penitus vel scribenti rescribere, vel Notarium, vt spoponderas, destinare; quorum videlicet vnum charitas exigit, alterum veritas, quasi pro debito persoluatur impellit. Quid igitur faciam? Nam quia dormientem te impingens, & vellicans excitare non valeo, pungam: & sic saltem, vt euigiles, præualebo. Ferulam igitur in te doctrinæ tanquam magister arripiam, & velut supparem, vel clientem hæc, quæ tibi forte, quam mihi notiora sunt, admonere præsumam. Et hoc sit meum pungere, doctiorem velle docere. Ad hanc fortassis iniuriam experrectus euigilabis, vt qui charitati denegaueras vicem, lædenti saltem redhibeas talionem: verumtamen quem tu tibi vides hæc hilariter suggerentem, iuniores fratres sibi proculdubiò deputent seriò consulentem.

Exscripsisse Desiderium Notarij manu B. Doctoris opuscula ex iis, quæ in Scholiis dicemus, clarum fiet.

Age igitur, noli frater, quod plerique faciunt, tantummodò si quid est in te virtutis attendere, vt vitia quasi post tergum posita negligas iudicare. Imitare naturalis in Pauone diuersitatis exemplum. Qui nimirum pullinos, & velut ignobiles pedes præ oculis semper habet, insignem verò caudæ pulchritudinem post se spectabilem præbet. Videt in pedibus rusticum aliquid, quod despiciat, ignorat in cauda quod eum mirabilem reddat. In promptu est, vnde se debeat in humilitate deprimere; post tergum gerit vnde valeat, quasi præ cæteris auibus superbire. Te quoque quodammodò quod in te virtutis est, lateat; si quid verò vitiosum, & correctionis est indignum, ab aspectus tui iudicio non recedat. Fraternæ correctionis zelum noli molestè ferre, sed gratulabundus amplectere, ac velut certæ curationis antidotum in animæ languentis interiora diffunde. Memento itaque quod per Salomonem dicitur: Melior est manifesta correctio, quàm amor absconditus. Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis. Et alibi: Viro, inquit, qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus superueniet interitus, & eum sanitas non sequetur. Illud etiam attende, quod ait: Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. Et iterum: Qui diligit disciplinam, diliget sapientiam, qui autem odit increpationes, insipiens est. Vitrum nempè, quia visus acumen admittit, & quidquid in se latet, exponit, præstantiùs videretur omnibus esse metallis, nisi percussum facilè frangeretur; sed quoniam ad primum ferientis ictum illicò dissilit, talentum vitri vix dodrantem æquat argenti.

Virtutes post tergũ, vitia ob oculos habẽda.

Pauonis exẽplum.

Fraterna correctio amplectenda.

Prou 17. v 5 6
Prou. 29. v. 1.
Prou. 28. v. 13.
Prou. 12. v. 1.

Rosa purpurea rutilantior videtur esse vermiculo : sed quia nullam fert laboris iniuriam, inter quisquiliarum stipulas deputatur.

Porrò autem quia sancti Côuentus Rector es côstitutus, noli dissimulare culpam ; sed mox vt emerserit, adhibe disciplinam; vt cum Phinees te zelus ad æterni sacerdotij iura promoueat, non cum Heli sub torpore desidiæ ignobiliter oscitantem vltio repentina percellat. Vnde per Salomonem dicitur : Noli subtrahere à puero disciplinam. Si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percutis eum, & animá eius de inferno liberabis. Veruntamen caue ne nimius disciplinæ rigor duritiam contrahat, & immoderatus zeli feruor vertatur in iram ; ne videlicet dùm culpæ rubigo detergitur, vas tenerum confringatur. Vnde & Salomon ait : Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso ; ne forte discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ. Aliter : Melius est habitare in terra deserta, quam cum muliere rixosa, & iracunda. Nonnulli planè cùm per impatientiæ fomitem à fratrum charitate resiliunt, hoc, quod Paulus, & Barnabas propter Marcũ discipulum ab inuicem discesserunt, in defensionis suæ testimonium vertunt. Quod vtique constat non discordiæ vitio, sed diuinæ dispensationis factum esse iudicio, vt nimirum sancti Apostoli tamquam grana tritici eò spargendæ fidei vberiorem messem redderent, quò procul eos ab inuicem dissentionis aura perflaret. Absentibus numquàm detrahas, sed eos in faciem, prout res dictauerit, competenter obiurga. Hinc est, quod in Prouerbiis legitur : Remoue à te os prauum, & detrahentia labia sint procul à te. Et in Ecclesiaste : Si mordeat, inquit, serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit. Vir etiam Sapiens ait : Susurro, & bilinguis maledictus est, multos conturbauit pacem habentes; audienti verò dicit: Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam : & ori tuo facito ostia, & seras auribus eius. Aduersus linguam nequam aures nostras spinis sæpire præcipimur, vt detrahentes quosque spinosæ responsionis aculeo retundamus.

Ama ieiunium, vt dum inedia corpus atteritur, anima cælestis gratię pinguedine saginetur. Et serpens ille, qui comedentem hominem cibi telo prostrauerat, ieiunanti nunc per sobrietatis arma succumbat. Serpens enim, sicut perhibent, qui scrutandis rerum naturis subtiliter insudarunt, si ieiuni hominis sputum gustat, protinus moritur. Dùm ergò tanta sit ieiunij virtus in hanc bestiã, quæ corporaliter repit: quantò vehementior in illum draconem vigere credenda est, qui inuisibiliter serpit? Sed vt colubrum hunc valeas efficacius rumpere, sacrificij salutaris hostiam satage frequenter offerre; vt dum ora tua Christi perspexerit cruore rubentia, territus contremiscat, præstò diffugiat: & Sacramento, quo captiuatus est, propius accedere non præsumat. Sic effœtis continuò viribus corruat, & in scrobe suæ malitiæ quantum ad te perpetuò conditus delitescat. Sed iam calamo silentium impero,

Num. 25. v. 13
1 Reg 4. v. 18.
Prou. 23. v. 13. 14.
Prou. 22. v. 24.
Prou. 21. v. 19.
Act. 15. v. 39.
Absentibus non detrahẽdum, sed in faciem sunt obiurgandi.
Prou. 4. v. 24.
Eccl. 10. v. 11.
Eccli 28. v. 15.
Ibid. v. 28.
Ieiunij vis.
Gen. 3. v 6.
Plin. lib. 28. c. 4.
Serpentis natura.
Sacrosanctum Missæ sacrificium sæpius offerendum.

impero, quia ipse me in huius presumptionis audaciâ reprehendo: & quasi misso in messem igne, protinus fugio, ne deprehendar vberis agri prouentus exurere, qui spinas tantum, & arbusta debueram siluestria conflagrare.

EPIST. XII. Ad eumdem Desiderium Abbatem, & Cardinalem.

ARGVMENTVM.

Hac Epistola, vt prior, tota paranetica est. Adhortatur enim eundem Desiderium, vt Monasterij sibi commissi curam indefessè gerat, assentationes fugiat, de se abiectè sentiat, Monachos, eosque praesertim, qui simpliciores sunt, ad viam perfectionis dirigat, & denique seipsum ad contemplationis culmen erigat.

Domno Desiderio venerabili Abbati, Petrus peccator Monachus seruitutem.

LICET ignis circumposita quæque corripiat, se tamen super se naturaliter erigit, ac semper in superiora contendit; & fraternus amor, qui in meis circà te visceribus çstuat, nequaquam te solo contentus, in te constituit finem, sed per te quoque in cõmunem transfertur Auctoré. Est enim amor inutilis, aridus, & insulsus, qui sic se occcupat circa proximũ, vt non etiam porrigatur in Deũ. Et quamquã principalis sit amor Dei, per amoré tamen proximi, quem cõspicimus, peruenimus ad amorem Dei, quem non videmus. Interim itáque dum te cominus attendo quem diligo, ad illum semper oculos leuo, ad quem tecum simul attingere concupisco. Confere igitur, & innecte manus, atque vt laborem alleuiemus itineris, mutuis nos adhortationibus incitemus. Tu autem, quia regendi præstantissimi Monasterij nexibus obligaris, caue, ne in huius viæ laboribus, vel pusillanimis te lassitudo retardet, vel assentantium delenefica verba robur animi malè consentientis eneruent. Illud itáque ad memoriam reuoca, quod de Tobiâ viro iusto Scriptura testatur, Contigit, inquiens, vt quadam die fatigatus à sepulturâ veniens domum, iactasset se iuxtà parietem, & obdormisset: atque ex nido hirundinum dormienti illi calida stercora insisterent super oculos eius, fieretque cæcus. Fatigatus à sepulturâ, dum se vel effractis viribus proijcit, lumen amittit. Illæsum quippè cordis oculum seruat, quisquis in bonis operibus infatigabilis perseuerat; cum verò pusillanimiter frangitur, non immerito luce priuatur. Hinc enim scriptum est; Væh ijs, qui perdiderunt substinentiam! Hinc Paulus ait: Vi-

Amor inutilis qui sit.

1. Ioan 4. v. 20

Per amorem proximi peruenimus ad amorem Dei.

Tob. 2. v. 10

Eccli. 2. v. 16

1. Cor. 16. v. 13

gilate, state in fide, viriliter agite. Quid verò leuiter volitantes hirundines, nisi leues adulantium, & blanda loquentiũ significant mores? Qui dum blandiloquij sui suauitate demulcent, dũ adulationis oleo caput audientis impinguant, interiores oculos, ne solitâ luce perfruantur, excæcant. Corripiet me iustus, inquit, in misericordia, & increpabit me; oleũ autem peccatoris nõ impinguet caput meũ. Et tãquam stercus oculis ingerunt, dũ lenocinãtis eloquij quẽlibet blandâ verbositate perungunt. A quibus scilicet hæc sæpe dicũtur: Viue dũ viuis, recrea corpus edulijs; ne si se districtius atterat, tot oppressa laboribus caro fragilis mox succũbat. Persona tua clemẽtioribus excolatur induuijs, vt eius quã tenes, seruetur geniũ dignitatis. Agglomeretur lateribus tuis in modũ cunei turba clientiũ, vt dùm te cõmeantiũ multitudo cõdecorat, tã sublimis honor officij nõ vilescat. Sed si nobis hæc diabolicæ malignitatis amaritudo detegitur, tẽtationis ingestę caligines funditus euanescũt. Vnde & illic dicitur: Tunc sumẽs Tobias de felle piscis, liniuit oculos patri suo; moxq; cœpit albugo ex oculis eius, quasi mẽbranũ oui egredi, statimq; visũ recepit. Fel etenim piscis est malitia Beethmoth, qui caput est, & initiũ totius iniquitatis. Cęcus itaq; felle piscis oblinitur, & protinus cæcitas effugatur, quia cũ amaritudo diabolicæ versutiæ nostris oculis ostensa proponitur, tenebrarũ mox caligo propellitur: & lux interior, quæ velut eclypsim passa fuerat, reformatur.

Adulationes excæcant oculos interiores.
Psal.140.v.5
Ecclesiarum superioribus congruunt ornatæ vestes, & seruorum copia.
Tob.11.v.13.14.
Diabolus caput est, & initium totius iniquitatis.

Et notandum quod dicitur, quia prius albugo de oculis est illius egressa, & sic lux illicò reparata. Ille quippe in oculis gerit albuginẽ, qui de se sanctitatis habet opinionẽ. Quisquis ergò recuperare vult lucem, amputet à se prius affectatę ęstimationis albuginẽ, vt se nõ abneget peccatorẽ, qui peccati vult euadere cæcitatẽ. Beati mũdo corde, quoniam ipsi Deũ videbũt. Isti sunt oculi, de quibus in Cãticis dicitur: Oculi tui colũbarũ absq; eo, quod intrinsecus latet. Quia licet Sancti nunc Creatorẽ suum per gratiã contẽplationis aspiciãt, latet tamẽ adhuc magnum aliquid, ad quod in hac corruptibili carne humanæ mentis acies nõ aspirat. Vbi mox sequitur: Capilli tui sicut greges caprarũ, quæ ascenderunt de Galaad. Sicut enim per oculos Ecclesiæ Doctores intelligũtur, qui ad videnda inferioribus membris summa, ac spiritualia sunt prælati; sic etiã per capillos, gregesq; caprarum designãtur simplices, & subiecti. Qui nimirũ & si præ simplicitate mistica quæque, ac summa penetrant, multitudine tamen, & cõpositione suâ sanctã Ecclesiam, velut capilli caput, exornant. Capra quia plerumque cum peccato offertur, figura peccati; Galaad aceruus est testimonij. Per Galaad ergò Christũ, cui Sanctorum omnium multitudo perhibet testimoniũ; per capillos verò, vel caprarũ greges, multitudinẽ intelligimus subiectorum. Greges ergò caprarũ ascendunt de mõte Galaad; quia Sanctorũ omnium multitudo de Christo, quẽ sibimet faciunt fundamentũ, conscendere satagunt excelsa virtutum. Sed cur hoc exẽplum oratio deduxit ad mediũ, nisi vt tu intelligas, quia quantũ distat inter oculos, & capillos, tan-

Quid sit in oculis gerere albuginem.
Matt.5.v.8
Cant.4.v.1
Expositio: Oculi tui colũbarum, &c.
Ibid. v.1.

tùm ferè in cõtéplationis studio inter prælatos distare debeat, & subiectos? quatenus tu eorũ, qui tibi cõmissi sunt, oculus, tu spiritualibus studijs sis intẽtus, & videas nõ modò tibi, sed & sibi. Hinc frequẽter exoritur inũdatio fletuũ, salubris compunctio lacrymarũ. Hinc est, quod in Genesi legitur: Iste est, inquit, Ana, qui inuenit aquas calidas in solitudine, dum pasceret asinos Sebeon patris sui. Hoc planè quãtum ad litterã, vanũ videtur, & friuolũ. Quid enim ad sacrã Scripturã pertinet, vt referat, quia custos asinorũ aquas reperit in deserto? Sed vbi in litteris nulla videtur vtilitas, ad spiritualẽ intelligẽtiã, necesse est, mẽs recurrat. Quid est enim per figurã, Ana in solitudine patris sui asinos pascere, nisi spiritualẽ quẽpiã virũ, cui Deꝰ pater est, simplices fratres sub disciplinæ remotioris studio custodire? Et quid est aquas calidas inuenire, nisi in cõpũctionis lacrymas, quæ de feruore S. Spiritus eliciũtur, erũpere? Nã & ipsa interpretatio nominũ huius figuræ nõ refugit intellectũ. Onam siquidẽ dolor, vel tristitia eorũ, siue etiã mussitatio, vel murmuratio interpretatur. Quisquis enim compunctionis dolore tristatur, quasi sub quadam querulâ mussitatione aduersum prauitatẽ vitę suæ murmurare cõpellitur. Sebeon autẽ interpretatur stans in æquitate, quod Deo cõgruere nemo prorsùs ignorat. Ipse quippe in æquitate principaliter stat, qui à iustitiæ rectitudine nullâ necessitate coactus exorbitat. Onã ergò dũ patris sui Sebeõ asinos in solitudine pascit, aquas calidas reperit; quia quisquis se per vitæ rectitudinẽ Deo filium exhibet, ac de peccatis suis medullitus dolet, dũ se reddit in peruigili fratrũ curâ sollicitum, diuino munere percipit gratiã lacrymarum. Nam & beata illa Peccatrix prius pedes Domini vnguento perunxit, postmodum etiam alabastrum vnguenti pretiosi super caput recũbentis effudit. Caput Christi Deus, pedes Christi serui Dei. Sicut enim illa dum humanitati Christi dependit obsequiũ, ad diuinitatis attingere meruit intellectũ; sic nimirũ, sic Doctor Ecclesiæ dùm Christi mẽbra custodit, contẽplandę diuinitatis gratiam percipit. Prætereà nonnulli sunt simplices fratres, qui quid sit cõtemplatio nesciunt, atque ideò in spiritualibus studijs se exercere nullatenus possunt; sed dũ se funditùs ab hoc mũdo mortificant, dum fatigare se diuersis per obedientiã laboribus satagunt, ac in omnibus obtẽperare suis prioribus inardescunt, apud omnipotentem Deũ locũ familiaritatis obtinent, ita vt per eos aliquando etiã signa virtutum fiant.

Pridiè certè dùm iam sol ad occasum vergeret, frater quidam, Ioannes nomine, ad me venit, & miraculum celebri memoriâ dignum sibi dudum contigisse narrauit. Cũ, inquit, in Classense monasterio degerẽ, & commissam mihi sacrorum exedram custodirem, quadam die post Cõpletorium libros Ecclesiæ in archiuo congessi, deinde clauẽ imprimens, vt quotidie consueueram, obseraui, sed vt postliquido patuit, de cereo, quem ferebam, nesciente me, vapor emicuit: & linteũ, quo liber operiebatur, afflauit. Mane autẽ facto cum arcã aperirem, vt libros tollerem, repentè mihi in vultum fumus, & igneus vapor occurrit, Stupe-

Quantum inter prælatos, & subiectos interesse debeat.
Gen. 36. v. 24.
Vbi in sensu literali sacræ Scripturę nulla est vtilitas, ad spiritualem confugiendum est.
Effectus veræ cõpunctionis
Matt. 26. v. 7.
Mar. 14. v. 8
Ioan. 11. v. 2 & 12. v. 3
1 Cor 11 v. 3
Maria Magdalena dum Christi humanitatẽ reueretur ad diuinitatis cognitionem meruit peruenire.
Obedientiæ virtus quanti debeat æstimari, in Ioanne Monacho miraculo manifestatur.

factus illico, atque perterritus si fortè de libris adhuc aliquid superesset, cœpi curiosè perquirere, sed, ô incomprehensibilis diuinæ virtutis effectus! cum omnes lintei viginti circiter exusti essent, in cineremque redacti, quibus nimirum codices fuerant inuoluti, ipsi codices omninò seruabantur illæsi. Porrò arcam ignis penetrauerat, & largum combustionis orbem in eius fundo reliquerat. Hoc itáque comperto fratres diuinam laudauere potentiam, quoniam in Chaldaico camino Hebreos custodierat pueros, nunc in arcæ flagrantis incendio suos etiam seruauerat libros. Est autem frater ille, qui mihi ista narrauit, idiota quidem, sed tàm feruentis obedientiæ, tam pijssimæ vitæ, vt nequaquam videatur indignum, quod Deus per eum dignaretur exhibere prodigium.

Dan. 3. v. 50

Tu autem, venerabilis frater, sic domum Dei cum commisso grege custodias, vt te tamen per incuriam non relinquas: sic fœcunditatem Liæ gignendis fœtibus excolas, vt à venustæ Rachel amplexibus non recedas. Noli te in assentantium blandimenta proijcere, ne dùm te leuium hominum vana verba delectant, ad instar Tobiæ, mentis oculos hirundinum stercus obducat. Si quis est, qui te amicabiliter corripit, huic aures æquanimiter adhibe; ab illis autem velut excreans, & nauseatus auerte; ne tibi congruat, quod Salomon ait: Viro, qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus superueniet interitus, & eum sanitas non sequetur. De talibus & per Esaiam dicitur: Populus enim ad iracundiam prouocans est, & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei, qui dicunt videntibus nolite videre, & aspicientibus nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt. Loquimini nobis placentia, videte nobis errores, auferte à me viam, declinate à me semitam, cesset à facie mea Sanctus Israël. Igitur, sicut iam superius diximus, adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ: deseramus tenebras sæculi, ab oculis nostris terrenæ concupiscentię se caligo demoueat, vt elapsis passionum carnalium tenebris, veri Solis nobis splendor erumpat. Anhelemus ad eum, qui lucem habitat inaccessibilem, & intimo cordis accessu properemus ad eum, qui nos expectat veræ lucis Auctorem. Si curiose quærimus in solitudine aquas calidas, possumus inuenire, vt dum remouemur à sęculo, & S. Spiritus nos feruor accendat, & salutiferæ compunctionis mador à contagiis abluat, sicut per Esaiam dicitur: Implebit dominus splendoribus animam tuam, & ossa tua liberabit; & eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cuius non deficient aquę. Cum hoc itáque sit, tunc hominis anima facta est paradisus, & quasi verè fit hortus deliciarum. Tunc amor mundi huius in amaritudinem vertitur, mens carnalis affectus vinculis expedita in alta sustollitur, & in solo sui Creatoris ineffabili contubernio delectatur, sicut per eumdem Prophetam dicitur: Tùm delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudinem terræ, & cibabo te hęreditate Iacob patris tui. Ad hoc enitamur, dulcissime frater, intimę refe-

Gen. 29. v. 18.
Assentatores fugiendi.
Tob. 2. v. 10
Prou. 29 v. 1.
Isaye 30. v. 9
Heb. 4. v. 16
1. Tim. 6. v. 16.
Esai. 58. v. 11
Ibidem v. 14

ctionis epulum tendere, has numquam desinamus dapum cælestium delitias esurire, quatenus dum hoc quasi paruo jentaculo, ne deficiamus in via, deficimur, ad illud plenum, quod in cælo est, nuptialis conuiuij ferculum nutriamur. Et quamquam diuersis te negotijs cura regiminis opprimat, ad sinum tamen quietis intimæ, cùm poterit mẽs recurrat. Imitatus scilicet Moysen, qui tabernaculum fœderis frequenter intrabat, & exibat. Quid est enim quod ille crebro tabernaculum ingreditur, & egreditur, nisi vt exemplum præbeat, quod is, qui intus in contemplationem rapitur, foris infirmantium negotijs frequenter vrgetur, intus Dei arcana considerat, foris onera carnalium portat? Qui de rebus quoque dubijs semper ad tabernaculum recurrit, ac coram testamenti arcâ Dominum consulit, formam proculdubio rectoribus præbens, vt cùm foris ambigunt quid disponant, ad mentem semper quasi ad tabernaculum redeant: & velut coram testamenti arcâ Dominum consulant, si de ijs, in quibus dubitant apud semetipsos intus sacri eloquij paginas requirunt. Vnde & ipsa Veritas per susceptionem nobis nostræ humilitatis ostensa noctibus in monte orationibus vacat, die verò in vrbibus per miraculorum signa coruscat, imitationis videlicet viam bonis rectoribus sternens, vt si iàm summa contemplanda appetunt, necéssitatibus tamen infirmantium compatiendo misceantur, quia tunc ad alta charitas mirabiliter surgit, cum ad ima proximorum se misericorditer attrahit: & quò benignè descendit ad infima, valenter recurrit ad summa.

Exod. 33 v. 8
Quid sit tabernaculum ingredi, & egredi.

Rectores dũ incerti quid faciunt, ad orationem cõfugere debẽt.

Luc. 21. v. 37

Charitas tunc extollitur, cũ propter necessitates proximorum se deprimit.

EPIST. XIII. Ad eumdem Desiderium Abbatem & Cardinalem.

ARGVMENTVM.

In huius Epistolæ fragmentis, in quibus, vt inscriptio testatur, de dignitatibus abijciendis differebat, nonnulla sacræ Scripturæ loca ex libris Regum mysticè interpretatur.

Domno Desiderio Abbati . . . . Petrus peccator Monachus . . . .

QVEM non ædificet, atque ad perfectionem charitatis excitet, quem, inquam, non solum ad officiosum piæ humanitatis studium exercendum, verumetiam ad bona pro malis redhibendum non prouocet hoc, quod de Phitonissâ illâ magnę profectò laudis digna præconio legitur? Quæ videlicet ad imitationem Dei, Saül tam bene tractauit, non modo regio iam culmine desperatum, sed & in cra-

1. Reg. 28. v. 24
Phitonissæ charitas admiratione digna.

stino Philisthinorum gladijs perimendum: & tanquam prudens, iuxtà Euangeliũ, serpens illi præstitit beneficium, à quo nullum se consequi
Matt.10.v.16 posse sperabat emolumentum Ille prætereà, sicut ipsa conqueritur, omnes hariolos de terrâ Israël, & magos erasit: ac per hoc eidem mulierculæ omnẽ quæstũ solitę diuinationis ademit. Illa vitulum pascualem, qui sibi de consumptâ vix paupertate supererat, coxit, & azymos panes de perexiguâ farinâ cõmiscẽs, illi vt vesceretur, apposuit. Quod cũ ille lugubris, & contiguâ morte perterritus sperneret, ac cibum capere funditus recusaret; è contrario illa precibus obnixis, & quibusdã velut argumẽtationibus incessabiliter insistebat, vt roganti talionẽ redderet. Et si-
1. Reg.28.v.21 cut illa iubenti paruerat, sic iste supplicantis precibus annuerat. Ecce, inquit, obediuit ancilla tua voci tuæ, & posui animã meã in manu tuâ, & audiui sermones tuos, quos locutus es ad me, nunc ergò audi & tu vocẽ ancillæ tuæ, & ponã coram te buccellã panis, vt comedens cõualescas, & possis iter facere. Quis enim hoc coruscante faceret Euangelio, quod hæc mulier sub vmbrâ legis egisse describitur? præsertim cũ vetus offerat instrumentum: Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Euãgelica vero tuba terribiliter intonet: Quia nec Pater ve-
Leuit.19.v.18 ster dimittet vobis peccata vestra, si non remiseritis vnusquisque fratri
Matt.6.v.15
Mar.11.v.25 suo de cordibus vestris. Saul enim ita diuinantibus, & hariolis inimicus extitit, vt passim omnes interficeret, & vix eorum quispiã, nisi hęc dumtaxat paupercula mulier remãsisset: hæc etiã, quæ supererat, tantâ regiæ persecutionis erat immanitate constricta, vt dum nullatenus vti diuina-
Rom 12.v.20 tione pręsumeret, cõluctum propriæ artis quæstum funditus amisisset.
Prou.25.v.21 Hęc tamen idipsum, quod remanserat, reddens, bona pro malis alacriter obtulit: & inimicum suum, velut Apostolo iam hæc præcipiente, cibauit. Et hæc eo tẽpore laudabilis mulier fecit, cum illum nosset illicò moriturũ: atq; ideo nec speraret iã placidum, nec paueret iratum. Argumẽtis vtuntur homines, vt è proprijs domibus hospitari nolẽtes eijciãt, vt ad tabernas, vel emptoria vicina trãsmittant. Siquidem locus iste depretiatur, ille præfertur. Hic per inclementiã annotinæ tẽpestatis ægra seges negare fertur agricolis victũ, illic feraciũ frugum dicitur exuberasse prouentus. Modo breuitas cõmendatur itineris, modo Sol altiora cæli tenere spatia perhibetur. Hac igitur accuratione verborum, nil aliud agitur, quam vt superuenientes aliud sibi prouidere compellantur hospitiũ. Hæc autem prudens, & ingenua mulier rhetoricatur, vt ità loquar, & oratorum orationibus vtitur, vt inimicus eius, dum respuit, ac resultat, ad edulium prouocetur.

2. Reg.15 per totum. Absalon siquidem interpretatur patris pax, per quem designatur populus Iudæorum, qui vsque ad mortem persecutus est Christum. De
Esai.1.v.2 quo populo per Esaiam dicit: Filios genui, & exultaui; ipsi autem spreuerunt me. Qui patris pax iure dicitur, quoniam in illo specialiter populo per legem datam, per victimarum sacrificia, per tabernaculum denique, siue templum Deus quieuisse videtur. Sicut Dauid, Notus, in-

quit, in Iudęa Deus, in Israël magnum nomen eius. Atque vt iste populus patris pax esse videatur, audi quod sequitur: Et factus est in pace locus eius. Siue per Absalon, Iudas traditor designatur, qui & ipse patris pax non immeritò dicitur. Sicut ipse de illo Christus in Psalmo cōqueritur, dicens: Etenim homo pacis meæ, in quo sperabam, magnificauit aduersum me supplantationem. Nam & Christus non incongruè pater asseritur, sicut Propheta testatur: Vocabitur, inquit, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis. Iste ergo dicitur princeps pacis; & ille pax patris. Cui etiam, Iudæ videlicet, in ipso persecutionis articulo pacis osculum non negauit. Nec mirum si Iudæ traditoris speciem Absalon tenuit, quem non solum in persecutione Dauid, sed ipso quoque genere suæ mortis expressit. Ille siquidem quercui, dum transire vellet, inhęsit, iste laqueo se, scripturâ testante, suspendit. Vt quoniam vterque redundans vipereæ felle nequitię, & terra indignus erat, & cœlo: inter vtrumque libratus, & terram perderet, & ad cælum nullatenus aspiraret. Nam & Achitofel, qui Dauid persequi non dissimiliter voluit, exigentibus meritis, idipsum genus mortis elegit. Hic enim Absalon persequenti Dauid, consilium dedit, vt concubinas patris, quas dimiserat ad custodiendam domum, sacrilegâ permixtione pollueret, atque ad fœdandum patrem nouercas suas turpiter incestaret. Quid autem per decem concubinas Dauid, nisi pars illa Iudaicæ plebis exprimitur, quæ Christū verum vtique Dauid fugientem, in Gentilitatis deserta non sequitur, quia legis se habere decalogū gloriatur; Per numerū nāque concubinarū, numerus exprimitur mandatorū. Concubinæ ergò, quæ non sequentes Dauid, domū seruant, hi sunt, qui in veteris legis custodiâ perseuerant. Absalon igitur ad has concubinas Dauid ingreditur; quia Diabolus, qui in Absalō erat, per excessus diuersorū scelerum cum talibus fornicatur. Et benè dicitur, quia Dauid eas dimiserat ad custodiendam domum. Prouida quippe Redēptoris nostri dispēsatione diuinitus agitur, vt quasi ad seruandā legis domum, Iudæorum reliquiæ seruentur; vt ipsi quodammodò nostri sint scrinarij, & libros cælestis eloquij in eadem, in quâ conditi sunt, linguâ, vbique terrarū ferant; quatenus ipsi, qui nobis inimici sunt, si quādo scrupulus dubietatis emerserit, omne nobis ambiguum tollant. Vnde per Psalmistā dicitur: Deus meus ostende mihi bona inter inimicos meos, ne occidas eos, ne quādo obliuiscantur legis tuæ. Hebraicâ quippè linguâ, quæ toto orbe dispergitur, multū Christianæ Fidei auctoritas adiuuatur. Nā nisi illud accederet testimoniū, quod apud nos scribitur, quodammodò putari posset esse figmētum: sed cū illud testimonium adhibetur, illicò dubietas tollitur. Vnde & illic apertè subiungitur: Disperge illos in virtute tuâ; ac si dicat Filius ad Patrem: Disperge, atque dissemina per totum mundum eos, qui superfuerint de populo Iudæorum, vt ipsi de veteribus libris testimonium perhibeant nouæ Fidei veritati.

Cūque venisset Dauid in castra Madian, Sobi filius Naas, & Machir

Psal. 75. v. 1. 2
Iudæ traditoris speciē Absalon tenuit.
Psal. 40. v. 10
Esai. 9. v. 6
Matt. 26. v. 49
2. Reg. 18. v. 9
Matt. 27. v. 5
2. Reg. 17. v. 23
2. Reg. 16. v. 28
Quid per decem concubinas Dauid designetur.
Iudæorū gens diuina prouidentia ad maiorem Christianæ fidei confirmationem seruata est.
Psal. 58. v. 12.
Ibidem. v. 12
2. Reg. 17. v. 27

Quid per Madianitas intelligatur. filius Amihil, & Berzellai Galaadites obtulerunt ei stratoria, & tapetia, ac vasa fictilia, &c. Madianitæ verò, qui præbuere regi Dauid stratoria, & tapetia, quid aliud significant, quam Gentiles conuersos ad fidem? Qui dum pijs actibus incessanter insistunt, quasi textrini operis linteamina præparant, in quibus vtique Dominus suauiter requiescat. Hæc enim sunt Euangelica illa vestimenta, quæ Apostoli super asinum ponunt: & Iesum sedere desuper faciunt. Quod autem sequitur: Quia dederunt Dauid etiam vasa fictilia, frumentum, & hordeum, farinam, & fabam, & lentem, & frixum cicer, & mel, & butirum, oues etiam, & pingues vitulos, plurimæ ciborum species diuersi sunt sanctorum hominum mores. Quibus nimirum Dauid cum suis commilitonibus pascitur; quia Redemptor noster cum Sanctis suis rectis iustorum operibus velut esuriens epulatur.

Matt. 21. v. 7
Mar. 11. v. 7
Luc. 19. v. 35

2. Reg. 19. v. 32 Berzellai Galaadites senex valde, id est, octogenarius, vt sacra testatur historia, descendens de Rogelim, transduxit regem Dauid Iordanem. Cui Rex, Veni, inquit, vt requiescas mecum in Hierusalem. Ille autem renuens excusationem senectutis obtendit: & relicto Rege mox ad propria repedauit. Sunt namque nonnulli, qui Regem Dauid, hoc est, Saluatorem nostrum sequentes Iordanis fluenta transmittunt, hoc est, vel baptismi suscipiunt Sacramentum: vel quod, secundum est lauacrum, arripiunt spirituale propositum. Nam quia in Iordane auctor baptismi Christus est baptizatus, rectè per eum intelligitur baptismus. Sed hi veste variatâ, non mente, habitum mutando, non animum, ad pristinos redeunt mores, & sæculares repetunt actiones, & quia nequeunt à negotiorum sæcularium perturbatione quiescere, nolunt in Hierusalem, hoc est, in visione pacis habitare cum Rege. Senes enim sunt, & inueterati, atque ideo nequeunt in nouam de vetustâ conuersatione mutari. Nam & Iordanem transeunt, & octogenarij sunt; quia & baptizati sunt, & resurrectionem futuram, quę per octonarium designatur numerum, credunt. Sed hi quamquam regi humiliter, & blande loquantur, Regem tamen deserunt, & ad solitæ conuersationis consuetudinem reuertuntur. Quid est enim Regi blanda verba proferre, nisi sicut in Euangelio dicitur, se callide potius, quam humiliter excusare? Rogo, inquit, te, habe me excusatũ. Dicebat enim Berzellai Regi: Cur seruus tuus sit oneri domino meo Regi? Paululũ procedã famulus tuus ab Iordane tecũ: nec indigeo hac vicissitudine. Cuius figurã tenent, qui spirituali cuiquã viro, seseq; ad altiora prouocanti, quasi humiliter decantant: Peccatores quidem sumus, tibique pater, obtemperamus, sed districtioris instituti regulam seruare non possumus. Infirmi sumus, & fragiles, atque ideo melius iudicamus sub leui nos fasce inglorios vtcumque viuere, quam sub grauis sarcinæ pondere quasi fortes funditus interire. Nam & quod idem Berzellai superius dixerat, ab istorum interioris hominis senio non discordat. Quot sunt, inquit, dies annorum vitæ meæ, vt ascendam

Quid item per Berzellai Galaaditem.
Matt. 3. v. 16
Mar. 1. v. 9
Luc. 3. v. 21
Luc. 14. v. 18
2. Reg. 19. v. 36
Ibid v. 34 35

dam cum Rege in Hierusalem? Et adiecit: Nũquid vigent sensus mei ad discernendũ suaue, & amarum? aut delectare potest seruum tuum cibus, & potus? vel audire possum vocem cantorum, & cantatricũ? Veraciter enim talium hominũ sensus intrinsecus obtusi sunt, quia spiritualia mẽtis edulia, vel intimæ iubilationis organa non discernunt. Non enim eis sapit cibus ille cęlestis, ad quẽ Propheta spirituales conuiuas inuitat: Gustate, inquit, & videte, quoniã suauis est Dominus. Nec illa fauces eorũ mella discernunt, de quibus aiebat: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine, super mel, & fauum ori meo! Necdum ad illud Sapientiæ discubuere conuiuium, de quo in libro Prouerbiorum dicitur: Quia sapientia immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam; vbi & sequitur: Misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis. Hi voces etiam cantorum, & cantatricum non audiunt; quia quæ sanctorum Martyrum, quæ sanctarum Virginum ante Deum iubilet modulatio, nullatenus comprehendunt. Nam quia carnaliter conuersantes, ad Dominum contemplationis corda non eleuant, cælestis armoniæ modulos, & mellifluas Angelici concentus suauitates ignorant. Vnde non immeritò senex ille Berzellai fuisse dicitur de Rogelim, quod interpretari dicitur pedes. Pedestres enim tales ambulant; & quoniã à terrenæ conuersationis itinere se suspendere nesciunt, ad comprehendenda cælestis melodię cantica nõ assurgunt. Nolunt enim nisi pedites semper incedere, atq; ideò nequeũt alta iubilationis intimæ gaudia penetrare. Et quoniam terreni actus, in quibus sparsi sunt, duros eos, atque insensibiles reddunt, spiritualis lętitiæ contemplari subtilia nequeũt. Hinc est etiã, quod iste Berzellai Galaadites asseritur, quod aceruus testimonij interpretatur. Et quoniã aceruus ille testimonij, qui Galaad dicitur, à Laban, & Iacob de lapidibus factus agnoscitur: benè per hunc Galaaditẽ duri ac lapidei homines designantur, qui dum ad amorem spiritualis vitæ cor non emolliunt; tamquam lapides facti, in pertinaci sæcularium negotiorum rigore durescunt. Ad quam duritiã pertinet, quod idẽ quoque Berzellai, ferrũ meũ interpretari dicitur. Quid est durius ferro? & quid obstinatius corde peruerso? In maleuolam enim animã numquam introibit Sapientia. Et cõgruè, ferrum meum, quasi de se quilibet homo durus, & obstinatus dicit: quia dũ statuit in propria perseuerare duritia, in consilia se numquã proiicit aliena. Et quia rigidus, & inflexibilis ad cælestem Hierusalem cũ Dauid rege non graditur: de via, quam cœperat cum Berzellai, ad terrã Madian, hoc est, ad vitę veteris primordia reuocatur.

Psal. 33. v. 9. — *Ps. 118. v. 103.* — *Prou. 9. v. 1.* — *Ibid. v. 3 5.* — Rogelim etymon. — Galaaditis. — *Gen. 31. v. 47.* — Berzellai. — *Sap. 1. v. 4.*

Cumque venisset Rex Dauid in Hierusalem, tulit decem concubinas suas, quas reliquerat ad custodiendam domum, & tradidit eas in custodiam: nec est ingressus ad eas, sed erant clausæ vsque in diem mortis suæ in viduitate viuentes. Concubinæ, quæ non sequentes Dauid domum seruant, hi sunt qui in veteris legis custodia perseuerant. De quibus pro-

2. Reg. 20. v. 3.

Per Dauid concubinas designantur Iudæi.

fectò concubinis dicitur: Quia de cætero non est Dauid ingressus ad eas, sed erant clausæ vsque in diem mortis suæ in viduitate viuentes. Iudæi planè nunc clausi sunt, & in viduitate viuunt; quoniam ad virum sanctæ Ecclesiæ non accedunt. Nec ad eos cælestis ille Sponsus ingreditur; quia tamquam mulierculis à diabolo prostitutis, suum præbere contubernium dedignatur: eisque quia polluti sunt per adulterium repudij dat libellũ. Et hæ, quę non sequuntur virũ, meritò concubinæ, nec vocantur vxores: quia dotali fœdere, ac nuptiali copula prorsus indignæ, non illam pariunt sobolẽ, quę paternæ benedictionis possideat hæreditatẽ. Nobis autem è cõtrario dicitur: In hoc vocati estis, vt benedictionem hęreditate possideatis. Nam & item dicit Apostolus; Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham. quicumque autẽ ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.

1. Pet. 3. v. 9. Galat. 3. v. 9. 10.

EPIST. XIV. Ad eundem Desiderium Abbatem, & Cardinalem.

ARGVMENTVM.

Desiderius Casinensis Abbas B. Petro Dam. per internuncium comminatus fuerat illum nisi ad suum monasterium visendum quamprimùm accederet, orationũ suffragia, si se viuente decederet, à Casinensibus monachis non habiturum. Qua comminatione permotus scribit ad eundẽ in præsentia, vt eam reuocet, itinerisq; difficultatem causatur: pœnæ quoque, quam sibi comminatus fuerat, grauitatẽ exaggerat. Ad vltimum cum obedientiæ virtutem collaudasset, se obtemperaturum illi non obscurè præ se fert.

Archangelo Monachorum Desiderio, Petrus peccator Monachus seruitutem.

NOn ignorare te patior, venerande Pater, quia Guidunculus ille, puer videlicet noster, acrem mœroris aculeum meis visceribus intulit; cum id, quod mihi minatus es, per ordinem nunciauit. Dixisse siquidem te retulit, quia nisi Casinense monasterium, quod vtique nobiliter regis, inuiserem; orationẽ sancti loci, si te viuente defungerer, non haberem. Quæ videlicet minæ, cum eas ad mentem reuoco; non vt acus pungunt, sed conti potius more, vel spiculi, viscera nostra transfodiunt. Geminæ siquidem necessitatis vndique coarctor obstaculis. Nã & propinqui obitus me reddit ętas matura suspectũ, & tot sanctorũ oratione fraudari, non leue periculũ. Veniens itaq; medullitus pertimesco, ne dũ monasteriũ quæro, extrà Monasteriũ moriar. Mors enim licet aliis sit incerta, proculdubiò tamen senibus est propinqua. Ætas enim cui nõ succeditur, finem vitę proximũ cõminatur. Non veniens autẽ nihilominus paueo, ne si fratribus, quibus intersũ, inseparabiliter hęreã, vberioris, & incõparabiliter † subuentionis auxiliũ conuentus amittã. In vtriusque

Mors aliis incerta, senibus est certo propinqua.

† sanctioris, vel quid simile.

igitur periculi meditullio constitutus, quid mihi potius sit agendum, ad liquidum non discerno, dum è duobus quidquid elegero, suspicionis ambiguæ laqueum non euado.

Hic ad memoriam redit, quod sicut Gellius ait, Alexander somniauit, ne somniis crederet. Vbi quidquid eligat Alexander, hoc disceptatio sine concluditur: vt illi, quod viderat, somnio non credatur. Nam si somniis iure creditur, somnium illud, quod asserit, non credendum esse mẽtitur. Quod si nequaquam debet somniis credi, cõsequitur etiam vt nec illis fides debeat adhiberi. Cui non dissimile quid & in sacro reperitur eloquio, cum dicitur: Ego dixi in excessu mẽtis meæ, omnis homo mẽdax, Cui nimirum responderi potest: Si omnis, & tu: fallaq; iam erit sententia, quam mendax ipse protulisti. Si verò ipse non mendax, vera iam sententia non erit; quia dum tu es verax, non omnis homo cognoscitur esse mendax. Verùm ne ad instar Gentilium scripturarum sacra quoque Scriptura calumniæ pateat, sed ipsa se potius propria auctoritate defendat, notãdum est, quod pręmittitur, Ego dixi in excessu mentis meę. Per excessum igitur mentis & semetipsum transiit, cum de qualitate hominis definiuit. Ac si perspicuè dicat, de falsitate omnium hominum inde veram sententiam protuli, vnde ego ipse suprà hominem fui. In tantùm verò & ipse mendax, in quantùm homo. In tantum autem omnino non mendax, in quantum per excessum mentis supra hominem ad summa contemplanda conscendi.

Somniis non credendum.

Psal. 115. v. 2. Expositio: Ego dixi in excessu mentis meæ: omnis homo mendax.

Sed cum quindecim ferè dierũ medium nos iter absentet, par fuerat, vt quod seni præcipis, ipse prior experireris, virens scilicet ætate, præualidus robore: insuper adde, quia & abundas vehiculis, & constipantiũ ministrorum obsequiis. Fertur & Phalaris huius prętendisse legis exemplum, qui nimirùm cum licet regnum in tyrannidem verteret, & exquisitis quosque nocentes suppliciis atrociter laniaret; faber quidam æreum sibi taurum obtulit, atque vt in eum igne candentem damnatitij quique proiicerentur, instruxit. Placere quippè sibi de crudelitate potissimùm credidit, quem & in ferendis semper suppliciis inhiantem, & inhumanæ cognouit crudelitatis auctorem. Præsertim quia dùm quisque proiectus in bestiam voces emitteret, taurus quodammodò videretur naribus, & ore mugire. At ille munifico suo, quæ merebatur, doña redhibuit: Amice, inquit, de collato quidem munere gratias ago; sed volo, & ineuitabiliter impero, vt quod me docuisti, prior experiaris. Protinus igitur proiectus in taurum, quod inferri aliis docuit, prior ipse probauit. Et pœnæ factus est auctor, qui pœnalis labirinthi fuerat antè conflator. Age igitur & ipse quæ præcipis, & iuuenis ad senem propera, qui senem, vt ad te gradiatur, inuitas. Verumtamen, nunc seriò loquar, si per tàm longinqui itineris ductum B. Benedicti Patris nostri limen attingere licuisset, ego non paruæ mercedis cumulum deputarem. Et certum teneo, quia si in illius peregrinationis itinere me obire contingeret, non tam proprij reatus me grauaret exitium, quam

Phalaris tyrãni crudelitas. Cõsule Schol.

Mõtis Casini peregrinatio quanti sit facienda.

illius attolleret dignitas meritorum.

Hanc itaque spem meam illud etiam roborat, quod mihi vir religiosus, & prudens ante quintum ferè diem, Stephanus Apostolicæ Sedis Cardinalis presbyter intimauit. Ait enim, quia Bassus quidam, Burgũdio genere, Aniciensis Episcopatus, Ecclesiã beatæ Dei Genitricis, semperq; Virginis insigni titulo decoratã, quæ vocatur in Podio, orationis gratia deuotus adiit: & peractis orationibus, ac deuotione cõpleta, redire cœpit ad propria. Cúmque venisset ad pagũ quemdam, in quo cella cuiusdam monasterii, cuius me vocabulum fugit, à religiosis fratribus incolebatur, languore correptus cecidit, ægrotauit, & obiit: dehinc cũ iam lotum, atque ex more linteis obuolutum in medio iaceret cadauer exanime, ac pia fidelium circà feretrum custodia pernoctaret, intempesto iàm ferè noctis immenso, ac gallicinio propinquante, qui mortuus iacebat, repentè prosiliuit; & sic omnes vndique circumstantes admirationis stupor, & intolerabilis horror inuasit. Tunc ille magni clamoris animaduersione vociferans, tremens, & horribiliter expauescens, rogare cœpit adstantes; vt psalmodiæ, piisque votis valenter insisterent, quatenus tetros nequitiæ spiritus, qui per angulos, ac parietes domus vndique videbantur, sanctis orationibus effugarent. Cumque fusis ad Deum precibus, more fumi vento perflati dæmones euanuissent; ille, terrore deposito, & secularitatis animatus audacia, quod sibi in occulto contigit, publicè coram omnibus enarrauit. Egredienti, inquit, mihi de corpore, duo protinus Angeli splendidæ claritatis occurrunt, qui me secum ducere in superiora cœperunt; sed ecce me nigrantes dæmonum turmæ; velut phalanges Æthiopum vndique circumfundunt: me tamquam sui iuris hominem acri nimis, & importuna vehementer exactione reposcunt. Noster, inquiunt, hic homo est, sub nostris ditionibus vixit, nostris obtemperare legibus non omisit. Semper enim illi lex carnis inuiguit; legem verò spiritus funditùs ignorauit. At contrà beati Angeli responderunt: Non, inquiunt, diffitemur fuisse †, dum in propriis viueret. Non enim licet resistere veritati; sed quia nunc in obsequio Reginæ cælestis, Dominæ nostræ, defunctus est, nequaquàm impietati vestræ pro vitæ suæ reatibus subiacebit, qui vitam suam pio fine conclusit. Nec ad æterni Iudicis poterit perire conspectum, qui Genitricis eius sibi prouidit auxilium. Ad hæc illi, cum Deus, aiunt, proculdubiò iustus sit iudex, numquàm, quod nostrum est, auferet, nec aduersum nos præiudicialiter aget; cum iniustitiam prorsus ignoret. Cumque vim Angelis inferre tentarent, Angeli verò leuius, atque remissius iam cognita veritate, resisterent; affuturum tamen sibi continuo profitentur auxilium, & Dei Genitricis celerem comminantur accursum. Sed cum hinc isti modesta circa me tuitione contenderent; illi è diuerso ad reposcendum sui iuris hominem furiosius, ac truculentius ebullirent; ecce velut igneum fulgur, repentinus radiantis corusci splendor illuxit, cunctisque mirantibus

Stephanus presbyter Card.

Bassus Aniciẽsis licet peccator, B. Virginis intercessione saluatur.

Exemplũ stupendum.

† vestrũ f. add.

Cælorum Regina Angelicis vallata reuerenter obsequijs, Dei Mater aduenit. Tunc reprobi spiritus licet ad primum tantæ gloriæ tenerentur aduentum, eorumque nimius splendor reuerberaret obtutum, tamen illatam sibi conqueruntur iniuriam, & Angelicæ violentiæ protestantur ex propriâ possessione rapinam, dicentes: Quia si Deus est iustus, numquàm de manibus nostris auferet impium. Quibus è diuerso B. Virgo respondit: Licet hic homo, vt asseritis, vestra per prauitatem operis possessio fuerit, & impiè, siue carnaliter vixerit; numquàm tamen pijssimus, & clementissimus Filius meus, ac Dominus patietur eum vestris fieri crudelitatibus subditum, quem sub mei famulatus obsequio cernit in peregrinatione defunctum: præsertim cùm iste confessus peccata sua sacerdotibus fuerit, iudiciumque pœnitendo, ac ingemiscendo perceperit, quamquam subitâ morte præuentus implere nequiuerit. Ad hæc illi quasi nactâ occasione victoriæ tripudiantes, & velut insultantes obijciunt: Cum tu sis, inquiunt, mater veritatis, & eternæ iustitiæ, nûm ignorare potes, quoniam hoc tam immane, tamque cruentum facinus perpetrauit, quod nulli tamen vnquàm per vocem confessionis innotuit? quoddam scilicet graue scelus a me commissum nomine tenus inclamabant. Quod peccatum cum beata Virgo, licet ab auctoribus mendacij veraciter recognouisset, modestè paulisper obticuit, & quodammodò veritati reuerentiam præbuit. At reparato rursus eloquio, Verum quidem, inquit, est quod obijcitis; sed quoniam apud misericordem Dominum meum, ac filium, misericordia superexaltat ex more iudicium, eumque non tam delectat pœna peccantium, quam remissio peccatorum, me confestim intuens, ait: Ad corpus homo præsto regredere. Scelus hoc, quod ab iniquis tibi iure obiectum est, sacerdoti coram vicinæ huius cellulæ monachis confitere; eosque ex meæ auctoritatis iussione deposce, vt pœnitentiæ modum, qui tibi iniunctus fuerit, ipsi suscipiant, & implere pro tuâ mox obeuntis absolutione contendant; quo peracto ad me protinus sine dilatione reuertere. Hîc enim ego non desino te, donec redeas, expectare. Cumque per ordinem hæc ille narrasset, pœnitentiâ ac sibi inditam sancti fratres cum pro charitate illius, tùm pro Deificæ Virginis obedientia suscepissent, mox lętus, & hilaris velut obdormiens obijt. Et sic vera esse, quæ viuens dixerat, moriens approbauit. Ego quoque si ad vos contendens, beati itineris viator obiero, S. Benedicti præsidium nequaquam mihi defuturum esse confido.

Iacob. 2. v. 13

Idem præterea Stephanus aliud mihi retulit, quod tamen non adeò certum tenebat, sicut aliud, quod supra digessimus. Audisse, inquit, me memini, quia Clericus quidam fatuus erat, nauci, friuolus, & ineptus. Hûc accedit, quia nullam religionis dotem, nullam Canonicæ disciplinæ grauitatis, siue modestiæ videbatur habere virtutem: inter hos tamen emortuos inutilis vitæ cineres hic perexigui fomitis tenuis viuebat igniculus, vt ante sacrosanctû altare quotidie beatæ Dei genitricis

B. Virgo præbendam Clerico sui deuoto ablatam restitui iubet.

accederet, & reuerenter verticem curuans, Angelicum hunc, atque Euangelicum versiculum decantaret: Aue Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Cùm itaque tãtæ fatuitatis ineptiam nouus deprehendisset Episcopus, ab inutili personâ vtilitatem Ecclesię detineri indignum duxit: eique præbendam, quam a nuper elato suo decessore perceperat, abstulit. Sed cum hunc rei familiaris egestas opprimeret, & præter hoc aliud quid, vnde posset viuere, non haberet, nocturno silentio pia Dei Genitrix Episcopo, dùm dormiret, apparuit, quam scilicet præcedebat vir in vnâ manu ardentem faculam, in alterâ ferulam portans. Cui mox B. Virgo præcepit, vt Episcopum delinquentem aliquantis ferulę, quam gerebat, verberibus castigaret: Cur, inquiens, Cappellano meo, qui mihi quotidianas impendebat excubias, stipem Ecclesiæ, quam non ipse cõtuleras, abstulisti? Moxque sacerdos tremefactus euigilans, Clerico beneficium reddidit, & quem ignotum Deo fortè crediderat, iam quasi charum propensius honorauit. Si igitur ille vnum dumtaxat laudis canendo versiculum, corporei victus alimenta promeruit, quam fideliter æterna sperabunt, qui beatę Reginæ mundi quotidiana horarum omniũ vota persoluunt? Vnde pulcher etiam mos in nonnullis Ecclesijs inoleuit, vt specialiter ad eius honorem per omne Sabbatum Missarum celebrentur officia, nisi fortè festiuitas, vel feria Quadragesimalis obsistat. Nos etiam Eremis, siue Monasterijs, quorum videlicet ad Christi gloriam ministri sumus, tres per hebdomadas singulas dies Sanctis assignatos habemus, ad quorum scilicet honorem Missas specialiter celebramus. Et ne pro libitu, sed ratione dictante, id videamur audere, † quod secundum virorum illustrium pias opiniones, atque sententias, qnælibet animę defunctorum in diebus Dominicis requiescunt, atque a supplicijs feriantur; secundâ vero feriâ ad ea, quibus assignata sunt pœnarum ergastula, reuertuntur. Iccircò ipso potissimum die Angelis Missarum honor impenditur, vt & mortuis, & morituris patrocinalis eorum defensio procuretur; sexta quoque feria viuificæ Cruci non inconuenienter adscribitur, quæ scilicet dies pendentis in Cruce Domini glorioso sanguine purpuratur. Qua die omnes fratres nostri, quos vtique monasterialis ordo connectit, hoc etiam ad cumulum propriæ salutis adijciunt, vt & se mactent in Capitulo vicaria collisione scoparum, & insuper celebrent in pane, & aqua ieiunium. Asserentes quia in hoc Cruci verè communicamus, in hoc proculdubiò Christo commorimur, si hoc eodem die, quo ipse passus est, nos etiam carnem nostram per inedię cruciamenta mactemus.

Luc. 1. v. 28.

Pia deuotio B. Virg. officium recitandi & Missarum sollemnia ad eius honorem singulis Sabbatis celebrandi.

† scias, vel quid simile add. f.

Addunt etiam, quia cum per quinque millium circiter annorum prolixa curricula totum genus humanum ferreo diaboli fuerit iugo depressum, & hoc potissimum die per Crucis insigne vexillum sit triumphaliter absolutum, dignum profectò est, vt huic diei, quæ videlicet omnium

ætatum nexus abrupit, caro nostra quasi cuiusdam tributi canonem soluat, per quam de captiuitatis suæ compedibus absoluta tripudiat. Aiunt etiam, quia cum in die tremendi examinis arbiter ęternus illuxerit, Angelicis vndique constipatus obsequijs, cunctis etiam elementis tantæ maiestatis horrore permotis, præstò beata Crux vlnis aduehitur Angelorum, & antè cunctorum statuitur ora mortalium, non iam auro, vel margaritis ornata, sed rutilantior Sole, cunctisque sideribus ex virtute diuinâ. Tunc itaque quàm sincero corde, & liberâ conscientiâ antè sublime solium flammiuomi tribunalis assistit, qui seruitutis suæ pensum persoluisse se viuificæ Cruci, per quam de seruo diaboli liber effectus est, recognoscit. His, & aliis argumentationibus sancti fratres sextâ feriâ ieiunandum esse definiunt: & sic crucifixo Domino se quoque crucifixos ostendunt. Et quid graue, si Christianus quilibet vnum animæ suæ diem per hebdomadam tribuit, ad quod agendum pro corporis incolumitate seruandâ dieta quoque medicinalis impellat? Nam Cæsar Augustus, sub quo Saluator ex Virgine dignatus est nasci, sicut quædam tradit historia, vsus consilio medicorum, vno semper abstinebat per hedomadam die; vt alleuiato corpore potuisset vegetus, & incolumis permanere. Ad honorem quoque sanctæ Crucis eodem die Missas celebrant, vt sibi patrocinium Crucis in die necessitatis acquirant.

Cõsule Schol.

Sexta feria ieiunare laudabile est.

Cæsaris Aug. abstinentiæ vsus.

Sabbatum enimuerò, quod requies interpretatur, quo videlicet die Deus requieuisse legitur, satis congruè beatissimæ Virgini dedicatur. Quam nimirum sibi sapientia domum ædificauit, atque in eâ per humilitatis assumptæ mysterium, velut in sacratissimo lectulo requieuit. Cui profectò condignus honor impenditur, exhibentibus proculdubiò certæ defensionis auxilium prouidetur.

Sabbatum cur B. Virgini sit dicatum.

Prou. 9. v. 1.

Quo circà quod fratris mei Damiani tunc Archipresbyteri, deinde Monachi relatione didici, nisi me fallat obliuiosa memoria, fideliter narro. Alter enim frater meus, Marinus nomine, laicus quidem habitu, sed timoratus, spiritu ingrauescente, pulmonis, ac pectoris valetudine tandem ad extrema peruenit. Intereà cuiusdam diei iàm illucescente diluculo, repentè cœpit quasi cuilibet aduentanti gratulabundus aggliscere, iucundanter hilarescere, & festiuâ serenitate vultus alacriter assultare: mox & in verba prorumpens, cum magno animaduersionis impulsu circumsedentes alloquitur: Leuate, inquit, leuate, ac Dominæ meæ reuerenter assurgite; deinde aliorsum mutatæ vocis eloquium dirigens, aiebat: Et quid est, Domina mea, Regina cæli, & terræ, quia visitare dignata es pauperculum seruum tuum? Benedic me; Domina mea, & ne patiaris in tenebras ire, cui lucem tantæ pręsentiæ contulisti. Cùm igitur huiusmodi sermones impleslet; ecce Damianus, qui scilicet illi, sicut & mihi erat germanitate coniunctus, persolutis Deo nocturnis officiis, ab Ecclesiâ redit. Quid circà fratrem

Damianus Monachus frater S. Doctoris.

Marinus frater alius, & eius ægrotatio, ac felix obitus.

B Virgo illũ in extremis laborantem inuisit.

languidum ageretur, inquirit. Ille verò certum se quidem de vicinâ morte testatur, sed mox aduersus assidentes probrosa redargutione conqueritur. Heu, heu, frater, inquit, quam ignaros, quam imperitos, atque irreuerentes habemus, & sine disciplinâ domesticos; & tu vir strenue Bonizo (erat enim illîc inter eos diues quidam huius vocabuli, ille negotiator) quomodò sedere potuisti ad Reginę cælestis aduentum? Venit Regina mundi; & vos assurgere neglexistis? Venit Mater Imperatoris æterni; & vos eius præsentiam ignobilem deputastis? Ad quod Bonizo, Deliras, inquit, adhuc, & ægritudine dementatus, hæc vana profundis; aut verum est fortè, quod loqueris? Nobis certè vana hęc videntur, & friuola. Ad hoc ille. Num ignoratis, ait, quia languor iste, quem patior, numquam alienare mentes ægrotantium consueuit? Firmiter igitur, & absque vllâ prorsus ambiguitate cognoscite, quoniam Angelicis comitata vestigiis beata Redemptoris nostri me Mater inuisit, hilaritatem mihi sereni vultus ostendit: benedixit me, & protinus abiit. Cumque paulòpost ille defunctus esset, senex quidam presbyter, Seuerus nomine, qui nimirum spiritualis eius Pater extiterat, retulit; quoniam longè antè dum vegetus adhuc, & sanitate floreret incolumis, depositis nudatus exuuiis, collo corrigiâ, quâ cingebatur, innexuit: altari se beatæ Dei Genitricis, velut seruile mancipium, tradidit: mox se quasi seruum malum coram Dominâ suâ fecit verberibus affici, dicēs: Domina mea gloriosa, virginalis munditiæ speculum, & omnium norma virtutum, quam ego te miser, & infælix offendi per obscænam carnis meæ putredinem; & eam, cuius tu mater, & auctor es, violaui mei corporis castitatem; nunc itaque, quod solum remedii superest, me tibi famulum trado, tuæ ditionis imperio substrati cordis colla submitto. Flecte rebellem, suscipe contumacem: nec tua pietas respuat delinquentem, cuius intemerata Virginitas peperit veræ pietatis Auctorem. Per istud ergò munusculum seruitutis meæ tibi nunc offero censum, & amodò, ac deinceps quoad vixero certi canonis appendam annuale tributum. Quamdam ergò pecunię summam in altaris crepidine posuit, & sic de misericordiâ, quam quęsierat confisus abscessit. Non igitur fortassis hanc, sed huiusmodi frater meus de fratre narrauit historiam cuius etsi præ obliuione verba non teneo; saltem in quantum mihi possibile est, à relatis quadam similitudine non recedo. Confessionis igitur iste versiculus ad relata, vel referenda mihi cuncta proficiat: meque in quibus ignoranter oberro, coram supernis obtutibus excusabilem reddat.

Martinus se B. Virg. tamquam mancipium offert.

Vt igitur superioribus & inferiora coniungam, noli, noli, pie Pater, in minarū, quas intentasti, perseuerare sententiā: noli ægrotanti filio, siue viuēti siue post obitū, orationis tuæ subtrahere medicinā. Porrò autem, quia infelix ego dùm viuo, præ desidię torpore non semino, post obitum meum, si superuixeris, de manibus tuis alimoniam spero: quatenus oblationis tuæ sacramētum animæ meæ vertatur in epulum, & orationis

tuæ

tuæ sacrificium mihi vitale sit alimentum. Et quid mirum, si sacræ oblationis hostia refectio creditur esse defunctis, cum in alimenta vertatur aliquando viuentibus etiam in periculis constitutis? Nam venerabilis senex Petrus sacerdos, & monachus, qui iàm septuaginta fermè annos sub iure Nonantulani monasterii religiosè vixit, nunc etiam in hac Eremo vitam ducit Angelicam, mihi sæpè narrauit, quod ipse quoque fratrum à Comani lacus confinio venientium relatione cognouit. Ait enim, quia latomi quidam apud Clauennam montem de saxeâ terrę venâ lebetes exculpserant, & expleto labore, iam egressi redire parabant. Quorum vnus dum ferramentum quoddam se per obliuionem reliquisse cognouit, in concauam montis scrobem iacturam suam recollecturus immersit. Sed ecce post se pars specus in minima concidit, cumque lapidea rudetum moles eatenus, vt nequaquam reuerti posset, inclusit. Cumque collaboratorem eius crebris effossionibus socii attentarent, vt vel dilaceratum, atque contritum extincti cadauer educerent, iamque omnis eorum labor incassùm cederet, tandem defessi, ac funditùs desperantes ad propria repedarunt. Postmodùm verò nec dum labentis anni prorsus euoluto circulo, amici, vel affines eius quodam intimi feruoris instinctu animãtur, vt eum sollicitiùs quærãt, quatenus ex eius ossibus, vel extrema quædam valeant reperire vestigia. Cum diuersis itaque montem fossoriis adeunt, hinc inde scrutantur, & curiosius obeuntes rimæ latentis aditum quærunt. Egestis itaque non sine graui labore ruderibus, adhuc fodientes anhelant, & excauati montis adhuc viscera penetrant. Cum ecce hominem, quem vix mortuum reperire se posse sperabant, repentè sanum, & incolumem cernunt, eumque velut è sepulchro cùm hymnis, & laudibus exultationis educunt. Cumque requireretur, quo modo sine alimentis tam longo tempore viuere potuisset; respondens, ex quo, inquit, in illâ scrobis angustâ sum cauernâ conclusus, quotidie mihi breuis auicula columbæ similis aduolauit, & in ore suo niuei mihi panis oblatiunculam detulit. Quo videlicet cibo itâ totis visceribus obdulcatus sum, & refectus, vt regalibus, immò cælestibus me delitiis arbitrarer impletum. Solo autem vno die, quoniam ad me dapifera mea consueta non venit, intolerabilis me famis inopia cruciauit. Vxor enim eius quotidie fecerat pro eius animâ sacramentum hostiæ salutaris offerri; vno autem die inhorrescente brumalis inclementia temporis, attingere limen Ecclesiæ supersedit. Quapropter illis mutuo conferentibus liquido patuit, eum illo die signanter inediâ tabefactum, quo pro ipso non fuerat sacrificium laudis oblatum.

Orationes & suffragia sunt alimenta defunctorum.

Petrus sacerdos ex monacho Nonantulano eremita.

Fossor saxorũ ruderibus per annum obrutus, viuit propter Missæ sacrificium.

Sed nec illud silentio dignum duco, quod Atto piæ memoriæ Auximanus ciuis, prudens videlicet, & honestus vir, me præsente, narrauit. Mulier, inquit, quædam, obeunte viro, vidua remanens, in quodam presbytero magnam spem de præfati viri sui salute posuerat, eique per domesticam famulam crebrę satis oblationis exenia dirigebat.

Exemplum mulieris, quæ defuncti viri animam, eleemosyna redimere conabatur.

Per eam semper obsecrans, vt defuncti sui dignaretur habere memoriam: quod ille non difficile promittebat; verumtamen auarus, & tenax numquam benedictionem mulierculæ, vel ex his, quæ ipsa detulerat, porrigebat. Vnde factum est, vt eam tàm crebri iam tæderet itineris, & accusaret intra se tenaciam sacerdotis. Post multa quadam die per eamdem piorum munerum baiulam misit eadem matrona presbytero gallinam coctam, subcinericium panem, & vasculum vini. Igitur dum illa casu tunc solito propensius esuriret, & querelam cordis, cogitationisque tumultus illa aduersus presbyterum sustineret, hûc illûc omnia vndique circumspiciens, in remotioris secessus angulum caura diuertit, ipsaque sibi discumbens, pariter & assistens, quæque portabat inhianter vniuersa consumpsit. Mulier igitur cibo, potuque refecta, mox lætitiâ cordis exultans, caput terræ prostrauit: deinde se subrigês, ad cęlum manus extendit, & in vocem huius orationis erupit: Deus, inquit, omnipotens, qui das escã omni carni; sicut caro mea refecta est hoc cibo corporeo; ita per misericordiam tuam hodie & anima Domini mei satietur in paradiso. Regressa igitur ad dominam suam mulier, quid responsum sit à sacerdote, requirit; illa verò gratias egisse, & circa defunctum vigilantiam promisisse testatur. Proximâ nocte per visum adest vir, vxori de pridianis muneribus gratias egit. Cumque solerter inquireret, quid circà se dispositionis esset, vtrum scilicet eum pœna constringeret, an ei quæuis, vtinam, prosperitas arrideret. Respondit: vsque heri malè mihi fuit, sed & inter cætera meæ calamitatis incommoda grauius me fames afflixit. Heri verò, te præbente conuiuium, splendidè refeci: ac funditùs fame consumptâ, largis alimentorum dapibus abundaui. Et his dictis præsto disparuit. Cumque mulier euigilasset, ac de viri sui verbis sollicitè pertractare cœpisset, non mediocriter mirabatur, cur ille dixerit hesternum se tantummodò ab ea percepisse conuiuium, quandoquidem illa sacerdoti frequentissimè direxisset exenium. Igitur altiori pertractans viri verba consilio, intellexit non sine mysterio esse, quod dixerat. Vocans autem famulam, districtè cœpit inquirere, de exenio quid egisset, vel quid præsbyter respondisset. Cumque illa terrore concussa, modo hæc, modo illa confingeret: & veritate suppressâ, per ambages, & commenta quædam non procedentia palpitaret; Domina verò fidem non adhibens, dura prorsus, & aspera minaciter intentaret: Illa demùm necessitate constricta, tandem quod in re erat, aperuit: & se, quæ detulerat, comedisse, & pro Domino suo preces fudisse confessa est. Hoc igitur ita, vt factum est, quantocyus per populi ora depromitur, & celebri per regiones relatione vulgatur: multorumque testimonio definitum est, quod vtilior est, & fructuosior eleemosyna pauperum, quam quælibet oblatio tradita manibus carnaliter viuentium sacerdotum; quando quidem defunctus ille & quod presbytero datum est, ignorauit; & quod a paupercula muliere perceptum est solemne conuiuium, sensit. Eleemosyna quippe animas hominum

Psal. 135. v. 25.

Fructuosior est eleemosyna pauperibus data, quam oblatio a sacerdote carnali celebrata.

in tenebras ire non patitur, terrenisque munusculis siderea regna mercatur. Vnde nonnulla in nostris partibus Monasteria præclaram nupe institutionis normam sibimet indiderunt, vt præter cætera pietatis opera, etiam tres pauperes cum priuata mensa iuxta se semper Abbas habeat, eisque singulis mensuram cibi quiuis habet frater apponat. Nam cum regularis norma pręcipiat, vt Abbatis mensa semper sit cum hospitibus, hoc modo nouiter vtrumque completur; vt & Abbatis mensa non superbis sæculi, sed sanctis hospitibus hęreat, & ipse conuesci fratribus non omittat. Enimuerò, vt copiosiora in pauperes alimenta proficiant, dantur in Monasterijs, & Eremis decimæ quorumque prouentuum, & non modo pecorum, sed & ornicum, pariter & ouorum, Deuotioni quoque defunctorum hoc nouiter superaddunt, vt charioribus quibuscunque defunctis octauas semper anniuersarias faciant; & non vno tantum depositionis die, sed per † ogdoadam potius annualis sibi memoriæ vota persoluant. Et suggero, atque humiliter petò, vt ipse notum hoc eorum, quæ prędiximus, arripias institutum: nec a minimis fratribus mutuari dedigneris exemplum. Melius est certè Doctoribus à discipulis discere, quam superbè, quæ recta sunt, ignorare. Honestius est maiori, vt quæ nescit addiscat; quam quæ discenda sunt, nesciat. O gloriosa virtus humilitatis, per quam homo verè discipulus efficitur Saluatoris! Discite, inquit, a me, quia mitis sum, & humilis corde. Hæc est enim virtus, per quam suaue Deo sacrificium, & magister impensi laboris instantiam, & discipulus suam exhibet clientelam.

S.Ben. Reg. cap.56.

† hebdomadam f.

Discédum est ab inferioribus, non modo a maioribus.

Matt.11.v.29.

A venerabilis planè Cluniacensis Cœnobij fratribus didicisse me contigit insignia duo sanctę humilitatis exempla, quorum vnum non mediocriter quosque prælatos, alterum valet ædificare subiectos. Marcuardus certè eiusdem Rector Ecclesiæ Maiolum sibimet substituit, & grandæuæ iam senectuti suæ quietis otium procurauit. Hic itáque dùm priuatus in infirmorum maneret ædicula, quadam aduesperascente die caseum petijt, quem Cellerarius pluribus, vt fieri solet, intentus, non modò dedit, sed & duris insuper ministrum eius responsionibus fregit. Conquestus est abbatum turbam, nec posse se tot dominorum perferre molestiam. Quo senex audito, non mediocre scandalum pertulit: & quia lumen oculorum prorsus amiserat, dolor in eius corde tenacius hæsit. Nam quo cæcus a visibus vacat, eò quidquid audierit, in corde subtilius versat: & quia per exteriora quæque non spargitur, interiori zeli stimulo truculentius inflammatur. Manè verò facto, ministro suo, vt sese ad manum in Capitulo duceret, iussit. Adductus autem, talibus Abbatem aggressus est verbis: Frater, inquit, Maiole non ego te super me vt me persequereris imposui; nec vt tamquã emptor mãcipio dominareris; sed vt reuerà Patri filius compatereris, elegi. Et post huiusmodi multa propemodum commotus adiecit: Es ne, quæso meus Monachus? Quo respondente, sum, tuumque me non magis fuisse,

Marcuardi Abbat. Cluniacen. quodnam Maioli obedientiæ experimétum fecerit.

Audit' supplet videndi defectum.

quam & nunc esse profiteor. Et ille, Si meus, inquit, es monachus, protinus cede sedi, & locum, quem antè te noueras, repete. Quo Maiolus audito, repentè surrexit, humilem locum, prout iussus fuerat, expetiuit. Marcuardus itaque quasi postliminiò reuersus, vacantem occupat sedem, Cellerarium, cui fuerat infensus, accusat, quem mox terræ prostratum duriùs corripit, tandemque modum pœnitentiæ, qui sibi videbatur, iniungit. Perfunctus itaque tam longi tribunatus officio, præstò dethronizatus assistit: Maiolo vt ad suam sedem redeat, præcipit. Ille confestim nil cunctatus obedit.

Mira obediētia Maioli Cluniacensis Abb.

In hoc igitur sancto viro euidenter ostenditur, & veræ virtus obedientiæ, & monachicę mortificatio disciplinæ. Verè in eo cernitur & imperialis patientię dignitas, & Apostolicæ humilitatis regnare maiestas. Iussus enim Prioratus officium abijcere non contempsit; iussus recipere patienter, & humiliter obediuit; vtrobique sibimet mortuus, & consummatæ obedientiæ loro constrictus, dùm alienis omninò se substrauit imperijs, nulla proprij sensus in se viuere vota permisit. Sed quoniam tanta beati viri humilitas sterilis esse non potuit, quod prius de Spiritus sancti rore radix ipsa concepit, prorumpentium ramorum germen pullulando diffudit. Vir itaque Domini venturus aliquandò Romam, pręcepit cuidam fratri, vt secum pergeret, quia sicut rogatus fuerat eum in monasterio S. Pauli Priorem constituere decreuisset. Ille verò nonnulla difficultatis obstacula reluctatus opposuit, & modò hoc, modò illud, tandem obstinatus obedire contempsit. Maiolus autem inobedientiam fratris æquanimiter tulit, eoque relicto, itinere, quod decreuerat, commeauit. Cumque frater in monasterio per inobedientiam remansisset, & reliqui fratres in eum vehementer inueherent, ac tam obstinatæ duritiæ peruicaciam vnanimiter increparent, tandem ad cor reuersus, aduersus propriam voluntatem in arma congreditur, salutaris obedientiæ telis accingitur, & mox supernæ gratiæ feruore succensus beati viri vestigia perniciter comitatur. Sed dum ille nesciens cœpto itinere graditur; hic verò post eum festinanter accelerat, & anxius, ac repentinus anhelat. Mox ad quemdam fluuium peruenit, cuius vir Domini iam vada transierat, & super ripam adhuc alteram consistebat. Cum itaque Monachus in citeriori se fluminis crepidine figeret, quoniam absente nauigio, transitum non haberet, videns procul astare magistrum, quod solùm potuit, præstò corruens in terram, se humiliter strauit; & quia veniam deprecans, per oris organum forte non posset audire clamorem, de toto corpore linguam fecit. Quod dùm eminus Maiolus aspexit, quid hoc esset, incunctanter agnouit, moxque misso remigio, transferri ad se monachum fecit. Quem præstò vir Dei ad quid venisset, inquirit; at ille simul & de præteritis veniā deprecatur, & impleturum se de cæteris quidquid iniungeret, pollicetur. Tunc ille: Vis, inquit, absque dubio pœnitētiam? Quo respōdente volo; protinus addidit: Huic igitur osculum præbe. Nam casu tuberosæ cutis

Monachus Cluniacensis ex inobediente obediens factus, leprosum osculo sanat.

illic leprosus astabat. Ille confestim in eius osculum ruit, moxque lepra mūdati corporis prorsus euanuit. Sic sancta obedientia fructū suæ humilitatis inuenit, dummodò veniam se corrigendo promeruit, sed & signum insuper tam perspicuæ virtutis ostendit. Et cui superbia pæne potuit apostaticam inferre perniciem, humilitas dedit Apostolicam exhibere virtutem. Obedientiæ mira vis.

Hæc omnia, venerabilis Pater, non sine magno timore describimus, ne vel per obliuionem propriam, vel per infidæ relationis audaciam à veritatis linea quantumlibet declinemus. Quamobrem hæc nos non constanter astruimus; sed quia velut sub hoc relationis ordine ad nostrā fuerint perlata notitiam, opinamur. Verùm quisquis obedientiam prædicat, illi summopere cauendum est, vt eum nota rebellis inobedientiæ non inurat. Nam vbi distat opus à labiis, fœdatur nomen auctoris. Quoniam qui idipsum, quod ore statuit, factis oppugnat, legem procul dubio destruit, quam promulgat. Quapropter ipsum obedientiæ deprecor, & humilitatis Auctorem, vt in proximo dignetur à me huius infamiæ probra repellere, meque permittat hunc Prophetæ versiculum in Casinensis Cœnobij foribus decantare; Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa; quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum. *Esai. 52. v. 6.*

EPIST. XV. Ad eundem Desiderium Abb. & Card. eiusque Monasterij Monachos.

ARGVMENTVM.

Hac Epistola tota exemplis admirandis referta est, quæ vno nomine miracula appellantur, quæ magnam vim ad inflammandos animos ad virtutem, à vitiisque deterrendos habere, certissimè constat.

Domno Desiderio Archangelo Monachorum, ac cæteris sanctis Fratribus, Petrus peccator Monachus deuotissimi famulatus obsequium.

CVm in meo pectore tuæ charitatis ardor inextinguibiliter ferueat, meque circa tui memoriam tepescere non permittat, mihi nuper aliquid in memoriam venit, quod me mittendæ tibi legationis admonuit. Nam dùm in tui contemplatione sedulus habitarem, & Angelico Fratrum, sanctoque Conuentui, sic in cordis obtutibus, velut corporaliter interessem; inter alia multa repentè tuarum recordatus sum litterarum, quas tu quidem sub interrogatione misisti; sed his ego Synodali præpeditus instantia adhuc nō respondi. Et hæc in illis, si reminisci

Visio terribilis cuiusdam fratris.

obiturum quidam frater nocturna visione cōspiceret. Lacus erat igneus, qui flammiuomis vaporabat incendiis, & crepitantibus ignium globis terribilem cernentibus incutiebat horrorem; quem lacum trabalis enormitatis videbantur obsidere dracones, variaque serpentium genera, hinc inde per circuitum spatiari. Vir autem ille, quem diximus, in ipsa flammarum stridentium voragine coarctatus, tentabat quidem effugere, sed obstantibus bestiis, dolebat aditum non patere. Modò scilicet ex hac parte fugam parabat; sed ecce serpens obuius aderat. Per aliam partem erumpere satagebat; sed ecce rursus alia bestia laxo gutture stridens, iter occluserat. Ille rursus & alia ad euadendum loca tentabat, sed insurgentibus bestiis, omninò meatus aufugij non patebat. Porrò autem cum Veritas dicat: Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis; hoc illi iusto Dei iudicio contingebat. Sicut enim ille per carnalis astutiæ vanitatem, ex quibuslibet huius sæculi se nouerat laqueis expedire; ità postmodum versa vice nullo valebat ingenio supplicium, quo cruciabatur, euadere. Qui nimirum si prudentiam, qua callebat, in diuinis studuisset exercere mandatis, non crematetur inter rabida ora serpentium, sed gauderet potius inter agmina Beatorum.

Matt. 7. v. 2. Mar. 4. v. 24.

Aliud exemplum cuiusdā nō dantis honorem loco sacro.

Vnum planè contigit in nostris partibus de quodam carnaliter sapiēte, quod dignum non est silentio præterire. Fanensis quidam Primarius ciuitatis, Hugo nomine, ipsa nocte, quæ peracta Parasceue, sacrosanctum Sabbatum Dominicæ sepulturæ præcedit, cum armis, & armatis ingressus Ecclesiam, in qua diuinis vacabatur officiis, perosum sibi violenter hominem cœpit, ac vinculis crudeliter mancipauit. Quem quia noua præsumpsit, nouo Deus omnipotens supplicio condemnauit. Nā cum sensum mentis, in quantum mihi videtur, integrum teneat, omnes eū tāquam væsanum, exinanitum, atq; demētē conspuunt, abiiciunt, & exprobrant. Halitū quippè eius, iuxta querelā B. Iob, vxor exhorret, eūq; velut arreptitiū nurus explodit, ad mensam, siue colloquium filius non admittit, auertūt oculos famuli, dedignantur amici, clientes, milites, affines, atque propinqui: Episcopus etiam ciuitatis; &, vt compendiosè cuncta complectar, omnis clerus, & populus iam ferè per duodennium arbitrantur eum mentis impotem, & væsanum, nullumque cum eo, tāquam energumeno, dignātur habere consortium. Porrò cum diues sit, & exuberās domus eius, fluunt pannosæ, & illotæ vestes, horret inculta cæsaries, caput eius diuturni sudoris fœtet iniuria, corpus totum per lōgam sordet incuriam. Hic planè, cùm me adesse cognosceret, me concitus adiit, mala, quæ patiebatur, exposuit, querelam de suis sobrio sermone digessit, & (quantum ex tenore verborum eius colligere potui) rationabiliter declamauit. Itaq; cōueni filiū, Episcopū quoq; ac de ciuitate quāplurimos, & subtiliter inquisiui, quid inordinatū, quid delirum, quid ineptum in illo conspicerent, pro quo illi væsaniam imputarent. A quibus vtique nihil aliud, & ne vnū quidē certi signi verbū addiscere

Iob. 19. v. 17.

potui,

potui, nisi hoc tantum, quia demens est: quod omnes ore consono vnanimiter asserebant. Cumque ego dicerem: Quomodo id scitis, quibusve indicijs eum insanire conijcitis? Nihil aliud inueniẽtes, idipsum denuò replicabant: Demens est. Quod mihi videtur profundum atque admirabile Dei Omnipotentis esse iudicium; vt qui prudens, & sciens sponte desipuisse cognoscitur: prudens, & sciens opinione vesaniæ puniatur: & qui sponte factus est furiosus, demens ab omni populo iudicetur inuitus. Meritò contrà votum adiudicatur insaniæ, qui voluntate propria conatus est insanire. Enimuerò si veraciter fureret, eò minus miser esset, quò despectus sui mala, quæ patitur, ignoraret. Non est itáque sicut mortuus sæculi, qui non sentit; sed sicut mortuus est inferni, qui iugiter moritur, & mortem ipsam sentire non desinit. Saluo nempe illo terribili in mundi fine iudicio, nunc etiam omnipotens Deus non modò crudelia quælibet facta, sed & superba, siue sacrilega, prout dignum est, vlciscitur verba. Vindicauit siquidem, quod Balthasar sacra vasa temulentus indignè tractauit; nec dimisit inultum, quod Nabuchodonosor arroganter elata verba deprompsit. Nonne inquit, hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloriam decoris mei? Et ecce, sicut Propheta testatur, cum adhuc sermo esset in ore regis, vox de cælo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex, Regnum transijt a te, & ab hominibus te eijcient, & cum bestijs, atque feris erit habitatio tua. Puniuit præterea Dominus Sedechiã Regem Iuda, qui per reprobos actus Dei mãdatum cõtẽpsit. Vltus est etiam Ananiam Prophetam, non quia malum fecit, sed quia mendacium protulit. Cui Hieremias, Non, inquit, misit te Dominus, & tu confidere fecisti populum istum in mendacio, iccirco hæc dicit Dominus: Ecce emittam te à facie terræ, hoc anno morieris.

Compos mẽtis iusto Dei iudicio insanus reputatur.

Psal. 142. v. 3

Etiam verba vlciscitur Deus.

Dan. 5. v. 30

Dan. 4. v. 27

Ibid. v. 29

2 Paral. 36. v. 17.

Hier. 28. v. 15

† Nouis quoque temporibus accidit, vt in Burgundiæ regno quidam Clericus esset, superbus nimis ac tumidus: & non modo carnali vitæ sæculariter deditus, sed & contrà suum ordinem terribiliter bellicosus. Hic itáq; cùm Ecclesiã B. Mauritij multis inclytam prędijs, suis ditionibus vsurparet, potens autem quidam è diuerso sui iuris esse, non sine magnâ liuoris, atque certaminis animositate contenderet, tandem belli dies vtroque paciscente, statuitur, & à multis hinc inde frementium armatorum agminibus conuenitur. Potens autem ille, quem diximus, nuncium ad hostilia castra direxit, qui & apparatum belli solerti speculatione perpenderet, ac sibi celeriter nunciaret. Fortè tunc Clericus Missam cum his, qui dimicaturi erant, suis fautoribus audiebat. Cumque ad Euangalium veniretur, in fine lectum est: Omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur. Illicò Clericus in hanc sacrilegam vocem proteruus erupit: Hæc, inquiens, sententia vera non est; nam si ego me meis aduersarijs humiliter inclinassem, hodie tot possessionum, atque clientium copias non haberem.

† Nostris f. Clerici pugnacis, insolentis, & blasphemi cædes.

Matt. 23. v. 13

Luc. 14. v. 11 & 18. v. 14

accederet, & reuerenter verticem curuans, Angelicum hunc, atque
Luc.1.v.28. Euangelicum versiculum decantaret: Aue Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Cùm itaque tãtæ fatuitatis ineptiam nouus deprehendisset Episcopus, ab inutili personâ vtilitatem Ecclesię detineri indignum duxit: eique præbendam, quam a nuper elato suo decessore perceperat, abstulit. Sed cum hunc rei familiaris egestas opprimeret, & præter hoc aliud quid, vnde posset viuere, non haberet, nocturno silentio pia Dei Genitrix Episcopo, dùm dormiret, apparuit, quam scilicet præcedebat vir in vnâ manu ardentem faculam, in alterâ ferulam portans. Cui mox B. Virgo præcepit, vt Episcopum delinquentem aliquantis ferulę, quam gerebat, verberibus castigaret: Cur, inquiens, Cappellano meo, qui mihi quotidianas impendebat excubias, stipem Ecclesiæ, quam non ipse cõtuleras, abstulisti? Moxque sacerdos tremefactus euigilans, Clerico beneficium reddidit, & quem ignotum Deo fortè crediderat, iam quasi charum propensius honorauit. Si igitur ille vnum dumtaxat laudis canendo versiculum, corporei victus alimenta promeruit, quam fideliter æterna sperabunt, qui beatę Reginæ mundi quotidiana horarum omniũ vota persoluunt? Vnde pulcher etiam mos in nonnullis Ecclesijs inoleuit, vt specialiter ad eius honorem per omne Sabbatum Missarum celebrentur officia, nisi fortè festiuitas, vel feria Quadragesimalis obsistat. Nos etiam Eremis, siue Monasterijs, quorum videlicet ad Christi gloriam ministri sumus, tres per hebdomadas singulas dies Sanctis assignatos habemus, ad quorum scilicet honorem Missas specialiter celebramus. Et ne pro libitu, sed ratione dictante, id videamur audere, † quod secundum virorum illustrium pias opiniones, atque sententias, qnælibet animę defunctorum in diebus Dominicis requiescunt, atque a supplicijs feriantur; secundâ vero feriâ ad ea, quibus assignata sunt pœnarum ergastula, reuertuntur. Idcircò ipso potissimum die Angelis Missarum honor impenditur, vt & mortuis, & morituris patrocinalis eorum defensio procuretur; sexta quoque fetia viuificæ Cruci non inconuenienter adscribitur, quæ scilicet dies pendentis in Cruce Domini glorioso sanguine purpuratur. Qua die omnes fratres nostri, quos vtique monasterialis ordo connectit, hoc etiam ad cumulum propriæ salutis adijciunt, vt & se mactent in Capitulo vicaria collisione scoparum, & insuper celebrent in pane, & aqua ieiunium. Asserentes quia in hoc Cruci verè communicamus, in hoc proculdubiò Christo commorimur, si hoc eodem die, quo ipse passus est, nos etiam carnem nostram per inedię cruciamenta mactemus.

Pia deuotio B.Virg. officium recitandi & Missarum sollemnia ad eius honorem singulis Sabbatis celebrandi.

† scias, vel quid simile add. f.

Addunt etiam, quia cum per quinque millium circiter annorum prolixa curricula totum genus humanum ferreo diaboli fuerit iugo depressum, & hoc potissimum die per Crucis insigne vexillum sit triumphaliter absolutum, dignum profectò est, vt huic diei, quæ videlicet omnium

ætatum nexus abrupit, caro nostra quasi cuiusdam tributi canonem soluat, per quam de captiuitatis suæ compedibus absoluta tripudiat. Aiunt etiam, quia cum in die tremendi examinis arbiter ęternus illuxerit, Angelicis vndique constipatus obsequijs, cunctis etiam elementis tantæ maiestatis horrore permotis, præstò beata Crux vlnis aduehitur Angelorum, & antè cunctorum statuitur ora mortalium, non iam auro, vel margaritis ornata, sed rutilantior Sole, cunctisque sideribus ex virtute diuinâ. Tunc itaque quàm sincero corde, & liberâ conscientiâ antè sublime solium flammiuomi tribunalis assistit, qui seruitutis suæ pensum persoluisse se viuificæ Cruci, per quam de seruo diaboli liber effectus est, recognoscit. His, & aliis argumentationibus sancti fratres sextâ feriâ ieiunandum esse definiunt: & sic crucifixo Domino se quoque crucifixos ostendunt. Et quid graue, si Christianus quilibet vnum animæ suæ diem per hebdomadam tribuit, ad quod agendum pro corporis incolumitate seruandâ dieta quoque medicinalis impellat? Nam Cæsar Augustus, sub quo Saluator ex Virgine dignatus est nasci, sicut quædam tradit historia, vsus consilio medicorum, vno semper abstinebat per hedomadam die; vt alleuiato corpore potuisset vegetus, & incolumis permanere. Ad honorem quoque sanctæ Crucis eodem die Missas celebrant, vt sibi patrocinium Crucis in die necessitatis acquirant.

Cõsule Schol.

Sexta feria ieiunare laudabile est.

Cæsaris Aug. abstinentiæ vsus.

Sabbatum enimuerò, quod requies interpretatur, quo videlicet die Deus requieuisse legitur, satis congruè beatissimæ Virgini dedicatur. Quam nimirum sibi sapientia domum ædificauit, atque in eâ per humilitatis assumptæ mysterium, velut in sacratissimo lectulo requieuit. Cui profectò condignus honor impenditur, exhibentibus proculdubiò certæ defensionis auxilium prouidetur.

Sabbatum cur B. Virgini sit dicatum.

Prou. 9. v. 1.

Quo circà quod fratris mei Damiani tunc Archipresbyteri, deinde Monachi relatione didici, nisi me fallat obliuiosa memoria, fideliter narro. Alter enim frater meus, Marinus nomine, laicus quidem habitu, sed timoratus, spiritu ingrauescente, pulmonis, ac pectoris valetudine tandem ad extrema peruenit. Intereà cuiusdam diei iàm illucescente diluculo, repentè cœpit quasi cuilibet aduentanti gratulabundus aggliscere, iucundanter hilarescere, & festiuâ serenitate vultus alacriter assultare: mox & in verba prorumpens, cum magno animaduersionis impulsu circumsedentes alloquitur: Leuate, inquit, leuate, ac Dominæ meæ reuerenter assurgite; deinde aliorsum mutatæ vocis eloquium dirigens, aiebat: Et quid est, Domina mea, Regina cœli, & terræ, quia visitare dignata es pauperculum seruum tuum? Benedic me; Domina mea, & ne patiaris in tenebras ire, cui lucem tantæ pręsentiæ contulisti. Cùm igitur huiusmodi sermones impleſſet; ecce Damianus, qui scilicet illi, sicut & mihi erat germanitate coniunctus, persolutis Deo nocturnis officiis, ab Ecclesiâ redit. Quid circà fratrem

Damianus Monachus frater S. Doctoris.

Marinus frater alius, & eius ægrotatio, ac felix obitus.

B. Virgo illũ in extremis laborantem inuisit.

languidum ageretur, inquirit. Ille verò certum se quidem de viciná morte testatur, sed mox aduersus assidentes probrosa redargutione conqueritur. Heu, heu, frater, inquit, quam ignaros, quam imperitos, atque irreuerentes habemus, & sine disciplinâ domesticos; & tu vir strenue Bonizo (erat enim illîc inter eos diues quidam huius vocabuli, ille negotiator) quomodò sedere potuisti ad Reginę cælestis aduentum? Venit Regina mundi; & vos assurgere neglexistis? Venit Mater Imperatoris æterni; & vos eius præsentiam ignobilem deputastis? Ad quod Bonizo, Deliras, inquit, adhuc, & ægritudine dementatus, hæc vana profundis; aut verum est fortè, quod loqueris? Nobis certè vana hęc videntur, & friuola. Ad hoc ille. Num ignoratis, ait, quia languor iste, quem patior, numquam alienare mentes ægrotantium consueuit? Firmiter igitur, & absque vllâ prorsus ambiguitate cognoscite, quoniam Angelicis comitata vestigiis beata Redemptoris nostri me Mater inuisit, hilaritatem mihi sereni vultus ostendit: benedixit me, & protinus abiit. Cumque paulòpost ille defunctus esset, senex quidam presbyter, Seuerus nomine, qui nimirum spiritualis eius Pater extiterat, retulit; quoniam longè antè dum vegetus adhuc, & sanitate floreret incolumis, depositis nudatus exuuiis, collo corrigiâ, quâ cingebatur, innexuit: altari se beatæ Dei Genitricis, velut seruile mancipium, tradidit: mox se quasi seruum malum coram Dominâ suâ fecit verberibus affici, dicēs: Domina mea gloriosa, virginalis munditiæ speculum, & omnium norma virtutum, quam ego te miser, & infælix offendi per obscænam carnis meæ putredinem; & eam, cuius tu mater, & auctor es, violaui mei corporis castitatem; nunc itaque, quod solum remedii superest, me tibi famulum trado, tuæ ditionis imperio substrati cordis colla submitto. Flecte rebellem, suscipe contumacem: nec tua pietas respuat delinquentem, cuius intemerata Virginitas perperit veræ pietatis Auctorem. Per istud ergò munusculum seruitutis meæ tibi nunc offero censum, & amodò, ac deinceps quoad vixero certi canonis appendam annuale tributum. Quamdam ergò pecunię summam in altaris crepidine posuit, & sic de misericordiâ, quam quęsierat confisus abscessit. Non igitur fortassis hanc, sed huiusmodi frater meus de fratre narrauit historiam cuius etsi præ obliuione verba non teneo; saltem in quantum mihi possibile est, à relatis quadam similitudine non recedo. Confessionis igitur iste versiculus ad relata, vel referenda mihi cuncta proficiat: meque in quibus ignoranter oberro, coram supernis obtutibus excusabilem reddat.

Martinus se B. Virg. tamquam mancipium offert.

Vt igitur superioribus & inferiora coniungam, noli, noli, pie Pater, in minarũ, quas intentasti, perseuerare sententiâ: noli ægrotanti filio, siue viuẽti siue post obitũ, orationis tuæ subtrahere medicinã. Porrò autem, quia infelix ego dũm viuo, præ desidię torpore non semino, post obitum meum, si superuixeris, de manibus tuis alimoniam spero: quatenus oblationis tuæ sacramẽtum animæ meæ vertatur in epulum, & orationis

tuæ sacrificium mihi vitale sit alimentum. Et quid mirum, si sacræ oblationis hostia refectio creditur esse defunctis, cum in alimenta vertatur aliquando viuentibus etiam in periculis constitutis? Nam venerabilis senex Petrus sacerdos, & monachus, qui iam septuaginta fermè annos sub iure Nonantulani monasterii religiosè vixit, nunc etiam in hac Eremo vitam ducit Angelicam, mihi sæpè narrauit, quod ipse quoque fratrum à Comani lacus confinio venientium relatione cognouit. Ait enim, quia latomi quidam apud Clauennam montem de saxeâ terræ venâ lebetes exculpserant, & expleto labore, iam egressi redire parabant. Quorum vnus dum ferramentum quoddam se per obliuionem reliquisse cognouit, in concauam montis scrobem iacturam suam recollecturus immersit. Sed ecce post se pars specus in minima concidit, eumque lapidea ruderum moles eatenus, vt nequaquam reuerti posset, inclusit. Cumque collaboratorem eius crebris effossionibus socii attentarent, vt vel dilaceratum, atque contritum extincti cadauer educerent, iamque omnis eorum labor incassum cederet, tandem defessi, ac funditùs desperantes ad propria repedarunt. Postmodùm verò nec dum labentis anni prorsus euoluto circulo, amici, vel affines eius quodam intimi feruoris instinctu animãtur, vt eum sollicitiùs quærãt, quatenus ex eius ossibus, vel extrema quædam valeant reperire vestigia. Cum diuersis itaque montem fossoriis adeunt, hinc inde scrutantur, & curiosius obeuntes rimæ latentis aditum quærunt. Egestis itaque non sine graui labore ruderibus, adhuc fodientes anhelant, & excauati montis adhuc viscera penetrant. Cum ecce hominem, quem vix mortuum reperire se posse sperabant, repentè sanum, & incolumem cernunt, eumque velut è sepulchro cùm hymnis, & laudibus exultationis educunt. Cumque requireretur, quo modo sine alimentis tam longo tempore viuere potuisset; respondens, ex quo, inquit, in illâ scrobis angustâ sum cauernâ conclusus, quotidie mihi breuis auicula columbæ similis aduolauit, & in ore suo niuei mihi panis oblatiunculam detulit. Quo videlicet cibo itâ totis visceribus obdulcatus sum, & refectus, vt regalibus, immò cælestibus me delitiis arbitrarer impletum. Solo autem vno die, quoniam ad me dapifera mea consueta non venit, intolerabilis me famis inopia cruciauit. Vxor enim eius quotidie fecerat pro eius animâ sacramentum hostiæ salutaris offerri; vno autem die inhorrescente brumalis inclementia temporis, attingere limen Ecclesiæ supersedit. Quapropter illis mutuo conferentibus liquido patuit, eum illo die signanter inediâ tabefactum, quo pro ipso non fuerat sacrificium laudis oblatum.

Orationes & suffragia sunt alimenta defunctorum.

Petrus sacerdos ex monacho Nonantulano eremita.

Fossor saxorũ ruderibus per annum obrutus, viuit propter Missæ sacrificium.

Sed nec illud silentio dignum duco, quod Atto piæ memoriæ Auximanus ciuis, prudens videlicet, & honestus vir, me præsente, narrauit. Mulier, inquit, quædam, obeunte viro, vidua remanens, in quodam presbytero magnam spem de præfati viri sui salute posuerat, eique per domesticam famulam crebræ satis oblationis exenia dirigebat.

Exemplum mulieris, quæ defuncti viri animam, eleemosyna redimere conabatur.

Per eam semper obsecrans, vt defuncti sui dignaretur habere memoriam: quod ille non difficile promittebat, verumtamen auarus, & tenax numquam benedictionem mulierculæ, vel ex his, quæ ipsa detulerat, porrigebat. Vnde factum est, vt eam tàm crebri iam tæderet itineris, & accusaret intra se tenaciam sacerdotis. Post multa quadam die per eamdem piorum munerum baiulam misit eadem matrona presbytero gallinam coctam, subcinericium panem, & vasculum vini. Igitur dum illa casu tunc solito propensius esuriret, & querelam cordis, cogitationisque tumultus illa aduersus presbyterum sustineret, hùc illùc omnia vndique circumspiciens, in remotioris secessus angulum cauta diuertit, ipsaque sibi discumbens, pariter & assistens, quæque portabat inhianter vniuersa consumpsit. Mulier igitur cibo, potuque refecta, mox lætitiâ cordis exultans, caput terræ prostrauit: deinde se subrigēs, ad cęlum manus extendit, & in vocem huius orationis erupit: Deus, inquit, omnipotens, qui das escā omni carni; sicut caro mea refecta est hoc cibo corporeo; ita per misericordiam tuam hodie & anima Domini mei satietur in paradiso. Regressa igitur ad dominam suam mulier, quid responsum sit à sacerdote, requirit; illa verò gratias egisse, & circa defunctum vigilantiam promisisse testatur. Proximâ nocte per visum adest vir, vxori de pridianis muneribus gratias egit. Cumque solerter inquireret, quid circà se dispositionis esset, vtrum scilicet eum pœna constringeret, an ei quæuis, vtinam, prosperitas arrideret. Respondit: vsque heri malè mihi fuit, sed & inter cætera meæ calamitatis incommoda grauius me fames afflixit. Heri verò, te præbente conuiuium, splendidè refeci: ac funditùs fame consumptâ, largis alimentorum dapibus abundaui. Et his dictis præsto disparuit. Cumque mulier euigilasset, ac de viri sui verbis sollicitè pertractare cœpisset, non mediocriter mirabatur, cur ille dixeris hesternum se tantummodò ab ea percepisse conuiuium, quandoquidem illa sacerdoti frequentissimè direxisset exenium. Igitur altiori pertractans viri verba consilio, intellexit non sine mysterio esse, quod dixerat. Vocans autem famulam, districtè cœpit inquirere, de exenio quid egisset, vel quid præsbyter respondisset. Cumque illa terrore concussa, modo hæc, modo illa confingeret: & veritate suppressâ, per ambages, & commenta quædam non procedentia palpitaret; Domina verò fidem non adhibens, dura prorsus, & aspera minaciter intentaret: Illa demùm necessitate constricta, tandem quod in re erat, aperuit: & se, quæ detulerat, comedisse, & pro Domino suo preces fudisse confessa est. Hoc igitur ita, vt factum est, quantocyus per populi ora depromitur, & celebri per regiones relatione vulgatur: multorumque testimonio definitum est, quod vtilior est, & fructuosior eleemosyna pauperum, quam quælibet oblatio tradita manibus carnaliter viuentium sacerdotum; quando quidem defunctus ille & quod presbytero datum est, ignorauit; & quod a pauperculâ muliere perceptum est solemne conuiuium, sensit. Eleemosyna quippe animas hominum

Psal. 135. v. 25.

Fructuosior est eleemosyna pauperibus data, quam oblatio a sacerdote carnali celebrata.

in tenebras ire non patitur, terrenisque munusculis siderea regna mercatur. Vnde nonnulla in nostris partibus Monasteria præclaram nupe institutionis normam sibimet indiderunt, vt præter cætera pietatis opera, etiam tres pauperes cum priuata mensa iuxta se semper Abbas habeat, eisque singulis mensuram cibi quiuis habet frater apponat. Nam cum regularis norma pręcipiat, vt Abbatis mensa semper sit cum hospitibus, hoc modo nouiter vtrumque completur; vt & Abbatis mensa non superbis sæculi, sed sanctis hospitibus hęreat, & ipse conuesci fratribus non omittat. Enimuerò, vt copiosiora in pauperes alimenta proficiant, dantur in Monasterijs, & Eremis decimæ quorumque prouentuum, & non modo pecorum, sed & ornicum, pariter & ouorum, Deuotioni quoque defunctorum hoc nouiter superaddunt, vt charioribus quibuscunque defunctis octauas semper anniuersarias faciant; & non vno tantum depositionis die, sed per † ogdoadam potius annualis sibi memoriæ vota persoluant. Et suggero, atque humiliter peto, vt ipse notum hoc eorum, quæ prędiximus, arripias institutum: nec a minimis fratribus mutuari dedigneris exemplum. Melius est certè Doctoribus à discipulis discere, quam superbè, quæ recta sunt, ignorare. Honestius est maiori, vt quæ nescit addiscat; quam quæ discenda sunt, nesciat. O gloriosa virtus humilitatis, per quam homo verè discipulus efficitur Saluatoris! Discite, inquit, a me, quia mitis sum, & humilis corde. Hæc est enim virtus, per quam suaue Deo sacrificium, & magister impensi laboris instantiam, & discipulus suam exhibet clientelam.

S.Ben. Reg. cap. 56.

† hebdomadam f.

Discēdum est ab inferioribus, non modo a maioribus.

Matt. 11. v. 29.

A venerabilis planè Cluniacensis Cœnobij fratribus didicisse me contigit insignia duo sanctę humilitatis exempla, quorum vnum non mediocriter quosque prælatos, alterum valet ædificare subiectos. Marcuardus certè eiusdem Rector Ecclesiæ Maiolum sibimet substituit, & grandæuæ iam senectuti suæ quietis otium procurauit. Hic itaque dùm priuatus in infirmorum maneret ædicula, quadam aduesperascente die caseum petijt, quem Cellerarius pluribus, vt fieri solet, intentus, non modò dedit, sed & duris insuper ministrum eius responsionibus fregit. Conquestus est abbatum turbam, nec posse se tot dominorum perferre molestiam. Quo senex audito, non mediocre scandalum pertulit: & quia lumen oculorum prorsus amiserat, dolor in eius corde tenacius hæsit. Nam quo cæcus a visibus vacat, eò quidquid audierit, in corde subtilius versat: & quia per exteriora quæque non spargitur, interiori zeli stimulo truculentius inflammatur. Manè verò facto, ministro suo, vt sese ad manum in Capitulo duceret, iussit. Adductus autem, talibus Abbatem aggressus est verbis: Frater, inquit, Maiole non ego te super me vt me persequereris imposui; nec vt tamquā emptor mācipio dominareris; sed vt reuerà Patri filius compatereris, elegi. Et post huiusmodi multa propemodum commotus adiecit: Es ne, quæso meus Monachus? Quo respondente, sum, tuumque me non magis fuisse,

Marcuardi Abbat. Cluniacen. quodnam Maioli obedientiæ experimētum fecerit.

Audit' supplet videndi defectum.

Mira obediẽtia Maioli Cluniacensis Abb.

quam & nunc esse profiteor. Et ille, Si meus, inquit, es monachus, protinus cede sedi, & locum, quem antè te noueras, repete. Quo Maiolus audito, repentè surrexit, humilem locum, prout iussus fuerat, expetiuit. Marcuardus itaque quasi postliminiò reuersus, vacantem occupat sedem, Cellerarium, cui fuerat infensus, accusat, quem mox terræ prostratum duriùs corripit, tandemque modum pœnitentiæ, qui sibi videbatur, iniungit. Perfunctus itaque tam longi tribunatus officio, præstò dethronizatus assistit: Maiolo vt ad suam sedem redeat, præcipit. Ille confestim nil cunctatus obedit.

In hoc igitur sancto viro euidenter ostenditur, & veræ virtus obedientiæ, & monachicę mortificatio disciplinæ. Verè in eo cernitur & imperialis patientię dignitas, & Apostolicæ humilitatis regnare maiestas. Iussus enim Prioratus officium abijcere non contempsit; iussus recipere patienter, & humiliter obediuit; vtrobique sibimet mortuus, & consummatæ obedientiæ loro constrictus, dùm alienis omninò se substrauit imperijs, nulla proprij sensus in se viuere vota permisit. Sed quoniam tanta beati viri humilitas sterilis esse non potuit, quod prius de Spiritus sancti rore radix ipsa concepit, prorumpentium ramorum germen pullulando diffudit. Vir itaque Domini venturus aliquandò Romam, pręcepit cuidam fratri, vt secum pergeret, quia sicut rogatus fuerat eum in monasterio S. Pauli Priorem constituere decreuisset. Ille verò nonnulla difficultatis obstacula reluctatus opposuit, & modò hoc, modò illud, tandem obstinatus obedire contempsit. Maiolus autem inobedientiam fratris æquanimiter tulit, eoque relicto, itinere, quod decreuerat, commeauit. Cumque frater in monasterio per inobedientiam remansisset, & reliqui fratres in eum vehementer inueherent, ac tam obstinatæ duritiæ peruicaciam vnanimiter increparent, tandem ad cor reuersus, aduersus propriam voluntatem in arma congreditur, salutaris obedientiæ telis accingitur, & mox supernæ gratiæ feruore succensus beati viri vestigia perniciter comitatur. Sed dum ille nesciens cœpto itinere graditur; hic verò post eum festinanter accelerat, & anxius, ac repentinus anhelat. Mox ad quemdam fluuium peruenit, cuius vir Domini iam vada transierat, & super ripam adhuc alteram consistebat. Cum itaque Monachus in citeriori se fluminis crepidine figeret, quoniam absente nauigio, transitum non haberet, videns procul astare magistrum, quod solùm potuit, præstò corruens in terram, se humiliter strauit; & quia veniam deprecans, per oris organum forte non posset audire clamorem, de toto corpore linguam fecit. Quod dùm eminus Maiolus aspexit, quid hoc esset, incunctanter agnouit, moxque misso remigio, transferri ad se monachum fecit. Quem præstò vir Dei ad quid venisset, inquirit; at ille simul & de præteritis veniã deprecatur, & impleturum se de cæteris quidquid iniungeret, pollicetur. Tunc ille: Vis, inquit, absque dubio pœnitẽtiam? Quo respõdente volo, protinus addidit: Huic igitur osculum præbe. Nam casu tuberosæ cutis

Monachus Cluniacensis ex inobediente obediens factus, leprosum osculo sanat.

illic leprosus astabat. Ille confestim in eius osculum ruit, moxque lepra mūdati corporis prorsus euanuit. Sic sancta obedientia fructū suæ humilitatis inuenit, dummodò veniam se corrigendo promeruit, sed & signum insuper tam perspicuæ virtutis ostendit. Et cui superbia pæne potuit apostaticam inferre perniciem, humilitas dedit Apostolicam exhibere virtutem. Obedientiæ mira vis.

Hæc omnia, venerabilis Pater, non sine magno timore describimus, ne vel per obliuionem propriam, vel per infidæ relationis audaciam à veritatis linea quantumlibet declinemus. Quamobrem hæc nos non constanter astruimus; sed quia velut sub hoc relationis ordine ad nostrā fuerint perlata notitiam, opinamur. Verùm quisquis obedientiam prædicat, illi summopere cauendum est, vt eum nota rebellis inobedientiæ non inurat. Nam vbi distat opus à labiis, fœdatur nomen auctoris. Quoniam qui idipsum, quod ore statuit, factis oppugnat, legem proculdubio destruit, quam promulgat. Quapropter ipsum obedientiæ deprecor, & humilitatis Auctorem, vt in proximo dignetur à me huius infamiæ probra repellere, meque permittat hunc Prophetæ versiculum in Casinensis Cœnobij foribus decantare; Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa; quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum. Esai. 52. v. 6.

EPIST. XV. Ad eundem Desiderium Abb. & Card. eiusque Monasterij Monachos.

ARGVMENTVM.

Hac Epistola tota exemplis admirandis referta est, quæ vno nomine miracula appellantur, quæ magnam vim ad inflammandos animos ad virtutem, à vitiisque deterrendos habere, certissimè constat.

Domno Desiderio Archangelo Monachorum, ac cæteris sanctis Fratribus, Petrus peccator Monachus deuotissimi famulatus obsequium.

CVm in meo pectore tuæ charitatis ardor inextinguibiliter ferueat, meque circa tui memoriam tepescere non permittat, mihi nuper aliquid in memoriam venit, quod me mittendæ tibi legationis admonuit. Nam dùm in tui contemplatione sedulus habitarem, & Angelico Fratrum, sanctoque Conuentui, sic in cordis obtutibus, velut corporaliter interessem; inter alia multa repentè tuarum recordatus sum litterarum, quas tu quidem sub interrogatione misisti; sed his ego Synodali præpeditus instantia adhuc nō respondi. Et hæc in illis, si reminisci-

Quæstio B. Doctori proposita de zelotypam muliere.

valeo, continebantur epistolis: quia zelotypa quædam mulier habens virũ ex adulterij fraude suspectũ, qualiter eum sibi vindicare posset proprio toro contentum, à vicina petiit muliere consiliũ. Quæ nimirũ peruersa, & vltricibus flãmis euidenter obnoxia, hoc eã sacrilegiũ venenata serpentis antiqui suadela perdocuit; vt corpus Dominicũ quasi cõmunicatura perciperet, quod cautè reseruans, viro suo postmodũ non sine quibusdã maleficiis propinaret. Quod videlicet à Sacerdote perceptũ, & vsque dum occasio præberetur, palliolo reseruatum, non sine magno dedit stupore miraculũ. Hęc enim particula Dominici Corporis inuenta est vsque ad medietatem in carnem esse conuersam; altera verò medietas panis speciem non mutauit. Itaq;, si ritè reminiscor, hoc proposuisti: deinde quid portenderet, inquisisti. Super qua quęstione, quia nõ necesse est, diutius immorari, breui compendio quid mihi videatur expediam. Nã iccircò Deus omnipotens sacrosanctũ illud mysteriũ in carnis speciem vertit, vt perfidiam reprobæ mulieris argueret, dũ visibilem Dominici Corporis ostenderet veritatẽ: quatenus quæ purum panem, vt videbatur ante credebat, verę carnis speciem cerneret; sicque sacrilegam cœpti sceleris audaciam suo ipsa iudicio condemnaret. Quod autem medietas sic remansit, ad euidentioris indicij testimonium proficit; vt dum in vna, eademque substantia hinc panis, illinc carnis adesse consideras speciem; in vtroque veræ carnis, verique panis indifferenter intelligas veritatem; quia & ipse est panis, qui de cælo descendit: & ipsa nihilominus caro, quæ de virginalis vteri materia prodiit.

Egregia quæstionis solutio.

Ioan. 6. v. 41.

Nam & vester ille finitimus piæ recordationis Amalphitanus Episcopus, nomen nescio, Stephano Romano Pontifici, me præsente, sub iureiurando sæpè testatus est; quia cum aliquandò ad mensam Domini sacrificaturus accederet, sed super Sacramẽto Dominici Corporis incredulus hæsitaret, in ipsa confractione salutaris hostiæ, rubra prorsus, ac perfecta caro inter eius manus apparuit, ita vt etiam digitos illius cruentaret, sicque sacerdoti omnem scrupulum dubietatis auferret. Vbi notandum, quàm sit immane periculum, indignis manibus attrectare tàm terribile Sacramentum. Sed quid de Sacramentis ipsis eloquimur, cum etiam super eos aliquando, qui ex eorum vasis offendunt, terribiles fieri sententias videamus?

In Episc. Amalphit. vera Domini præsentia in Sacramẽto manifestatur.

Arnaldum certe Aretinæ sedis Episcopum tu quoque familiariter agnouisti. De hoc mihi Martinus eremita, magnæ scilicet opinionis vir, ac celebris famæ narrauit: Quia ex quodam sui iuris monasterio calicem aureum abstulit, & quibusdam imminentibus necessariis, alienauit: cui nimirum calici nobilis, ac deuota mulier, quę eum Sanctis obtulerat, anathematis titulum, ne ab aliquo tolleretur, prouidè fecit insculpi. Interea cuidam fratri sopore depresso, videre contigit quemdã lacum nimii caloris ardore feruentem, & piceos, sulfureosque fœtores non sine tetri fumi voluminibus exhalantem. Circà quem lacum tetertimi quidam velut Æthiopes, nigris similiter equis, sed excelsis instar

Terribile exẽplum Arnaldi Episc. Aretini calicem Dominicum alienantis, & ab Ecclesia subtrahentis.

turrium, insidebant. Intus autem innumerabilia crudelium tortorum monstra: damnatorum verò videbantur horribilia, ac diuersa supplicia. Inter quos subitò contigit, vt etiam Arnaldum videret Episcopum, quẽ videlicet in illis præ nimietate caloris exundantibus aquis ceruicetenus immersum, terribiles duo Æthiopes constringebant, quorum alter sartaginem ferream, alter calicem aureum in manibus habere videbatur; sed iste cum sartagine calicem replebat aqua, & ille labiis Episcopi protinus eumdem calicem apponebat, eumque funditus ebibere compellebat. Sic itaque numquam cessabant, & ille poculum labiis hiantis immergere, & iste coactus indesinenter haurire. Quid multis immoror? Hanc visionem audiuit Episcopus; vt monasterio restituat calicem, ab amicis omninò suggeritur. Ille sub fortassis ambiguo reddere pollicetur. Sed dum res in crastinando differtur, immò dùm circà salutem suam ille non vigilat, cælestis super eum sententia non dormitat. Nam & B. Petrus de his, qui fictis verbis in auaritia negotiantur ait: Quibus iudicium iam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat. Quadã itaq; die tertia propinquante iam hora, in castelli, vbi erat crepidinẽ, sellã præcepit afferri, vt surgentis calorem Solis exciperet, ac matutini frigoris reliquias propulsaret. Cumque residenti domestici sui, serui, atque contubernales assisterent; & ille securus, hilaris, ac iucundus, faceta cum eis, & vrbana verba misceret; subitò repentinus dolor in eius verticem, tamquàm gladius, irruit; eumq; morior, morior, exclamare coëgit. Mox baiulantibus necessariis defertur ad lectulum; mysterium sacrosanctæ communionis accepit, ac spiritũ protinus exhalauit. Timeat ergò quisquis, vel Ecclesiastici mysterij vtensilia distrahit, vel tremendi anathematis elogium paruipendit; ne dum quasi securus ambulat, latentis eũ iudicii laqueus comprehendat. Heu miserabilis valde, & infælix humana conditio! Certè præfatus Episcopus, licet in hoc sibi negligentiæ torpor obrepserit, aliàs tamen acutus erat, ingeniosus, & cautus, tantæq; facundiæ, vt dum expeditissimè in verbis decurreret, circumcisus labiis dici non immeritò potuisset. Sed cum Apostolus dicat: Prudentia carnis, mors est: prudentia spiritus vita & pax; quid prodest, si quispiam sæculi huius prudentia calleat, si ingenii viuacis obtutibus abdita comprehendat, si versuta calliditate, tamquam Proteus, in varia se formarum monstra conuertat?

1 Pet. 2, v. 5. Arnaldi Episc. Aretini mors repentina.

Rõ. Pont. anathema iustè timendum.

Rom. 8, v. 7.

Intereà sub huius occasione sermonis, illud in memoriam redit, quod olim Tedaldus Episcopus prædecessor istius, in festiuitate B. Donati constitutus in pulpito, sermoni, quo concionabatur, adiecit. In Longobardiæ, inquit, finibus, vnde originẽ duco, vir erat versipellis ingenii, & acutissimæ subtilitatis, duplex animo, sermone lepidus, concinnãdis, fabricãdisq; cõmentis edoctus, in reperiẽdis, ac variãdis consiliis vehemẽter astutus. Nũquã erigebat brachia contra torrentẽ, sed ex quocumque latere mundani turbinis eum aura proflaret; ille protinus aptum calliditatis, atque versutiæ pallium opponebat. Accidit autem, vt hunc post

Aliud terribile exemplum Tedaldi Episcopi.

Visio terribilis cuiusdam fratris.

obitum quidam frater nocturna visione cõspiceret. Lacus erat igneus, qui flammiuomis vaporabat incendiis, & crepitantibus ignium globis terribilem cernentibus incutiebat horrorem; quem lacum trabalis enormitatis videbantur obsidere dracones, variaque serpentium genera, hinc inde per circuitum spatiari. Vir autem ille, quem diximus, in ipsa flammarum stridentium voragine coarctatus, tentabat quidem effugere, sed obstantibus bestiis, dolebat aditum non patere. Modò scilicet ex hac parte fugam parabat; sed ecce serpens obuius aderat. Per aliam partem erumpere satagebat; sed ecce rursus alia bestia laxo gutture stridens, iter occluserat. Ille rursus & alia ad euadendum loca tentabat, sed insurgentibus bestiis, omninò meatus aufugij non patebat. Porrò autem cum Veritas dicat: Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis; hoc illi iusto Dei iudicio contingebat. Sicut enim ille per carnalis astutiæ vanitatem, ex quibuslibet huius sæculi se nouerat laqueis expedire; ità postmodum versa vice nullo valebat ingenio supplicium, quo cruciabatur, euadere. Qui nimirum si prudentiam, qua callebat, in diuinis studuisset exercere mandatis, non cremaretur inter rabida ora serpentium, sed gauderet potius inter agmina Beatorum.

Matt. 7. v. 2. Mar. 4. v. 24.

Aliud exemplum cuiusdã nõ dantis honorem loco sacro.

Vnum planè contigit in nostris partibus de quodam carnaliter sapiẽte, quod dignum non est silentio præterire. Fanensis quidam Primarius ciuitatis, Hugo nomine, ipsa nocte, quæ peracta Parasceue, sacrosanctum Sabbatum Dominicæ sepulturæ præcedit, cum armis, & armatis ingressus Ecclesiam, in qua diuinis vacabatur officiis, perosum sibi violenter hominem cœpit, ac vinculis crudeliter mancipauit. Quem quia noua præsumpsit, nouo Deus omnipotens supplicio condemnauit. Nã cum sensum mentis, in quantum mihi videtur, integrum teneat, omnes eũ tãquam vęsanum, exinanitum, atq; deméte conspuunt, abiiciunt, & exprobrant. Halitũ quippè eius, iuxta querelã B. Iob, vxor exhorret, eũq; velut arreptitiũ nurus explodit, ad mensam, siue colloquium filius non admittit, auertũt oculos famuli, dedignantur amici, clientes, milites, affines, atque propinqui: Episcopus etiam ciuitatis; &, vt compendiosè cuncta complectar, omnis clerus, & populus iam ferè per duodennium arbitrantur eum mentis impotem, & vęsanum, nullumque cum eo, tãquam energumeno, dignãtur habere consortium. Porrò cum diues sit, & exuberãs domus eius, fluunt pannosæ, & illotæ vestes, horret inculta cæsaries, caput eius diuturni sudoris fœtet iniuria, corpus totum per lõgam sordet incuriam. Hic planè, cùm me adesse cognosceret, me concitus adiit, mala, quæ patiebatur, exposuit, querelam de suis sobrio sermone digessit, & (quantum ex tenore verborum eius colligere potui) rationabiliter declamauit. Itaq; cõueni filiũ, Episcopũ quoq; ac de ciuitate quãplurimos, & subtiliter inquisiui, quid inordinatũ, quid delirum, quid ineptum in illo conspicerent, pro quo illi vęsaniam imputarent. A quibus vtique nihil aliud, & ne vnũ quidẽ certi signi verbũ addiscere

Iob. 19. v. 17.

potui,

potui, nisi hoc tantum, quia demens est: quod omnes ore consono vnanimiter asserebant. Cumque ego dicerem: Quomodo id scitis, quibusve indicijs eum insanire conijcitis? Nihil aliud inueniētes, idipsum denuò replicabant: Demens est. Quod mihi videtur profundum atque admirabile Dei Omnipotentis esse iudicium; vt qui prudens, & sciens sponte desipuisse cognoscitur: prudens, & sciens opinione væsaniæ puniatur: & qui sponte factus est furiosus, demens ab omni populo iudicetur inuitus. Meritò contrà votum adiudicatur insaniæ, qui voluntate propria conatus est insanire. Enimuerò si veraciter fureret, eò minus miser esset, quò despectus sui mala, quæ patitur, ignoraret. Non est itáque sicut mortuus sæculi, qui non sentit; sed sicut mortuus est inferni, qui iugiter moritur, & mortem ipsam sentire non desinit. Saluo nempe illo terribili in mundi fine iudicio, nunc etiam omnipotens Deus non modò crudelia quælibet facta, sed & superba, siue sacrilega, prout dignum est, vlciscitur verba. Vindicauit siquidem, quod Balthasar sacra vasa temulentus indignè tractauit; nec dimisit inultum, quod Nabuchodonosor arroganter elata verba deprompsit. Nonne inquit, hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloriam decoris mei? Et ecce, sicut Propheta testatur, cum adhuc sermo esset in ore regis, vox de cælo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex, Regnum transijt a te, & ab hominibus te eijcient, & cum bestijs, atque feris erit habitatio tua. Puniuit præterea Dominus Sedechiā Regem Iuda, qui per reprobos actus Dei mādatum cōtépsit. Vltus est etiam Ananiam Prophetam, non quia malum fecit, sed quia mendacium protulit. Cui Hieremias, Non, inquit, misit te Dominus, & tu confidere fecisti populum istum in mendacio, iccirco hæc dicit Dominus: Ecce emittam te à facie terræ, hoc anno morieris.

[Compos mētis iusto Dei iudicio insanus reputatur.]
[*Psal. 142. v. 3*]
[Etiam verba vlciscitur Deus.]
[*Dan. 5. v. 30*]
[*Dan. 4. v. 27*]
[*Ibid. v. 29*]
[*2 Paral. 36. v. 17.*]
[*Hier. 28. v. 15*]

† Nouis quoque temporibus accidit, vt in Burgundiæ regno quidam Clericus esset, superbus nimis ac tumidus: & non modo carnali vitæ sæculariter deditus, sed & contrà suum ordinem terribiliter bellicosus. Hic itáq; cùm Ecclesiā B. Mauritij multis inclytam prędijs, suis ditionibus vsurparet, potens autem quidam è diuerso sui iuris esse, non sine magnâ liuoris, atque certaminis animositate contenderet, tandem belli dies vtroque paciscente, statuitur, & à multis hinc inde frementium armatorum agminibus conuenitur. Potens autem ille, quem diximus, nuncium ad hostilia castra direxit, qui & apparatum belli solerti speculatione perpenderet, ac sibi celeriter nunciaret. Fortè tunc Clericus Missam cum his, qui dimicaturi erant, suis fautoribus audiebat. Cumque ad Euangalium veniretur, in fine lectum est: Omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur. Illicò Clericus in hanc sacrilegam vocem proteruus erupit: Hæc, inquiens, sententia vera non est; nam si ego me meis aduersarijs humiliter inclinassem, hodie tot possessionum, atque clientium copias non haberem.

[† Nostris f. Clerici pugnacis, insolentis, & blasphemi cædes.]
[*Matt. 23. v. 13*]
[*Luc. 14. v. 11 & 18. v. 14*]

Reuersus autem nuncius Domino suo fideliter retulit, nō modò quod in bellici procinctus apparatu conspexit, sed hoc etiam, quod in ore Clerici tumidè loquentis audiuit. Tunc ille plaudens in Domino lætus efficitur, atque ad spem proculdubiò obtinendæ victoriæ milites cohortatur. Cōglobatis itaque diuersorum cuneis armatorum, ex vtraque parte pugna committitur, vires viribus opponuntur, depressa telorum silua deponitur, & humanis inflicta corporibus arma grassantur. Habebat autem Clericus equam, quam videlicet præliaturus ascenderat, tantæ velocitatis, ac roboris, vt nullus sibi videretur equus, aut mulus ad dimicandum posse præferri. Casu, immò Deo disponente, contigerat, quod præcedenti nocte iumentum illud stabulo solutum abscederet: aceruumque salis inueniens, ex eo plurimum comederat. Clericus itaque dum in acie constitutus, super aquæ riuulum deueniret, ibique cominus aduersantium armis arma conferret, iumentum vt erat assumpti salis copia sitibundum, frænum de manu Rectoris violenter extorsit, suisque totum viribus vindicauit, ac præstò caput in aquam ad bibendum inhianter immersit. Ille verò, dum eâ manu, qua scutum tenebat, cum iumento confligit, hostilibus iaculis faciem coactus exponit: & ecce repente gladius os eius fulminis more transfixit, talique vir reprobus vitam suam fine conclusit. O quam congruè in illa pertulit corporis parte vindictam, quâ nigri fellis in Dominum vomuerat blasphemiam! Et cum Propheta de talibus dicat: Filij hominum dentes eorum arma, & sagittę, & lingua eorum gladius acutus, qui linguam suam & dentes aduersus Deum gladij more vibrauit, dignè per eadem membra materialis gladij pœnas exsoluit. Isti planè cōtigit, quod Dominus in Euangelio dicit: Quia super decem, & octo homines turris Siloë cecidit, & occidit eos. quem verò mysticè turris illa significat, nisi illum, cui Psalmista decantat: Deduxisti me, quia factus es spes mea, turris fortitudinis à facie inimici? Huic enim expositioni ipsum quoque Siloë nomē adgaudet. Siloë siquidē interpratatur, Missus. Haud dubiū quin sit ille, qui dicit: Qui me misit, mecū est. Et ibi cæcus a natiuitate lumē accipit ab eo, qui ait: Ego sum lux mundi. De casu istius turris alibi sub figurâ dicitur lapidis: Omnis, qui ceciderit super illum, confringetur, supra quem verò ceciderit, conteret eum. Super hanc turrim, siue lapidem, cadit homo, atque confringitur, cum per fragilitatem aliquam peccat, sed eius super se ruinâ conteritur, cùm superbè blasphemat. Turris ergò Siloë super hunc Clericum cecidit, & sicut blasphemando meruerat, omninò contriuit.

Pœna superbi Clerici. *Psal. 56. v. 5.* *Luc. 13. v. 7* *Psal. 60. v. 4* *Nominis Siloë interpretatio.* *Ioan. 8. v. 29. & 9. v. 5.* *Matt. 21. v. 44*

Et quid mirum, si grauia nos peccata tormentis addicant, cum subtile Dei iudicium impunita etiam minima non relinquat? Immo quid nouum, si reprobæ locutionis sacrilegium damnat, cum ipsa quoque laudis suæ præconia, nisi dignè sint deprompta, contemnat? Adraldi nempe prudentis, & religiosi viri, qui Bremetensi præeminet monasterio, didici relatione quod scribo, quod etiam inditum litteris esse dicebat: Clericus, inquit, Coloniensis Ecclesiæ vadum fluminis transibat,

Deus nullum peccatum impunitum relinquit. *Adraldus Abbas monast. Bremetensis.*

& ecce B. Seuerinus eiusdem Ecclesiæ nuper Episcopus equi eius habenas apprehendit, eumq; retinens, sistit. Cúque ille in stuporem versus, & grauiter admiratus, cur illic tam clarus, & tam celebris famæ vir moraretur, inquireret; Da mihi, ait, manum tuam, & quę circà me sunt, non auditu disce, sed tactu. Cúmque datam manum fluctibus Episcopus impressisset, tátus eam ardor absorbuit, vt vndique carnes eius resolutæ diffluerent, & ossa nuda vix hærentibus articulis remanerent. Ad quem Clericus, † nomen, inquit, tuum in tantâ benedictione sit apud nos, & fama tua consonis totius Ecclesiæ præconijs celebretur, cur te pestilens hæc vorago constringit, tantóque, proh dolor! incendio cruciaris? Ad quem sanctus Episcopus, Nihil, ait, aliud in me remansit vltione plectēdum, præter hoc tantum, quia dum in aulâ regiâ constitutus, Imperialibus me consilijs vehementer implicui, Canonicæ synaxis officia per distincta horarum spatia non persolui. Manè quippe simul omnia coaceruans, totâ die negotijs ingruentibus securâ libertate vacabam. Ob hác itáque negligentiam horarum, ardoris huius fero supplicium. Tu verò Omnipotentis Dei clementiam humiliter implora, vt manum tuam in salutis pristinæ restituat statum. Quod cum factum fuisset: Vade inquit, fili, obsecra fratres nostros Ecclesię Clericos, & alios spirituales viros, vt pro me preces fundant, indigentibus subsidia fundant, sacrificiorum votis insistant. His enim peractis, ego mox de vinculo pœnę huius indubitanter expediar, & expectantibus me beatorum ciuium choris lętus adiungar. Quod certè magnam nobis debet inferre formidinem, quia cùm sanctum virum vni culpæ dumtaxat obnoxium, tam intolerabilis Purgatorij pœna constrinxerit, væh, væh, quæ mihi, meisq; similibus est inferenda sententia, quos tot reatuum prolixitas grauat? Distinguenda sunt ergò per momenta temporum Ecclesiasticæ institutionis officia, & sub magnâ diuini timoris, ac reuerentiæ dicenda sunt disciplinâ, ne dùm psallimus, fructum spiritus cum carnis desidiâ misceamus. Quid enim prodest, hostiam Deo laudis offerre, & per torporem negligentiæ fœdis eam cogitationibus inquinare? Hanc porrò boni, maliq; mixturam locus ille significat Euangelicus vbi dicitur: Quia docente Domino, aderant quidam ipso in tempore nunciantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit, cum sacrificijs eorum. Nam quia Pilatus os malleatoris interpretatur, quid per hunc, nisi diabolum debemus intelligere, qui paratus est semper homines offensionum ictibus verberare? Vnde & virgam super humeros hominum tenere dicitur per Prophetam: Virgam, inquit, humeri eius superasti, sicut in die Madian. Quid verò sanguis, nisi peccata? Quid sacrificia, nisi rectas, & acceptabiles Deo significant actiones? Pilatus ergò Galilæorum sanguinem cum sacrificijs miscuit, quia malignus spiritus vel orationes nostras prauis cogitationibus polluit, vel opera bona peccati cuiuislibet attaminatione corrumpit, vt sanguis sacrificium polluat, dùm reatus offensio oblatam Deo recti operis victimam fœdat,

S. Seuerini Colonien. Archiepisc. purgatorium ob intempestiue coaceruata Horarum Canonicarum officia.

† Cum adde.

Preces, & sacrificia pro ijs, qui in purgatorio cruciantur.

Ecclesiasticæ institutionis officia momentis temporum sunt distinguenda.

Dei laudes fœdis cogitationibus nō sunt inquinandæ.

Luc 13. v. 1

Pilati nominis etymon.

Isai. 9. v. 4

Gen 15. v. 11

Vnde scripum est: Quia cum Abraham Deo sacrificium de pecoribus, ac volucribus deuotus offerret, descenderunt volucres super cadauera, & abigebat eas Abraham. Quid enim exprimunt volucres, nisi reprobos spiritus per aëra volitantes? Volucres ergò à sacrificio nostro repellimus, cum operum nostrorum victimas à malignis spiritibus eas fœdare tentantibus, prouidè custodimus.

Quid per volucres sign.

Adraldus Abb conuiator S. Doctori in regno Burgundiæ.

Idem sanè, quem prędiximus, Adraldus, dùm in Burgundiæ regno mihi conuiator incederet, in hoc, inquit, loco, per quem nunc transitum habemus, aliquid contigit, quod si dicimus, non videtur otiosum. Frater quidam nostri Cœnobij (haud dubium quin Cluniacensis) piæ mentis, & rectę conuersationis vir, hinc aliquandò transibat; & ecce crinitus quidam, quasi ex Hierosolymitana peregrinatione deueniens, palmam ferebat in manu. Cumque peregrinus, & Monachus inuicem obuij sese altrinsecus pertransissent; ait ille: Completorium in lecto, nec salus est, nec profectus. Quod frater audiens, admiratus expauit, ac repente post terga respiciens, eum videre non potuit. Mox enim vt verbum protulit, omninò disparuit. Ille verò ad conscientiam mox reuersus inuenit, quia pridiano vespere lassus de viâ redierat, & fessa in lectulum membra proijciens, iacendo Canonicas horas compleuerat. Vtrùm ille Angelus fuerit, an reuerâ, sicut videbatur, homo, Dei ducimus relinquendum esse iudicio.

Completoriũ in lecto nec salus est, nec profectus.

Ioan Prior Monasterij Fontis Auellani.

In hac etiam eremo fontis Auellani, vbi nunc habito, Prior quidam fuerat, nomine Ioannes, qui lentis quibusdam infirmitatibus macilentus videbatur semper, & gracilis. Hac itaque sui corporis imbecillâ tenuitate confisus, sæpe iacens in lecto Completorium decurrebat. Accidit autem, vt dæmoniacus quidam non procul abesset, qui multa hominum secreta, & obscęnos actus impudens propalaret. Cûmque prętatus Ioannes dæmonem exire præciperet, & quibusdam exorcismi quæstionibus flagellaret; Tu ne, ait, ille es, qui sub † cotto quotidie Completorium insusurras: & modò me quasi Sanctus eijcere, & iuris mei vasculum de meo vis dominio liberare? Hoc audito, frater erubuit, quia rei veritatem etiam per mendacij recognouit auctorem.

Horæ Canonicę nõ sunt in lecto legendæ.

†

Ioanni Eremitæ, à dæmone impositum.

Alter etiam Eremita, qui vocabatur Ioannes de Anso, cum ei, vt egrederetur, vehementer insisteret, ac diuini nominis adiurium crebrius intentaret; Nunquid oblitus es, ait, hac tibi nocte quid fecerim? Nam, si non excidit, certus es, quia dum ego me in Apri siluestris effigiem verti, tu me quasi vænator insectabaris. Sed qui videbar Aper, subito speciem venustæ mulieris assumpsi, atque in osculum tuum ruẽs, vt semen effunderes, cum gloriâ triumphaui. Cum itáque reprobus spiritus de fratre delinquente per soporis energiam se glorietur habuisse triumphum; quanto putamus, eum gaudere tripudio super his, qui labuntur in adulterium, vel incestum? Vndè sępe Deus omnipotens terribile exhibet etiam in hac vitâ iudicium, nec tamen miseri homines desinunt iterare plectendum.

Nam Robertus Gallorum Rex, auus istius Philippi, qui in paterni iuris sceptra successit, propinquam sibi copulauit vxorem, ex quâ suscepit filium, anserinum per omnia collum, & caput habentem. Quos etiam virum scilicet, & vxorem omnes ferè Galliarum Episcopi, communi simul excommunicauere sententiâ. Cuius sacerdotalis edicti, tantus omnem vndique populum terror inuasit, vt ab eius vniuersi societate recederent, nec pręter duos sibi seruulos ad necessarij victus obsequium remanerent: qui tamen & ipsi omnia vasa, in quibus Rex edebat, vel bibebat, percepto cibo, abominabilia iudicantes, pabulum ignibus exhibebât. His tandem Rex coactatus angustijs, ad sanum consilium rediens, diuortit incestum, inijtque legale connubium.

Robertus Gallorum Rex cur excommunicatus.

Non sunt cōsangnineæ ducendæ vxores.

Quam sit Pontificum anathema formidandū.

Sed & Otto Rex Teutonicorum, qui postmodùm Imperator creatus est Romanorum, Adalaidem Italiæ Reginam, quæ sibi commater extiterat, suscepit in coniugem. Quem filius eius Almificus, qui Maguntinæ præsidebat Pastor Ecclesiæ, cœpit constanter arguere, & scelestum, luridumque coniugium publicè condemnare. Pater autem vehementer iratus, eum compræhendi pręcepit, & carcerali mox custodiæ mancipauit; quem per annale circiter spatium carcer inclusit, sed à correctione linguam terroris vinculum non ligauit. Cùm vero pater eum quadragesimali decurrente ieiunio, de custodiâ decreuisset educere, antequam Psalterium expleret, quod aureis exarabat apicibus, recusauit exire. Verumtamen cùm exiuit, zelo sacerdotalis accensus auctoritatis, non quieuit, sed mox in patrem iaculum publicæ excommunicationis intorsit. O verè dignum Regio genere sacerdotem, qui in causâ Dei non Imperiale fastigium, non paternum recognouit affectum, sed dum paternam, ac Regiam auctoritatem in solo Deo constituit, hunc hominem eius legibus resistentem, à se prorsus extraneum deputauit. Dixit autem patri: Tu arbitraris me aduersum te insolenter agere, te verò præiudicium sustinere: scito prænoscens, quia die sancto Pentecostes vterque simul astabimus ante Deū, ibique ventilabitur inter nos, libratâ iustitiæ lance, litigium. Ibi luce clarius apparebit, quis nostrum æquitatis lineam teneat, quis Dei legibus contradicat. Factumque est, ipso, qui dictus est, sacrosanctæ sollemnitatis die, vt dum præfatus Augustus Imperialibus infulis redimitus, multorumque Pontificum choris, siue procerum vallatus agminibus, Missarum sollemnijs interesset, repentino super eum veniente iudicio, repertus sit mortuus. Episcopus autem in Domino iam quieuerat. Sic sic qui de incesto coniugio contempsit inter homines iudicari, ad tribunal æterni iudicis coactus est pertrahi, & qui subiectum sibi dedignatus est audire Pontificem, terribilem super se non potuit euadere Maiestatem.

Non sunt commatres ducēdæ vxores.

Parentes legibus Dei resistentes, extranei reputandi sunt.

Ottonis Imper. lamentabilis interitus.

Hæc ego, venerabilis Pater, & alia quamplurima, non sine magnæ formidinis angore conscribo, ne videlicet, vel relatores mei meræ

veritatis semitam non tenuerint, vel ipse quoque relationum in quolibet immemor obliuione deliquerim. Verumtamen teste conscientiâ, non hæc mentiendi voto, sed ædificationis affectu, prout melius possum, narrata recolere, satago schedulis annotare. Si quid mihi tamen in his obliuionis obrepsit, immò quidquid humanę conditionis infirmitate deliqui, antequam nexibus huius carnis absoluar, diuina mihi pietas tuis orationibus in memoriam reuocet, ac dignè lugere permittat, ne viuenti mihi pœnitendum quid manere possit occultum, quod morientis sit oculis ingerendum.

Abbas Cluniacēsis, haud dubium quin Hugo fuerit sanctitate clariss.

Hugo Abbas Cluniacensis cùm ad suum me Monasterium perduxisset, frater quidam senex in infirmorum domo, ingrauescente totius corporis tumore, languebat. Hic porrò, cum Abbatis comperijsset adesse pręsentiam, lætus effectus, diuinam cœpit implorare clemētiam: Domine, inquit, quem nullum latet occultum, quæso, si quid reatus in me est, quod non sim hucusque confessus, tu mihi misericorditer in memoriam reuoca, quatenus Abbati meo dum præsens est, purè confitear: atque ab eo, qui ius hoc in me præ cæteris habet, iudicatus absoluar. Hoc dicto, huiusmodi vox auribus eius insonuit: Certè est, certè est aliquid in te, quod confessus adhuc non es. Cúmque ille vocem solam audiret, sed à quo procederet, non videret, orando subiunxit: Exprime, Domine, manifestè quid hoc sit, vt confessus corrigam quod erraui. Porrò vox eadem peccatum quoddam (sicut quærebat) signanter expressit, quod ille à se commissum illicò recognouit, & Abbati festinanter accito, factâ confessione, purgauit; paucisque post diebus in sanctâ pace defunctus est.

Aduertant hæc sanctæ confessionis contēptores.

S. Hugo Abb. Cluniacensis. Terribile exemplum cuiusdam hominis desperati, ac interficientis seipsum.

Non talem sortitus est finem Clericus ille, de quo mihi idem Hugo Cluniacensis monasterij rector fidâ relatione narrauit: Religiosus, inquit, quidam Episcopus in expeditione positus, cum venisset ad ripam cuiusdam fluminis substitit, ibiq; lassus recreare spiritum cœpit. Cumq; illic tranquillè quiesceret, audiuit vocem de fluminis alueo prodeuntē, & hæc verba clarius exprimentem: Hora venit, homo non venit. His auditis Episcopus, sollicitus redditur: & recogitans hoc sine mysterio esse non posse, aduentum rei solerti custodiâ præstolatur. Sed dùm attentus explorator expectat, dúmq; hæc, & illa recogitat; ecce quidam Clericus agillimè properabat, equumq; calcaribus atterens, amnē transire quantòcyus festinabat. Admonuit autem suos episcopus, vt obuios se venienti festinanter obijcerent, eumque à sui cursus impetu retinerent. Cúmque ille perniciter properans, flumen aggrederetur præcipitanter inuadere, ac sine mora transire; illiq; contrà violenter obsisterent, & gradum figere compulissent, ait: Quiescite, quęso, dimittite me; recedite, quia iussio Regis vrget. Non est res, quæ deferri possit in posterū. Mysteriū Regis instat, ineuitabilis necessitas imperat. Quid plura? Sanctus Episcopus eum violentissimè retentum, superuenienti nocte secum habere coëgit hospitium. Sed, ô misera hominis, ac lugenda

conditio, quæ facilius valet sibi consciscere mala cum desunt, quam vitare cum imminēt. Episcopo scilicet cum suis graui sopore depresso; ille vas aquæ in hospitio reperit, in quod caput immergens, suus ipse tortor effectus, se feraliter enecauit. Sed sicut iste licet occulto, districto tamen Dei iudicio, carnis interitum pertulit; ita per eius piam clementiā mortem animæ, simul & corporis alter euasit.

Vere cuius Deus vult miseretur, & quem vult indurat.

Nam quod nunc dicturus sum, & ex relatione iam dicti Cluniacensis Abbatis, & ex ore illius, cui res ipsa contigerat, frequentius audiui. Adolescens quidam erat in finibus Aquitaniæ, qui cum coæuis suis iuuenculis de animarum suarum cœpit salute tractare. Deliberatione pręmissâ, tandem statuunt, ac vnanimi inuicem confœderatione proponunt & mundani cultus pompas abijcere, & ad monasticæ conuersationis ordinem commigrare. Sed dùm res adhuc suspensa differtur, dū rerum ordo multiplici varietate concutitur; ipse quoque tener adolescentis animus fixus in suo proposito non tenetur. Quid multa? Mutatâ penitus mēte despōsauit vxorem. Cūque per processu tēporis mēs eius & memoriam sancti propositi paulatim de se prorsus eraderet, & sub prætextu conjugij, ad explendam carnalis illecebræ voluptatem impatientius ebulliret, diuinâ super eum vigilante clementiâ, subito languore percussus est, ac paulopost ad extrema peruenit. Necessarijs igitur, ac propinquis de iam quasi defuncti disputantibus sepulturâ, dum in medio positus videretur cadauer exanime, vixq; tenuis quidam motus in eius pectore palpitaret, ecce duo teterrimi, ac trucis vultus Aethiopes eum (vt sibi videbatur) tanquam leones rugientes inuadunt, rapaci ferocitate corripiunt, de corpore violenter euellunt, mox pedes eius, & brachia duris alligant nexibus, sicq; velut hædum in phalangam pendulum alter post alterum baiulare cœperunt. Quos autem dolores, & torsiones ipse pertulerit, quātum, & qualia viderit, vel audierit, per quamplurima eum loca vectauerint, perlongū est non tātum stylo digerere, sed simplicibus quoque verbis ex ore per ordinem referentis audire. Hoc tantùm hic inferre sufficiat, quia dum per obscuræ caliginis eum loca portarent, ecce B. Petrus Apostolus splendidus, & coruscans occurrit, eumq; de portantium humeris raptum, nexibus, quibus angebatur, absoluit. Illi mox relictâ prædâ, stridentes dentibus, & eiulantes abscedunt, factumq; sibi pręiudicium flexibiles conquerūtur. Beatus autem Apostolus adolescentem ad Cluniaci monasterium secum duxit eique forinsecus posito, sese, donec reuerteretur, expectare pręcepit. Ego, inquit, meū Monasterium ingrediens visito, ac per circuitū cuncta perlustrans, quid agatur, attendo: deinde ad te, cōsideratis omnibus, redeo. Sed mox vt iste relictus est solus, ecce crudeliores, & acriores ijdem reuertuntur Aethiopes, & nō iam per manus, & pedes, sed per genitalia ipsa corripiūt, eumq; sic non sine grauissimo illius dolore suspēdunt. Nam velut si rostro passer accipitris, vel aquilinis vnguibus colūba rapiatur implumis; sic à reprobis illis spiritibus miser iste corripitur,

Votifragus infirmitate corripitur, vt resipiscat.

S. Petrus Apostolus apparet & à dæmonibus eum liberat.

trahitur libratus, per verenda suspenditur, & quasi recuperata præda, quæ fuerat perdita, longius asportatur, cùm ecce B. Petrus radianti nimis, ac terribili splendore conspicuus, se tamquam fulmen iniecit, rapinam suam quasi per impetum violenti spiritus apprehendit: & clauibus, quas manu gestabat, raptores nequissimos acerrimè verberauit. Mox illum ad domum propriam vsque perduxit, reddensque spiritum corpori, vtramque saluti substantiam reformauit. Nam ille protinus conualescens, domui suæ sine cunctatione dispoluit, atque ad Cluniacense monasterium properans, sanctæ conuersationis habitum feruidâ satis deuotione suscepit. Sic itaque diuinæ militiæ transfuga, dum paterni verberis disciplinâ cęlitùs eruditur, de manu cruenti prædonis eripitur, & ouis oberrans ad proprij pastoris mapalia reuocatur. Sed iam se reprimens calamus cohibeat stylum, ne regulam breuitatis excedat epistolare compendium.

Rediuiuus votum persoluit.

Scribite, si placet, distichon istud in Refectorio, sub pedibus Apostolorum.

Ignit Apostolicum linguarum flamma Senatum,
Germinat & varias quasi vox fæcunda loquelas.

EPIST. XVI. Ad eumdem Desiderium Abb. & Card. eiusq. monasterij Monachos.

ARGVMENTVM.

Causam affert, cur Paulus Apostolus ad dextram, Petrus verò ad sinistram in picturis exprimantur, iccircò scilicet, quia Paulus esset ex tribu Beniamin, qui Latinè filius dexteræ interpretatur: probatque huiusmodi nomen aptissimè illi conuenire. Multas quoque eiusdem Pauli prærogatiuas adducit. Tum demùm exponit, cur Hierosolymitana Ecclesia, cum in eâ Christus passus fuerit, non sit caput omnium Ecclesiarum.

Domno Desiderio sanctæ * conuersionis Abbati, religiosoque Conuentui, Petrus peccator Monachus in Domino seruitutem.

* conuersationis.

VT Domnum Martinum ad vos iter arripere didici, Notario protinus, vt exciperet, imperaui. Sed quoniam per totum Quadragesimalem circulum tecum, venerabilis Pater, familiariter degens, quæque conferenda videbantur, viuâ voce contulimus; & quę communicanda erant, siue tractanda sæpius intimauimus; iam quid noui ad te scribi valeat, non inuenio, dùm quidquid necessarium esse poterat, frequentius iteratum alterutrâ confabulatione perpendo. Quid igitur

igitur faciam? Numquid qui loqui cœperam, deficiente materia, stolidè conticescam? Sed dum armatam penna, atque ad scribendum ex more libratam manum Scriptoris aspicio, materia mihi dulcis offertur, de qua ad disputandum mea mens alacriter prouocetur. Per istam siquidem Notarii dextram repentè mihi illud occurrit, quod ipse à me, quæstione proposita, sæpenumero requisisti. Cur videlicet in imaginibus picturarum per vniuersas adiacentes Romæ Prouincias, Petrus qui primus est ad sinistram; Coapostolus autem eius Paulus constituitur ad dexteram; cum iuxtà vulgarem sensum hoc rerum ordo deposcat, vt Petrus, qui Senatus Apostolici princeps est, dextrum Domini latus; Paulus verò, qui iunior est, sinistrum iure possideat? Sed durum est valdè, vt opinemur, quia tam egregium, támque famosum Apostolicæ dispositionis ordinem inconsultè, atque inconsideratè deuota Deo, ac religiosa vetustas admiserit. Neque enim credendum est, vt Constantinus Imperator, immò Papa Siluester; atque post eos Principes, & Sacerdotes in Ecclesiasticæ disciplinæ littera peruigiles, atque solertes, hunc ordinem tantorum Principum negligendum ducerent, si correctione dignum aliquatenus æstimarent. Ne ergò sanctæ huius Historiæ ordo inordinatus appareat, quod nobis videtur, Sanctitati vestræ breuiter innotescat.

Cur Petrus ad sinistrã, & Paulus ad dextrã in picturis collocentur.

Cõsule Schol.

Paulum planè de tribu Beniamin extitisse, quis ambigat? Beniamin autem Hebraicè, Latinè filius dexteræ nuncupatur. Quid ergò mirum est, si ad dexteram constituitur, qui vocabulum dexteræ ex paterno iure sortitur? Enimuerò, vt vetus illa B. Paulo liquidò congruere videatur historia, non sine causa Scriptura dicit: *Quia egrediente anima Rachel præ dolore, & imminente iam morte, vocauit nomen filii sui, Benoni, id est, filius doloris mei. Pater verò appellauit eũ Beniamin, id est, filius dexteræ.* Per Rachel namque, quæ ouis, vel visum principium dicitur, Ecclesia non immeritò designatur. Quæ nimirum & ad instar ouis innocenter viuit, & per studium contemplationis ad videndam Redemptoris sui speciem medullitus inardescit. Qui de se requirentibus Iudæis ait: *Ego principium, qui & loquor vobis.* Beniamin igitur nascente, Rachel mater emoritur; dum appropinquante ad lucẽ nouæ regenerationis Saulo, persecutionibus Ecclesia per eum crudeliter impugnatur. Sicut Lucas in Actibus Apostolorum, Saulus, inquit, deuastabat Ecclesiam per domos intrans, & trahens viros, & mulieres tradebat in custodiam. Congruè itaque Rachel Benoni, id est, filium doloris mei vocat: quem Iacob Beniamin, id est, filium dexteræ nuncupat; quia Paulus, qui Matris Ecclesiæ dolor extitit, qui eam quodammodo dum nasceretur, impugnando peremit, à Deo Patre Filius dexteræ est vocatus, cum per eum diuina potentia aduersus gentes quasi per fortem suam dexteram dimicauit, verborum iacula valenter intorsit, salubres cordium plagas intulit, & per eum deuictis, atque prostratis hostibus, cum gloria triumphauit. Hinc est, quod idem Paulus ad Galatas

Paulus de tribu Beniamin.

Gen. 35. v. 18.

Per Rachel designatur Ecclesia.

Ioan. 8. v. 25.

Act. 8. v. 3.

Paulus in persona Beniamin significatus.

Galat.1.v.15. ait: Cum autem complacuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret Filium suum in me, & euangelizarem eum in Gentibus, continuo non acquieui carni, & sanguini. Non ergo immeritò filius dexteræ Paulus vocatur, per quem omnis Gentium multitudo, quæ ad dexteram Dei ponenda est, ad Fidei sacramenta colligitur. Accinctus siquidem verbo Dei, quod est gladius Spi-
Ephes.6.v.18. ritus: hodiéque vsque ad finem sæculi aduersus omnium vitiorum, iniquorumque spirituum rabiem dimicat: & tanquam fulminea Christi manus, vibratis cælestis eloquij gladiis, rigidas resistentium Deo ceruices obtruncat. Rectè igitur Paulus dextri iuxtà Redemptorem lateris obtinet dignitatem, qui diuinæ dexteræ non ambigitur exercere virtutem. An non quodammodò dextera Dei aduersus diabolum di-
1.Cor.9.v.26. micantem se fatetur esse, cum dicit: Ego autem sic curro non quasi in incertum, sic pugno non quasi aërem verberans.

Paulus ad cælum tertium raptus ascendit, vbi etiam arcana verba, quę
2.Cor.12.v.4. hominibus loqui non licet, audiuit. Quis autem nesciat, quia vita terrena dicit sinistram, cælestis autem significat dexteram, sicut Sponsa
Cant.2.v.6. dicit in Canticis: Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me? Læua namque esse sub capite dicitur, quia præsens vita apud electum quemlibet sub mente, quæ proculdubiò cogitationum caput est, despecta calcatur. Dexterâ verò Dei Sponsa amplexari perhibetur, quia dum fidelis, & sancta anima æstuanti sui Creatoris igne succenditur, velut diuinis quibusdam amplexibus vndique confouetur. Qui ergò carnis adhuc fragilitate circumdatus, ad cælestem vitam ascendisse cognoscitur, rectè filius dexteræ nuncupatur. Hunc dexteræ Filium Deus omnipotens tamquàm propriam dexteram per totam mundi latitudinem semper extendit, & per eam adoptionis populos ad Fidei vnitatem colligit. Hanc dexteram summus agricola per Ecclesiæ suæ areā versat, & per eam spirituales segetes ventilat, vt purgata mystici frumēti grana horreis cælestibus introducat. Hanc dexteram suam Deus huc, illucque procul extendit, dùm ad colligendas in Fidei Sacramento gentes Paulus toto terrarum orbe discurrit. Ipse quippe quam valida charitate flagrat, tam nimia ex locis ad loca se vagatione permutat. Trāsire ad alia ex aliis appetit, quia ipsius eum, quem implet, stimulus
Rom.1.v.10. charitatis impellit. Longè namque à Romanis positus scribit: Memoriam vestri facio semper in orationibus meis; obsecrans, si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. Desidero enim videre vos. Retentus Ephesi, Corinthiis scri-
2.Cor.12.v.14 bit: Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos. Rursum Ephesi com-
Galat.4.v.20. morans, Galatis loquitur, dicens: Vellem me esse apud vos modò, & mutare vocem meam. Romæ quoque custodia carceris clausus, quia ire
Philip.2.v.19. per semetipsum ad Philippenses non permittitur, transmittere se Discipulum pollicetur, dicens: Spero in Dominum Iesum, Timotheū citò

Expositio: Læua eius sub capite meo, &c.

Pauli feruens charitas.

me mittere ad vos; vt ego bono animo sim, cognitis quæ circa vos sunt. Constrictus etiam vinculis, atque Ephesi retentus, Colossensibus scribit: Nam & si corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum. Ecce cor Apostolicum quanto fraterni amoris igne decoquitur, quanto ad desudandum pro salute Gentium desiderio coarctatur. Hîc corpore tenetur; illuc spiritu ducitur: & paterni amoris affectum præsentibus impendit, absentibus porrigit. Coram positis exhibet opera, audientibus exprimit vota. Efficaciter præsens eis, cum quibus erat: nec tamen illis absens, cũ quibus non erat. Cuius amorem melius cognoscimus, si eius adhuc ad Corinthios verba pensamus. Ait enim: Veniam ad vos cum Macedoniã pertransiero. Nam Macedoniam pertransibo, apud vos autem forsitan manebo, vel etiam hiemabo. Quid est, quod tam anxiè per tot loca partitur? nisi quod circà omnes vna charitate constringitur? Charitas enim, quæ diuisa vnire consueuit, vnum cor Pauli diuidi per multa compellit. Quod tamen tantò ardentius in Deo colligit, quantò latius per sancta desideria spargit. Prædicando igitur Paulus vult simul omnia dicere, amando vult simul omnes videre; quia & in carne permanendo vult omnibus viuere, & de carne transeundo per sacrificium Fidei vult omnibus prodesse. Nec mirum si Prædicator egregius in fraterna charitate feruentius æstuat, si præ cunctis mortalibus in eo copia veræ dilectionis abundat; cum fons vitæ, qui eum Vas electionis appellat, in eum se decreuerit abundanter influere, eumque dignatus sit Sacramentorum suorum fluẽtis incomparabiliter irrigare. Hinc est, quod ait: An experimentum quęritis eius, qui in me loquitur Christus? Hoc planè Saluator mundi B. Paulo per singularis gratiæ priuilegium contulit, qui nulli mortalium post Incarnationis suæ mysterium prærogauit. Nam postquàm beata illa, atque diuina Redemptoris humanitas ad Paternæ maiestatis est euecta consessum, vt non iam hominibus corporaliter interesset, sed cæli potius virtutibus præsideret, non per magistrũ, sed specialiter per se ipsum sic illum efficaciter docuit, omniumque sibi gestorum suorum mysteria delegauit; vt non modò præcessorum suorum magisterio nullatenus indigeret, sed eos insuper omnis cælestis sapientiæ profunditate præcelleret. Vnde & ipse primus Apostolorum Petrus eius admiratur sapiẽtiam, dicens: Charissimus frater noster Paulus; secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis; sicut & in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles deprauant. Quod autem in discendis Euangelicæ doctrinę mysteriis non magistrum quemlibet hominem, sed Deum specialiter habuerit præceptorem, testatur ipse, qui in principio Epistolæ suæ ad Galatas loquitur, dicens: Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem; sed per Iesum Christum, & Deum Patrem, qui suscitauit eum à mortuis. Fons enim æternæ vitę velut immensus torrens totum se simul in vas suæ electionis immersit, qui in cæteros Apostolos per longa temporum interualla, sapientiæ suæ fluen-

Coloss. 2. v. 5.

1. Cor. 16. v. 5.

Act. 9. v. 15.

2. Cor. 13. v. 3.

Paulus præ cæteris omnibus priuilegio admirabili est insignitus.

2. Pet 3 v. 16.

Paulus Euangelica mysteria didicit nõ ab hominibus, sed à Deo

Galat. 1. v. 1.

Ibid. v. 11. ta profudit. Et paulo post: Notum enim vobis facio, fratres, Euangelium quod euangelizatum est à me, quia non est secundum hominem, neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Domini nostri Iesu Christi. quod ergò Petrum Dominus per multa argumenta adhuc mortalis edocuit, hoc totum repentè B. Paulo constitutus iam in gloria Paternæ maiestatis, exhibuit. Ac si Doctor quispiã dùm priuatus est, discipulos doceat, postquàm verò ad obtinenda regalis imperij sceptra conscendit, remotis clientium classibus, vnum inter multos egregium, quem nobilius instruat, eligit.

Solutio quæstionis propositæ. Vt ergo ad id, vnde cœpit, sermo recurrat, cùm B. Petrus ad dexteram ponitur, primatus eius, quem inter cæteros est sortitus Apostolos, honoratur. Cùm verò Paulus eiusdem dextri lateris occupat locum, in Beniamin, cuius est filius, mysticæ figuræ redolet Sacramentũ. Quáquam & hoc non à mysterio vacet, quod B. Petrus Dominici lateris sinistram tenet. Per illum siquidem actiua vita signatur. Et sicut contemplatiua vita per dexteram, sic actualis exprimitur per sinistrã. Quod autem per B. Petrum præsens vita, hoc est actiua, figuretur, in hoc præcipuè demonstratur, quod sicut Euangelica frequentissime testatur historia, & Petrus Dominum plus omnibus condiscipulis diligat; & Dominus non Petro, sed Ioanni potius prærogatiuam specialis omnino dilectionis impendat. Per Ioannem quippè contemplatiua, per Petrũ verò, sicut dictum est, actiua vita signatur. Quia Sancti omnes in hac vita ad similitudinem Petri, Deum plus amant, & quasi minus amantur; dùm duras propter eum laborum molestias perferunt; mortali tamen adhuc carne circumdati, ad amplexus eius dulcedinem non pertingũt. Illi verò qui iam cum Deo sunt, in hoc eum quodammodò minus amãt, & magis amantur: dum & pro eo nullos laborum turbines sentiunt, & tamen intimæ familiaritatis eius oblectationibus perfruuntur. Non ergò mirum, si B. Petrus aliquandò partem videatur tenere sinistram, qui & actiuæ vitæ continet ex Scripturarum auctoritate figuram.

Ioan. 20. v. 2. 21. v. 15. Ioan. 13. v. 24. & 21. v. 7. Ioannes contemplatiuam, Petrus actiuã vitam designant.

Cur B. Paulus propriam nõ habeat cathedram. Vnũ verò in B. Paulo videtur egregiũ, quia cũ omnes Apostoli distributi terrarum regionibus, proprias obtineant cathedras; iste dùm nullã specialiter teneat, videtur aliquatenus cõmuniter omnibus præsidere. Planè quia ipse toto terrarũ orbe vniuersalẽ fundauit Ecclesiã, dignũ est, vt sicut in omnibus Fidei semẽ sparsit, sic etiã in omnibus ius teneat Præsidentis. Dicit enim ad Corinthios: Gratia Dei sum id, quod sum: & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboraui: non ego autem, sed gratia Dei mecum. Ad Romanos autem, Habeo, inquit, gloriam in Christo Iesu ad Deum: in obedientia gentium, verbo & factis, in virtute signorum, & prodigiorum, in virtute Spiritus sancti: ita vt ab Hierusalem per circuitum vsque ad Illyricum repleuerim Euangelio Christi. Sic autem hoc prædicaui Euangelium, non vbi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem:

1. Cor. 15. v. 10

Rom. 15. v. 18.

sed sicut scriptum est: Quibus non est annunciatum de eo, videbunt; & qui non audierunt, intelligent. Hæc est igitur causa cur Paulus nullam specialiter cathedram teneat; quia si audemus summis minora conferre, ad instar Christi, saluo cæterorum Apostolorum iure, videtur omnibus Ecclesijs pręsidere. *Isai, 52. v. 15.*

Porrò autem quantum ad vulgarem pertinet sensum, quoniam Hierosolymis passus est Dominus, vniuersis Ecclesijs non Romana, sed Hierosolymitana potius præesse deberet Ecclesia; verumtamen cum ex auctoritate Canonum, Romana Ecclesia primum teneat locũ, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Constantinopolitana quartum, Hierosolymitana iam quintum: constat Dominum Saluatorem non vni cuilibet cathedræ speciali iure pręesse, sed cunctis vnum Pastorem vniuersaliter præsidere. Liquet ergò Ecclesiarum ordinem esse dispositum iuxta priuilegium Petri, non secundum incomparabilem excellentiam Redemptoris. Quia quod omnes Apostoli iuxtà mensuram suam obtinent per gratiam collati muneris, hoc totum possidet Christus per naturalis imperium maiestatis. Quamdam ergò, si dici liceat, cũ Christo similitudinem Paulus tenet, dùm non vni dumtaxat Ecclesiæ, sed omnibus pręsidet. Non igitur sine causâ B. Paulus dextrum in picturis obtinet latus, dùm id non modo deposcat propensior fructuum cumulus, sed & figuralis intelligentię sacramentum. Gliscit adhuc animus super hoc themate plura conscribere, sed literarum Baiulus qui ad vos properare festinat, dùm potius vellet volare, quam currere, non me permittit saltem minimas ad scribendum moras habere. Clementia vobis, dilectissimi, diuina præcipiat, vt pro me orare, sancta vestra fraternitas non desistat.

Cur Ecclesia Hierosolymitana cunctis alijs non præcellat, cum ibi passus sit Christus.

Paulus cum Christo habet quamdam similitudinem

EPIST. XVII. Ad eundem Desiderium Abb. & Card. eiusque monasterij Monachos.

ARGVMENTVM.

De Dei omnipotentiâ æternitate, infinitate, prouidentia cæterisque huiusmodi altissimis, obscurissimisque quæstionibus, quantùm epistolaris breuitas patitur luculenter, & copiosè disserit contrà eos, qui diuinæ potentiæ quasi terminum constituere audebant, asserentes Deum facta infecta reddere non posse. Quod falsum esse verissimis rationibus probat. Demùm beneuolentiam, & amorem suum ergà Casinense monasterium Desiderio Abbati pluribus patefacit, & velut in picturâ ante oculos ponit.

Domno Desiderio Casinensis monasterij reuerentissimo Rectori, & vniuerso sancto Conuentui, Petrus peccator Monachus pacis osculum in Spiritu sancto.

QVi solus de marini fluctus procellis eripitur, dùm sagenam adhùc inter rupes, & scopulos, inter minaces, atque intumescentes vndarum cumulos periclitari considerat, inhumanus est, si laborantes in discrimine socios non deplorat. Ego itaque Episcopatu dimisso, me quidem velut arenis expositum gaudeo; sed te ventis, atque turbinibus atteri, ac inter hiantes pelagi fluctuare voragines, non sine fraternâ compassione suspiro. Errat, Pater, errat, qui confidit se simul & Monachum esse, & curiæ deseruire. Quam malè mercatur, qui monachorum præsumit claustra deserere, vt mundi valeat militiam baiulare. Vndis erutus sanus est piscis, non vt sibi viuat, sed vt alios pascat. Vocamur, attrahimur; sed vt viuamus alijs, moriamur nobis; amat vænator ceruum, sed vt sibi faciat cibum; persequitur capras, lepusculos insectatur; sed, vt ipse bene sit, illa nihil sint. Amant & homines nos, sed non nobis: sibimet diligunt, in suas nos vertere delitias concupiscunt. Quos nimirùm dùm in exteriora prosequimur, quid aliud quam Monacho nostro, qui latebat intrinsecus, repudium damus? Mox enim ad summa tendentis vitæ status euertitur, rigor eneruatur disciplinæ, atque silentij censura dissoluitur: & ad effluendum quidquid libido suggesserit, ora laxantur. Vnde processit, & quod nunc occurrit memorię: vtrum Deus possit reparare Virginem post ruinam. Nam dum aliquando, vt meminisse potes, vterque discumberemus ad mensam, illudque B. Hieronymi sermocinantibus deueniret in medium; audenter, ait, loquor: cum omnia possit Deus, suscitare Virginem non potest post ruinam. Valet quidem liberare a pœna, sed non valet coronare corruptam. Ego licet pauidus, vtpote, qui disputare de tanti viri testimonio facilè non auderem, vnanimi tamen Patri, tibi videlicet, dixi purè quod sensi. Hæc, inquam, fateor, numquam potuit mihi placere sententia. Non enim a quo dicatur, sed quid dicatur attendo. Nimis scilicet inhonestum videtur, vt illi, qui omnia potest, nisi sub altioris intelligentiæ sacramento, tàm leuiter impossibilitas adscribatur. Tu autem è contrario respondisti: ratum esse, quod dictum est, & satis authenticum, Deum videlicet non posse suscitare Virginem post ruinam. Deinde longis, atque prolixis argumentationibus multa percurrens, ad hoc tandem definitionis tuæ clausulam perduxisti, vt diceres: Deum non ob aliud hoc non posse, nisi quia non vult. Ad quod ego: Si nihil, inquam, potest Deus eorum, quæ non vult: nihil autem, nisi quod vult facit; ergò nihil omnino potest eorum facere, quę non facit. Consequens est itaque, vt liberè fateamur: Deum hodie iccircò non pluere, quia non potest: iccirco languidos non erigere, quia non potest: ideò non occidere iniustos, ideò non ex eorum oppressionibus liberare Sanctos. Hæc, & alia multa iccircò Deus non facit, quia non vult: & quia non vult, non potest; sequitur ergò, vt quidquid Deus non facit, facere omninò non possit. Quod profectò tàm videtur absurdum, tamque ridiculum vt non modò omnipotenti Deo nequeat assertio ista congruere,

Cōsule Schol.

Errat, qui se Monachum, & aulicum esse putat.

Sęculares non sincere amant Monachos.

Vtrum Deus possit reparare Virginem post ruinam.

B. Hieron. in in Ep. ad Eustochium de custodia virginitatis.

Deum posse multa, quæ non vult.

ſed ne fragili quidem homini valeat conuenire. Multa ſiquidem ſunt quæ nos non facimus, & tamen facere poſſumus. Si quando tamen tale quid in myſticis, & allegoricis contingat nos reperire ſcripturis, cautè potiùs & reuerenter accipiendum eſt: quam iuxtà litteras audacter, & liberè proferendum. Sic eſt illud, quod Loth properanti Segor, ab Angelo dicitur: Feſtina igitur, inquit, & ſaluare ibi, quia non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc. Et: Pœnitet me feciſſe hominem. Et quia Deus præcauens in futurum, tactus ſit dolore cordis intrinſecus, & multa id generis. Si quid igitur tale diuinis paginis reperitur inſertum, non mox paſſim procaci, ac præſumptiuâ vulgari debet audaciâ, ſed ſub modeſtâ ſobrij ſermonis proferendum eſt diſciplinâ: quia ſi hoc diffunditur in vulgus, vt Deus in aliquo, quod dici nefas eſt, impotens aſſeratur: illico plebs indocta confunditur, & Christiana Fides non ſine magno animarum diſcrimine perturbatur.

Gen 19.v.22. *Gen.6.v.6.*

Scandaloſum eſt dicere Deũ non omnipotentem.

Illo plane modo dicitur, Deus non poſſe aliquid, quo & neſcire: videlicet quidquid malum eſt, ſicut non poteſt agere, ita neſcit agere. Non enim poteſt, aut ſic mentiri, vel peierare, vel iniuſtum aliquid facere, quamquam per Prophetam dicat: Ego Dominus formans lucem, & creans tenebras: faciens pacem, & creans malum. Quod autem dicit in Euangelio: De die autem illo, vel horâ nemo ſcit, neque Angeli in cęlo, neque Filius, niſi Pater. Hoc proculdubio intelligendum eſt, quod Diſcipulis hoc tantummodo neſciat, qui ſibi nil prorſus ignorat. Cum enim Ieſus, Verbum videlicet Patris, tempora cuncta condiderit, omnia ſiquidem per ipſum facta ſunt, quâ conſequentiâ, qui totum nouit diem iudicij, partem videlicet temporis ignorauit? Sed ſuper eodem Saluatore ſcribit Apoſtolus: In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi, Cur autẽ abſconditi niſi quia non palàm omnibus manifeſti? Nam de eodẽ iudicij die poſt Reſurrectionem rurſus à Diſcipulis inquiſitus, ait: Non eſt veſtrũ noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſuâ poteſtate. Ac ſi dicat: Non vobis hoc expedit quatenus dubietatis iſta ſuſpenſio in operibus pietatis vos magis, ac magis ſemper exerceat, & ab omni, ſi qua poſſit obrepere, vanitate compeſcat. Scit ergò ſibi, quod neſcit Apoſtolis. Quod in hoc proculdubiò probat, cùm Patrem, cum quo videlicet vnum eſt, hoc noſſe denuntiat: Ego enim ait, & Pater vnum ſumus. Sic enim iuxtà verbi ſonum, aſſerit ſe quaſi neſcire, quod Pater; ſicut aliquandò ſignificatur quodammodò non habere, quod Pater. Vnde eſt, & quod dicit Apoſtolus: Cum tradiderit regnum Deo, & Patri, tamquam regnum donec ipſe tenuerat, Pater non habebat; & cùm Patri tradiderit, ipſe non teneat. Cum tradere regnum Deo Patri, nihil aliud ſit iuxtà ſobrium intellectum, niſi perducere credentes ad contemplandam ſpeciem Dei Patris. Tunc quippè Deo Patri regnum à Filio traditur, cùm per Mediatorem Dei, & hominum in contemplationem diuinitatis

Non poſſe Dei, vel neſcire, quomodo intelligi debeat.

Eſai.45.v.7. *Matt.24.v.36* *Mar.13.v.31.* *Ioan.1.v.3.* *Coloſ.2.v.3.*

Act.1.v.7.

Ioan.10.v.30.

1.Cor.15.v.24

Regnum Deo Patri tradi à Christo, quid ſit.

æternæ fidelium multitudo transfertur; idest, vt iam necessaria non sit dispensatio similitudinum per Angelos, & Principatus, & Potestates, & Virtutes: ex quarum persona non inconuenienter intelligitur dici

Cant. 1, v. 10. in Canticis Canticorum ad Sponsam: Similitudines auri faciemus tibi cum distinctionibus argenti, quoad vsque Rex in accubitu suo est; id est, quoad vsque Christus in secreto suo est. Quoniam vita nostra ab-

Coloss. 3. v. 3. 4. scondita est cum Christo in Deo; cum Christus, inquit, apparuerit vita nostra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Quod antequam

1. Cor. 13. v. 12. fiat, videmus nunc per speculum in ænigmate, hoc est, in similitudinibus; tunc autem facie ad faciem. Hæc enim nobis contemplatio pro-

1. Ioan. 3. v. 2. mittitur, actionum omnium finis, atque ęterna perfectio gaudiorum. Filij enim Dei sumus, & nondum apparuit, quod erimus. Scimus, quia cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est.

Exod. 3. v. 14. Quod enim dixit famulo suo Moysi: Ego sum, qui sum; Et dices itaque

Ioan. 17. v. 3. filijs Israël: Qui est, misit me ad vos; hoc contemplabimur, cum videbimus eum in æternum. Ita quippe ait: Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te vnum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Hoc

1. Cor. 4. v. 5. fiet, cùm venerit Dominus, & illuminauerit abscondita tenebrarum, cùm tenebrę mortalitatis huius, corruptionisque transierint. Tunc erit mane nostrum; de quo in Psalmo dicitur: Mane astabo tibi, & vide-

Psal. 5. v. 5. bo. De hac contemplatione intelligitur dictum, cum tradiderit re-

1. Cor. 15. v. 24. gnum Deo, & Patri; id est, cum perduxerit iustos, in quibus

1. Tim. 2. v. 5. nunc ex fide viuentibus regnat, mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus ad contemplationem Dei Patris. Multa denique talia reperiuntur in sententiis Scripturarum, quæ si iuxtà litterarum superficiem contenti sumus accipere, non nobis poterunt lumen veritatis infundere, sed tenebrarum potius caliginē parturire. Hoc ergò, quod dicitur, Deum non posse malum aliquod, vel nescire; non referendum est ad ignorantiam, vel impossibilitatem, sed ad voluntatis perpetuæ rectitudinē. Quia enim malū nō vult, rectè dicitur, quia neque scit, neq; potest aliquod malū. Cæterum quidquid vult, indubitáter & potest, testante Scriptura: Tu autem Dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos: Subest enim tibi cum volueris, posse.

Deum non posse, vel nescire aliquod malum, quomodo intelligendum sit.

Sap. 12. v. 18.

Voluntas quippè Dei omnium rerum, siue visibilium, siue inuisibilium causa est, vt existant; adeò vt condita quæque antequam ad formarum suarum visibiles procederent species, iam veraciter, atque essentialiter viuerent in sui opificis voluntate. Quod factum est, ait Ioannes, in ipso vita erat. Et idem in Apocalypsi vigintiquatuor Seniores dixisse testatur: Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, & honorē, & virtutem; quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt. Priùs dicitur, quia erant, & postmodum fuisse creata. Quia quæ foris expressa sunt per conditionem operis, iàm intus erant in prouidentia, & consilio Conditoris. Porrò autem sicut voluntas Dei

Quod voluntas Dei omnibus rebus causa est, vt existant.

Ioan. 1. v. 4.

Apoc. 4. v. 11.

causa

causa est, vt quæ nondum sunt condita, originaliter fiant; ità nihilominus efficax causa est, vt quæ sunt perdita, ad status sui ordinem redeant. Numquid enim voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus? Sed volo, vt conuertatur, & viuat. Vt ergò ad id, quod prælibatum est, sermo recurrat, quid præiudicat Deo suscitare posse Virginem post ruinam? Numquid iccircò non potest, quia non vult: & icircò non vult, quia malum est; sicut dictum est mentiri, & peierare: & iniustum quid facere, Deum nec velle, nec posse? Sed absit, vt malum sit, de violatâ, virginem fieri, immò sicut malum est virginem violari, ita violatam redire in virginem proculdubiò bonum esset, si diuinæ dispositionis ordo concederet. Verbi gratiâ: Hominem post lapsum mortis subire vindictam; licet iusto Dei iudicio malum fuit. Mortem enim Deus non fecit, cum ipse potius sit mors mortis sicut per Oseam Prophetam dicit: Ero mors tua, ô mors. Iam verò saltem post redemptionis nostræ mysterium, hominem immortalem fieri certè bonum esset, si sententiam semel prolatam clementia diuina dissolueret. Neque enim hoc Omnipotens Deus icircò vel nolle, vel posse dicendus est, quia malum est, hominem videlicet fieri immortalem; sed iusto suo iudicio, nostræque salutis augmento, quod ipse nouit, tantùm de vindictâ redempti hominis voluit superesse. Hoc itaque modo malum est post stuprum virginem esse corruptam; bonum autem esset si virginitatis Deus signaculum in ea reformaret. Sed licet Deus hoc nullatenus faciat, siue vt virginem terreat, quatenus vereatur amittere, quod postmodum nequeat reparare; siue dictante æquitate iustitiæ, vt quod tamquam vile quid per carnis blandimenta proiecit, id instaurare etiam per pœnitentiæ lamenta non possit: siue certe, vt dùm in se ruinæ suæ signa superesse considerat, acrioribus afflictionis suæ remedijs indesinenter insistat. Siue igitur his, siue aliis supernæ prouidentiæ causis, ad integritatem pristinam violata virgo non redeat: nequaquàm tamen Omnipotens Deus dicendus est hoc non posse, sed potius nolle: vt seruetur arbitrium æquissimę voluntati, non autem adscribatur, quod absit, impotentia Maiestati. Quod enim malum est, non potest facere Deus, quia nec potest etiam velle: quod tamen nequaquam referendum est ad impossibilitatem, sed ad naturalem potius clementiæ singularis bonitatem. Quod verò bonum est, & velle potest, & facere, tametsi quodam cautelę suæ, vel prouisionis intuitu, quædam bona, aut raro faciat, aut numquam faciat. Alioquin poterat dici antè Saluatoris aduentum, quia Deus creare non posset ex vtero Virginis Filium. Nimirum, quod nunquam fecerat, sed ne quidem nisi semel facturus erat. Tamen & si numquam faceret, & velle, & facere poterat, quia bonum erat. Virginem itaque suscitare post ruinam, quomodo non possit Deus, cum proculbio & ille omnipotens sit, & hoc bonum sit?

Ezech. 18. v. 23 & 33. v. 2.

Sap. 1. v. 13.
Osea 13. v. 14.
1. Corinth. 15. v. 54.

Cur non instauret Deus virginitatem post lapsum.

Quod absque dubio Deus post lapsum reparare Virginem possit.

Virginem sane suscitari post lapsum, duobus intelligitur modis: aut scilicet iuxtà meritorum plenitudinem, aut iuxtà carnis integritatem.

Videamus itaque, an vtrumque valeat Deus. Iuxtà meritum namque plebem fidelium Virginem appellat Apostolus, cùm Corinthijs dicit: Despondi enim vos vni viro, virginem castá exhibere Christo. Neque enim in illo Dei populo solummodò virgines erant, sed multæ coniugijs obligatæ, vel post virginitatis dispendium continentes. Et Dominus per Prophetam, Si vir, inquit, dimiserit vxorem suam, & illa recedens duxerit virum alterum, numquid reuertetur ad eam vltrà? Numquid non contaminata, & polluta vocabitur mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus. Reuersio planè ista ad Dominum quantum ad qualitatem meritorum pertinet, hoc est, de corruptâ integram fieri, de prostitutâ virginem reparari. Cui rursus idem sponsus loquitur: Et omnium peccatorum tuorum iam memor non ero. In carnalis siquidem sponsione complexus viri, corruptio carnis, fœdus amoris, dispendium castitatis; virginem se plerumque thalamis nuptialibus tradit, quæ polluta recedit. Et contrà cui cælestis Sponsus adhæserit, protinus abluit masculos turpitudinis, & ad florem reuocat redolentissimæ castitatis. De prostibulo virginem, de corruptione reddit integritatem. Vnde est, quod plerosque nouimus vtriusque sexus homines post abominabiles voluptatis illecebras, ad tantam religiosæ vitæ peruenisse munditiam, vt non modò castos, atque pudicos quoslibet in sanctitate præcederent: sed & non contemnenda multorum Virginum merita superarent. Quibus non iam sola prioris meriti mensura rependitur, sed proculdubiò cum remissione reatus etiam cumulus superadditę mercedis augetur. Ecce probatum, vt opinor, est iuxtà meritum posse Deum suscitare virginem post ruinam: iuxtà carnem verò quis etiam væsanæ mentis addubitet, cum videlicet, qui erigit elisos, soluit cõpeditos, qui postremo curat omnem languorem, & omnem infirmitatem, clausulam non posse reparare virgineam? Enimuerò qui corpus ipsum de tenuissimo seminis liquore compegit, in humanæ formæ speciem per varia membrorum lineamenta distinxit, ad summam nec dum existentem condidit creaturam, existentem iam non poterit recuperare vitiatam? Fateor planè, fateor, nullumque timens cauillatoriæ contentionis obloquium constanter affirmo: quia valet omnipotens Deus multinubam quálibet virginẽ reddere, incorruptionisque signaculũ in ipsâ eius carne sicut ex materno egressa est vtero reparare. Hæc autẽ dixi, non vt B. Hieronymo, qui pio studio locutus est, detraham; sed vt eos, qui ex verborum illius occasione, Deum astruunt impotentem, inuictâ fidei ratione refellam.

2. Cor. 11. v. 2.

Hier. 3. v. 1.

Hier. 31. v. 34.

Peccator resurgit ad maiorẽ gratiam.

Psal. 145. v. 8.

Matt. 4. v. 23.

Deus potest virginitatis corruptæ carnem, & meritum reparare.

Ad illud postremò, quod in hâc disputandi materiâ plures obijciunt, sub Sanctitatis tuæ iudicio video respondendum. Aiunt enim: Si Deus, vt asseris in omnibus omnipotens est, numquid potest hoc agere, vt quę facta sunt, facta non fuerint? Potest certè facta quæque destruere, vt iam non sint; sed videri non potest, quo pacto possit efficere, vt quæ facta sunt, facta non fuerint. Potest quippe fieri, vt amodò, &

Quomodo possit fieri, vt quod factum est, non sit factum.

deinceps Roma non sit; sed vt antiquitus nō fuerit condita, quomodò possit fieri, nulla capit opinio. Inspirante Deo, responsurus sum ad hæc: In primis exactorem meum verbis Salomonis admonendum video, quibus ait: Maiora te ne quæsieris, & altiora te ne scrutatus fueris. Deinde dicendū, quia quod Deus facit, aliquid est: quod Deus non facit, nihil est. Omnia enim per ipsū facta sūt, & sine ipso factū est nihil. De quo nimirū alibi scriptū est: Qui fecit, quę futura sūt. Iuxtà quod & illud: Qui viuit in æternum, creauit omnia simul. Et Apostolus, Qui fecit, inquit, ea quæ non sunt. Omnia planè hæc testimonia Scripturarum testantur Deum fecisse, quod non erat; non destruxisse quod erat: condidisse futura, non aboleuisse præterita. Quamquam & sæpè legatur, Deus aliquid euertisse, vt melius aliquid procuraret: sicut mundum per aquæ diluuium, Pentapolim per ignis incendium, quibus nimirum sic abstulit esse, & futurum esse, vt nequaquam abstulerit & fuisse. Quamquam si ad prauorum hominum merita, qui tunc deleti sunt, solerter inspicias, quoniam vanitates, & inania sectati sunt; vt non ad esse, sed ad nihilum tenderent, eos meritò non fuisse decernas. Hinc est, quod eos in afflictione spiritus conqueri, Scriptura testatur: Exiguum, inquiunt, & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit reuersus ab inferis; quia ex nihilo nati sumus, & post hæc erimus quasi non fuerimus. Erimus, inquiunt, tamquam si non fuerimus: quia & tunc quando videbantur esse, ad nihilū potius pertinebant, quàm ad verum esse. Ego, ait, sum qui sum; & hæc dices filiis Israël: Qui est, misit me ad vos. Qui enim ab illo, qui verè est, recedit, necesse est, vt non sit: quia ad nihilum tendit. Hinc est, quod iterum gementes, dicunt: Extinctus cinis erit corpus nostrum, & spiritus diffundetur tamquam mollis aër; transiet vita nostra tamquā vestigia nubis, & sicut nebula dissoluetur, quæ fugata est à radio Solis; nomen nostrum obliuionem accipiet, & pertenuis vmbræ transitus est tempus nostrum. Vnde & Propheta, Omnes, inquit, gentes quasi non sint, sic sunt coram eo: & quasi nihilum, & inane reputatæ sunt ei. Et Salomon ait: Tamquam momentum stateræ, sic ante te est orbis terrarum, & tamquam gutta roris antelucani: Et innumera talia reperiuntur in Scripturis, quibus impij homines, aut tenuissimis, aut vilissimis comparentur rebus, aut nihil esse dicantur, etiam tunc, cum potentes esse videntur. Vnde & Dauid, Vidi, inquit, impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani; & transiui, & ecce non erat. Tunc enim & cùm diuitijs intumescunt, & cùm se super alios arroganter extollunt, cùm denique inferiores per tyrannidis violentiam opprimunt; tunc, inquam, eo verius nihil sunt, quo ab eo, qui verè, & summè est, procul sunt.

Eccl. 3. v. 22.
Ioan. 1. v. 3.
Eccles. 3. v. 15.
Eccli. 18. v. 1.
Rom. 4. v. 17.
Gen. 7. v. 21.
Gen. 19. v. 25.
Sap. 2. v. 1.
Exo. 3. v. 14.
Sap. 2. v. 3.
Esai 40. v. 17.
Sap. 11. v. 23.
Psal 36. v. 35.

De futuris contingentibus, & Philosophiæ vsu in sacris disputationibus.

Sed quid sibi volunt vani quilibet homines, & sacrilegi dogmatis inductores, qui dum aliis quæstionū suarū tendiculas struunt, quod in eas ipsi antè pręcipites corruāt, non attendunt; & dū simpliciter gradiētibus

ſcandala friuolæ inquiſitionis obiiciunt, ipſi potius in lapidem offenſionis impingunt. Nnmquid inquiunt, poteſt Deus hoc agere, vt poſtquàm ſemel aliquid factum eſt, factum non fuerit? tamquàm ſi impoſſibilitas iſta non ſolis videatur prouenire præteritis, & non in præſentibus ſimiliter inueniatur temporibus, & futuris. Nam, & quidquid nunc eſt, quamdiu eſt, non eſſe, impoſſibile eſt. Item, quod futurum eſt, non futurum eſſe, impoſſibile eſt: quamquàm nonnulla ſunt, quæ videlicet æqualiter poſſunt euenire, & non euenire: ſicut eſt, me hodie equitare, & non equitare: amicum videre, vel non videre: pluere, vel aërem ſerenum eſſe. Quæ ſcilicet, & his ſimilia huius ſæculi ſapientes conſueuerunt ad vtrumlibet appellare; quia ſolent æquè & contingere, & non contingere. Sed hæc ad vtrumlibet magis dicuntur iuxtà variabilem naturam rerum, quàm iuxtà conſequentiam dictionum. Secundum naturalem namque variæ viciſſitudinis ordinem poteſt fieri, vt hodie pluat: poteſt & fieri, vt non pluat. Sed quantum ad conſequentiam diſſerendi, ſi futurum eſt vt pluat, neceſſe eſt omnino, vt pluat: ac per hoc prorſus impoſſibile eſt, vt non pluat. Quod ergò dicitur de præteritis, hoc conſequitur nihilominus de rebus præſentibus, & futuris: nimirùm, vt ſicut omne, quod fuit, fuiſſe neceſſe eſt; ita, & omne, quod eſt, quamdiu eſt, neceſſe ſit eſſe: & omne, quod futurum eſt, neceſſe ſit futurum eſſe. Atque ideò quantum ad ordinem diſſerendi, quidquid fuit, impoſſibile ſit non fuiſſe: & quidquid eſt, impoſſibile ſit non eſſe: & quidquid futurum eſt, impoſſibile ſit futurum non eſſe. Videat ergo imperitè ſapientium, & vana quærentium cæca temeritas; quia ſi hæc, quæ ad artem pertinent diſſerendi, ad Deum prauiter referant; iam non tantùm in præteritis, ſed in præſentibus, ac futuris, eum impotentem penitus, & inualidum reddant. Qui nimirùm, quia nec dum didicerunt elementa verborum, per obſcuras argumentorum ſuorum caligines amittunt claræ Fidei fundamentum; & ignorantes adhuc, quod à pueris tractatur in ſcholis, querelæ ſuæ calumnias diuinis ingerunt Sacramentis. Et quia inter rudimenta diſcentium vel artis humanæ nullam apprehendêre peritiam, curioſitatis ſuæ nubilo perturbant puritatis Eccleſiaſticæ diſciplinam. Hæc planè, quæ ex dialecticorum, vel rhetorum prodeunt argumentis, non facilè diuinę virtutis ſunt aptanda myſteriis, & quæ ad hoc inuenta ſunt, vt in ſyllogiſmorum inſtrumenta proficiant vel clauſulas dictionum, abſit, vt ſacris legibus ſe pertinaciter inferant: & diuinæ virtuti concluſionis ſuæ neceſſitates opponant. Quę tamen artis humanæ peritia ſi quandò tractandis ſacris eloquiis adhibetur, non debet ius magiſterii ſibimet arroganter arripere: ſed velut ancilla dominæ quodam famulatus obſequio ſubſeruire: ne ſi præcedit, oberret: & dùm exteriorum verborum ſequitur conſequentias, intimæ virtutis lumen, & rectum veritatis tramitem perdat. Quis enim manifeſtè non videat, quia ſi argumentationibus iſtis, vt ſeſe ordo verborum habet, fides adhibetur, diuina virtus in temporũ quibuſque momentis

Futura contigentia.

Eccleſiaſticæ diſciplinæ puritas perturbatur ex Dialecticæ artis ignorantia.
Dialecticæ vſus in rebus diuinis.

impotens ostendatur? Nam iuxtà friuolæ quæstionis obloquium, non præualet Deus agere, vt vel dudum quæ facta sunt, facta non fuerint: vel è diuerso, quæ facta non sunt, facta fuerint: vel quæ nunc sunt, quamdiu sunt, non sint: vel quæ futura sunt, futura non sint: vel è contrà, quæ futura non sunt, futura sint. De quâ nimirũ quæstione veteres liberalium artium discussores, non modo Gentiles, sed & Fidei Christianæ participes prolixiùs tractauerunt: sed nemo illorum in hanc ausus est prosilire vęsaniam, vt Deo notá impossibilitatis adscriberet: & pręsertim si Christianus fuit, de illius omnipotentiâ dubitaret; sed ita de consequentiâ necessitatis, vel impossibilitatis iuxtà miram solius artis disputauere virtutem, vt nullam in his conflictibus Dei facerent mentionem. Isti autem, qui antiquam quæstionem nouiter afferunt, dùm altiora gestiunt nosse, quàm capiunt: potius aciem suę mentis obtundunt: quia ipsum lucis auctorem offendere non pauescunt. Hæc igitur quęstio, quoniam non ad discutiendam Maiestatis diuinę potentiam, sed potiùs ad artis dialecticæ probatur pertinere peritiam: & non ad virtutē, vel materiam rerum, sed ad modum, & ordinem disserendi, & consequentiam verborum, non habet locum in Ecclesiæ sacramentis, quę à paruis scholaribus ventilatur in scholis. Non enim ad Fidei regulam, vel morum pertinet honestatem: sed ad loquendi copiam, verborumque nitorem. Quamobrem sufficiat nobis breui compendio fidem defendere, quam tenemus: sapientibus autem huius sęculi, quę sua sunt, cedimus. Habeant, qui volunt litteram occidentem, dummodò per Dei misericordiam spiritus à nobis viuificans non recedat.

Philosophorum nullus, tam insanus, vt Dei negauerit omnipotentiam.

2. Cor. 3. v. 6.

Constat itaque Deum omnipotentem sic omnia sæcula in æternæ sapientiæ suę thesauro concludere, vt nec ad se quid accedere, nec à se quidquam per temporum momenta valeat transire. In illa igitur ineffabili suæ maiestatis arce persistens, sic omnia in præsentiæ suę constituta conspectu, vno, ac simplici contemplatur intuitu, vt sibi numquam penitùs, vel pręterita transeant, vel futura succedant. Cui dum semper esse, atque idem esse est per ęternitatem; dum omne, quod labitur, circumscribit, intrà semetipsum omnium cursus temporum claudit. Et sicut intrà se sine transitu cohibet omnia tempora, ita nihilominus intrà se sine spatiis vniuersa continet loca. Hinc est planè quod ait: Cælum, & terram ego impleo. Hinc est, quod Sapientia illius dicit: Gyrum cęli circuiui sola. De qua & Salomon ait: Quia cum sit vna, omnia potest, & permanens in se, innouat omnia. Et idem alibi: Si cælum, & cæli cælorum te capere non possunt: quantò magis domus hæc, quam ædificaui tibi? De cuius etiam Spiritu scriptum est: Spiritus Domini repleuit orbē terrarum, & hoc quod continet omnia. De quo rursus dicitur: Quia omnium est artifex, omnem habet virtutē, omnia prospiciens. Et Dominus per Prophetam dicit: Cęlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Rursumque de eo scriptum est: Cęlum metitur palmo, & omnem terram pugillo conclu-

Quod Deus intra præsentiæ suæ sinum, omnia simul, & tempora, & loca concludat.

Hier. 23. v. 24.
Eccli. 24. v. 8.
Sap. 7. v. 27.
2. Paral. 6. v. 18
Sap. 1. v. 7.
Sap. 7. v. 23.
Esai. 66. v. 1.
Act. 7. v. 49.
Esaie 40. v. 12.

dit. Sedi quippè, cui præsidet, interior & superior manet. Nam per id cælum palmo metiens, & terram pugillo concludens, ostenditur, quod ipse sit circumquaque cunctis rebus, quas creauit, exterior. Id namque quod interiùs concluditur, à concludente exteriùs continetur. Per sedem ergò, cui præsidet, esse interiùs, & supra perpenditur, per pugillum verò, quo continet, esse exteriùs, subterque signatur. Quia enim ipse manet intrà omnia, ipse extrà omnia, ipse super omnia, ipse infrà omnia, & superior est per potētiam, & inferior est per sustentationem, & exterior per magnitudinem, & interior per subtilitatem. Vbi ergò sit aliquid absque eo, qui cum per molēm corporis nusquam est, per incircumscriptam substantiam nusquam deest? De quo ait Apostolus: Quia in ipso constant omnia. Et rursus: Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Est enim, vt ita dixerim, locus illocalis, qui sic in se continet omnia loca, vt non moueatur ipse per loca: & cùm omnia simul impleat, non per partes sui occupat partes loci, sed totus vbique est, nec per ampliora loca diffusior, nec per angustiora contractior, nec altior in excelsis, nec plus humiliatus in infimis, non maior in magnis, non minor in minimis; sed vnus, idemque, simplex, & æqualis vbique. Nulla indigens creatura, sed eo indiget omnis creatura. Nam & antequàm virtutes Angelicas condidisset, antequàm tempus, temporale aliquid extitisset, plenas, atque perfectas immortalitatis diuitias, & gloriæ possidebat. Ad creandum igitur, quod non erat, non solitudinis eum, vel alicuius inopiæ necessitas impulit, sed sola propriæ clementiæ bonitas prouocauit. Nec beatitudini eius rerum conditio conferre aliquid potuit, cùm ità per se, & in se sit plenus, atque perfectus; vt nec existente creatura, sibi aliquid accedat, nec ea pereunte, decedat; Omnia siquidem flumina intrant in mare, & mare non redundat.

Quo pacto Deus existat in omnibus rebus.

Coloss. 1, v. 16.

Dei localitas illocalis.

Cur Deus creauerit mundũ.

Eccl. 1. v. 7.

Est planè Deo sicut coæternũ omnia posse, sic & omnia nosse, idemque semper existere. In illo itaque summo rerum cardine naturarum omnium iura dispensans, sic omnia tempora, præterita videlicet, præsentia, & futura intra suæ prouisionis arcana complectitur, vt nec nouũ aliquid sibi penitus accedat, nec aliquid ab eo per cursus momenta recedat; sed nec diuersis obtutibus diuersa considerat, vt cùm intendit præteritis, vacet à præsentibus, vel futuris: vel rursùs cùm præsentia, siue futura considerat, oculos à præsentibus auertat; sed vno dumtaxat, ac simplici præsentissimæ Maiestatis intuitu, simul omnia comprehendit. Neque hoc confusè, atque inexplicatè, sed omnia discernit, atque iuxtà proprietatem suam quæque distinguit. Planè qui in theatro residet, non simul omnia videt: quia cum intendit aciem antè se, non videt post se: qui autem non in theatro, sed super theatrum excelsior supereminet, totius vndique interiorem theatri ambitum vno comprehendit aspectu; ita omnipotens Deus, quia omnibus, quæ voluuntur, incomparabiliter supereminet, omnia simul suis subiecta conspectibus præsentialiter videt. Et vt quod loquimur, non modò viuax inge-

De Dei simplici, & vna, distincta tamen omnium rerum scientia, & prouidentia.

Deus vna notione omnia comprehendit, distinctè tamen.

nium capiat, sed & deses quilibet facilè comprehendat, maior nobis varietas est in hoc tàm breuissimo temporis puncto, quo dicimus cælum, quàm Deo sit simul inspicere infinita omniũ spatia sęculorũ. Nam cùm huius particulæ prima dicitur syllaba, remanet adhuc secunda; & cũ secũda sonat, iam prima pertransiit. Deus autem vno, atque ineffabili suæ contemplationis ictu simul omnia conspicit, & cõspiciendo distinguit. Omnia circũdando penetrat, & penetrando circumdat. Hinc est, quod Petrus ait Apostolus: Vnum hoc non lateat vos, charissimi, quia vnus dies apud Deum, sicut mille anni, & mille anni, sicut dies vnus. Et quia millenarius numerus perfectus est, mille annos posuit pro longitudine, & prolixitate omnium sæculorum. Vnde & Psalm ita, Mille, inquit, anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna, quæ præteriit, quia quidquid à nobis futurum expectatur, iàm Deo per omnia notum, quasi prçteritum esse decernitur. Est enim sicut ipse de se dicit: Alpha, & Omega, initium, & finis. Et per Prophetam: Antè me non est formatus Deus, & post me non erit. Enimuerò, quia in supremo rerum vertice ineffabiliter supereminens, quasi quodam profunditatis, & æterni consilij sui circulo non modò cuncta temporum spatia, sed & loca, & vniuersas amplectitur creaturas, & hæc omnia vno contemplationis ictu, ac simplici semper aspectat intuitu; non immeritò solus potens, solus æternus, solus dicitur immortalis. Vnde & Apostolus, Regi, inquit, sæculorum immortali, inuisibili, soli Deo honor, & gloria. Et idem: Beatus, & solus potens Rex Regum, & Dominus Dominantium, qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem, quem nemo hominum vidit, nec videre potest. Nam & Angelica virtus, licet potens sit, non tamen à se, sed ab illo est: licet immortalis sit, suumque beatum viuere nullo prorsus fine concludat, tamen quia & loca mutat, & tempora non cęterna suo dicenda est Creatori, quia naturaliter, atque essentialiter est ipsa potentia, ipsa immortalitas, ipsa æternitas. Vnde & Moyses, Dominus, inquit, regnabit in æternum, & vltrà. Nam & Angelica beatitudo iuxta conditionis suæ modum non immeritò videtur æterna, quæ nulli prorsùs termino probatur obnoxia. Et meritò dicitur, quia in æternum viuit, quia beatè viuere numquàm desinit. Sed ille nõ solùm in æternum, sed in æternum regnat, & vltrà, qui cuncta sęculorum volumina intrà prouisionis suæ continet sinum: & non tamquàm præterita, vel futura, sed vt reuera præsentia, suoque subiecta conspectui, perspicacissimo comprehendit intuitu: qui suę ditionis imperio regit omnia, cuius legibus obtemperant vniuersa, qui omnes creaturas ad nutum sui disponit arbitrij: omnibus viuendi moderatur, atque temperat ordinem, omniũ formas distinguit, ac species, omnibus, prout vult, congruas virium tribuit facultates: à quo, & per quem est quidquid est: proculdubiò nihil est.

2. Pet. 3. v. 8. — Psal. 89. v. 4. — Apoc. 1. v. 8. — Esai. 43. v. 10. — 1. Tim. 1. v. 17. — 1. Tim. 6. v. 15. — Exod. 15. v. 18.

Omnipotenti itaque Deo non est heri, vel cras, sed hodie sempiternũ,

Quod Deo non est heri, vel cras, sed hodie sempiternum.

cui nihil defluit, nihil accedit, cui nihil est varium, nihil à se diuersum. Illud hodie æternitas est incommutabilis, indefectiua, inaccessibilis, cui videlicet nihil addi, nihil valet imminui: & omnia quæ apud nos clabendo discurrunt, aut per temporum vicissitudines se variant, apud illum hodie stant, & immobiliter perseuerant. In illo scilicet hodie dies ille adhuc immobilis est, in quo mundus iste sumpsit originem; in illo iàm, & ille nihilominus est, quo iudicandus est per æterni iudicij æquitatem. Neque enim in eam lucem, quæ sine accessu ea, quæ elegit, & illustrat: & sine recessu ea, quæ respuit, deserit, defectus mutabilitatis venit; quia in semetipso permanens immutabilis, mutabilia cuncta disponit. Sicque in se transeuntia condidit, vt apud se quæ condita sunt, transire nequaquam possint. Nec tempus intùs in conspectu eius defluit, quod apud nos foris per exteriora decurrit. Vnde fit, vt in æternitate eius omnia fixa permaneant, quæ non fixa extrinsecus sæculorum volumina indesinenter emanant. Deo quippe dies vna est æternitas sua, quam videlicet diem, nec fine claudi, nec initio videt aperiri Psalmista, cum dicit: Melior est dies vna in atriis tuis super millia. Quid est ergò, quod ille non valeat de præteritis omnibus, vel futuris, qui videlicet omnia facta, vel facienda sine vllo transitu defigit, & statuit in suæ præsentia Maiestatis? Cui profectò & illud tempus intransibiliter adest, quod ea, quæ facta sunt, antecessit; & illud, quod cuncta deinceps futura concludit. Hinc est enim, quod in his, quæ prophetico spiritu dicta sunt in scripturis, sæpè reperiuntur præterita pro futuris poni, & longè post agenda velut iam transacta narrari. Vnde est, quod passurus per Prophetam Dominus ait: Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus; faciem meam non auerti ab increpantibus; & conspuentibus in me. Resurrecturus autem: Resurrexi, & adhuc sum tecum. De ascensuro quoque, atque Spiritus sancti dona missuro, dicitur: Ascendens in altum captiuá duxit captiuitaté, dedit dona hominibus; quia videlicet in oculis illius sapientiæ, vnde ista manabant, omnia tempora simul stant, futura, atq; præterita, vt reuera præsentia; fixa, atque immobilia semper assistunt. Et tantumdem est: Dederunt in escam meam fel, quantùm, & dabunt; & idem est: Foderunt manus meas, & pedes meos, quòd fodient. Iam itaque veniant superuacuæ quæstionis auctores, immò qui peruersorum dogmatum nitútur esse cultores, & dicant; Nũquid potest Deus agere, vt quæ facta sunt, facta non fuerint? Quibus ego in prima fronte respondeo: quia hoc non est, quia diuinæ bonitatis est, de nihilo aliquid agere, non de aliquo potius nihil efficere; cùm vtique scriptum sit: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Ego probare volo, quod Deus de nihilo faciat aliquid; tu ostendere niteris, quod de aliquo faciat nihil. Sed iam, quæso, cuncta simul euome: omnes pestiferi languoris humores sub vnius conamine excreatus

Psal. 83. v. 11.

Præterita pro futuris ponit sæpe Scriptura.

Esai. 50. v. 6.

Psal. 67. v. 19.
Ephes. 4 v. 8.

Psal. 68. v. 22.
Psal. 21. v. 17.

Ioan. 1. v. 3.

creatus effunde, vt multiplici morbo vnius antidoti sufficiat haustu occurrere, nec ad curationem tui pluribus compellamur confectionum generibus indigere. Age ergò, dic quæso: potest facere Deus de præteritis, vt quod factum est, non fuerit factum: vel de præsenti, quod nunc est, quamdiu est, vt non sit: vel vt omnino quod futurum est, vt futurum non sit: vel rursus hæc omnia per contrarium? Quę nobis profectò execrationi potius videntur esse tradenda, quam stylo. Dic mihi versutæ quæstionis obiector, credis etiam tu, quia quidquid Deus facit, bonũ est, atque adeò aliquid est: & quidquid ille nõ facit, nihil est?
Audi Scripturam: Vidit, inquit, Deus cuncta, quæ fecerat, & erant val- *Gen. 1. v. 31*
de bona. Et illud: Sine ipso factum est nihil. Sed quia hoc negare nõ po- *Ioan. 1. v. 3*
tes: assentior, inquis. Tu itaque dum quæris, vnam eamdemq; rem, & fuisse, & non fuisse: esse, & non esse: futuram esse, & futuram non esse; niteris profectò quæque facta, vel facienda confundere; & inter esse, & non esse, nutantia demonstrare. Quod certè rerum natura non habet. Nihil enim simul potest esse, & non esse: sed quod in rerum natura nõ est, proculdubiò nihil est. Quæris ergò à Deo durus exactor, vt faciat, quod suum non est: hoc est nihil. Sed ecce Euangelista contra te stat, dicens: Quia sine ipso factum est nihil; Deus adhùc non didicit facere nihil. Tu eum doce, & præcipe vt tibi faciat nihil. Adhùc, peto, respondeas: Credis, quæso, & quod Propheta canit, cui scilicet omnia Scri-
pturarum testimonia concinũt: Omnia, inquit, quæ voluit Dominus, *Psal. 134. v. 6*
fecit in cælo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis? Sed hoc etiã à te negari nõ posse manifestũ est. Cùm ergò Deus omnia possit, cur addubitas Deum hoc nõ posse, vt aliquid simul sit, & non sit, si hoc fieri bonũ est? Porrò si inutile est, res quaslibet inter esse, & non esse confundi, Deus autem non inutilia, sed bona omnia fecit: imò si malum est, ac
per hoc nihil est. Hoc Deus omnino non facit: Quia sine ipso factum *Ioan. 1. v. 3*
est nihil. Hùc accedit, quia voluntas summi, & omnipotentis opificis tam efficax causa est omnibus rebus existendi, vel non existendi, vt quod ille vult esse, non possit non esse: & quod non vult esse, non valeat esse. Virtus quippe Dei fecit, vt quod constituit fuisse, iam non valeat non fuisse: & quod constituit esse, quamdiu est non valeat non esse: & quod constituit esse futurum, iam non valeat futurum non esse. Vnde ergò Dei virtus potentior, & mirabilior esse perpenditur, inde à stultè sapientibus in suo posse inualida iudicetur? Sic enim quidquid est, ab ipso est. Ipse rebus hanc vim existentiæ contulit, vt postquàm semel extiterint, non extitisse non possint.

Quod mala dicenda sunt potius non esse, quam existere.

Mala autem quælibet, sicut sunt iniquitates, & scelera, etiam cùm videntur esse, non sunt; quia à Deo non sunt, ac proptereà nihil sunt: quia videlicet Deus omnino non fecit, sine quo factum est nihil.
Quapropter si quid boni factum est ab hominibus, perdere suum esse,
& non fuisse non potest, quia opus Dei est, etiam si per homines fa- *Ioan 1. v. 3*
ctum est. Vnde Propheta dicit: Omnia enim opera nostra operatus *Esai. 26 v. 12* *Sap. 7. v. 16.*

es in nobis. Omnia quippè bona & Dei sunt, & nostra; quoniam ille operatur in nobis, qui effectum tribuit operandi. Et Salomon, In manu illius, inquit, & nos, & sermones nostri, & omnis sapientia, & operũ scientia, & disciplina. In illo etiã, sicut ait Apostolus, viuimus, mouemur, & sumus. Quod si malũ factũ est, etiã tunc nihil erat, cùm esse videbatur. Hinc est, quod ipsos malitiæ, ac prauitatis auctores apud inferos conqueri, Scriptura testatur: Transierunt, inquiunt, omnia illa tamquam vmbra, & tamquam nuncius præcurrens, & tamquam nauis, quę pertransijt fluctuantem aquam, cuius cum pertrãsierit vestigium non est inuenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus. Semita namque in fluctibus facta, mox deficit. Vnde rursus dicunt: Aut tamquam auis, quæ transuolat in aëre, non vllum inuenitur itineris illius argumentum. Tertium quoque non dissimile his rursus apponitur: aut tamquam sagitta emissa in locum destinatum, diuisus aër continuò in se reclusus est, & ignoratur transitus illius. Vestigium certè nauis, & auis, & sagittæ transitus mox fiunt, illicò recluduntur, sic quilibet iniqui, mox vt incipiunt, præstò deficiunt. Vnde subjungunt: Sic & nos nati continuo desiuimus esse, immò ipso momento, quo videntur esse, non sunt, quia ab illo, qui verè est longe sunt. Quo contrà de viro iusto dicitur: Consummatus in breui, expleuit tempora multa, quia placita erant Domino opera illius. De illis autem: Deiecisti eos, dùm alleuarentur. Non ait, postquam alleuati sunt, sed dùm alleuarentur; quia per hoc inanescunt, per quod intumescunt: inde corruunt, vnde sublimes fiunt. Non itaque hoc asserendum est, quod postquam ad extrema deueniunt, tunc nihil fiunt: sed tunc proculdubio sunt nihil, cum videntur aliquid. Nihil apud testimonium veritatis, aliquid in vmbrâ caliginis. Adhuc fortassis epulabatur ille splendidè, fulciebatur cuneis obsequentium, ambiebatur agminibus bellatorum, quem Propheta superexaltatum, & eleuatum vidit: & mox ad contemplanda summa pertransiens, quem magnum aliquid fortè crediderat, nihil esse cognouit. Hinc est enim, quod scriptum est: Quoniam spes impij tamquam lanugo est, quę à vento tollitur: & tamquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur: & tamquàm fumus, qui à vento diffusus est: & tamquam memoria hospitis vnius diei prætereuntis. Nam qui tot momentanearum rerum exempla congessit, nõ tàm vile quid esse omnem reproborum gloriam, quàm nihil esse signauit. Malà ergò etiam cum videntur esse, non sunt: & ab eo qui verè, & summè est, procul sunt. Bona autem, id est, ea, quę bonus Artifex cõdidit, quę vt tu quisquis es, quęris, esse simul, & nõ esse nõ possunt: quia in rerũ naturâ, quam rationabilis Artifex esse cõstituit, alternitas ista non inuenit locũ. Quia enim inter esse, & non esse confundi malum est, ac potius nihil est, iccirco à bono Creatore, qui bona omnia fecit, alternitatis ista confusio facta non est. In malis autem potest, vtcumque videri hæç confusionis alternitas, quæ certe vidẽtur esse, & non sunt;

Act. 17. v. 28
Sap. 5. v. 9
Ibid. v. 13
Sap. 4. v. 13
Psal. 72. v. 18
Luc. 16. v. 19
Esai 36. v. 35
Sap. 5. v. 15

atque ideò quasi sunt, & non sunt. Sunt quidem in superficie coloris, non autem in iudicio veritatis: quamquam & ipsis malis non possumus hanc diuersitatem exactè concedere, vt simul sint, & non sint: quia videntur esse, sed non sunt: atque ideò verius dicuntur semper non esse, quam esse, & non esse.

Manifestum est igitur alternitatem istam, de quâ quæritur, scilicet, vtrum possit aliquid fuisse, simul & non fuisse; esse, & non esse; futurum esse, & futurum non esse, naturis existentium rerum nullâ posse ratione congruere: ad solas autem verborum pugnas, quæ de disserendi, ac ratiocinandi fiunt consequentijs pertinere. Quamobrem indubitabili fide credendum est, Deum omnia posse, siue faciat, siue non faciat. Nam quod malum est, potius debet dici nihil, quàm aliquid: atque ideo nihil præjudicat, si dicamus Deum omnia posse, licet mala omnia non possit: cum mala non intra omnia, sed extra omnia potius debeant supputari. Hinc est, quod sæpè diuina virtus armatos, dialecticorum syllogismos, eorumque versutias destruit: & quæ apud eos necessaria iam atque ineuitabilia iudicantur, omnium Philosophorum argumenta confundit. Audi syllogismum: Si lignum ardet, profectò vritur: sed ardet, ergo & vritur. Sed ecce Moyses videt rubum ardere, & non comburi. Rursus, si lignum præcisum est, non fructificat: sed præcisum est, ergo non fructificat. Sed ecce virga Aaron in tabernaculo, contra naturæ ordinem, reperitur amigdalas protulisse. Alioquin quid est, tot in Aegypto Pharaoni magnalia, ac signa portendere; filiorum Israël cateruas, Aegyptijs pereuntibus, per diuisum mare transferre, largissima fluenta ex aridi saxi rupe producere, & Ierichontina mœnia non armis frementibus, sed tubis clangentibus, dissipare? Postremò, quid in stuporem omnium sæculorum, Solem in cælo ad Imperium Iosue per vnius diei spatium sistere; per Ezechiam verò, decem ad orientem lineis reuocare, circa tres pueros furentis incendij vires extinguere, circà Danielem verò cruentos leonum rictus, & rabida ora refrænare? Quid, inquam, hæc omnia sunt nisi friuola sapientum huius mundi sensa confundere, & contra naturæ consuetudinem diuinæ virtutis gloriam mortalibus reuelare? Veniant dialectici, siue potius, vt putantur, hęretici, ipsi viderint: veniant, inquam, verba trutinantes, quæstiones suas buccis concrepantibus ventilantes, proponentes, assumentes, & vt illis videtur ineuitabilia concludentes, ac dicant: si peperit, concubuit: sed peperit, ergo concubuit. Numquid hoc antè redemptionis humanæ mysterium non videbatur inexpugnabilis roboris argumentum? Et quidem poterat Deus & fœtare Virginem ante ruinam, & reparare Virginem post ruinam. Vtrumque scilicet bonum erat: sed licet eatenus neutrum fecerat, vtrumque tamen posse facere credendus erat. Et certè mirabilius est, & valdè

Quod omnia Deus potest, siue faciat, siue non faciat.

Virtus diuina Syllogismorum robur sæpe dissoluit.

Exod 3 v. 2

Num 17 v. 8.

Exod 7. v. 3 & deinceps.

Exod 14 v 21

Exod 17 v. 6 & Psal. 77. v. 15.

Iosue 6 v. 20

Iosue 10. v. 13

4 Reg. 20. v. 11 & Esai 38. v. 8

Dan. 3. v. 50

Dan 6 v. 23 & 14. v. 39

præcellentius Virginem incorruptam manere post partum, quàm corruptam ad virginale decus redire post lapsum; quia & maius est, quemlibet clausis ianuis ingredi, quam eas, quæ patuerint, ianuas claudi. Si ergo natus ex Virgine Redemptor noster, quod maius est, & longè præstantius, fecit: quod minus est, corruptam quamlibet redintegrare non poterit? Potuit Deus homo ex vtero virginali, salua virginitate, procedere, non poterit violatæ virginitatis dispendium reparare? Quomodo ergo restauratur homicida, vt post dignam pœnitentiam iàm non sit homicida? Quomodo fur? quomodo periurus? quomodo raptor? quomodo omnium certè criminum rei postquam se veraciter corrigunt, iam non sunt, qui fuerunt? Vnde scriptum est: Verte impios & non erunt. Sed dicis: Fateor, inquam, quia corrupta quælibet post pœnitentiam iàm non est, quæ fuit, vt videlicet fornicationis subeat notam: verumtamen ad veritatis iam non reuertitur gloriam. Et ego è contrà respondeo: quia qui potuit ex materno vtero, illæsâ virginitate procedere, valet etiam si vult, in violatâ quælibet virginitatis signaculum reformare.

Isaye 7. v. 14 Matt. 1. v. 23 & Luc. 1. v. 41

Prou. 12. v. 7

Quod naturæ Conditor naturæ sit etiam immutator.

Proponatur adhuc superstitiosæ quæstionis obloquium: videatur etiam, ex quâ sit radice productum, quatenus ne præcipiti raptu vberes sinceræ Fidei fruges obruat: sed hiatu terræ dignus cum ipso fonte riuus arescat. Ad affirmandum namque quod Deus nequeat virginem reparere post lapsum, quasi consequenter adijciunt: Numquid hoc potest Deus agere, vt quod factum est, factum non fuerit? Tamquam si semel constet, vt si fuerit virgo corrupta, iàm nequeat fieri, vt rursus sit integra. Quod certè quantùm ad naturam verum est, statque sententia: factum quoque aliquid fuisse, & factum non fuisse, vnũ, idẽque inueniri non potest. Cõtraria quippe inuicẽ sunt, adeò vt si vnum sit, alterũ esse non possit. Nã quod fuit, nõ potest vere dici, quia non fuit; & è diuerso, quod non fuit, non rectè dicitur, quia fuit. Quæ enim cõtraria sunt, in vno, eodemque subiecto congruere nequeunt. Hęc porrò impossibilitas rectè quidẽ dicitur, si ad naturæ referatur inopiam: absit autem, vt ad majestatem sit applicanda diuinam. Qui enim naturæ dedit originem, facilè, cum vult, naturæ tollit necessitatem. Nam qui rebus præsidet conditis, legibus non subiacet Conditoris: & qui naturam condidit, naturalem ordinem ad suæ ditionis arbitrium vertit: quique creata quælibet dominanti naturæ subesse constituit, suæ dominationis imperio naturæ obsequentis obedientiam reseruauit. Consideranti planè liquido patet, quoniam ab ipso mundi nascentis exordio rerum Conditor, in quid voluit, naturæ iura mutauit: immo ipsam naturam, vt ita dixerim, quodammodo contra naturam mutauit. Numquid enim non contrà naturam est, mundum ex nihilo fieri? Vnde & à Philosophis dicitur: Quia nihil ex nihilo fit. Animalia non ex animalibus, sed ex stolidis elementis, solo iussionis imperio creari: dormientem hominem costam perdere, nec

Cõsule Schol.

Arist. 1. Phys. tex. 34.

dolere: de solo viro fœminam sine fœminâ fieri, & in vnâ costâ omnia hominis membra distingui: mutuo se nudos aspicere, & non modo non erubescere, sed ne quidem nosse: & multa alia, quæ persequi longum est. Quid ergo mirum est, si is, qui naturæ legem dedit, & ordinem super eamdem naturam sui nutus exerceat ditionem, vt ei naturæ necessitas non rebellis obsistat, si eius substrata legibus, velut ancilla deseruiat? Ipsa quippè rerum natura habet naturam suam, Dei scilicet voluntatem, vt sicut illius leges quælibet creata conseruant, sic illa cum iubetur sui iuris oblita, diuinę voluntati reuerenter obediat. Quid est enim, hodiéque quod cernimus, quoniam Salamandra in ignibus viuit, & non modo lęsionem adustione non patitur, sed tamquàm fomentis insuper vegetatur? Quidam quoque vermiculi in feruentissimis aquis, & nascuntur & viuunt. Quid est, quod palea tam frigida est, vt obrutas diutissimè niues seruet: calida, vt poma quęlibet acerba maturet? Quid est, quod ignis cum ipse sit lucidus, quælibet si fuerint ab eo adusta, nigrescunt: & cùm ipse resplendeat, quidquid & ambit, & lambit, pulcheherrimus decolorat? Verumtamen lapides igne cadente percocti, & ipsi sunt candidi: & quamuis ille magis rubeat, illi flammis albescunt, luci tamen congruit album, tenebris nigrum. Cumque ignis in lignis ardeat, lapides coquat, contrarios habet in non contrarijs rebus effectus. Licet enim sint lapides, & ligna diuersa, constat tamen non esse contraria, sicut album, & nigrum, quorum in lapidibus vnum, in lignis exhibet alterum. Illos enim clarificat, hęc offuscat, dum in illis omnino deficeret, nisi in istis viueret. Cur etiam in carbonibus tanta firmitas, vt ictu leuissimo frangantur, pressu facillimo conterantur: & tanta firmitas, vt nullo humore corrumpantur, nullâ prorsus ætate vincantur, vsque adeo, vt eos substernere soleant, qui limites figunt, quatenus litigantes eorum ostentione conuincant, si qui post annosa, ac diuturna temporum curricula fixum lapidem, limitem non esse contendant? Quis enim eos infossos humidę foueæ, vbi ligna putrescerent, tamdiu durare incorruptibiliter posset, nisi rerum ille corruptor ignis efficeret? Calx quoque conceptum ignem, atque sopitum sic occultissime seruat, vt nemo tangendo sentiat, sed cum extinguitur, tunc accenditur, & sentitur: vt enim calx vim occulti ignis expellat, aqua profunditur: & cum ante frigida sit, inde feruescit, vnde feruentia cuncta frigescunt. At si non aqua, sed oleum, quod vtique fomes est ignis, adhibetur, nullâ eius infusione calor vel minimus excitatur. Quid ergo mirum, si Omnipotens Deus in magnis magnus ostenditur, cùm etiam in minimis, atque extremis quibusque rebus tàm mirabiliter operetur? Quid enim vilius pelle colubri? Si tamen oleo feruescente, decoquitur, mirè per eam dolor aurium mitigatur? Quid inferius Cimice? Si sanguisuga faucibus hæserit, fumo eius excepto, statim euomitur: vrinæ quoque difficultas huius appo-

Gen. 2. v. 21.

De Salamandra.

Palea calida, & frigida est.

Ignis natura.

Carbonum.

Calcis.

Pellis colubri.

Cimicis.

Adamantis. sitione laxatur. Quid de Adamante referam, qui non igne, non ferro diuiditur, vlláque aliâ vi, nisi dumtaxat hircino sanguine non secatur? Quid est, quod Magnetem lapidem mirabilem ferri facit esse raptorem? Qui tamen si Adamas iuxtà ponitur, non modo iàm ferrum nullatenus rapit, sed & si iàm rapuerat, vt ei appropinquauerit, mox remittit; tamquam si lapis lapidem timeat, & velut ante conspectum maioris potentiæ vires proprias perdat. Nec latet Asbeston Arcadiæ lapidem propterea sic vocari, quod accensus semel iam non posset extingui. Pyrites etiam lapis, qui in Perside reperitur, cur ab igne nomen accepit, nisi quia tenentis manum, si vehementius prematur, adurit? In eadem rursus Perside lapis gignitur, qui Selenites vocatur, cuius candor interior cum Lunâ crescit: eâdemque postmodum ad defectum tendente, decrescit. Quid est prætereà, quod Agrigentinum Siciliæ sal cogit, cùm admotum igni fuerit, fluere: cùm verò in aquam mittitur, velut in ignibus crepitare? Quid est, quod apud Garamantas efficit quemdam fontem tam frigidum diebus, vt non bibatur: tam feruidum noctibus, vt non tangatur? Quis in Epiro alium fontem ità mirabilem præbuit, vt cùm sit contrectantibus frigidus, in eo tamen faces vt in cæteris extinguuntur accēsę, sed non vt in cæteris accenduntur extinctæ? Quis in Aegypto huiusmodi ficum constituit, cuius lignum cùm in fluenta projcitur, non ad lignorum consuetudinem potius enatet, sed in profunda mergatur; quodque est mirabilius, postquam in vno aliquamdiu manserit, inde ad aquæ superficiem rursus emergit, quando scilicet madefactum humoris pondere debuit prægrauari? Quid est, quod in aruis Sodomæ poma gignuntur, quæ ad maturitatis quidem speciem vsque perueniunt: sed morsu, pressuve tentata, in fumum, vel fauillam, corio fatiscente, euanescunt? Quid etiam quod in Cappadociæ finibus equæ ex vento concipiunt, ijdemque fœtus nonnisi ad triennium vsque viuunt? Vnde Thilon Indiæ insula, huiusmodi vires habet, vt omnes in eâ rami arborum numquam nudentur tegmine foliorum? Vnde & terra illa occiduis partibus hanc consecuta est dignitatem, vt ex arborum ramis volucres prodeant, & ad pomorum similitudinem animati, atque pennati fructus erumpant? Sicut enim referunt, qui se vidisse testantur, paulatim incidit pendulum quid ex ramo suspendi, deinde in imaginem volucris, speciemque formari: postremò quantulumcumque plumescens, hiatu rostri sese ab arbore diuidit, sicque nouus aëris habitator antè pænè discit volare, quàm viuere. Enimuerò quis tot virtutis diuinæ magnalia, quę contrà communem naturæ ordinem fiunt, enumerare sufficiat? Quę nimirum non humanis discutienda sunt argumentis, sed virtuti potius relinquenda sunt Creatoris. Quid ergò mirum si is, qui naturalia rerum omnium iura disposuit, ipsum naturæ ordinem ad arbitrium efficacissimæ suę voluntatis inflectit, vt qui ma-

Magnetis.
Arcadici lapis.
Pyritis.
Selenitis.
Salis Agrigentini.
Fontis Garamantum.
Fontis Epiri.
Ficus Aegyptiæ.
Pomorum Sodomæ.
Equarũ Cappadociæ.
Arborum insulæ Thilon.
Volucrum ex arboribus nascentium.
Gen 5. v. 24
Eccli. 44. v. 15.
Heb. 11. v. 5

trem Virginem nascendo seruauerat, violatam quamlibet si voluerit integram reddat? Aequale nempe fuit Deo, & prius Enoch, & Eliam in carne retinere viuentes: & post Lazarum, ac viduæ filium de sepulchris educere resurgentes.

4. Reg. 2. v. 11
Eccli. 48. v. 13.
Ioan. 11. v. 44.
Luc. 7. v 15

Nescio si legitur, sed à nonnullis intrà Romana mœnia celebri famâ vulgatur, quod videlicet Romulus, qui conditor Vrbis asseritur, constructo palatio, cuius parietina, licet semiruta, ex magnâ adhuc parte cernuntur, in hanc vocem, quasi de firmamento operis confisus erupit: Certum est, inquit, & immobiliter fixum, quia nisi Virgo pepererit, domus ista non corruet. Sicque si tamen verum est, quod asseritur, ex Gentilis hominis linguâ, sicut rei probauit euentus, egressa est prophetia. Nam nocte, quâ Saluator ad Redemptionem nostram ex Virginali aluo processit, sicut dicitur, palatium corruit. Vtrumque nimirum & Virginem parere, & ædificium ruere, homini Deum ignoranti, impossibile videbatur. At qui vtrumque semper potuit, sed diu intrà prudentiæ suæ secreta continuit: vtrumque cum voluit, per effectum operis congruo tempore declarauit. Illud planè stupendum est, quod nunc homines in Ecclesiæ gremio nõ modò renati, sed etiam nati tàm audacter, tàm impudenter omnipotenti Deo calumniam impossibilitatis obijciunt, & protinus absorbere terreni subsicij voragine non pauescunt. Erubescat iàm lingua frenetica, & quæ nescit esse facunda, discat esse vel muta. Nescit ædificationis augmenta depromere, sciat saltem sine Fidei destructione tacere. Alioquin abscindat sibi ferro præputium per vindictam, non sibi frænum adhibeat per silentij disciplinam. Ventilent quęstiones suas, qui volunt, iuxtà modum, & ordinem disserendi: dùm verò per ambages suas, & scholaris infantiæ nænias contumeliam non inferant Creatori; sciantque impossibilitatem istam in ipsa rerum esse naturâ, & verborum ex arte procedentium consequentia, non ad virtutem pertinere diuinam, nihilque diuinæ majestatis euadere posse potentiam, vt dicatur iuxtà solius naturę ordinem, verborumque conditionem, si est aliquid, quamdiu est nõ potest non esse: & si fuit, non potest non fuisse: & si futurum est, non potest non esse futurum. Alioquin contrà ipsius naturalis proprietatis ordinem, existendique materiam, quid est, quod Deus non possit euertere? quid est, quod Deus non valeat nouâ conditione creare? Discutiant itàque iuxtà modulum suum litterarum dumtaxat, quibus adhuc indigent, elementa: nec altiora se vsurpent diuina mysteria. Philosophus quidam, dum siderum cursus, stellarumque meatus nocturno tempore rimaretur, in limosum repètè lapsus est puteum. Cuius casum poëtata est Iambi, quæ illius erat ancilla, dicens: Dominus meus ignorabat id, quod sub pedibus eius iacebat vile lutum, & inuestigare tentabat arcana cælorum. Ex cuius nimirum vocabulo, Iambicum metrum nomen accepit. Animaduertant hoc, qui modum suæ capacitatis excedunt: & ad ea, quæ super se sunt, superbè tentanda

De Palatio Romuli, & Philosopho corruentibus. Cõsule Schol.

Thaletem hunc nonnulli fuisse autumant.

Cõsule Schol.

prorumpunt, nedum aduersus Deum quid loquuntur, ignorant, incautè se, insipienterque locutos, etiam per illatam sibi dignæ vltionis sententiam, discant.

De his, qui Dominum blasphemantes lepra perfusi sunt. Compaternitatis necessitudo.

Prudentis, & honorati apud sæculum cuiusdam Diaconi didici narratione, quod refero: In Bononiæ partibus, inquit, duo quidam viri, qui & amicitiæ inuicem fœdere, & compaternitatis, si ritè recolo, necessitudine tenebantur, in conuiuio discumbebant, quibus in mensam allatus est gallus. Quod videlicet pulmentum vnus illorum arrepto cultello, vt mos est, in frusta desecuit, tritum quoque piper cum liquamine superfudit. Quo facto, alter protinus ait: Profecto compater, sic explicuisti gallum, vt ipse S. Petrus, etiam si vellit, redintegrare non possit. Cui mox intulit ille: Planè non modo B. Petrus; sed & si ipse Christus imperet, gallus hic perpetuò non resurget. Ad hanc vocem repente gallus viuus, & plumis vndique coopertus exhibuit, alas percussit, & cecinit, plumas concussit: totumque liquamen super eos, qui conuescebantur, aspersit. Illico sacrilegium blasphemæ temeritatis dignâ pœnâ sequitur vltionis. Nam & in aspersione piperis leprâ percussi sunt. Quam videlicet plagam non modo ipsi vsque ad obitum pertulerunt, sed & posteris suis in omnes generationes, velut quoddam hæreditarium, reliquerunt. Vnde factum est, vt in famulatum subacti sint sanctæ Bononiensis Ecclesiæ, quæ videlicet B. Petri Apostoli est insignita vocabulo. Quorum progenies vt relator asseruit, huc vsque leprosa hoc illationis Canone censita est: vt ex operibus manuum suarum inferant Ecclesiæ capisteria. Sic, sic nimirum duplici pœnæ, lepræ, simul & seruitutis addicti supplicijs, instruunt alios, vt iam temerè de diuinâ potentiâ non loquantur. Et gallus qui

Matt. 26. v. 74

dudum arguerat Petrum in terrâ negantem: tunc probauit Petrum cum eo, quem negauerat, in cœlo regnantem. Et fortè non sine diuino iudicio, huiusmodi Canonis illatione sint mulctati, vt sicut triticum à quisquilijs, capisterio ventilante, discernitur, ità per discretionis magisterium discant, & quę velut quisquilias vitando repellere, & quæ quasi ad victus vtilitatem debeant verba proferre. Nam peruersi quilibet homines, dùm quid cor suggesserit, agunt: dùm quidquid lingua prurit, inconsultè, ac procaciter effluunt; si eis aliquando flagella non obuiant, Deum, vel non esse, vel humana curare non

Psal. 13. v. 1.
Psal. 72. v. 11

autumant. Dixit enim insipiens in corde suo: Non est Deus. Et iterum: Quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso? Ideoque nonnulli in ipso momento praui operis, vel è vestigio postquam nequiter agunt, motum diuini furoris incurrunt; quatenus & ipsi supernæ patientiæ diutius non illudant; & cæteri ab agendo similia se per animaduersionis eorum exempla compescant.

De illo, quē adulterio cōmisso, malignus spiritus interemit.

Enimuero cum apud Parmense oppidum degerem, ibique liberalium artium studijs insudarem, quiddam me contigit nosse, quod non inutile videtur ad posterorum notitiam styli currentis articulo tradere.

tradere. Ad Occidentem sanè prędictę Vrbis est quædam extrà muros sita Basilica, gemino beatorum Martyrum Geruasij, & Prothasij titulo decorata. Nocte quadam, quæ videlicet eorumdem Martyrum natalitia pręcedebat, vir quidam maturius surrexit, bouesque suos in pascua remotiora deduxit; cui conuicinus quidam, flamma nequissimæ libidinis inflammatus, insidiatus est, vt eius vxorem polluere moliretur. Eadem igitur nocte callidus ad domum eius explorator accessit, & occasione reperta, non diutius postquàm iste cum pascendis animalibus abiit, ille febricitare se diabolica machinatione confingens, in lectum vxoris illius vir simulatus intrauit. Cumque velut frigescens intremeret, dentium stridores emitteret, crebrius singultiret, infælix mulier, tamquàm ægrotanti viro compatiens, cœpit illum vlnis astringere, lodice contegere, & quibus valebat impendijs, confouere. At ille, vt dolorem mente conceperat, peperit iniquitatem: violat itaque alienum torum, sibique procurat interitum, moxque concitus abiit. Sed ecce vix breui temporis elapso spatio, maritus redit, stratum repetit. Cui protinus vxor expostulans, & vehementer exprobrans, ait: Optimè poteris hodie sanctorum Martyrum, quę tibi tàm contigua est, Ecclesiam ingredi; & cum cæteris Christianis diuinis interesse mysteriis. Cumq; vir attonitus, quid illa loqueretur, inquireret: euentumq; rei, sicut contigerat, per ordinem cognouisset; vterque se deprehendẽtes irrisos, ac turpissima ludificatione delusos, intolerabili doloris angustia consternati sunt. Intereà dum populus ad Ecclesiam hinc inde conflueret, vt nocturnæ laudis officium deuotus audiret; tandem & illi resumpto spiritu, nihilominus conuenerunt, atque omni verecundiæ rubore postposito, querelam suam coram omnibus deposuerunt; pręsertim mulier laceros crines euellens, & vberibus lachrymis ora tristia perfundens, lugubres emittebat vlulatus in cęlum: Domine, tu, inquit, corda hominum nosti, tu conscientiæ meę testis es: quia ego hac sanctissima nocte etiam proprij thalami viriles amplexus abhorrui, alieno pręsertim misceri viro me penitus ignoraui; te oro, Domine, non aspicias peccata mea: sed placeat coram te, vt Sanctorum tuorum vlciscaris iniuriam. In conspectu ergò populi tui nunc ostende virtutem, & ad gloriam sanctissimi nominis tui prode meæ proditionis auctorem. Producatur in medium, & immanitatem crudelissimi sceleris de suæ fraudis aufugio non lucretur. Cumque multa his similia mulier amaro spiritu non clàm, sed vociferando profunderet; & populus ei pro mœrore compatiens, idem votis, & precibus diuinam clementiam imploraret; auctor sceleris, vbi latebat, dæmoniaco spiritu repentè corripitur, & in furorem nimium, atque væsaniam rabidus efferatur. Moxque in Ecclesiam, populo obstupescente, nouiter prosiliit, omnesque in sui admirationem, semetipsum laniando, ac discerpendo, conuertit. Dans fremitus, & rugitus, propriis se manibus crudeliter lacerabat, modò velut volans in alta prosiliens, modò se cum grauissimo impetu in ima de-

Basilica Parmensis SS. Geruasij, & Prothasij.

Vxorum contactu pollutis, Ecclesiam ingredi religio.

Nocturnæ laudis officium.

mergens, modò in parietem caput incutiens, modò se in pauimentum insaniendo prosternens, omnia viscera sua miserabiliter conquassabat. Hoc itaque modo malignus spiritus eum collidere non cessauit, donec infælicē animam coram populo, qui aderat, de corpore illius euulsit. Videntes autem qui aderant, immensam auctori Deo iustitiæ gloriam referunt: qui & impunè non passus est abire peccantem, & innocentem consolatus est mulierem. Quandò autem hoc mihi relatum, fortè dicebatur, adhuc videri saxa, quibus impegerat, sanie illius, & cruore rubentia. Porrò autem & hic fortè credebat Deum, vel nescire quod occultè committitur: vel nequaquam posse, vt de scelera committentibus vlciscatur; dicens in corde suo: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. Sed siue Dei mandata calcando, siue Deum detractionibus stimulando, quis arroganter excedat, non leuis est criminis: & in paucis, siue praua committentibus, siue superba loquentibus, quos repentè diuina sententia percutit, quid cæteri, qui velut immunes videntur, ad horam mereātur, ostendit. Desinat, oro, iam desinat, quisquis ponit os suum in cœlo, vt lingua eius transeat super terram. Quod profectò tale est, qui sic Deum derogationibus lacerat; vt & contrà seruum eius de illius impossibilitate confligat.

Psal. 93. v. 7.

Psal. 72. v. 9.

Epilogus, & aduersarij in euadenda cōclusio.

Quando igitur quæstio ista proponitur, vt dicatur: Quomodo potest Deus hoc agere, vt quod factum fuit, factum non fuerit? Respondeat sanæ fidei frater: quia quod factum est, si malum fuit, non aliquid, sed nihil fuit: ac propterea non fuisse dicendum est, quia materiam existendi non habuit, quod rerum Artifex, vt fieret, non mandauit. Quod si bonum fuit, quod factum est, à Deo vtique factum est. Dixit enim, & facta sunt, mandauit, & creata sunt. Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Atque ideò tale est, quod dicitur: Quomodo facere Deus potest, vt quod factum fuit, factum non fuerit? Ac si dicatur: potest Deus agere, vt quod fecit ipse, non fecerit? Nimirum, vt quod fecit Deus, non fecerit Deus. Ideo conspuendus est, qui hoc asserit, & non responsione dignus, sed ad cauterium potius destinandus; ad confutandos tamen improbos, & dicaces memoriæ cōmendanda sunt, quæ superius dicta sunt: quæ nimirum nos ommittimus hic etiam succinctè perstringere, ne legenti fastidium valeat styli prolixitas generare. Non enim librum, sed epistolam edere proposuimus. Inter cætera tamen illud vnum, quod à nobis dictum est, memoriæ nostræ non excidat, quoniam Creatori omnium Deo, omnia posse coæternum est, sicut & omnia nosse, quodque intra sapientię suę sinum sic omnia tempora, præterita scilicet, præsentia, & futura concludit, figit, ac perenniter sistit; vt neque nouum aliquid ad se patiatur accedere, nec à se quidquam pręteruendo transire. Veruntamen, quæ est illa virtus, quæ potestas, qua potest Deus omnia; quæ sapientia, qua nouit omnia, inquiramus Apostolum: Christus, inquit, Dei est virtus,

Psal 32. v. 9. & 148. v. 5. Ioan 1. v. 3.

1. Cor. 1. v. 24.

& Dei ſapientia. Ibi ſanè vera æternitas, vera eſt immortalitas: ibi æternum illud hodie, quod nunquam tranſit: ibi præſens ſempiternum, illudque hodiernum, quod tanta iugiter ſtabilitate defigitur, vt tranſire neſciat, nec ſe aliquando in præteritum vertat. Ad reuincendam ergò dicacium hominum impudentiam, quibus adhuc propoſitę quæſtionis abſolutio ſuperius facta non ſufficit, non ineptè poſſumus dicere: quia poteſt Deus facere in illa inuariabili, & conſtantiſſima ſemper æternitate ſua, vt quod factum fuerat, apud hoc tranſire noſtrum, factum non ſit; ſcilicet, vt dicamus: Roma, quæ antiquitus condita eſt, poteſt Deus agere, vt condita non fuerit. Hoc quod dicimus, poteſt, pręſentis videlicet temporis, congruè dicitur quantum pertinet ad immobilem Dei omnipotentis æternitatem; ſed quantum ad nos, vbi continuata mobilitas, & perpes eſt tranſitus, vt mos eſt, potuit, conuenientius diceremus; vt ita intelligamus, hocquod dicitur: poteſt Deus facere, vt Roma non fuerit non condita, hoc ſcilicet ſecundum eum, apud quem non eſt transmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Quod nimirum apud nos ita ſonat, potuit Deus. Quantū enim ad æternitatem ſuam, quidquid potuit Deus, hoc etiam & poteſt; quia præſens eius in præteritum numquam ei vertitur: eius hodie non in cras, vel in aliquod temporis viciſſitudine permutatur; ſed ſicut ipſe ſemper eſt, quod eſt; ita quidquid illi adeſt, ſemper adeſt. Quapropter ſicut ritè poſſumus dicere: potuit Deus, vt Roma antequam facta fuiſſet, facta non fuerit; ita nihilominus poſſumus & congruè dicere: poteſt Deus, vt Roma etiam poſtquam facta eſt, facta non fuerit. Potuit ſecundum nos, poteſt ſecundum ſe. Illud enim poſſe, quod habebat Deus, antequam Roma fieret, immutabile ſemper apud æternitatem Dei, & intranſibile perſeuerat. Et vt de quacunque re poſſimus dicere, quia potuit eam Deus: valeamus etiam nihilominus dicere, quia poteſt eam Deus; quia poſſe eius, quod ſibi vtique coæternum eſt, fixū ſemper, atque immobile eſt. Potuiſſe enim Dei, apud nos eſt tantummodò; apud ipſum autem non potuiſſe, ſed immotum, conſtans, atque inuariabile poſſe ſemper eſt. Quodcūque enim (potuit) Deus, indubitanter & (poteſt:) apud quem nimirùm, ſicut non eſt eſſe, & fuiſſe: ſed ſempiternum eſſe: ita conſequenter, non eſt potuiſſe, & poſſe; ſed immobile ſemper, & perpetuum poſſe. Sicut enim non ait: Ego ſum, qui fui, & ſum: ſed potius, ego ſum, qui ſum: & qui eſt, miſit me ad vos; ita proculdubiò conſequens eſt, vt dicat: non ego ſum, qui potui, & poſſū; ſed, qui immobiliter, & æternaliter poſſum. Illud enim poſſe, quod apud Deum erat ante ſæcula, illud eſt hodie: & illud poſſe, quod ſibi eſt hodie, erat nihilominus ante ſæcula; & fixū, atque immobile per omnia quæ futura ſunt, ſæcula æternaliter perſeuerat. Sicut ergo potuit Deus, antequam quæque facta eſſent, vt non fierent: ita nihilominus poteſt & nunc; vt quæ facta ſunt, non fuiſſent. Illum enim poſſe, quod

Deus poteſt facere factum infectum.

Iacob. 1. v. 17.

Exod. 3. v. 14.

tunc habebat, nec immutatum est, nec ablatū; sed sicut ipse semper est, quod est, ita & posse Dei mutari non potest. Ipse est enim, qui per Prophetam dicit: Ego Deus & non mutor. Et in Euangelio: Antequam Abraham fieret, ego sum. Non enim mutatur iuxtà conditionem nostram de futurum esse in esse, vel de esse in fuisse, sed semper idem est, & semper est, quod est. Sicut ergo Deus vnus, idemque semper est, ita apud eum omnia posse, indefectiuum, atque pertransibile semper adest. Et sicut veraciter, & absque vlla penitus contradictione dicimus: quia hoc nunc, & semper Deus, hoc est, quod erat ante sæcula; ità nihilominus veraciter dicimus, quia hoc nunc, & semper potest Deus, quod poterat ante sæcula. Si ergò per omnia potest Deus quidquid ab initio potuit ante rerum conditionem, vt quæ nunc facta sunt, nullatenus fierent; potest igitur vt facta minimè fuissent. Posse siquidem eius fixum est, & æternum, vt quidquid vmquam potuit, semper possit, nec varietas temporum apud æternitatem vllum vicissitudinis inuenit locum: sed sicut idem semper, quod in principio erat; sic etiam totum potest quidquid ante sæcula poterat. Propositæ igitur disputationi adhibenda est clausula: si itaque omnia posse coæternum est Deo; potest igitur Deus, vt quæ facta sunt, facta non fuerint. Sed omnia posse coæternum est Deo: potest igitur Deus, vt quæ facta sunt, facta non fuerint. Constanter igitur, & fideliter asserendum est, quia Deus sicut omnipotens dicitur, ita prorsus sine vlla exceptione omnia veraciter potest, siue in his, quæ facta sunt, siue in his, quæ facta non sunt; vt illud Esther elogium, velut inuiolabile ponatur in opusculi conclusione signaculum: Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, & non est, qui possit tuæ resistere voluntati. Tu enim fecisti cælum, & terram, & quidquid cæli ambitu continetur: Dominus omnium tu es, nec est qui resistat maiestati tuæ.

Malach. 3. v. 6. *Ioan. 8. v. 58.* *Esther. 13. v. 11 & 12.*

Testatur charitatem suam erga fratres monasterij Casinensis. & virilem eorū virtutem commendat.

Verumtamen quæstio ista, licet aduersus Deum inaniter opponatur, habet alias latebras: continet adhuc obscuros sinus atque recessus, nos subtiliùs adhùc rimari iccircò desistimus, quia volumen vitamus extensum, qui proposuimus epistolare compendium. Præsertim dum super hac disputandi materia non aliud attingere decernimus, nisi vt ex impotentia Dei, deuolutam super nos calumniam, veritatis allegationibus repellamus. Sed dum ista perscribimus, quò cor feruentius æstuat, cohibere silentio, vt saltem scintilla non effluat, non valemus. Igitur vt iam omnes communiter alloquar, nolo vos lateat, venerabiles fratres mei, quia ex quo gloriosi Cœnobii vestri limen excessi, vos iugiter præ oculis habui; vos intimæ dilectionis visceribus astrinxi: atque, vt ita fatear, redeunti à Casino sacratissimo, idem contigit, quod mulieri, quæ reuertebatur à Silo tabernaculo, vt nimirum vultus mei non sint amplius in diuersa mutati: vobiscum sane præsentialiter habito, vobis semper assisto. Alioquin si propterea non

Montis Casini cœnobium sacratissimū. *1. Reg. 1. v. 18.*

ſum vobiſcum, quia corporalibus oculis vos non intueor: ergò nec ipſi oculi ſunt in capite, quia caput cernere nequeunt; vel ipſi ſibimet oculi abſentes ſunt: quia nec quiſquam ſe, nec vterque ſe inuicem poſſunt mutua contemplatione conſpicere. Beati ſiquidem qui vobiſcum viuunt: beati, qui inter vos, & in ſanctis operibus veſtris moriuntur. Pia nimirum fide credendum eſt, quia ſcalla illa, quæ de Caſino monte olim in cælum videbatur erecta, adhuc palliis ſtrata, lampadibuſque coruſcat. Sicut tunc excepit Ducem, ita nunc exercitum tranſmittit ad cæleſtia ſubſequentē: nec ab eius glorioſo tramite exorbitant declinantes iam defuncti, cuius dum in hoc exilio viuerent, veſtigia ſunt ſecuti. Hoc eſt intimi feruoris incendium illud, quod mihi inextinguibiliter flagrat in corde, hæc perpes fabula, quæ meo verſatur in ore. Inter cæteros autem virtutum flores, quos in illo agro pleno, cui benedixit Dominus, reperi, fateor, hoc mihi non mediocriter placuit, quod ibi ſcholas puerorum, qui ſæpè rigorē ſanctitatis eneruant, non inueni; ſed omnes, aut ſenes, cum quibus vtique nobilis vir ſedebit in portis Eccleſiæ; aut iuuenili viuendi decore lætantes. Qui nimirū vt filij Prophetarum, idonei ſunt ad Eliam per deſerta quærendum: aut certè adoleſcentiæ adhuc flore vernantes, qui iuxtà Apoſtolum Ioannem, vicêre malignum. Ecce quod nunc occurrit, dicam ad conſolationem diuini mei Petri, qui olim ciuis fuerat Capuanus, nunc in militiâ eſt æterni Regis adſcriptus.

S.Greg. 2. lib. Dialog. c. 37.

Gen. 27. v. 27.

Puerorum ſcholę in monaſterijs Benedictinis antiquitus habebantur. Cōſule Schol.

Prou. 31. v. 23.

4. Reg. 2. v. 7.

1. Ioan. 2. v. 13.

Petrus Capuā. Cōſule Schol.

Puerulus quidam, ætate quinquennis, Hubaldi ſcilicet nobiliſſimi viri, qui mecum degit in Eremo filius, in meo Monaſterio factus fuerat Monachus. Hic aliquandò intempeſtæ noctis ſilentio, quieſcentibus fratribus, ſiue egreſſus, ſiue ſublatus ſit, neſcio. Sed cùm piſtor in piſtrino iaceret, interrupto ad horam ſomno, veſtem, quę ſibi cominùs adiacebat, ſibimet voluit ſuperponere, vt frigus arceret. Extendēs itaque brachium, dormientem iuxtà ſe reperit puerum. Repentè ſtupefactus, & valdè perterritus, feſtinus exurgit, lucernam accendit, totamque domum ſollicitâ curioſitate circuiens, omnes aditus clauſos, & obſeratos inuenit. Mane autem facto, non parua admiratio inter fratres verſabatur; nimirum puer, qui remotâ omni dubietate, prętcrito veſpere in ſtratu ſuo, ipſis videntibus quieuiſſet, qualiter in piſtrinum clauſis ianuis ingredi potuiſſet. Et quidem de Apoſtolis legitur, cum educendi eſſent de cuſtodiâ publicâ: Quia veniens Angelus Domini, per noctem aperiens ianuas carceris, & educens eos, dixit: Ite, & ſtantes loquimini in templo, plebi, omnia verba vitæ huius. De Petro autem rurſus legitur: Quia cum præcederet eum Angelus de carcere ad portam ferream, vltrò aperta eſt eis. De Paulo etiam: Quia ſubitò terræ motus factus eſt magnus, ita vt mouerentur fundamenta carceris, & confeſtim aperta ſunt oſtia omnia, & vniuerſorum vincula ſoluta ſunt. Porrò autem cùm beatos Apoſtolos etiam Angeli de cuſtodijs non educerent, niſi prius ianuas aperirent; mirum eſt valdè,

De puero clauſis foribus intromiſſo.

Act. 5.

Act. 12.

Act. 16.

quomodò puer, vel magicis artibus hominum, vel præstigijs immundorum spirituum clausam vndique domum, non apertis foribus, ingredi potuit. Nam & ipse puer sollicitè requisitus, hoc addebat; quia quidam homines eum assumentes, ad magnum conuiuium deduxerunt, vbi videlicet omnes epularum delitiæ videbantur, eumque manducare fecerunt: referebat etiam, quod eum vsque ad Castellum, quod supereminet Monasterio deferentes, super ipsum tintinnabulum, quod iuxtà Basilicam in excelso dependet, imposuerunt. Hoc autem icircò duximus describendum, vt vnusquisque nostrum, dùm & ipsos pueros, qui peccare nec dùm nouerunt, maligni hostis subiacere insidiis considerat; ipse quoque, quod patitur, æquanimiter ferat. Illatas nempè à maligno hoste molestias cum quantâ debent portare patientiâ peccatores, cùm illorum aliquandò fraudes & ipsi perferant innocentes? Ergò frater ille, quem Deus visitat in tribulationibus, hortor, vt gaudeat, & tentationis impactæ malleo, animæ suæ purgari rubiginem fiducialiter credat. Non enim est, vt ipse diabolus fingit terrendo, futuræ damnationis indicium; sed æternę salutis potius augmentum. Spiritus sanctus, qui est lumen æternum, & remissio peccatorum, omnes vos illuminet, & absoluat, sedulamque mei memoriam in sanctis orationibus vestris vos habere præcipiat.

Demonum illusiones.

Animæ rubigo rebus aduersis purgatur.

EPIST. XVIII. Ad eumdem Desiderium Abb. & Card. eiusque monasterij Monachos.

ARGVMENTVM.

Hac Epistolâ, cùm in ipso statim exordio deprauatos hominum mores, & calamitosum suorum temporum statum deplorasset: illorum fælicitatem extollit, qui tempestates sæculi fugientes, ad tutissimum religionis portum confugerent. Quo in genere Casinenses Monachos præcipuè admiratur; Montem ipsum Casinum arcæ Noëticæ non dubitans comparare, quæ diluuij tempore omnis generis animantium refugium fuisset. Hinc occasione arreptâ, ad animantium naturas, proprietatesque describendas digreditur, quas (quemadmodum facit apud Græcos Epiphanius) ad hominis mores & vtilitatem mirè traducit, atque accommodat.

Domno Desiderio Archangelo Monachorum, sanctóque Conuentui, Petrus peccator Monachus seruitutem.

QVi sæculum reliquistis, quas Ereptori vestro Deo gratias debeatis, is peritè considerat, qui mundi furentis flagitia non ignorat. Pudor enim; & honestas perijt: & dum Ecclesiastici vigoris sensim disci-

plina collabitur, inundans vitiorum, ac prauitatum omnium in dies pestis augetur. Vt illum propheticum nostro potissimùm tempore videatur impleri: Non est, inquit, veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra; maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt. Et quia hæc non modò principalis censura non reprimit, sed fieri cum fauoralis assensus exultatione permittit: & ex eo risus excutitur, cui non modò gemitus, sed & furor, & impatientia debebatur; rectè per eumdem Prophetam postmodùm dicitur: In malitia sua lætificauerunt Regem, & in mendacijs suis Principes; omnes adulterantes, quasi clibanus succensi sunt à coquente. Et quoniam ardor auaritiæ, siue luxuriæ priùs tamquàm laquearia domus, atque tigilla Principes corripit, deinde per subiectos sese velut per planiora diffundit: paulopost addidit: Omnes calefacti sunt quasi clibanus, & deuorauerunt iudices suos; omnes Reges eorum ceciderunt, non est in eis, qui clamet ad me. Et quia bonos Principes malus populus non meretur, atque ideò totus mundus velut vnum corpus continuatâ criminum contaminatione perfunditur: diuina vox per Prophetam exprobrat, dicens: Vbi est Rex tuus, Israël? maximè nunc saluet te in omnibus vrbibus tuis: & iudices tui, de quibus dixisti, Da mihi Regem, & principes. Vbi & præstò subiungitur: Dabo tibi Regem in furore meo, & auferam in indignatione meâ. Vnde fit vt dùm mundi principes non iura, sed lucra conseruant, subiectos quoque procliues in malum nulla legalium sanctionum censura refrænet. Hoc mundus nostro tempore patiatur, quod per Esaiam dicitur; Omne caput languidum, & omne cor mœrens a planta pedis, vsque ad verticem non est in eo sanitas. Quamobrem summopere curandum vobis est, dilectissimi, vt immensas Deo gratias iugiter referatis, qui videlicet hoc tempore de mundo estis electi, quo constat in eo quempiam difficile posse saluari. Implestis enim quod per Zachariam, Domino vociferante, præcipitur: O, o fugite de terra Aquilonis. Et rursum: O Sion fuge, quæ habitas apud filiam Babylonis. Quibus nimirum Veritas dicit: Ego vos elegi de mundo; & quia de mundo non estis, propterea odit vos mundus. Nam velut si ferox bestia pecus inualidum mordicùs apprehendat, pastor autem, vel vnum membrum de faucibus furiose deglutientis educat; ita vos Christus de ore cruenti prædonis eripuit, dum pereunte mundo, in obsequium vos sui famulatus allegit. Hinc est, quod per Amos Prophetam dicitur: Quomodo si eruat Pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ; sic eruentur filij Israël, qui habitant in Samaria. Sic itaque per exuberantioris gratiæ munus, non ambigitur vobis fuisse collatum, quod per eumdem Prophetam alibi dicitur: Plui super ciuitatem vnam, & super ciuitatem alteram non plui. Pars vna cópluta est, & pars super quá non plui, aruit. Corda quippe terrena, atque carnalia, velut æstu squalentia diuturnæ siccitatis arescunt, quæ fluenta supernæ gratiæ compunctionis imbribus non infundunt.

Osea 4. v. 1.

Osea 7. v. 3.

Auaritia primum Principes, deinde subditos inuadit.

Ibidem. v. 7.

Bonos Principes malus populus nó meretur.

Osea 13. v. 10.

Ibid. v. 11.

Esai. 1. v. 6.

Zach. 2. v. 6.

Ibidem. v. 7.

Ioan 15. v. 19.

Religiosi quasi oues sunt de lupi faucibus ereptæ.

Amos 3. v. 12.

Amos 4. v. 7.

De quâ videlicet terrâ diuina vox ait: Mandabo nubibus, ne pluant super eam imbres. At contrà de mente illâ, quæ Dominum veraciter sitit, quæ fontem sapientiæ indeficienti desiderio concupiscit, per Esaiam dicitur: Effundam enim aquas super sitientem, & fluenta super aridam: effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam; & germinabunt in te herbas, quasi salices, iuxtà prætersfluentes aquas. Cum ergò vos Omnipotens Deus mundo subtraxit, ac sub monasticâ sibi disciplinâ seruire constituit, quid aliud fecisse cernitur, quàm velut olim in cataclysmo, de multis pereuntibus vos paucos elegit, ac in bituminatæ arcæ latibulum, vt viueretis, induxit? Claustrum quippe monasterij viuarium est animarum. Ibi quippe viuunt pisces, qui iuxta legis edicta pennulas habent: atque vt in corpus Christi transferantur, Israëlitarum mensis delitias præbent. Pisces quippe, qui squamarum pennulas habent, dare saltus etiam super aquas solent. Quid ergo pennatis piscibus nisi electæ animæ figurantur, quę profectò solæ in cælestis Ecclesiæ corpus transeunt; quia modò virtutum pennulis fultæ, saltus dare per cæleste desiderium sitiunt; vt superna per contemplationem appetant, quamuis in semetipsas iterum ex mortali carne relabantur. Claustrum itáque monasterij vtrum gurgustium, siue viuarium piscium solummodò, sicut dictum est: an etiam captabulum cælestium pecorum, vel certè auiarium volucrum per spiritalem intelligentiam rectius possumus appellare? Hanc denique triplicem animalium speciem ponit Psalmista, cum dicit: Pecora campi, volucres cæli; & pisces maris. Hanc & Osee Propheta commemorat, cum ait: In bestias agri, & in volucres cæli; sed & pisces maris congregabuntur. Quo igitur horum trium vocabulo Cœnobium rectius exprimetur? Sed vt liquidò cernitur, vniuersa, hæc tria vocabula claustro Monasterij proculdubiò congruunt, dùm in eo vnanimis, & indiuisę charitatis igne conflata spiritalium animalium diuersitas continetur. Ibi quippe spiritales, sicut dictum est, viuunt pisces, sacrarum Scripturarum fluentis iugiter innatantes. Nisi enim esset spiritale gurgustium, vbi non terreni, sed cælestes pisces spiritaliter viuerent; nequaquam Dominus ad B. Iob de typica Behemoth pelle dixisset: Numquid implebis sagenam pelle eius, & gurgustium piscium capite illius? Ibi pecora agri illius, scilicet de quo per Iacob dicitur: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. De pecoribus autem, ipsis electis scilicet in sanctæ charitatis vnanimitate viuentibus, Esaias, ait: Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, vitulus & leo, & ouis simul morabuntur. Nam per sanctæ charitatis viscera, lupus cum agno habitat; quia ij, qui in sæculo raptores fuerunt, cum mansuetis, ac mitibus in pace conquiescunt. Et pardus cum hædo accubat, quia is, qui peccatorum suorum maculis varius fuit, cum eo, qui se despicit, ac peccatorem fatetur, humiliari consentit. Vitulus autem, & leo, & ouis pariter commorantur; quia & is, qui per contritum cor ad quotidianum

Esai. 5. v. 6.
Esai. 44. v. 3.
Gen. 7. v. 17.
Monasteria viuaria sunt animarum.
Psal. 8. v. 9.
Osee 4. v. 3.
Iob. 40. v. 26.
Gen. 27. v. 27.
Esai 11. v. 6.

quotidianum se Deo sacrificium præparat; & alius qui tamquam leo, ex crudelitate sæuiebat: & alter, qui velut ouis innocentiæ suæ simplicitate peruurat, in caulis sanctæ Ecclesiæ conuenerunt. Ibi quoque cæli sunt volucres; ij nimirum, qui virtutum plumis sese in ardua subleuant, ac terrena quælibet, & sub se transire de suæ mentis arce prospectant. Dúmque per terrena repere sub carnali concupiscentię iugo despiciunt, libertatem aëris petunt, seseque ad cælestia, librata mentis contemplatione suspendunt. De quibus nimirum volucribus Dominus in Euangelio loquitur, cum granum sinapis in arborem creuisse testatur: Cum autem creuerit, inquit, maius est omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cęli veniant, & habitent in ramis eius. Nec mirum si & pecoribus agri, & volucribus cæli, ac piscibus maris, homo per figuram spiritalis intelligentiæ comparetur, cum & ipse homo propter quem scilicet cætera creata sunt, omnis creatura dicatur: Euntes, inquit, in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Nam, & naturales actus pecorum per spiritalem intelligentiam reperiuntur in moribus hominum; sicut & in hominibus aliquid inuenitur, quod ad officia pertineat Angelorum. Rerum quippe Conditor Omnipotens Deus, sicut terrena quæque, ad vsum hominum condidit, sic etiam per ipsas naturarum vires, & necessarios motus, quos brutis animalibus indidit, hominem salubriter informare curauit. Vt in ipsis pecoribus homo possit addiscere, quid imitari debeat, quid cauere. Quid ab eis mutuari salubriter valeat, quid ritè contemnat: quatenus dum a rebus quoque ratione carentibus homo rationalis instruitur, ad Auctorem suum, per viam sapientiæ cautè semper, & inoffenso tramite gradiatur. Sed vt liquidiùs valeat elucere, quod loquimur, non grauemur, aliquas hic animalium naturas apponere: & qualiter humanis congruāt moribus, strictim, ac prout epistolaris breuitas patitur, breuiter intimare. Nec tamen, vt experti simus, huiusmodi nobis peritiam arrogamus: sed id dumtaxat quod ab his, qui rimandis rerum insudauere naturis, nobis est traditum, indiscussè, & irretractabiliter iudicamus nostris opusculis inserendum.

Matt. 13. v. 31.

Mar. 16. v. 15.

Homines etiā a brutis animalibus discere possunt.

Leo itáque, cum sit fortissimus bestiarum, ac Scriptura teste, nullius paueſcat occursum, videtur etiam naturalis habere quodammodò subtilitatis ingenium. Nam cùm à vænatoribus quæritur, eorum protinus odore concepto, vt persequentium se deludat indaginem, versutæ struit fraudulentię nouitatem. Caudam quippè per terram trahens, vestigia sua, dùm graditur, operit: sicque vænantium laqueos, ne capiatur, euadit. Vænatores planè hominum iniqui sunt spiritus. Qui nimirum vænatorum more carnes quærunt, dùm quoslibet homines, vt carnaliter viuant, immaniter persequuntur. Sed quisquis ad illum Leonem pertinet, de quo per Iacob dicitur: Catulus leonis Iuda: vænatoris odorem concipit, quia versuti hostis insidias deprehendit. Cuius videlicet odorem argutè conceperat, qui dicebat: Non ignoramus astutias

De natura Leonis.

Prou. 30. v. 30.

Gen. 49. v. 9.

2. Cor. 2. v. 11.

Apoc. 2. v. 24. eius. Illis è contrario ignorantibus, de quibus Ioannes dicit: Qui non cognouerunt altitudinem satanæ. Hic etiam vestigia sua caudâ, quæ postrema pars est corporis, operit; quia vitæ veteris prauitatem regmine Psal. 31. v. 1. nouę conuersationis abscondit, sicut dicitur: Beati, quorum remissæ Psal. 84. v. 3. sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Et alibi: Remisisti iniquitatem plebi tuæ, operuisti omnia peccata eorum. Sic igitur impressa vestigia cauda Leonis operit, cum veterem vitam posterioris rectitudinis tegumentum obducit. Ad hoc etiam pertinet, quod idem leo cibum fastidit hesternum, & escæ proprię reliquias auersatur. Et tu ô homo, eo, quo satiatus fueras, prorsus abhorre peccatum; ne tamquàm Prou. 28. v. 12. 2. Pet. 2. v. 22. canis reuerti videaris ad vomitum. Adde, quia Leo apertis oculis dormit: & tu sic quiesce sopitus à mundo, vt peruigiles semper oculos Cant. 5. v. 2. habere perseueres in Domino. Sic dicitur: Ego dormio, & cor meum vigilat. Leæna mortuum parit catulum. Qui profectò per triduum mortuus perseuerat, donec tertia die pater eius aduenìens in faciem eius insufflat, sicque viuentem celeriter excitat. Contemplatiua quoque te vita ab hoc mundo mortuum pariat, cui Pater omnipotens spiritum suę viuificationis immittat. Et hoc modo, qui catulum Leonis de tribu Iudâ die tertiâ suscitauerat; te quoque inter Fidei, Spei, & Charitatis triduum, non mundo, sed sibi viuentem reddat. Vt liberâ cum Apo- Galat. 2. v. 20. stolo valeas voce cantare: Viuo autẽ iã nõ ego, viuit verò in me Christ⁹.

De Authalopo. † Anthaplon, vel Aptalon. † Authalopum quoque acerrimum nimis, & violentum est animal; adeò vt nec illi vęnator accedere, nec persecutor quisquam audeat propinquare. Habet autem longa cornua in serræ similitudine figurata, quibus nimirùm prægrandia valeat arbusta secare, terræque deponere. Cum verò sitierit, veniens ad Euphratem bibit: propter quem videlicet fluuium frutex quidem nascitur, qui Gericine vocabulo nuncupatur, habens virgulta subtilia, atque prolixa. Veniens itaque Authalopus ad Gericinam, dùm ludere lasciuiens tentat, cornua sua virgultis crebrescentibus obligat. Cum verò diutiùs pugnans, sese nullatenus valet educere, magnis incipit vocibus exclamare. His excitatus clamoribus vænator, accurrit: eumque dùm proprijs nexibus arctatur, occidit. Tu serue Dei, qui duobus es testamentis admonitus, quasi totidem cornibus inuictè munitus: quibus nimirùm & temetipsum inuiolabili valeas tuitione protegere, & aduersantes spiritus robustissimè ventilare: postquàm Deum, fontem scilicet viuum, laudabiliter Qui Dei amore feruet sæcularibus negotijs se implicare non debet. sitire cœpisti: postquam magni Euphratis, id est, cęlestis eloquij fluenta bibisti, noli iam causarum sæcularium vacare negotijs; noli te, velut petulcum animal, voluptatum carnalium irretire virgultis; ne dùm te hæc suis nexibus obligant, repentè nequissimus aduersarius impetat, ac lethale vulnus tamquàm improbus vænator infligat. Excitat enim vænatorem vox clamoris, cum te accendit flamma libidinis. Nulla quippe vox criminum sonoriùs eleuatur in cælum: De quâ ad Abra- Gen. 18. v. 20. 21. ham dicitur: Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus

est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis; Descendam; & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint. Sed vt vires amittant incentiua libidinum, declinanda est proculdubiò societas fœminarum.

In quodam nempè monte Orientis, lapides sunt igniferi, qui masculus, & fœmina nuncupantur, & dicuntur Pyroboli. Qui nimirùm cùm à se inuicem procul sunt, non accenduntur: si verò fœmina appropinquauerit masculo, protinus ex eis ignis egreditur; ità vt omnia, quæ circa montem sunt, flammis vaporantibus; exurantur. Ab ipsis ergò lapidibus edocemur, vt si consumi libidinis incendio nolumus, muliebris aspectus speciem declinemus; ne de conspectâ formâ flamma prosiliat, quæ in nobis non montis, sed mentis fruteta peruadat. De natura Pyroboli. Fœminarum aspectus est fugiendus.

Ad extinguendum itàque libidinis incentiuum operæpretium est, vt etiam Castoris imitemur exemplum. Cuius scilicet testiculi medicinalibus curis sunt permaximè necessarij. Castor itàque cùm se videt à vænatore propter genitalia persequi, hæc mordicùs abscindit, & antè vænatoris faciem projicit. Sic illicò vænator abscedit, dùm id, propter quod eum persequebatur, extorsit. Si verò contigerit, vt alter eum rursus vænator inueniat, eumque acriùs, & instantiùs persequens, euadendi aditum iamiam penitus desperare compellat, in arcto situs, in os se vænatoris erigit, sibique deesse virilia, propter quæ perurgetur, ostendit. Sic, sic ab insectantis vænabulo liberatur, dùm ostendit sibi deesse, quod quæritur. Tu quoque si vis casses intimi vęnatoris eludere, solerter à te stude titillantes illecebrosæ libidinis fomites amputare. Præcide à pectore tuo omne luxuriandi propositum, & sic quasi radicem luxurię verenda repellis, dùm libidinis actum cum ipsâ penitùs voluntate deponis. Et dùm malignus spiritus tamquàm improbus venator telis aduersum te luxurię dimicat, tu in vires te protinus erige, ac deesse tibi luxuriandi materiam testones ostende, dicens illi: Cur me persequeris? Cur me propter rem, quæ in me, iam non est, irretire conaris? En ego verenda non habeo, dùm amputato luxuriæ seminario, castitatis propositum inuiolabiliter seruo. Dicit enim mihi per Esaiam Dominus meus: Non dicat eunuchus: ecce ego lignum aridum, quia hęc dicit Dominus eunuchis, qui custodierint sabbata mea, & elegerint, quę volui, & tenuerint fœdus meum; dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius a filijs, & filiabus. Ego si quidem ex ipsis sum, de quibus per semetipsum in Euangelio dicit: Sunt eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cęlorum. Hoc itàque modo sollicitè cauendum est, ne versutus hostis tentationum suarum aculeis corda nostra transfigat, & castitatis, siue cuiuslibet boni operis fructum, astutę fraudis arte decerpat. De Castore. Vt vitia penitus extirpentur, amputandæ sunt etiam occasiones. *Esai.56.v.3. & deinceps.* *Matt.19.v.12.*

Huius autem figuram etiam Herinaceus repræsentat: qui nimirùm dùm toto corpore spinis sit obsitus, vindemiarum tempore ingreditur vineam, & quam meliorē viderit, occupat vuā. Quam mòx tā violenter De Herinaceo.

exagitat, vt omnia eius in humum grana prosternat; indéque descendens, tamdiu super eadem grana prouoluitur, donec spinarum eis aculeis omnia transfigantur. Sic vndique onustus remeat, atque hæc filijs suis alimenta comportat. Custodienda est ergò boni operis vinea, ne super eam antiquus hostis ascendat, & spiritalium virtutum turgentia ac per hoc matura grana deijciat: deinde tentationum suarum aculeis insuat, eaque, bestijs terræ, hoc est, aduersarijs potestatibus, cibum tendat. Sicque labefactatus, atque frustratus à laboribus suis homo, id, quod in Canticis legitur, gemebundus exclamet: Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodiui. Sicut enim ab Hericio botrus exuitur acinis; sic à diabolo incautus quilibet homo nudatur operibus bonis. Mille-formis enim, & callidus nequitiæ spiritus, nouæ semper artispræstigias struit; vt possit nonmodò nudare, sed & funditùs deuorare, quos decipit.

Cant. 1. v. 5.

Diabolus incautos bonorum operum fructu priuat.

De Vulpecula.

Cuius vtique Vulpecula quoque præbet imaginem, quæ dùm se mortuam fingit, mortem volucribus veraciter ingerit. Nam dùm esurit, & anxiè requirenti quod comedat, non occurrit, quęrit vbi sit rubra terra: & dùm reperit, toto corpore in ea prouoluitur, vt quasi caro nuda, & cruenta videatur: mox sese in terram quasi mortuam proijcit; flatum intra se reprimit, vt non respiret, Dumque hoc modo cruenta videtur, & turgida, ab incautis volucribus non indubitatur extincta. Descendunt itaque, vt eam comedant; sed ille repente prosiliens arripit; easque veraciter deuorat, quas ad se deuorandum fallaciter inuitabat. Huius itaque deceptor antiquus specimen exprimit, qui carnalia lucra quærentibus se quasi mortuum fingit, illisque opera sua, tamquam membra sua, quibus vescantur, exponit. Manifesta enim sunt opera carnis, quæ sunt, sicut dicit Apostolus, fornicatio, immunditia, luxuria, auaritia, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixę, dissensiones, sectę, inuidię, homicidia, ebrietas, commessationes. Hæc planè sunt iniqui spiritus viscera, hæc reproborum, & carnaliter viuentium quotidiana sunt alimenta. Ad hæc dum perditi quique velut esurientes inhiant, eos malignus spiritus tamquam volucres vulpis dolosa deglutit, eosque in sui corporis viscera traijcit. De quibus nimirùm per Prophetam dicitur: Introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt. Huius vulpis pars erat Herodes, qui capitis sui nomine censebatur; cum Dominus aiebat: Ite, dicite vulpi illi. Hæc vulpis in Scribâ illo, velut in scrobis suæ foueâ latitabat, qui ex ore Veritatis audiebat: Vulpes foueas habent. Huius vulpis fœtus & illi sunt, scilicet hæretici, de quibus in Canticis dicitur: Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.

Diabolus vulpis est species.

Gelat. 5. v. 19.

Psal. 62. v. 10.

Luc 13. v. 32.
Matt. 8. v. 20.
Luc. 9. v. 54.
Cant. 2. v. 15.

De Polypo.

Et quid mirum si regna Diaboli in dolosâ videantur callere vulpeculâ, cùm & piscibus non inferior artificiosæ fraudis reperiatur astutia? Vt dùm cunctis animantibus homo præponitur, per hæc etiam, quibus præest, cauere pericula moneatur. Polypus quippè petram in vadosis

litoribus inuenit, cui se miro modo constrictus affiigit, eiusque colorem, ac speciem induit. Obductus itaque terga in similitudinem saxi, plurimos piscium sine vlla suspicione fraudis allapsos intercipit: & dùm scopulum simpliciter opinantur, casibus eos furtiuæ artis occludit. Talibus igitur argumentis sponte veniens rapina decipitur: & dum non metuit fraudem, ignorat vltimi naufragij vitare voraginem. Sed quid petra, nisi Christus? Quid Polypus, nisi homo dolosus, & peruersus, atque ob id hæreticus? Hic affigitur petræ, & saxei mentitur schema coloris: quia sicut magister eius, se transfigurat in Angelum lucis. Adhæret petræ, quia & si non per operationē, saltē per professionem sanctæ copulatur Ecclesiæ: & velut incautos pisces arripiens deuorat, dùm hebetes quosque, ac simplices perfidiæ suæ erroribus implicat. Vnde & Apostolus ait: *Sustinetis enim si quis vos deuorat, si quis vos decipit.* Veruntamen in huiusmodi versutiis, & fraudibus animalium aliquandò salutaris allegoriæ deprehenditur Sacramentum.

Petra Christus, Polypus homo dolosus. 1. *Cor.* 10 *v.* 4. 2. *Cor.* 11. *v.* 4. *Ibid.* 2. *vo.*

Hydrus enim animal est, habitans in gurgitibus fluminum, Crocodilis feraliter inimicum. Hic itaque cùm viderit Crocodilum aperto ore in crepidine fluminis dormientem, prouoluitur in limo luti, vt faucibus illius lubrico corpore facilius possit illabi. Tunc in os Crocodili dormientis perniciter insilit, quem ille desubitatus repentè deglutit. Hydrus verò viscera eius cuncta dilaniat, donec eo iàm prorsus extincto, de cadauere illius viuus, & victor erumpat. Quid hic Crocodilus, nisi figuram tenet mortis, & tartari? Quid Hydrus, nisi victoriam innuit Saluatoris? Limo igitur Hydrus obuoluitur, dùm Redemptor noster humanæ carnis luto vestitur. Hic ventrem ingreditur Crocodili, quia DOMINUS claustra penetrauit inferni. Hic demolitur intima viscerum; & DOMINUS mortis euertit imperium. Ille corroso, ac penetrato cadauere, post victoriam redit, quia Saluator noster postquàm infernū moriēdo momordit, cum triūphali de sepulchro gloria resurrexit. Vnde morti per † Prophetam victor insultat: *Vbi est, inquit, o mors, victoria tua? Vbi est stimulus tuus?* Et iterum: *O mors, ero mors tua, morsus tuus ero, inferne.*

De Hydro, & Crocodilo. Saluator per Hydrū: mors vero, & tartarus per Crocodilum designātur. † Apostolū f. 1 *Cor* 15 *v.* 55. *Osee* 13 *v.* 14.

Charadrium quoque figuram nostri Saluatoris exprimere non ambigimus, si mirabilem eius naturam non sine admiratione pensamus. Est igitur hoc volatile totum album, nec vlla nigredinis macula reperitur in plumis. Quisquis autem est in ægritudine cōstitutus per præsentiam huius volucris valet absque dubietate colligere; vtrum se in proximo conualescere, an imminente mortis articulo, necesse sit interire. Nam si infirmitas est ad mortem, mox vt ægrotum viderit, protinus oculos suos auertit, eumque vltrà non respicit. Et sic indicium datur, quoniam ex incommoditate concepta languidus moritur. Alioquin si languidus ille victurus est, præstò Charadrius obtutum suum in eius ora defigit, ac intrà se omnem illius ægritudinem concipit: deinde contrà Solis ardorem impiger euolat, ægroti valetudinem Soli se obiiciendo, combu-

De Charadrio

rit, ac per aërem volitando dispergit. Mirabile visu, extemplo se languidus erigit, & defecatus omni passionum grauedine conualescit. Quod redemptori nostro volucris huius figura conueniat, luce clarius ratio manifestat. Instar quippè Charadrij candidus est Christus, quia nulla criminis apparuit macula denigratus. Quippè qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. De quo & Sponsa dicit in Canticis: Dilectus meus candidus, & rubicundus. Virginitate videlicet, & innocentia candidus, martyrij sanguine rubicundus. Qui nimirùm ad infirmum Israël populum pius visitator aduenit, sed faciem suam ab eo (quoniam perfidiæ, & incredulitatis morbo moriebatur) auertit: ad Gentilem verò populum, æquè scilicet languidum, cùm respexit, pietatis in eum oculos clementer infixit, in semetipsum eius ægritudinem transtulit, eumque saluti pristinæ reformauit. Verè enim, sicut per Esaiã dicitur, languores nostros ipse tulit, & peccata nostra ipse portauit. Et nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatũ; ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; Disciplina pacis nostræ super eum; & liuore eius sanati sumus. Ægritudinem verò per aërem volitando dispersit, quia potestates aëreas suis iuribus debellauit. Ad ardorem Solis ascendit, ac vim languoris exussit, quoniam ad Patrem rediens, qui est Sol iustitiæ, mortemque degluttiens, ascendit in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.

Charadrjus Iesu Christi figura. *1. Pet 2. v. 22.* *Esai. 53. v 9.* *Cant. 5. v. 10.* *Esai. 53. v. 4. & 5.* *Psal. 67. v. 19.* *Ephes. 4. v 8.*

Sed & Phœnix, volatile scilicet, quod in Indiæ, vel Arabiæ partibus habitat, eundem Redemptorem nostrum morte, simul ac resurrectione designat. Ipse enim dicit: Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hæc igitur auis mòx vt quingentos vitæ suæ annos impleuerit, ligna Libani montis ingreditur, & per alas vtrasque diuersis aromatum odoribus oneratur. Hoc itaque sacerdos ciuitatis Eliopoleos quibusdam significationum indiciis deprehendit, & mòx coaceruatis sarmentis, atque ramusculis congeriem struit: super quam videlicet struem, Phœnix aromatibus onusta descendit, seséque supposito sarmentorum igne comburit. Alia verò die sacerdos accedit; ligna, quæ composuerat exusta reperit: quorum cineres curiosè perscrutans, inuenit vermiculum valdè pertenuem, sed eximii odoris suauitate flagrantem: secundo die rediens, reperit eum auiculam per plumas, & alarum remigia figurantem: tertio demùm die sacerdos adueniens, videt perfectam, & integri status astare Phœnicem. Phœnix itaque alas refertas aromatum suauitate deposuit; quia Redemptor noster de cælo cum gemino ad nos vtriusque testamenti odore descendit, dicens: Non veni legem soluere, sed implere. Omnis, inquit, scriba doctus in Regno cælorum similis est homini patri familias, qui profert

De Phœnice. *Ioan. 10. v. 18.* *Phœnix nostri Saluatoris typus.* *Matt 5. v. 17.* *Matt. 13. v. 52.*

de thesauro suo noua, & vetera. Quæ nimirum prius reperitur esse vermiculus; Ille profectò, qui dicit: Ego autem sum vermis, & non homo. Ille, inquam, quem vermis ille signabat, qui matutinus exurgens, hederam super caput Ionæ positam dente percussit, & arescere compulit. Præcedente quippè velut matutino sole, Euangelicæ gratiæ Dominus, Synagogam, vt reuera sterilem, hederam districtæ sententiæ suæ dente præcidit, ac marescentem prorsus, & aridam reddidit. Deinde Phœnix plumefacta, & in aërem alarum remigiis armata, sustollitur; quia victor mortis Dominus ad Patris vsque consessum coniubilantibus vndique supernis virtutibus eleuatur. De quo per Psalmistam dicitur: Quia ascendit super Cherubim, & volauit: volauit super pennas ventorum. Enimuerò & nobis pro modulo nostro pennæ sunt insitæ, virtutes scilicet spirituales, quibus si viriliter vtimur, ad cælestia subleuamur: sin autem ex desidiæ torpore deponimus, necesse est, vt in surripientium vitiorum profunda mergamur.

Psal. 21. 2. 7
Ionæ vlt. v. 7.
Psal. 17. v. 11.
Hominum pennæ sunt virtutes, quibus se ad cælum subleuare possunt.

Huius rei typum tenet † Sarra, marina scilicet bellua, quæ cùm prolixas habeat pennas, mòx vt viderit nauem velificantem, alarum & ipsa præcincta remigiis, contendit velificare post nauem. Sed vix per quadraginta stadia in huius certaminis labore persistens deficit, & sic defessa alas inter discrimina marina deponit. Fluctu itaque vorante cōpellitur, vt ad locum, vnde remigare cœperat, iterum relabatur. Nauis planè, quæ velificat, sanctam Ecclesiam, vel vnamquamque fidelem animam signat. Quæ nimirum ligno Crucis euecta, spumantes fluctiuagi mundi procellas euitat, virtutumque remigio ad portum perpetuæ quietis anhelat. Sed hanc Sarra dùm persequitur, deficit; quia mollis, & dissoluta quælibet anima feruidè quidem incipit; sed in labore lassescens ad perfectionis littus, quod subire decreuerat, non pertingit. Sunt enim aliqui, qui dum alios ire per honestæ vitæ tramitem cernunt, pio desiderio prouocati post eos iter arripiunt. Sed dùm vel nimij laboris, vel inundantibus cuiuslibet aduersitatis fluctibus obruuntur, protinùs à labore deficiunt: & sic ad similitudinem Sarræ, vnde velificare cœperant, relabuntur. De quibus vtique scriptum est: Væ his, qui perdiderunt substinentiam. Et vir Sapiens: Est amicus socius mensæ, & non permanet in die necessitatis. Sed talibus Rectores Ecclesiarum impigra debent exhortatione succurrere, ac inter ipsa sæuientis procellæ discrimina fluctuantes valido prædicationum brachio roborare; vt eos naufragari pelago sorbente prohibeant, dum ad perseuerantiæ robur inconcussa constantiæ radice confirmant.

De Sarra.
† Serra.
Nonnulli feruenter incipiunt in spirituali militia, sed torpentes postea deficiunt.
Eccl. 2. v. 16.
Eccli. 6. v. 10.

Quod Echinus etiam, breuis videlicet pisciculus, innuit, qui naues ingentes plenis currentes velis immobiliter sistit. Mirum certè quomodò piscis perexiguus corpore, tam enormem Carabi molem

De Echino.

valeat inconcussè compescere, vt tanquàm fixa radicibus videatur hærere. Echinus ergò figit in fluctibus nauem; Rector Ecclesiæ non confirmet animas tentationum inundationibus fluctuantes? Sicut illi, qui dudùm vestigiis in pelago titubantibus, cœperat mergi, sed ereptoris meruit dextera sustentari, dictum est: Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Ergò Præsules animarum solerter inuigilent, ne quos de casibus sæculi semel eripiunt, rursus eos raptor inuadat, rursus ad vomitum redire compellat.

Animarum rectores quam vigilãtes esse debeant.

Luc. 22. v. 32.

De Tygride.

Cuius vtique rei per quamdam similitudinem Tygris indicio est, quę sicut astruitur, vbi vacuum raptæ sobolis cubile reperit, pernix illicò vestigiis raptoris insistit. At ille quamquàm equi fugacis agilitate præcurrat; agilioris tamen feræ quodam quasi volatu se præuerti posse non dubitat: cumque nullum sibi patere suffugium conspicit, huiusmodi tecnam captiosa fraude molitur, vbi feram sibi contiguam deprehendit, globosam de vitro sphæram ante illius oculos proiicit, at illa respiciens velut è speculo proprij corporis imagine luditur, & sobolem suspicatur. Retentat igitur cursum, dùm amplecti desiderat fœtum: sed ecce dum inani se frustratam specie comperit, totis ad comprehendendum equitem viribus fundit: sed dum stimulis iræ velocior imminet, fugienti, ille sphæram sequentis obtutibus alteram obiicit: nec tamen sedulitatem matris memoria fraudis excludit. Nam Tygris quasi lactatura prolem, cassam versat imaginem. Hoc itáque modo & Tygris orbatur, & vltio de vænatore non sumitur. Vt autem hoc ad vsus Ecclesiasticos non incongruè transferatur, quid vænator, nisi prędicator? Vnde per Prophetam dicitur: Mittam eis multos vænatores, & vænabuntur eos de omni monte, & de omni colle. Et quid hic Tygris, nisi diabolus debet intelligi? Tygridi itaque catulum rapimus cùm de mundo, qui est cubile diaboli, conuersum quemlibet hominem ad sanctitatis habitum prouocamus. Cùm ergò spiritalem post nos Tygridem currere per tentationum suarum argumenta sentimus, vitream illi sphæram obijcimus, dum fragiles sibi homines, vbi suam imaginem videat, demonstramus. Suos autem sibi demonstrare, est ab eius pestiferâ visione nostros abscondere. In suis autem hostis antiquus suam cernit imaginem, in quibus vtique reperit propriæ nequitiæ prauitatem. De his nempè vitreis hominibus, eiusque imaginem refundentibus, in Apocalypsi dicitur: Si quis adorauerit bestiam, & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte suâ, & in manu suâ, & reliqua. Studeamus igitur à Tygride catulos custodire, quos tulimus; vt à ferinis cruentæ bestiæ vberibus rapti, lacte quotidie cælestis eloquij non desinamus recreari; ne quod absit, illud nobis valeat obijci, quod Pharisæis dictum est: Væh vobis, qui circuitis mare, & aridam, vt faciatis vnum proselytum: & cum factus fuerit, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos: sed id potius, quod de se Veritas Patri dicit: Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quem-

Hier. 16. v. 16.

Per Tygridem quid mysticè intelligendum.

Apoc. 14. v. 9.

Matt. 23. v. 15.

Ioan. 18. v. 9.

quemquam. De quo & Ioannes dicit: Quia cum dilexisset suos, in fine dilexit eos. *Ioan. 13. v. 1*

Quanto denique suos amore dilexerit, per naturæ suæ vim etiam Pelicanus ostendit. Hic enim ales, sicut tradunt ij, qui rimandis animalium insudauere naturis, natos suos incomparabiliter diligit, sed dignam ei vicem ingrata soboles non rependit. Eius quippè filij mox vt incipiunt crescere, vtrumque parentem adoriuntur vnanimiter impugnare, qui repercutientes eos, quia disciplinæ modum tenere nesciunt, quodammodò eruditionis ferulam in gladios vertunt, dùm nimijs verberibus filios interficiunt: tertiâ vero die super mortuos mater incumbit, latus suum rostro percutiens aperit vnde super extinctos maternus cruor instillat, qui protinus eos ad vitã incolumes suscitat. Quæ nimirum res non tàm figura, quam euangelica videtur historia. Per Esaiam namque Conditor hominum manifestè conqueritur: Filios, inquit, genui, & exaltaui, ipsi verò spreuerunt me. Qui etiam percussus est ab eisdem reprobis filijs, sicut Pelicanus à pullis suis, sicut per aliam scripturam dicit: Insurrexerunt in me viri iniqui absque misericordia, quæsierunt me interficere, & non pepercerunt in faciem meam spuere, & lanceis suis vulnerauerunt me. Pelicanus autem suos pullos repercutiens perimit; quia Deus peruersum populum graui captiuitatum, atque bellorum clade percussit. Sicut ei per Prophetam dicitur: Percussisti eos, nec doluerunt: attriuisti eos, & noluerunt accipere disciplinam. Sed ingratis filijs bonum pro malo redditur, cum ad vitam materno sanguine reuocantur. Sapientia quippè Dei, mater scilicet omnium viuentium, in Cruce pendens latus aperuit: sicque peremptos ad vitam sacrosancti sanguinis sui profluuio reuocauit. Sed sicut auis huius, quam dicimus, fœtus duritiam exprimunt ingratæ sobolis; sic è diuerso Vpupa figuram exhibet pietatis. Vt sicut in vno reperit mens discreta quod spernat; sic in altero Christiana pietas, quid imitetur, addiscat.

De Pelicano. *Isaya 1. v. 2* *Per Pelicanũ Christus, per filios Iudæi significantur.* *Hier. 5 v. 3*

Hæ siquidem volucres cum senili grauantur ætate, vt iàm nec volare valeant, nec videre; filij parentibus suis pio compatientes affectu, vetustas sibi pennas euellunt, & eorum oculos alis proprijs confouẽt, ac totum corpus vndique velut obliniendo, ac palpando demulcent: donec toto corpore renouati, plumis vndique reflorentibus, adolescant. Sic per piæ prolis obsequium tamquam primo pubescentes flore, & visum recipiunt, & volatum. *De Vpupa.*

Sed quid miramur Vpupam misericordiæ viscera parentibus exhibentem, cum videamus & Fulicam in alieni quoque generis fœtum maternam extendere pietatem? Sicut enim à naturarum scrutatoribus perhibetur, Aquila, quæ Regina dicitur auium, pullos suos coruscantibus Solis radijs obijcit: atque in aëris vastitate libratos, pio teneros vngue suspendit. Quisquis autem illorum intrepidam oculorum aciem inoffenso tuendi vigore conseruat, hunc mater ad propa- *De Aquila, & Fulica.*

gandum regij decus generis idoneum iudicat. Si quis autem lumina sua Solis radio perstrictus inflexerit, velut degener, & indignus tàm excellenti nobilitate proijcitur: & tamquam exhæredatus, ac spurius inter filios non habetur. Et qui per infirmitatem luminis ingenuitate destituitur, generis hæreditatem quodam modo inter ingenuos filios nõ sortitur. Sed aquilinum hunc pullum à genuinæ prosapiæ sublimitate deiectum plebeia quędam auis, Fulica videlicet, quæ Gręcè dicitur φήνη, velut adoptiuum suscipit, & tanquam naturalem inter proprios fœtus clementer enutrit. Et hoc modo quem Aquila crudeliter paternæ fecit hæreditatis exortem; ista sibi quasi maternę pietatis intuitu, suis adoptauit filiis cohæredem.

De Vulturibus.

Vt igitur arma virtutum in spiritali certamine constituti, etiam à volucribus mutuemur, sicut humaná, immò Christianam obstupescimus in Fulicâ pietatem; sic etiã altiùs admiremur fœcundam in Vulturibus virginitaté. Perhibétur enim Vultures cæterarũ auium more, concubitu nullatenus indulgere: sed absque vllâ prorsus masculini sexus admixtione concipere; vt si ad castitatis habendę mundiciam humana nos exempla non prouocant, saltem de virginitate Vulturum prodiens pudor impellat: nec tantùm eos, qui ex hac fuerint stupendâ singularitate progeniti, breuis vitę finis angustat; cùm vsque ad centum annos longæua se eorum vita producat.

Vulturum vita longæua.

De apibus.

Apes etiàm sicut sunt immunes à coitu, ita etiàm nullatenus corrumpuntur in partu: & sicut in conceptu sexus sexui non miscetur, sic in edendis fœtibus nequaquam virginalis integritas violatur. Non enim vuluâ, sed vt ita loquar, buccâ sobolem procreant, & illibatè prorsùs, & integrè ab omni corruptelæ contagio perseuerant. Nam ore filios è folijs legunt, & sic successurę posteritatis examen emittunt.

Sed cur nos Virginitatis fœcundæ miraculum in volatilibus tantum prædicemus, cum in vilibus quoque reptibilibus conceptum, simul & partum non leuius admiremur? Mustela quippe, sicut Physici perhibent, per os quidem concipit, sed per aurem parit. Cui profectò si dignum ducimus, immundis, ac minusculis rebus humana conferre, cõgruè forsitan quosdam fratres minus quidem ieiunantes, sed humiliter obedientes, possumus coaptare. Per oris quippè conceptum intelligimus cibum, sicut Veritas dicit: Omne, quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur. Per auris verò partum signatur obedientia, sicut scriptum est: Populus, quem non cognoui, seruiuit mihi, ab auditu auris obediuit mihi. Sunt namque nonnulli fratres, qui vel præ valetudine corporis, vel mentis fragilitate ieiunare vix possunt, sed ad executioné obedientię, quęcumque illis iniungũtur, feruenter se accingunt; & quò validius robur per alimenta percipiunt, eo grauiores obedientię labores ferunt. Per os ergo cibum tamquam semen delectabiliter edendo concipiunt, cuius cibi fructum cum labore per obedientiam tamquam per aurem parturientes emittunt. Semen ergo

De Mustela.

Mustella obedientiæ typus.

Matt. 15, v. 11

Psal. 17, v. 45

quod per os intrat, per aurem egreditur; quia, vt ita fatear, conceptus escæ fructum parit obedientię: & quem cibus edendo velut concipiendo delectat, labor obedientię quasi parturiendo fatigat.

Aspis autem è contrà quoniam incantationibus aures obturat, obstinatæ mentis inobedientiam signat. Nam cũ eam ad os speluncæ Marsus, vt egrediatur, incantat; illa protinus vnam aurem terræ strictius imprimit, alteri caudam velut impenetrabile sufflamen opponit. Sicque dum vox venefici aurium eius interiora non penetrat, illa in cauea suâ immobilis perseuerat. Huius porro serpentis multorum prauitas hominum imitatur exemplum, qui dùm hîc terrena diligunt, illîc in posterioris vitæ longæuitate non confidunt, quasi terram, & caudam auribus suis, ne vox prædicationis ingrediatur, opponunt.

De Aspide. Inobedientia per Aspidem signatur.

Terrenarum rerum amatores Aspides imitantur.

Sed sicut Aspis eos exprimit, qui cor in terrenis, ac temporalibus figunt; sic† Ascida figurat eos, qui spem suam in cælestibus ponunt. Est enim animal pennatum quidem, sed volare non valens: est etiam naturaliter obliuiosum, ac memoriæ viribus vacuum: & ideò numquam parit, nisi cum in astra prospiciens Virgilias iam surgere in superiora cognouerit. Aestiuo itáque tempore, iuxtà Iunium scilicet mensem parit, & in Solis feruore confidens, oua sua sabulo, vel arenis abscondit, vt dùm mater sui fœtus obliuiscitur, & locum depositæ sobolis intercipit prorsus obliuio, calor Solis, & clementia simul aëris oua confoueant, ac velut ad maternæ sedulitatis accubitum fœtus erumpat. Obstetricante igitur Sole, nascuntur Ascidæ pulli, velut ipsâ matre desuper accubante confoti. Hæc itaque volucris dum obliuionis propriæ conscia, de se paritura diffidit, ad cælum prius oculos erigit, vt fœtibus suis aëris clementia suppleat, quod materna stoliditas negat. Nos etiam, vt ex nobis boni operis germen erumpat, non hæsitemus feruorem diuini spiritus de cælestibus flagitare; vt cordibus nostris, quę propria fatuitas hæbetat, ipse vires edendę salutiferæ prolis infundat.

De Ascida. †Asida. Asida eos figurat, qui spem suam in cælestibus ponunt.

Auis etiam, quæ Alcyon dicitur, in edendis fœtibus mirabilis perhibetur. Et sicut illa, quam diximus, æstiuum quęrit in edendo calorem; sic ista brumalem eligit non sine marinis littoribus hiemem. Brumali quippè tempore in arenâ marini littoris oua deponit, cùm videlicet procellarum impetus feruentius in cumulos eleuatur, ac littoribus validior fluctus illiditur. Sed, ô supernę dispositionis stupendum valdè miraculum! mox vt Alcyon super littoreas arenas oua deposuerit, quantúmlibet vndosus, quantalibet sit tempestate concussus, placidâ pontus tranquillitate mitescit. Elationes fluctuum concidunt, & omnes furentium ventorum turbines conquiescunt: & donec auis hęc oua sua cõfouet, mare tranquillũ, & quietum iacet. Septẽ porrò diebus editis ouis incũbit: septem quoque postquam nati sunt, pullos enutrit. Hoc enim breuissimi spatio temporis adolescunt, alarumque remigijs

De Alcyone.

auolare pubescentes incipiunt. His itaque quatuordecim diebus tempus serenum, mare tranquillum, & nulla prorsus efflantium stridet ventorum procella. Cuius profectò typum sancta tenet ecclesia, quæ per septennarium numerum & fouet, & nutrit: quia quos per septiformis gratiæ Spiritum in Baptismate ad Fidem parit, per eiusdem Spiritus dona ad sanctæ operationis incrementa perducit. Sed in exponendo volucris huius partu postponimus moram terere, ne & ipsi videamur fastidium legentibus parturire. Hoc ergo ideò non exponendo transcurrimus, vt tantummodò legentibus sit miraculum, sed vt altiùs considerantibus fiat spiritalis intelligentiæ Sacramentum.

Alcyon S. Ecclesiæ typus.

De Colūbis. † Pridexion.

Columbarum quoque non vulgare quoddam præbet natura miraculum. Est enim in Indiæ finibus arbor, quę Gręce † Peredixion vocatur, cuius vtique fructus nimis est dulcis, & valdè suauis. In huius igitur arboris gratiá Columbæ non modicè delectantur, cuius nimirum eas fructus reficit, & vmbra defendit. Terrerrimus enim Draco ferali eas immanitate persequitur, & cruenti gutturis barathro inhiante absorbere molitur. Sed sicut Columbę Draconem, ita nihilominus Draco formidat eam, quam prædiximus, arborem: sed præcipuè timet vmbram, ita vt si vmbra fuerit à parte arboris dextrâ, ille licet procul, fugiat ad sinistram: quod si vmbra cernitur in sinistrâ, ille vertatur ad dexteram. Donec ergò Columbæ sub arboris illius vmbraculo fuerint commoratæ, nullis eas crudelis illa bestia valet insidijs lædere: alioquin si procul eas inuenerit, sine vllo contradictionis obstaculo repentinus inuadit. Nos planè quibus simplicitas columbina præcipitur, necesse est, ad sacrarum Scripturarum arborem fugere, si cruentam Draconis intimi rabiem volumus euitare.

Per Indicam arborem designatur sacra Scriptura.

De natura Ibidis.

Sed quem Draco signat, eundem & Ibis nihilominus indicat. Est enim volatile luridum, & immundum, & obscœno fœtentium sordium squalore pollutum. Nam morticinis semper cadaueribus vescitur, & prope littora, siue maris, siue stagnorum, siue fluminum iugiter commoratur. Quærit enim si quid putridum, siue corruptum ab aquis cadauer eijcitur, vt illo, quia se timet fluctibus credere, satietur: & quia natare nesciens, nequaquàm se gurgitibus audet immergere, quibuslibet immunditijs fluctu vomente projectis, auiditatis suæ rabiem contentus est satiare. Sed quem ales iste designat, qui famis rabie fluctuum extrema circumdat, nisi illum, de quo Petrus ait: Quoniam aduersarius noster diabolus, tamquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret? Quid aquis eiecta cadauera piscium, nisi putrida, ac marcida significant corda carnaliter viuentium reproborum? De quibus dicit Apostolus: quia sunt homines reprobi, naufragi circa Fidem. Mare quippè viuentia corpora retinet, cadauera proijcit; in fluentis quoque Scripturarum hi permanere possunt, qui Deo viuunt; quisquis autem à Fide, vel rectis operibus moritur, corruptus, ac fœtidus

1. Pet. 5. v. 8

Ibis figuram gerit diaboli.

1. Tim. 1. v. 19

à Christi corpore, quod est ecclesia, necesse est, euomatur: dicente Scripturâ. Quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo. *Apoc. 3. v. 16.*

Enimuero, quia ab eo, quod antè conceperat, calore tepescit, quasi de viro, qui fuerat, sese in fœminam vertit, & hic Hyænæ meritò comparatur, quę nonnumquàm de masculo in fœminam, aliquando de fœmina in masculum commutatur, atque ideò immundum animal dicitur, & ob id humanis esibus prohibetur, de quâ per Hieremiam dicitur: Spelunca Hyænæ hæreditas mea facta est mihi. De Hyæna. Tepidi homines Hyænæ comparantur. *Hier. 12. v. 8*

Huic Panthera per diuersitatem naturæ videtur omnino contraria, quod animal colore quidē varium, sed specie pulchrū, & simplicitatis gratiâ mansuetū, soli tantū Draconi probatur esse contrariū. Hæc itáq; Panthera cùm diuersis se vænationibus refecerit, mox in suo spelæo se recipiens dormit: post triduū verò refecta soporeconsurgens, magnum emittit cum clamore rugitum, cum quo simul rugitu tàm miræ suauitatis, atque fragrantiæ odor egreditur, vt omnes pigmentorum, vel aromatum species vincere videatur. Omnes autem bestiæ saltuum, ad quas odor ille pertingit, ad eam protinus confluunt, ac tantæ suauitatis spiramine delectantur, solus autem Draco cùm vocem eius audierit, nimio terrore contrahitur, ac subterraneis illicò specubus occultatur, ibique vim tanti odoris nullatenus ferens, rigidus obstupescit, & effœtus viribus, ac prorsus inanis tamquam mortuus deficit. Cætera verò animalia, quoniam iucundæ suauitatis odore pascuntur, redolentis Pantheræ, quocumque pergat, vestigia non relinquunt. Quantis expositionis flosculis hæc posset exuberare materia, qui sacris vacat eloquijs non ignorat. Sed nos hinc quantocyus expediri volumus, quoniam ad alia festinamus. Panthera planè omnia capiens interpretatur, quod illi congruere non ambigimus, qui dicit: Si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipsum. Varia est, & Christus omnium Gentium est varietate vestitus. Et quoniam Panthera pulchra est, ab ipso non dissonat, de quo scriptum est: Speciosus formâ præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis. Et Sponsa in Canticis: Ecce, inquit, tu pulcher es, dilecte mi, & decorus. Quod verò mansuetum est animal; & de Christo per Esaiam dicitur: Gaude, & lætare filia Sion, prædica filia Hierusalem, quoniam Rex tuus venit mansuetus, & saluans. Qui dum dicit: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis; tamquàm quibusdam vænationibus satiatus est primitijs electorum. Ipse, qui dormiuit in morte per triduum, postmodùm emisit rugitum Apostolicæ prædicationis, & per siluas omnium Gentium fragrantiam spiritalis diffudit odoris. In omnem enim terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Qui etiam dicunt: Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam in Christo Iesu Domino nostro: & odorem notitiæ suæ manifestauit per nos in omni loco; quia Christi bonus odor sumus Deo in ijs, qui salui fiunt: & in ijs, qui pereunt. Alijs quidem odor mortis in mortem, alijs odor vitæ in

De Panthera. Pantheræ etymologia. *Ioan. 12. v. 32* Panthera Christi figura in multis. *Psal. 44. v. 3* *Cant. 1. v. 15* *Esai 62. v. 11* *Zach 9. v. 9.* *Ioan 4. v. 32* *Psal. 18. v. 5.* *1. Cor. 2. v. 14*

vitam. Hic est igitur odor spiritualis gratiæ, hæc fragrantia salutis humanæ, quam Panthera cęlestis eructat, vt ad se feras siluarum, hoc est, Gentium multitudinem trahat. Solus autem Draco in subterraneæ scrobis voraginem mergitur, quia veternosus hostis, qui iuxtà Ioannem dici- *Apoc. 20. v. 3.* tur diabolus, & satanas, de cælo proiectus, atque in abysso est supernæ sententiæ catenâ ligatus.

De Salamādra. Salamandra quoque, licet exigua, mirabilem fertur habere naturam, adeò vt si casu aliquando in igne mergitur, omnis ignea vis tamquàm inundantis aquæ profluuio protinus extinguatur. Et vt quid per hoc figuretur, eluceat, humilitas patientiæ reprimit flammiuomum hominem à feruore vindictæ.

Per Salamandram patientia design.

De Dorcade. Dorcas etiam, quæ Latinè Caprea dicitur, non inutile conuersationi nostræ naturæ propriæ præbet exemplum. Hęc habitans in cacuminibus montium, vim habet non modo subtiliter videndi, sed & mirabiliter discernendi; ità vt in longinquis, ac procul remotis regionibus homines videat, & vænatores an viatores sint, sagaciter deprehendat. Nos quoque si terrena deserentes, excelsâ mentis arce subnitimur, ad discernendos spiritus, si ex Deo sint, per diuinitus impensam discretionis gratiam subleuamur: vtrùm scilicet tamquàm viatores nos ad patriam dirigant, an sicut vænatores ad substratos tentationum suarum laqueos, & obiectos insidiarum casses impellant.

Capra quid allegoricè significet.

Lynx quoque tàm incomparabile visus acumen habet, vt non modò quodlibet corpus solidum, sed & lapideos parietes penetret. Quod nimirùm hoc modo probatur, quia si Lynx ex vnâ parietis parte consistit, caro verò altrinsecus ponitur, tamquàm nihil intersit, ad eam protinus inhiat: atque vt sibi præbeatur, anhelat. Si ergò mutum pecus tàm viuax intuitus acumen habet, humanæ mentis intima Deus omnipotens quantò profundius videt? Viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ, ac spiritus, compagum quoque & medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis, & nulla creatura est inuisibilis in conspectu Dei. Omnia autem nuda, & aperta sunt oculis eius.

De Lynce.

Hebr. 4 v. 12

De natura serpentum. Sed & in Serpentibus quoque nonnulla naturalis astutiæ reperiuntur indicia, quę non inutiliter ad nostræ conuersationis trahuntur exempla. Serpens enim cùm senuerit, & oculi eius cœperint caligare, per circulum quadraginta dierum, totidemque noctium nullo prorsus cibo reficitur, sed iugis inediæ continentiâ maceratur. Sic nimirum quò magis macilentâ corpus eius ariditate constringitur, tantò pellis eius squamosa laxatur: & dùm caro à suâ corpulentiâ deficit, pellis effœta follescit: deinde vel hiatum durę terræ, vel scissuram lapidis quęrit, ac per illius angustias se suffulciens transit, sicque pellem penitùs cum senectute deponit: mox itàque fit nouus, cui simul & virtus reparatur, & visus. Nos etiam si aliquandò à iuuenili sancti desiderij

feruore tepeſcimus, & diſſolutæ vitæ ſenio caligamus, per arctæ pœnitentię tranſeamus anguſtias; vt dùm veterem exterioris concupiſcentię deponimus pellem, ad pristinam redeamus interioris hominis nouitatem. Eſt & alia natura ſerpentis, quia cum bibere concupiſcit, antè venenum euomit, hauſtâ verò ſufficienter aquâ, ad locum vbi vomuerat, redit, vomitumque reſumit.

Vitæ in meli' renouatio per ſerpentem deſignatur.

Presbyter quidam retulit, quia ſub oculis eius ſerpens in lapide vomuit, deindè feſtinus ad fontem bibiturus irrepſit; ſed dùm ille peteret fontem reuoluit Presbyter lapidem; reuerſus autem ſerpens, dum venenum, quod reſumeret, non inuenit, huc illúcque perquirens, protinus expirauit. Nos etiam cum cœleſtis eloquij fluenta deſideramus haurire, per conatum puræ confeſſionis omnia vitiorum, & lapſuum venena debemus euomere. Sed abſit, vt reuertamur ad vomitum: quia non per terram cum ſerpentibus repere, ſed ad ea, quę ſurſum ſunt, pręcipimur feſtinare. Illud eſt præterea ingenuum, ac valdè nobilius in ſerpente, quod dicitur, quia fugit hominem nudum, aggreditur mordere veſtitum. Ac ſi fortis quiſque bellator inuadat armatum, vereatur inermem. Non vis ergò timere Diabolum? terrenarum rerum te veſtibus exue. Veſtitus es? cingentem colubrum perhorreſce. Vis ad ſerpentis exemplum nouus fieri, & languentis animæ ſenectutem in pubeſcentis adoleſcentię reflorere decorem? Ieiuna cum ſerpente per quadragenarij temporis circulum; hoc eſt, à carnalibus deſiderijs tempera per omnem huius vitæ decurſum. Nam & idem ſerpens quanta ſit ieiunij virtus oſtendit, quia mox vt ſputum ieiuni hominis guſtat, protinus interemptus expirat. Non ergo, ſerue Dei, te pigeat ieiunare, vt moriatur ille, qui te cibo turgidum nititur degluriens abſorbere. Serpens præterea totum corpus ictibus verberantis exponit, ſolum caput abſcondit. Tu quoque in perſecutionibus conſtitutus, Chriſtum intrà mentis arcana reconde; corpus verò tuum, ſi res exigit, perſequentium manibus trade.

Coloſſ. 3. v. 1.

Eſſe quoque Viperarum genus creditur, quod ſi hominem mordeat, totum corpus eius in virus vertat. Propterea quoddam aliud eſſe Viperinum genus aſſeritur tàm acris veneni, vt ſi qua auis ſuper illud volare cōtigerit, exhalantis virtute fœtoris extēplò moriens corruat. Quę videlicet hac coëundi, vel pariendi conſuetudine naturali potiuntur imperio, vt maſculus in os fœminæ caput impingat, quod illa præ nimij amoris impatientiâ mordendo pręcidat, ac præſto deglutiat. Ex cuius capitis oculis duo catuli procreantur, qui partus tempore materna latera vtrinque corrodunt: & ſic altrinſecus ſimul occidentes, & naſcentes erumpunt. Qui nimirum ante ſunt parricidę, quam filij: & ideo numquam pręter duos, valet huius generis excedens aliquid inueniri.

Viperarum proprietates.

Eſt etiam, ſicut fertur, aliud genus, quod dicitur Iaculum, quod volando repentè hominum penetrat: & ità pertranſit, tamquàm nil ſibi

Iaculi Serpentus vis.

prorsus obsistat. Ad instruendam quippe humanam naturam pius Conditor diuersas brutis animalibus vires, & astutiam contulit, vt ex belluinæ quoque sagacitatis indagine non contemnenda in nostros actus valeamus exempla transferre.

De Onagro. Quis enim docuit Onagrum, vt in æquinoctiali mensis Martij perpendiculo per duodenas horas diei, simul & noctis totidem rugitus emittat? & velut per naturalis horologij organum, horarum momenta distinguat? Per singulas enim horas, siue diei, siue noctis semel rugit, ac per hoc æquinoctialis libræ adesse tempus ostendit.

De Elephãte. Quis docuit Elephantem perpetuam diligere castitatem? Qui tamen cum naturæ coactus imperio vertens caput post se, quasi nolendo, & nauseando coierit: & concipiens semel fœmina, ad concubitum non reuertitur. Illa verò, dùm Draconem, qui sibi feraliter insidiatur, tremefacta formidat, non alibi, sed in aqua parit, quæ ad vbera eius vsque pertingat. Nam si extrà aquam pepererit, Draco catulum eius repentè deuoraturus inuadit.

De Vnicorni. Quis hanc ingenuitatem Vnicorni contulit, vt dedignetur, viribus vinci, humilitatis arte patiatur se facile superari? Numquàm scilicet à venatoribus capitur, nisi prius in virginis gremio reclinetur.

De Aquila. Quis hoc medicinę genus Aquilę tradidit, quæ cùm senuerit, & grauari cœperint alæ eius, atque oculi caligare, tunc quærit fontem aquæ, contrà quem posita volat vsque ad circulum Solis, illicque in puriori ætheris vastitate librata, ad vaporem Solis & alas incendit, & caliginem oculorum prorsus exurit, mòxque descendens tribus in fontem vicibus mergitur, & sic alarum vigor, & oculorum acies multò melius, quam iuuentus attulerat, renouantur?

De Formica. Quis quęso Formicam, ad hoc triturandi genus instituit, vt segetum grana discernat, & ignobilia respuens, elegantioris frugem generis eligat? Aceruum quippe segetis diligenter explorat, & hordeum quidem tamquàm iumentorum pabula quodam modo fastidiens, aspernatur; vbi verò triticum reperit granum, libenter amplectitur. Hæc etiam venturæ serenitatis tempus quibusdam deprehendit indicijs, & cùm cellaria sua aërio cernit humore madescere; proprijs humeris repositas victui suo fruges exportat, & damna domestica præcauens, torrentibus eas radijs Solis exsiccat; & tamquàm non sufficiat, eadem ore proprio grana præcidit, ne videlicet per hiemalis inclementiam imbris iterum turgeant, & negatâ spe victus in herbas erumpant.

De Vipera. Quis etiam Viperam docuit, vt cùm cupiditas coitus incitat, ad littus illico properans, Murenæ maritimæ copulam petat? Hac igitur sibilis suam testificante præsentiam, continuò Murena progreditur, & venenatę bestiæ alterius elementi miscetur.

De Accipitre. Quis Accipitribus huiusmodi legis iura præfixit, vt vbi nidificant, per amplum hinc inde circuitum nullis omnino rapinis insistant? & cùm ab eis vbique locorum nisi bello non viuitur, illic vbi victores hostium

hostium manubias cōferunt, pax tranquilla seruetur? At vbi fœtus suos iam plumescentes auolare posse deprehendunt, pedibus eos, ac rostro nidis eliminant; & tanquam emancipatos legibus, à sua procul cohabitatione propulsant; vt sic à tenero iam instituantur ad prædam, nec in segnitiem se, sperantes à parentibus alimenta, resoluant; sed ab ipso primi volatus exordio crebris rapinarum violentiis assuescant.

Vbi prætereà Vrsa didicit, cùm partus edat informes, natos suos lingente lingua per varia membrorum lineamenta distinguere: ac more figuli in naturalis effigiem generis, effigiemque formare? Immò quis medicinalis artis instrumenta perdocuit, quis ei vires herbarum, & curationis fomenta dictauit? Nam si quandò ictibus grauissimæ cædis afficitur, vel etiam iaculis perfossa sauciatur, herbæ, cui Græcè φλόμος nomē est, vulnera subiicit: & sic solo tactu omnes vlcerum dolores excludit, & ad incolumitatem pristinam conualescit. Serpens quoque, quod nos superius fugerat, si cæcitatem patitur, esu feniculi luci pristinæ reformatur. Mox igitur, vbi oculos sibi sentit obduci, notum petit præstò remedium, nec spei suæ frustratur effectu. Testudo visceribus pasta serpentis, cum venenum suis quoque sentit visceribus serpere, origanū sibi protinus ad remedium non negligit adhibere. Vulpis etiam dolosa cum mortem sibi senserit imminere, ex sudante pinus sibi resina medetur, talique remedio in longioris vitæ spatia protelatur. Nam & ipsa animalia, quæ sibimet adhibent à rebus exterioribus medicinam, in suis quoque visceribus medendi probantur habere materiam. De carnibus Viperæ, quæ Tirus dcitur, non modò theriaca conficitur, sed & diuersa medendi remedia prouidentur. Segmenta eboris in medelas varias assumuntur. Fel Hyæne, restituit oculis claritatem, cuius stercus similiter & canum vulnera curare noscitur. Omnis etiam ægra fera si canis ebibit sanguinem, recuperat sanitatem. Nam fimus hominis ad quanta curationum medicamenta proficiat, Galenus enarrat.

De Vrsa.

De Serpente.

De Testudine.

De Vulpe.

De diuersis animalium medicinis.

Strutio, Camelus, Ranæ; Camaleontes, Grues, Ciconiæ, fel Aquilæ, sanguis Accipitris, stercus & carnes Hirundinis, quibus morbis afferāt medicinam; ille potest dicere, cui propositum est de curationibus corporum disputare. Perhibent Physici, quia pellis colubri, quam deponit, si oleo feruente decoquitur, mirè per eam dolor aurium mitigatur. Cimices nescientibus nullius videntur vtilitatis, sed si sanguisuga faucibus hæserit, fumo illius excepto, statim euomitur: insuper, & difficultas vrinæ cimicis appositione laxatur. Prætereà Porcorum, Anserum, Gallinarum, Fasianorumque pinguedines, quot in se medicamenta contineant, medici non ignorant. Pauonis fimus podagræ noscitur mitigare feruorem. Æger Leo si Simiam deuorauerit, mox de valetudine cōualescit. Leopardus si agrestis Capreæ sanguinem hauriat, vim languoris euitat. Vrsus æger formicas vorat. Ceruus languidus oleæ ramusculos, vt sanetur, efflagitat. Cur autem hæc omnia potens rerum Conditor naturis

Galenus.

animalium indidit, nisi quia diuersa per hæc homini vitæ huius emolumenta prouidit? Vt dum creaturæ, quæ subiectæ sunt homini, sese inuicem fulciunt, ad vtilitatem eius, qui prælatus est omnibus, omnia referantur. Et dum in operibus suis bonitatem miratur Opificis, ipse non hæreat conditis, sed aspectum desideret Conditoris. Omnes planè naturas animalium, quas suprà perstrinximus, si quis elaboret solerter inspicere, vtiliter poterit in humanæ conuersationis exempla transferre; vt qualiter homo viuat: ab ipsa quoque rationis ignara pecorum natura condiscat. Nam vt Apostulus ait: Non est Deo cura de bobus, sed dùm in brutis animalibus aliquid insigne conspicitur, homo protinus, vt quidquid illud est ad sui considerationem retorqueat admonetur.

Bestiarũ proprietates considerare, summa vtilitas est.

1. Cor. 9. v. 9.

De Lupo.

Quid est enim, quod Lupus si tuo fuerit præuentus aspectu, non valet effugere; si te ille præuenerit, vocem tibi probatur auferre? Et vt magis stupeas, si obtinueris, tuũ soluis amictum, & illicò recuperas verbũ. Quod si Lupus in te fortè repentinus insurgit, arripe petram, & protinus fugit. Quæ autem est petra, nisi Christus? quem profectò, si sicut dignum est, arripis, Lupum spiritalis nequitiæ, qui te persequitur, effugabis; & vt hinc incunctáter expediar, solue amictum tuũ per confessionẽ, vt non mutus, sed eloquens serendæ prædicationis habeas libertatem, Scriptura testante: Dic tu iniquitates tuas, vt iustificeris. Quis quęso docuit Ouem, vt hiemis inopiam timeat, atque ideò velut insatiabilis autũnalis tempore herbas inexplebiliter carpat? Auidius enim solito tunc pabulum rapit, herbamque non nesciens defuturam, sese, dum licet, vberius farcit, vt quasi futuræ præparetur inopiæ, & victus sui lucra reponat, antequam virens herba deficiat. Sed nec illud est sine causa, quod Elephas formidabilis tauris, Murem timeat. Leo Rex ferarum pauescit exiguum scorpionem. Qui videlicet leo & veneno Serpentis, & aculeo perimitur Scorpionis. Et quis non veretur, quod Leo, qui comantes ceruice tauros excutit; qui sublato pectore terribilia feris ora superbus attollit, perexigui Scorpionis aculeum pertimescit? Quis etiã admiratione ducat indignum, quod Elephas qui turrita castra tot loricatis plena militibus portat, vnius arboris ictu depressus occũbat? Nam qui triginta duos armatos, vel plures, & cum turribus ad instar vrbium desuper eminẽtibus sustinendo non cedit, ad casum vnius arboris corruit. Cui videlicet arbori frequenter innixus, vel constans figat, vel in soporem se quiescendo relaxat. Nonnulli quoque has instruunt propter ebur insidias, vt arborem quam Elephas innitendo frequentat, ex altera parte vsque ad medium ferè concidant, & sic arbor ad tàm enormis molem corporis corruat. Sed dum quasdam animalium naturas ad ædificationem vestram, fratres mei, diligentius enumerando prosequimur, nequaquàm obliuiscendum est, quia non librum, sed epistolam adorti sumus: quamobrem currentis articuli cohibenda libertas, frænanda voluntas est, quatenus sic ædificationi charitas seruiat, vt tamen modum suum epistolaris compendij sobrietas non excedat. Monasterium itaque vestrum, dilectissimi, quidam paradisus est, in quo videlicet

1. Cor. 10. v. 4.

Esai. 43. v. 20.

De oue.

Monasterium Casin. quidam paradisus est.

omnipotens Conditor dum diuersos hominum mores posuit, quasi tria animalium genera, terrenum, natatile, ac volatile creauit. Hæc est illa vetus mysticæ significationis arca, in qua cunctorum animalium species includuntur. Hoc est denique Vas illud, quod quatuor manicis submitti de cælo vidit Petrus in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cæli. Sed cum illic dicatur: Surge: Petre, macta, & manduca, credimus per misericordiam Christi, quoniã hæc animalia, quæ vos estis, & ab hoc sæculo sunt diuini Verbi mucrone concisa, & in Redemptoris sui corpus perfectæ charitatis ardore cõflata. Sed valdè cauendum est, quia nec dum in littorea statione quiescitis, sed in procellarum adhuc turbinibus laboratis; ne flabrum ab ore vestro vani spiritus effluat, qui huius ignis flammas extinguat. Flatus enim & aliquandò flammas elicit, & aliquandò flammas extinguit: atque, vt ita dixerim, quasi sufflat. Homo cum sacræ doctrinæ mysteria prædicat, sufflat; & cum otiosis fabulis vacat. Sed sicut per ædificationis verba ad amorem Dei cor audientis inflammat, sic agit vt à supernis desideriis per otiosa verba frigescat. Sed flatus iste, quem diximus, fortè ridiculum deputabitur, nisi sacræ Scripturæ testimoniis approbetur. Audi itaque de salubri flatu quid per Esaiam Dominus dicat: Non in æternum litigabo, neque vsque ad finem irascar; quia spiritus à facie mea egredietur, & flatum ego faciam. Audi sub aliis syllabis de malo spiritu quid Paulus dicat: Prophana, & vaniloquia verba deuita. Multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum serpit, vt cancer. Audi rursus per Esaiam benè sufflantem; Ecce, inquit, ego creaui fabrum sufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus sum; ac præstò de inutilibus vasis, quæ scilicet in contumeliam per otiosa verba formantur, adiungitur: Et ego creaui interfectorem ad disperdendum omne vas, quod fictum est, contrà te non dirigetur. Quid autẽ sit istud vas, quod ab interfectore dispergitur, apertissimè declaratur, cùm præstò subiungitur: Et omnem linguam resistentem tibi in iudicio, iudicabis, Quid est autẽ quod hîc Esaias ait: Omnẽ linguã resistẽtẽ tibi iudicio iudicabis, nisi hoc, quod in Euãgelio Veritas dicit: De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij. Fateor, fratres mei, nil ferè in monasterijs agitur, vnde mẽs mea terribilius super monachos imminere Dei iudiciũ suspicetur. Nam cõtinuò meatus impulsu, quasi torrens per decliua deuexa procedens, eorum lingua decurrit: & cùm tintinabulum sonat, sic illis est, tamquam si repentino protinus ictu eorum caput illidat. Quod tamen de quibusdam, absit autem vt de omnibus dicam. Quia verò præcipit Regula, vt à Pascha vsq; ad Kal. Octob. manè exeũtes à prima vsque ad horã pænè quartã laborẽt, quod necessariũ fuerit, ab hora autẽ quartâ, vsq; ad horã sextã lectioni vacẽt. His omnibus horis laborandi, ac legendi studiũ quidã postponẽtes abutũtur in fabulis; & quidquid laboribus, & lectionibus debent, totum vaniloquis sermonibus exhibent. Vir etenim Sanctus, qui regulam cõdidit, numquàm mutaret horam, nisi pro-

Arca veteris testamenti.
Vas è cælo allatum.
Act. 10. v. 13.
Etiam viris perfectiorib⁹ in via semper timẽdum est.
De vaniloquij temeritate fræznanda.
Esai. 57. v. 16.
2. Tim. 2. v. 16.
Esai. 54. v. 16.
Ibid. v. 17.
Matt. 12. v. 36.
Monachorũ exercitia.
S. Ben. Reg. c. 48.

pter continuandi laboris instantiam: nec quartam pro tertia poneret nisi necessariò laboris exercitio prouideret. Sed profectò & illi operarij sunt iniquitatis, qui linguarum manus exercent in sermonibus otiosis. Numquid enim manum lingua nō habet, cùm Scriptura perhibeat:
Prou. 18 v. 21. Quia mors, & vita in manu linguæ? Et quàm inhonestum est, vt in hoc munere, quo creaturis omnibus homo præponitur, ipse largitor ab homine frequentius offendatur? Et cùm naturis reliquis homo præsideat, easq; suæ ditionis legibus subdat, quanti pudoris est, vt carunculam tenuem, quam inter fauces includit, edomare non possit? Vnde & Iaco-
Iacob. 3 v. 7. bus dicit: Omnis natura bestiarum, & volucrum domabilis est; linguam autem nullus hominum domare potest. Nullius quippè fræna Doctores coërcere valent linguā se cohibere nolentis: alioquin si pulsat, & nititur, quod optat, proculdubiò consequetur. Porrò quod animalia cuncta humanæ ditioni subdantur, loquens ad Noë vox diuina testatur:
Gen 9 v. 2. Terror, inquit, vester, ac tremor sit super cuncta animantia terræ, & super omnes volucres cæli, cum vniuersis, quæ mouentur super terram: omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt. Nam vt ab homine etiam serpentes edomari propensiùs admiremur, Plinius immanissimam serpentium Aspidem à quodam patre familias in Ægypto testatur edomitam, & quotidie de cauerna sua ad mensam illius egredi solitam, vt perciperet escam. Marcellinus etiam Comes scribit mansuefactam Tigridem Anastasio Principi ab India destinatam. Hoc igitur exem-
Iacob. 3. v. 7. plo congruè dicit Apostolus: Omnia siquidem ferarum genera in lingua reperiuntur. Ibi quippè est leuitas volucrum, ibi ferocitas bestiarum, ibi fraus virulenta serpentium. Volatiles enim sunt, qui ponunt in cælum os suum & quorum os locutum est vanitatem, quasi volucrum leuitatem, feroces autem bestię sunt, qui exacuerunt vt gladium linguas suas: serpentes postremò sunt, de quibus dictum est: Quia vene-
Psal 143. v. 11. num Aspidum sub labiis eorum. Vbi ergò superuacuis vacatur ineptiis,
Psal. 63. v. 4. & quasi symbola congeruntur verbis otiosis, apud intrinsecus auscul-
Psal. 13. v. 3. tantem non sermones hominum, sed quasi multigena decernitur vociferatio bestiarum. Ipse nimirum est de quo in Canticis dicitur: Di-
Cant. 2. v 9. lectus meus respicit per fenestram, respicit per cācellos. Et ipse per Pro-
Hier. 8 v. 7. phetam, Attendi, inquit, & auscultaui; nemo quod bonum est, loquitur.

[Serpentes ab homine possunt etiam edomari.]

[Marcellinus Comes.]

[Omnia ferarum genera in lingua continentur.]

Sed vt noster sermo ab ea, quam semel cœpit, materia non recedat, & loquentium vitia per non loquentium animalium prosequatur exempla, nunquàm hostis fauces Hydrus ingreditur, nisi cùm Crocodilus oscitans inuenitur. Nam si clausum os teneat, insidiantis impetum non formidat. Authalopus cùm exclamat, ad suum ignarus interitum gladios vænatoris inuitat, quod donec obticuit, persequentis industriam fugacis cursus opinione delusit. Atque vt hoc inferam, quod Cancer Ostreo, facit plerūque diabolus monacho. Cancer enim, quoniam Ostreis vescitur delectabiliter, eorumq; carnibus tāquàm epulis

[A brutis animalibus etiā edocendum.]

[De Cancro, & Ostreo.]

ſaginatur, operæ pretium eſt audire, quas illis ſtruat inſidias. Nam cùm auidè ſit appetens cibi, eſt argutè proſpiciens & periculi; quoniam cùm ſit difficilis, eſt & periculoſa vænatio. Difficilis quidem, quoniam eſca carnis interior validioribus teſtis includitur: Periculoſa verò, quia ſi chelas Cancer immiſerit, relabente protinus teſtarum dyptico, incuaſibiliter coarctatur. Quid ergò faciat, vt valeat obtinere quod flagitat? Quo pacto deſiderii ſui vota perficiet, niſi ad exquiſitæ ſe fraudis argumenta conuertat? Igitur ſolerter explorat, ſi quandò Oſtreum in locis ab omni vento remotis, ſe contra radios Solis aperiat; tunc ergò calculum clandeſtinus incurſator immittit, & concluſionem Oſtrei interiectu ſufflaminis impendit: ſicque hiantia clauſtra reperiens, tutò iàm chelas ingerit, & viſcera Oſtrei interna decerpit. Quid igitur Oſtreum congruentius videatur ſignificare quam Monachum? Qui nimirũ viuit, dùm ſub ſilentii cenſura concluditur; perit autem, cùm ad loquendum immoderatius aperitur. Ad inſtar ſcilicet Oſtrei, qui cùm nõ hiat, integer animam ſeruat: cùm verò effrænatè proloquitur, vitæ viſceribus vacuatur. Quid enim deſignat calculus, qui Oſtreæ, ne recludatur, inijcitur, niſi duritiam conſuetudinis, qua quiſque ne ſeſe ad pœnitentiam emolliat, induratur? Nam quaſi quidam lapillus prauę conſuetudinis obſtat, ne is, qui fabularum vacat ineptijs, à ſuâ ſe vanitate recludat. Quid autem eſt per figuram Cancer, qui poſt ſe naturaliter graditur, niſi apoſtata ſpiritus, qui poſtquam ſemel à Conditore receſſit, in poſteriora relabi numquàm deſijt? Vnde & diabolus interpretatur deorſum fluens, quod ſicut de ſanctis animalibus dicitur: Quoniam erant pedes eorum recti; ità diaboli, eiuſque ſequacibus pedes in poſteriora ſunt ſemper obliqui.

Monachus per Oſtreum deſignatur.

Cancer diaboli figura.

Diaboli etymon.

Ezech. 1. v. 7.

Et quia ſe ſermo de pedibus intulit, ſicut vænator Simiam, ſic plerúmque verſutus inſidiator illaqueat animam. Et quidem non ſcriptum reperi, ſed ex ore perhibentis audiui: Quoniam qui Simiam quærit capere viuam, prius ſibimet punicei coloris calceos conſuit, quibus & ſoleas de plumbo ſubnectit; cùm verò Simiam eminus aſpicit, eâ cernente, pedibus ſuis calceos rubris ęquè corrigijs illigat, eamque hoc modo quid poſtmodum faciat, quaſi Doctor informat: deinde latenter ſoluens ibidem calceos deſerit, ſeſeque propè locum callidus explorator abſcondit. Simia verò poſt vænatoris, vt opinatur, abſceſſum humani actus æmula relictos calceos ſuis quoque pedibus iniicit, ac ligulis fortiter ſtringit; ſed ecce venator de ſuo protinus latibulo proſilit, diſcipulamq; ſuâ propriis irretitã vinculis capit. Sic ſæpè malignus ſpiritus per vaſculũ ſuũ, quemlibet videlicet improbũ, ac proteruũ, docet innocentes homines peccatorum vinculis irretiri; vt ad mala, quæ coram intuentibus exhibet, eos ipſe quaſi dux, & magiſter inuitet: & dum prauum æmulus ſequitur, ſuis ipſe laqueis capiatur.

De Simia.

Quo pacto Simia capi poſſit.

Sed & illud nunc ſubſequẽter occurrit, quod mihi Domnus Alexander Papa nec dum emenſo, vt ità loquar, menſe narrauit. Ait enim, quia

De Maimone ex Alex. II. Pp.

nuper Comes Gulielmus in Liguriæ partibus habitans marem habebat Simiæ, qui vulgò Maimo dicitur, cum quo & vxor eius, vt erat impudica prorsus, ac petulans, lasciuius iocabatur. Nam & ego duos eius filios vidi, quos de Episcopo quodam plectibilis Lupa pepererat; cuius Episcopi nos exprimere nomē omittimus, quia notare quēlibet infamiâ non gaudemus. Cùm igitur petulanti feræ mulier sæpè colluderet, vlnis astringeret, amplexibus demulceret; sed & ille nihilominus quędam libidinis signa prætenderet, atque ad nudam illius carnem pertingere quibusdam gestibus anhelaret; dixit ei cubicularia sua: permitte, si placet, quidquid vult agere; vt liquidò pateat, quid nititur attētare. Quid plura? permisit, & quod turpe dictu est, cum fœminâ fera concubuit: deinde consuetudo tenuit, & commercium inauditi sceleris inoleuit. Quadam verò die dùm se Comes vxori coniugali more misceret; Maimo protinus tamquàm zelotypo concitatus spiritu, super vtrumque prosiliit: virum velut riualem brachiis, & acutis vnguibus arpaxauit, mordicùs apprehendit, & irrecuperabiliter lacerauit. Sic itáque Comes extinctus est. Innocens igitur homo dùm fidem thalami seruat vxori, dùm animal suum quotidianis alit impendiis, nil ab vtroque suspicatur aduersi; nimirùm, qui clementiam præbebat officii. Sed ah scelus! & fœmina turpiter ius coniugii violat, & bestia in iugulum domini gladium vibrat.

Gulielmus Comes in Liguria.

Execrandum mulieris facinus.

Gulielmi Comitis mors.

Enimuerò nuper allatus est præfato Papæ, simul & nobis grandiusculus quidam puer: & si iam, vt dicitur, vicennalis, tamen prorsus elinguis, & Maimoni formâ consimilis, itá vt eodem vocabulo nuncupetur. Vnde sinistra posset oriri suspicio, si huiusmodi, non iam dicam ferinum, sed ferale portentum paternâ tunc aleretur in domo.

De puero, qui Maimoni similis erat.

Sed dum de turpi infidelitate mulieris eloquimur, Cetus etiam ille marinus, nobis in memoriam reuocatur: qui nimirum super enorme corpus sabulum portat, ac terga sua super vndas eleuat, vt tamquàm insula fluctus marinos excedat. Hanc igitur incunctanter insulá esse credentes remiges applicant, paxillos figunt, nauim sistunt, focos instruūt sed bellula mox vt ignis sentit ardorem, illicò mergitur in profundum; & nauem simul ac nautas vorat ferale naufragium. Nam & Gerardus, noster videlicet Monachus retulit in Normandiæ littoribus captam se vidisse Balænam, de cuius linguæ carnibus quatuordecim sagmarii sunt non leuiter onerati. Sed vt ad aliud redeam, vndè digressus sum, quid mirum, si fidem in bellulâ nauta non reperit, quam & vir in vxore propriâ non inuenit? Quid mirum, si bestia muta insulam mentita, procellis immergitur; cùm & mulier violatâ fide coniugii, & ferinis amplexibus exponatur? Quid est enim tàm nostrum, & tam proprii iuris in hoc mundo, cui varii casus possit deesse suspitio?

De Ceto.

Gerardi Monachi de Balæna relatio.

Nostris quippè temporibus audiui contigisse, quod narro: Piscator quidam paruulum in lembi sui prorâ filium suum posuit, ac in fluenta progrediens, Congrum prolixæ magnitudinis cœpit. Lætus itáque

De puero, quem Conger aquis immersit.

prædâ proiecit in nauim, ita vt caput eius contra puerum verteret, puer autem è regione sederet. Sed cùm piscator intentus remigio redire contenderet, & alacris de prosperę fortunæ successu sollicitudinem non haberet; pauc factus puer in piscis aspectu, lugubris exclamauit: Ità me respicit, iam me bestia deuorabit. Cui pater alludens, tu, inquit, eum deuorabis, non ipse te. Cumque puer idipsum secundò repeteret, sed eius verba pater ineptias deputaret; tandem piscis sublatus in aërem, puerum violenter impetit, eumque repentè corripiens, aquis se cum rapinâ suâ raptor immersit, ac neutrum vltrà comparuit.

Ecce, fratres mei, quæ est in hoc mundo tàm secura possessio, in quam nos tutò proiicere: quidnam iuris est nostri, quod non debeamus tamquam rotam volubilem deputare? Hanc rotam Salomon docet esse cauendam, & Creatoris semper adesse debere memoriam. Qui cum diceret: Memento Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequàm veniat tempus afflictionis tuæ, paulo post addidit: & confringatur rota super cisternam, & reuertatur puluis in terram suam, vndè erat. Caueamus igitur in qualibet instabili possessione confidere, vel fallacis insulæ sabulo tamquàm imperiti remiges applicare. Adeamus igitur Christum, tutissimum videlicet nauigantibus portum: & de marino discrimine liberati, fide prorsus, ac certæ quietis aufugium illum tantummodò personet lingua loquentium, qui disponit, & ordinat naturalia iura mutorum; vt in omnibus creaturis sola prædicetur virtus, ac potentia Creatoris.

Conclusio.

Eccl. 15. vlt. v. 1

EPIST. XIX. Ad Petrum S. R. E. Diaconum Cardinalem, & Cancellarium.

ARGVMENTVM.

Petrum S. R. E. Cardinalem, & Cancellarium magnoperè laudat, & se cùm eo familiaritate iungi cupere ait, simulque illi sanctæ Ecclesiæ statum commendat.

Domno Petro sacri Palatij Cancellario, Petrus Crucis Christi seruorum famulus feruentissimæ deuotionis obsequium.

DIlectissime, cùm non ignorem, quid hoc tempore Roma sit, nec non & frequenter audiam qui sis, ad hoc vnum mente recurro, quia qui valet candens lilium inter spinarum densa producere, ipse etiam te talem voluit Romanis † artibus exhibere. Qua propter noueris proculdubiò, quia charitatem tuam habere desidero, & speciali tecum familiaritate, & vnanimi concordiæ vinculo tecum connecti

Cant. 2. v. 2.
Petri Card. Cancellarij eximia virtus.
† arcibus. f.

non mediocriter concupisco. Neque enim huic meo desiderio locorum valeat obesse longinquitas. Nam & ipsum mei capitis oculum non video, per quem video, vtilitate tamen ministerij eius nihilominus fruor: & quia oculus mihi in proferendis exempli verbis occurrit, tu mihi in hac parte sis oculus, tu sis magister, quatenus per te mihi liceat cernere, si quidquam apud aures Beatissimi huius Apostolici valeam laborare. Nisi enim ad rectitudinis statum sedes Romana redeat, certum est, quia totus mundus in suo lapsus errore perdurat. Et necesse est iam, vt eadem sit renouandæ principium, quæ nascentis humanæ salutis extiterat fundamentum. Sed quia tantę prudentiæ viro pauca sufficiunt, vrbanitatem rusticitas non offendat, legenti rescribere, rogo, non pigeat. Per breuissimam verò huius styli membranulam prolixam mei pectoris intellige bibliothecam.

Ex Apostolica sede totus orbis pendet.

EPIST. XX. Ad Albericum S.R.E. Diaconum Cardinalem.

ARGVMENTVM.

In hac epistolâ B. Petrus Damiani quæstiones quasdam ab Alberico ex Casinensi Monacho S.R.E. Cardinale, sibi propositas discutit: tum sumptâ occasione, loca nonnulla in sacris litteris, & earum interpretibus obscura declarat.

Alberico venerando fratri, Petrus peccator Monachus salutem in Domino.

Ios. 17. v. 15. Vetus narrat historia, quia cùm filij Ioseph, Ephraim scilicet, & Manasse latiora possessionis exigerent spatia, hoc acceperunt, Iosue præcipiente, responsum, vt ad montana transirent, syluarum densa succiderent, sicque sibi largiora spatia proprijs manibus procurarent. Qui etiam paulò post septem tribubus dicit: Vsquequo marcetis ignauiâ, & non intratis ad possidendam terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis? (Ios. 18. v. 3.) Tu quoque, frater, dùm me quibusdam quæstiunculis pulsas, atque vt tibi soluantur, efflagitas, mox ad montana Doctorum, atque ad syluas mittendus es scripturarum, vbi scilicet continuo labore desudans, sylvescentia saltus arbusta succidas, nodos, & dubietatum truncos euellas, ac noualia tibi, velut quibusdam propriæ indaginis manibus excolas. Sic igitur humus cælestis eloquij propriæ subtilitatis est sarrienda ligonibus, vt non ab alienis manibus alimenta prętolatus esurias: sed vberis prouentus copiam proprio labore conuectans, mox in spiritualium deliciarum affluentia delectabiliter viuas; interim tamen dum tuæ desunt fruges, nostra tibi, non dicam horreum

Ex sacris litteris, & Doctoribus quæstiones sunt enodandæ.

horreum, non certè, quod minus est, tunna, sed perexilis saltē bati mensura succurrat, nostrisque segetulis saltē vtcumque tua temperetur egestas. Est enim quiddam medium inter splendidè viuere, ac famis inopiâ funditus interire. Vis itaque, vt non modò quod quæris, edisseram, sed & apicibus tradam; quatenus sic ignorantia pereat, vt deinceps obliuio non obrepat. Age igitur. Quid est, inquis, quod dicitur: Filius vnius anni erat Saul cum regnare cępisset, duobus autem annis regnauit super Israël? Hoc nonnulli intelligi sic arbitrantur, quia Regi Saul in exordio regni sui filius erat anniculus, qui teneram adhuc vnius anni vagiebat infantiam: scilicet Isboseth, & hic duobus annis post mortem patris regnauit super Israël. Sed quoniam hic a doctioribus viris sensus exploditur, a nobis etiam alius inquiratur: quod itá Beatus Hieronymus docet intelligi, quoniam sic erat innocens, tamquam puer vnius anni cum regnare cœpit, & duobus annis in eisdem innocentiæ simplicitate permansit. Sed qui tunc erat ex humilitate filius, postmodùm per superbiam factus est seruus.

Quæst. 1. 1 Reg. 13. v. 1. Solutio secundum aliquorum sententiam. Vera solutio S. Hieronymi

Quæris etiam, qui erant [a] Cerethi, & Phelethi, qui bellatores dicuntur fuisse Dauid? Legitur in libro Numeri dixisse Dominū Moysi: [b] Cógrega mihi septuaginta viros de senioribus Israël, quos tu nosti, quod senes populi sint, ac magistri, & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesq; ibi stare tecum: & auferam de spiritu tuo, tradamq; eis, vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris. [c] Ex istorū itáque stirpe duę processerunt cognationes, quarum vna Cerethi, altera dicebatur Phelethi. Et Cerethi quidem dans iudicium, Phelethi puniens interpretatur: vt quos illi adiudicarent morti, promulgando sententiam; isti punirent irrogando vindictam.

Dubit. ij. a 1. Reg. 30. v. 14. 2. Reg. 8 v. 18. b Num. 11 v. 16 c 1. Par. 18. v. 17. d Solutio. Dubit. iij. Solutio.

Addis etiam, cur filij Dauid sacerdotes fuisse dicuntur, qui nullam cum filijs Aaron consanguinitatem, nisi sicut cęteræ tribus habuisse noscuntur? Sed sciendum, quia dùm sacerdotes venerabiles, ac magistri constituantur in populo, aliquandò nomine sacerdotum designantur principes, vel doctores. Sicut alibi reperitur: Iraiarites erat sacerdos Dauid, id est, magister; ita quoque cùm dicitur: Filij autem Dauid erant sacerdotes, sic intelligendum est, ac si dicat, quia magistri erant fratrum suorum, vel certè principes inter cæteros, sicut habet antiqua translatio. Nam vbi noua dicit editio, filij Dauid erant sacerdotes; in veteri legitur, filij autem Dauid principes erant aulæ regiæ.

2. Reg. 8. v. 18.

Illud prætereà te non intelligere perhibes, quod scriptum est: Tertium quoque fuit bellum in Gob contrà Philisthæos, in quo percussit Adeodatus filius saltus Polimitarius Bethlehemites Goliath Gethæum. Quod nimirum facile valet intelligi. Nam Gob interpretatur lacus. Et sicut periclitatur, qui in lacum leonum mittitur, sic Dauid quasi leonis se dentibus tradidit, cum in rabiem Goliath se præliaturus immersit.

Dubit. iiij. 2. Reg. 21. v. 19 Solutio.

David cur dicatur Adeodatus, filius saltus, Polimitarius, & Bethlehemites.

Idem Dauid Adeodatus iure dicitur, quoniam à Deo est electus in Regnum. Qui etiam filius saltus vocatur, quia de pascuis saltuum, vbi oues alebat, eductus agnoscitur. Nec sine causâ idem Dauid polimitarius dicitur, quia mater eius de genere Beselehel extitit. Qui tabernaculum fœderis in deserto construxit, in quo etiam nonnulla polimitariâ operatione contexuit. Bethlehemites quoque non incongruè dicitur, quia Noëmi duxit originem, & de Bethlehem fuerant tempore famis egressæ, atque ad eamdē Bethlehem sunt reflorente postmodùm vbertate reductæ. Quod autem Adeodatus cum omnibus suis his adiectiuis ipse proculdubiò sit Dauid, sequentia declarant, vbi dicitur: ij quatuor nati sunt de Arapha in Geth, & ceciderunt in manum Dauid, & seruorum eius. Sanè quid etiam per hæc mysticè significetur, exponerem, nisi quod perspicuum est, epistolaris mihi breuitas prohiberet. Iuxtà mysticum scilicet intellectum, hæc omnia referuntur ad Christum.

2. Reg. 21. v. 22.

Christus Dauidi assimilatus.

Esai. 9. v. 9.

Ipse enim Adeodatus est, de quo & per Esaiam dicitur: Puer natus est nobis, filius datus est nobis. Qui filius saltus non incongruè dicitur, quoniam ex Iudæis secundum carnem nasci dignatus est, qui dùm nullum fructum spiritualis germinis attulerunt, velut agrestes arbores non horto plantatæ, sed in saltu natæ steriles extiterunt. Vnde legitur: Vox clamantis in deserto, hoc est, in infructuoso Iudæorum populo. Polimitarius quoque Redemptor noster meritò dicitur, quia velut textrini operis studio vacat, dum & se suis fidelibus induit, & ex illis iustitiæ vestimenta contexit. De suis quippe vestibus per Apostolum dicitur: Vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam. Et per prophetam: Omnibus his velut ornamento vestieris. De Christi verò fidelibus Psalmista canit: Sacerdotes tui induantur iustitia. Et per Ezechielem Dominus improperat, animæ quem spiritualibus indumentis decenter ornauit, sed eum ipsa mœchię sordibus polluta deseruit: Vestiui te, inquit, discoloribus, & calciaui te hyacintho, & cinxi te bysso, & indui te subtilibus, & ornaui te ornamento; & paulòpost: Et vestita es bysso, & polymito, & multis coloribus. Quid ergò mirum, si Redemptor noster polymitarius dicitur, qui virtutis decore polymito induit animam, quam sponsali iure sortitur? Ipse est enim Dei sapientia, de qua per Salomonem dicitur: Quia quæsiuit lanam, & linum, & operata est consilio manuum suarum. Cuius digiti apprehenderunt fusum, cuius omnes domestici vestiti sunt duplicibus: cuius etiam caro stragula vestis facta est in passione. Sed eadem byssus & regalis purpura indumentum illius est in resurrectione. Qui etiam Bethlehemites iure vocatur, quia in Bethlehem de Virgine natus agnoscitur. Quod autem dicitur, quia tertium bellum fuit in Gob, hoc intelligitur, quia verus Dauid Saluator Israël, ante legem, & sub lege, ac postmodùm in Euangelicâ gratiâ fideles semper bellatores habuit, per quos contrà Philistæos, idest, aduersus malignos spiritus dimicauit. Ad hoc itáque tertium bellum Dauid venit in Gob, qui interpretatur lacus; quia Redemptor

Esai. 40. v. 3.

Ephes. 5. v. 27

Esai. 49. v. 18.

Psal. 131. v. 16

Ezech. 16. v. 10

Prou. 31. v. 13. 19. & 21.

noster dùm velut forti armato fortior superuenit, ipse per se etiam vsque ad inferna descendit. Vnde per Psalmistam dicit: Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebris, & vmbra mortis. Illîc percussit Goliath Gethemum: quia dùm electorum animas de gehennæ claustris eripuit, antiquum hostem, qui super eos tyrannidem exercebat, lethali vulnere sauciauit. *Luc. 11. v. 21.* *Psal. 87. v. 7.*

Quæris etiam cur in scripturis sacris sit ista diuersitas, vt in libro Regum legatur, Dauid redemisse aream Ornan Iebusei, simul & boues, qui offerendi erant in holocaustum, siclis argenti tantummodò quinquaginta; cùm in Paralipomenon pro solâ areâ dedisse narretur auri sexcentos siclos? Sed sciendum est proculdubiò, quia in libro Regum boues tantummodò quinquaginta siclis argēti comparasse Dauid legitur: quanti verò aream comparauerit, illîc omnino siletur. Paralipomenon verò liber de bobus è contrario tacet, sed emptam sexcentis auri siclis aream perhibet. Quod facilè peruidetur, si in vtroque libro ipsa verborum series diligenter attenditur. Nam in libro Regū hic est ordo verborum: Emit ergò Dauid areā, & boues argenti siclis quinquaginta. Vbi sic distinguendum est, vt prius Scriptura dicat: Emit Dauid aream, nec exprimat quanti: deinde sequatur: & boues argenti siclis quinquaginta. In libro verò Paralipomenon ità legitur: Dedit ergò Dauid Ornan pro loco siclos auri iustissimi ponderis sexcentos, & ædificauit ibi altare Domino. Sic igitur vtraque sibimet Scriptura diuisit, vt illa boum, ista solius areæ numeret pretium. Res itáque, quibus pretij mensura præfigitur, discrepant: sed Scripturę sanctæ sibimet inuicem non repugnant. *Dubit. v.* *2. Reg. 24. v. 19* *1. Par. 3. v. 2.* *Solutio.* *Ibidem v. 24*

Illud prætereà consulendum putasti, quod legitur: Fuit autem ibi prælium dispersum super faciem omnis terræ, & multo plures erant, quos consumpserat saltus de populo, quam ij, quos vorauerat gladius. De quâ sententiâ in libro Hębraicarum quæstionum hæc B. Hieronymi verba sunt: Saltum hunc, inquit, qui plures cōsumpsisse, quàm gladius vorasse legitur, bestias ferocissimas, quę in saltu erant Hebræi autumāt, à quibus plures consumpti, quàm à gladio vorati fuerint. Verùm hic vt dicitur, Hebræorum fuit intellectus; nobis autem videtur, quia vesani quique, & infruniti, qui cum Absalon perduelliones extiterant, Deo deserente cæcati, arbustis occurrentibus impingebant: atque ideò dicatur, quia plures ceciderint saltu consumente perempti, quam ij, qui gladio fuerint trucidante, vorati. Quod ità debere intelligi non ambigitur, si ipsa styli consequentia, vel superficietenus attendatur. Nam postquàm præmittit: Multo plures erant, quos saltus consumpserat de populo, quam ij, quos vorauerat gladius in die illâ; præsto subiungit: Accidit autem, vt occurreret Absalon seruis Dauid sedens in mulo: cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum, & magnam, adhæsit caput eius quercui; & illo suspenso inter cælum, & terram; mulus cui insederat, pertransijt. *Dub. vi.* *2 Reg 18. v. 8* *Solutio.* *S. Hieronymi* *B. Petri Dam.* *2. Reg. 18. v. 9*

Illud prætereà, quod inquiris, quid factum sit de arcâ Domini, &

Dubit. vij. Solutio. tabernaculo fœderis, quę fabrefacta sunt in deserto. Sicus huius rei pœnè nil officit ignorantia, ita vix aliquid vtilitatis probatur conferre notitia: verumtamen sicut Scripturæ tradit auctoritas, in monte Abarim,
Deuter 34. v. 6 vbi Moyses sepultus agnoscitur tabernaculum simul cum arcâ, nec non & altare incensi reconditum Hieremiæ prophetæ manibus inuenitur. Quod euidenti declaratur indicio, si secundi libri Machabæorum diligenter attendatur exordium: Erat, inquit, in ipsâ scripturâ, quomodò ta-
2. Mach. 2. v. 4. bernaculum, & arcam iussit Propheta diuino responso ad se facto, comitari secum, vsquequo exijt in montem, in quem Moyses ascendit, & vidit Dei claritatem: & veniens ibi Hieremias, inuenit locum speluncæ & tabernaculum, & arcam, & altare incensi intulit illúc, & ostium obstruxit. Hæc igitur tria sacramenta, sicut dictum est, Hieremias in præfato Abarim monte recondidit. Si quid autem ex his aliud postmodùm factum fuerit, aut certè si intacta permanserint, quia nusquam Scriptura commemorat, nostra quoque disquirere curiositas non præsumat.

Dubit. viij. Illud etiam Esaiæ, quod tibi petis exponi: Propter scelus populi mei
Esai 53 v. 8. percussi eum, & dabit impium pro sepulturâ, & diuitem pro morte suâ;
Solutio. vt nobis videtur, tale est. Pater omnipotens Filium propter populi sui peccata percussit, quia illum, vt nostra peccata deleret, Crucis patibulum subire constituit. Ad hoc enim est Filius a Patre traditus, vt seruus
Rom. 8. v. 32. fieret absolutus; sicut Apostolus, qui proprio, inquit, Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Ad hoc innocens vulneribus est percussus, vt peccator exultet à suorum vulnerum liuore sanatus. Si-
Esai. 53 v. 5. cut per eundem Esaiam dicitur: Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, cuius liuore sanati sumus. Sed Redemptor noster pro duobus populis, Gentili videlicet, & Iudaico pati dignatus est, quorum alter impius, alter diues meritò dicebatur. Et Gentilis quidem populus impius erat, quia idolis seruiens pietatem diuini cultus ignorabat. Hæc autem pietas Gręcè dicitur θεοσέβεια. Iudaicus verò populus diues exstiterat, quia dum sabbata, circumcisionem, neomœnias, omnesque cerimonias diuinæ legis accepit, tamquàm copiosis thesauri cęlestis diuitijs abundauit. Quibus exuberare diuitijs
1. Cor. 1. v. 4. Corinthios iam conuersos Paulus exultabat, cum diceret: Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratiâ Dei, quæ data est vobis in Christo
Christus morte sua Gentilé populum, & Iudaicum redemit. Iesu; quia in omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientiâ, ita vt nihil vobis desit in vllâ gratiâ. Saluator ergò noster pro morte; quã in se suscepit, duos de morte resuscitatos Patri populos reddidit, Gentilem scilicet, qui dæmonibus olim impiè seruiebat: & Iudaicum, qui quamuis occidentem litteram tenens, & viuificantem spiritum nesciens, diuinę tamen legis diuitias possidebat.

Dubit. ix. Postremò quod quæris, illud Hieremiæ prophetæ quid sit: Ex ore Al-
Thren. 3. v. 38. tissimi non egredientur nec bona, nec mala; famosa quæstio est pœnè
Apoc. 5 v. 5. totius Ecclesię. A plurimis enim quęritur, & celebris currit per ora mul-
Solutio. torum. Sed eo largiente, qui aperit librum, & soluit signacula eius, hęc

facilè quæstio soluitur; si non ex nobis, sed ex illo confidentia præsumatur, Omnipotens Pater & innocentem Filium impiorum manibus tradidit, & tamen à recto iustitiæ tramite non recessit: quoniam inde iustitiam reflorere constituit, vnde illum ad tempus iniustitiæ subiacere permisit. Sicut in libro Sapientiæ legitur: Cum sis, inquit, iustus, iustè omnia disponis; ipsum quoque, qui non debet puniri condemnas. Pater itaque Filium mortem subire permisit, veruntamen vt eum perimerent, peremptoribus non præcepit; alioquin inculpabiles extitissent, dùm ministeriũ impietatis adscriberent pietatis Auctori. Potestatẽ ergò Deus Christi persecutoribus prębuit, sed vt eũ persequentes occiderẽt non mandauit. Vnde illic præmittit Propheta dicens: Vt peruerteret hominẽ in iudicio suo, Dominus ignorauit. Perueteret quippe Dominus in iudicio hominem, si cõdemnari præciperet innocentẽ. Sed aliud est condemnare, aliud à cõdemnationis supplicio nõ eripere, aliud in conatus sacrilegos furentes impellere, aliud nequaquàm accepti furoris insaniam refrænare. Vndè illîc non ignorando, sed reprobando subiungitur: Quis est iste, qui dixit, vt fieret Domino nõ iubẽte, Domino dicit non iubente, non tamen prohibente. Non ergò persecutoribus Deus; vt Saluatorem nostrum crucifigerent, iussit: quia nihil in eo, quod puniendum esset, inuenit. Nõ tamen ne crucifigeretur, inhibuit; quia pro mundi salute passurum, nullatenus eum ex impiorum manibus liberauit. Vnde benè mox additur: Ex ore Altissimi non egredientur nec bona, nec mala. Bona quippè procederent, si eum de supplicio, quod irrogabatur, eriperet; mala verò, si crimen in eo, quo suppliciis adiudicãdus fuerit, reperiret. In passione ergò Christi ex ore Altissimi nec bona egrediũtur, nec mala, quia Pater eũ nec ex potestate liberat, nec ex legis ęquitate condemnat, quia licet non reperiat peccatorem, pro salute tamen mundi in passione positum, non eripit innocentem. Nullis videt peccatis obnoxium, nec tamẽ reddit impiorum manibus absolutum: vt dùm subit innocens pœnam, qui peccator est, reuertatur ad veniam. Et dùm vnus, qui non debet, soluit omnium debita, omnes, qui sub originali vetustæ cautionis fœnore tenebantur astricti, rescissi chirographi reddantur legibus absoluti.

Sap. 12. v. 15.

Thren. 3. v. 36.

Ibid. v. 37.

Ibid. v. 38.

In hoc etiam, quod tu non interrogas, ego sæpius dubitaui, cur Dauid Ioab, & Semei, quibus iratus erat, dùm adiuueret, clementer indulsit: moriens autem Salomoni sibimet in sceptra regia succedenti, perdendos esse mandauit? Tu inquit, nosti quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ, quæ fecerit duobus principibus exercitus Israël, Abner filio Ner, & Amasæ filio Iether, quos occidit, & effudit sanguinem belli in pace. Atque paulopost addidit: Facies ergò iuxtà sapientiam tuam, & non deduces caniciem eius pacificè ad inferos. De Semei quoque sic ait: Habes & Semei apud te filium Gera filij gemini de Bathurim, qui maledixit mihi maledictione pessima, quandò ibam ad castra; deinde quibusdam interpositis addidit: Deducesque canos eius cum sanguine ad infernum.

Dubit. x.

3. Reg. 2. v. 5.

Ibid. v. 8.

Quid est enim, quod eos Dauid moriens damnat, quibus viuendo pepercerat, cum profectò rationis ordo deposcat, vt in perduelliones, vel quoslibet inimicos viuēs sententiā vltionis exereret, moriēs autem eis misericorditer indulgeret? Sed sciendum est, quia per regnum Dauid, qui tot persecutionibus, & ærumnis attritus, tot aduersitatibus; & inopiis cum suis commilitonibus est afflictus, hoc præsens sæculum designatur, in quo cum suis membris Christus affligitur, multisque tribulationibus Ecclesia laceratur. Regnum verò Salomonis, qui diuitiis, & gloria cuncta regalium dignitatum iūra transcendit, omnia principalis imperij fastigia superauit, futuræ vitæ denūciat gloriam; in qua Christus verè pacificus, æterna cum suis quiete perfruitur, ac cælestis conuiuii dapibus solemniter epulatur. Vnus igitur, idemq; redemptor noster, & nunc Dauid est, & tunc Salomon erit: quia & modò tamquàm manufortis per membra sua contra diabolum pugnare non desinit; & tūc sopita prorsus omni carnis, & spiritus controuersia, cum corpore suo, quod est Ecclesia, vt reuera pacificus, æterna tranquillitate regnabit. Nunc in electis suis, quasi Dauid calamitatum fascibus premitur, persecutionum, ac diuersis aduersitatum pressuris vrgetur, tribulationibus, & ærumnis atteritur; postmodùm tanquam Salomon exuberanti diuitiarum immortalium copia potietur. Nunc Dauid a facie Absalon fugiens, decem cōcubinas in domo relinquit, quas Absalon per incestum turpiter fœdat; quia Redemptor noster dum eiectus de ciuitate Iudaica in desertum Gentium properat, relinquit in domo legis Iudæos, non viriliter incedentes, sed muliebri conuersatione viuentes. Qui nimirū per decem concubinas non incongruè figurantur, quia dùm eneruiter decem legis præcepta custodiunt, non castum matrimonij merentur ascendere thalamum: sed absque fidei cohærentes annulo, sortiuntur pro coniugio pedicatum. Quas Absalon lasciuiens polluit, quia malignus spiritus reprobas impiorum animas quasi prostituēdo corrumpit. De quibus scriptum est: Quia Dauid postmodùm non est ingressus ad eas, sed erant clausæ vsque in diē mortis suæ in viduitate viuentes. Perdiderunt enim virum, de quo per Esaiam dicitur: Quoniam acceperūt septem mulieres virum vnum, de quibus & per Salomonē dicitur, quia septingentæ sunt Reginę. Acceperunt itaque septem quę amiserunt decem. Cælestem quippè Sponsum sancta sibi confœderauit Ecclesia, septiformi scilicet Spiritus dono repleta. Quem Sponsum Synagoga, quæ decalogi mandata perceperat, perdidit, viduaque permansit, quia dùm in domo consueti ritus, & legalium cerimoniarum immobiliter perstitit, cum Rege Dauid in deserta Gentilium exire contempsit. Dauid ergò viuens tolerat, quos in fine condemnat, quia Iudex humani generis Christus, quem ille signabat, illis nunc misericorditer parcit, quibus in fine sæculi sententiam iustæ damnationis infligit. Dauid itaque misericordiam prærogat: Salomon iustitiam indicat. Quia vnus, idéque Redemptor noster, & nunc quasi Dauid reproborum prauitates æquani-

Solutio.
Per regnū Dauid præsens sæculum designatur.
Per regnum Salomonis futurum sæculū.
Christus est nobis Dauid in via, in patria Salomon.

2. Reg. 15. v. 16 & 16. v. 21.

2. Reg. 20. v. 3.

Esai. 4. v. 1.
Hoc non per Salomonem dictum est, sed per Scripturā de Salomone
3. Reg. 11. v. 3.
Per Salomonē autem dicitur sexaginta sunt Reginæ & octoginta concubinæ.
Cant. 6. v. 7.
S. Ecclesia Spiritus sancti donis repleta.

miter tolerat, & postmodum tamquam Salomon in gloria sua veniens, eos quasi vibrato iudicij sui mucrone trucidat. Hæc alternitas diuini examinis frequenter in eisdem Dauid sermonibus inuenitur, sicut illic, Misericordiam, inquit, & iudicium cantabo tibi Domine. Et, misericordiam, & veritatem diligit Deus. Misericordia, & veritas obuiauerũt sibi. Sic itaque dùm misericordia veritati, quasi Dauid præponitur Salomoni, vt quos piè Dauid per misericordiam sustinet, Salomon per iudicium iustè condemnet. Et notandum quod per Ioab, qui suis homicidium manibus perpetrauit, illi designantur, qui mala faciunt: per Semei verò, qui Regi tantummodò maledixerat, illi figurati sunt, qui praua loquuntur. Nam & ij, qui nequiter agunt, & illi, qui sermonibus reprobis, ac falsis insistũt, in extremæ discussionis examine proculdubiò damnabuntur, sicut idẽ Dauid ait: Odisti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes eos, qui loquuntur mendacium. Sed ne iàm fortassis Epistolaris compendii limen excedat, calamo silentium imperamus, ne & ipsi redarguamur indociles, dùm te docere nitimur quæstiones.

Psal 100. v. 1. *Psal. 83. v. 12.* *Psal. 84. v. 11.*

Quid per Ioab significetur, quid per Semei.

Psal. 5. v. 7.

EPIST. XXI. Ad eundem Albericum S. R. E. Cardinalem.

ARGVMENTVM.

Idem ferè argumentum est huius epistolæ, quod superioris: duas enim alias ab eodem Alberico rogatus quæstiones enodat Beatus Petrus Damiani.

Alberico fratri charissimo, Petrus peccator Monachus salutem.

DVbitare te perhibes, dilectissime, cur non modò Scripturæ veteris testamenti, sed & plerique Doctores Ecclesiæ, decem mensibus asserunt hominem in materno vtero coalescere, nec intrà nouẽ mensiũ spatium fateantur exire? De quibus, ne per multa vagemur, sufficit, si vnum duntaxat apponamus exemplum. Ait enim in libro Sapientiæ Salomon: Sum quidem & ego mortalis homo similis omnibus, & ex genere terreno illius, qui prior factus est, in ventre matris figuratus sum caro: decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine ex semine hominis, & delectamento somnij conuenientis, & ego natus accepi communem aërem: cùm & B. Ioannes Baptista, & ipse auctor, & institutor naturæ Christus, sic intrà nouenarium nati fuerint mensium cursum, vt ex decimo mense, ne tenuissimum quidem attigerint atomum. Nam Ioannes quidem conceptus est, sicut scribitur, viij. Kal. Octobris, & natus est viij. Kalendarũ Iulij. Saluator autẽ noster conceptus est in vtero Virginali viij. Kalendarum Aprilis, & natus est ad salutem mundi viij. Kalendarum Ianuarij. In quibus nimirum

Dubitatio.

Homo quot mensibus maneat in materno vtero.

Sap. 7. v. 1.

vtrisque conceptionibus, & natiuitatibus, serui scilicet, ac Domini, sic nouem menses reperiuntur impleti, vt decimi nullatenus videantur incepti: quamquam si diligenter tempus vtrumque perpenditur, duobus diebus diutiùs, quam Ioannes, intrà materna viscera mansisse Dominus inuenitur. Cùm igitur plerique homines intrà nouem mensium cursũ absq; vlla prorsus ambiguitate nascantur, quid est, quod per decem mẽses in vtero coagulari à Doctoribus perhibentur?

Solutio. Menses apud antiquos triginta dierum numerum cõtinebant.

Sed in quantũ nobis datur intelligi, mẽses apud veteres triginta tantũ modò dierum numero supputabantur: ista verò regula, quæ nunc tenetur, vt alii menses triginta contineant dies, alij triginta vnum, ab illius Romuli, qui Romanã Vrbem condidit, institutione descendit. Romulus enim cùm acris, sed agrestis esset ingenii, dũm cœpti, ac noui statum ordinaret Imperij, illum diem cuiusque mensis constituebat initium in quo nouæ lunæ conspiceret ortum; vt ille potissimum dies Kalendas efficeret, quo noua luna primitus illuxisset. Sed quia modò tardiùs, modò celerius luna videri solet, contigit, vt cùm tardius apparuit, præcedens mensis plures; cùm verò celerius, dies acciperet pauciores. Vnde factũ est; vt alij menses triginta vnũ, alij triginta dies tantummodò sortirentur. Quæ videlicet regula nunc in supputatione mensium, vt coniicimus, apud nos ex illius institutione tenetur. Sed quoniam hanc Gentilis hominis regulam, vt nobis videtur, veteres Sancti non tenuerant, tricenos solummodò dies singulis quibusque mensibus adscribebant. Vnde sufficiat nobis, vt vnius Doctoris inseramus exemplum. Beatus loquitur Augustinus, quadraginta & sex annis, ædificatum est templum hoc, & tu in triduo illud reædificas? Qui videlicet numerus si per senariũ ducitur, omne tempus, quo Dominus in matris vtero mansit, impletur. Nam quadragies sexies seni, ducenti septuaginta sex dies fiunt, qui dierum numerus complet nouem menses, & sex dies, qui videlicet tanquàm decem menses patientibus fœminis imputantur. In quibus nimirum verbis indubitanter ostenditur, quod triginta solummodò dies quibusque mensibus adscribuntur. Triginta quippè si nouies multiplicentur, ducenti septuaginta fiunt. In ducentis ergò septuaginta tricenarius numerus nouies inuenitur, qui iuxtà beati Doctoris huius testimonium nouem menses fiunt: quinque verò dies, qui residui sunt pro decimo mense accipiuntur. Cùm igitur apud nos septem menses sint, quorum vnusquisque triginta vnum dies habeat, aliquanti dies apud veteres de nouem mensibus superabant; quos vtiq; partem pro toto ponentes, pro decimo mense computabant. Cùm ergò minores erant menses, quãtitate plures dicebantur in dinumeratione; vt quos nunc dicimus nouem, tunc parte pro toto posita, dicerentur esse decẽ. Hæc interim tibi solutio super proposita quæstione sufficiat, donec potiorem te à Sapientibus audire contingat.

Ioan. 2. v. 20. S. Augustinus to. 3. l. 4. de trinitate c. 5. & to. 4. l. 83. quæstionum q. 56.

Altera dubitatio de die passionis & resurrectionis Christi.

Dubitas etiam de passione ac resurrectione Dominica, quæ videlicet hoc anno ità per omnia veniunt, sicut tunc specialiter,

liter cum Dominus est crucifixus. Inquiris enim vtrum rarò, an crebrò sic veniant. Alij si quidem se numquàm hoc vidisse, alij sępius hoc in vitâ sua contigisse confirmant, tu verò, qui veritatis studes esse discipulus, tantæ varietati times adhibere fidem, ne scilicet in compugnantium sententiarum traducaris errorem. Sed noueris quoniam, in quantum ex traditione pręcedentium Scriptorum colligere possumus, hîc Dominicæ passionis articulus, ex eo tempore, quo Dominus est in Cruce suspensus, numquam ità rursus euenit, nisi semel, & nunc secundæ repetitur. Post Passionem quippè Domini quingentesimo trigesimo tertio anno Paschalis solemnitas eodem mense, & die, & lunâ, eodemque concurrente, qui primus quintus est, contigit, quibus primo nouæ Dominicę resurrectionis anno contigerat: & hoc anno similiter fit, vt in vnum cuncta concurrant. Sicut enim tunc cùm Dominus pateretur, & mensis erat Martius, & dies à Kalendis Aprilis octauus, feria erat sexta, & luna decimaquarta; ità per omnia, & quingentesimo trigesimo tertio anno postmodùm contigit, & hoc anno, qui millesimus sexagesimus quintus est, similiter venit. Composuerunt autem Paschalem cursum quatuor eruditi viri, Hippolytus, Eusebius, Theophilus, & Prosper: post quos Victorius natione Aquitanus, scrupulosissimus videlicet calculator rogatus à Sancto Hilario Vrbis Romæ Episcopo, rem diligentius instaurauit, eumdemque cursum cautissimâ satis indagatione composuit. Produxit itáque annorum series vsque ad annos quingentos triginta duos: ità vt quingentesimo trigesimo tertio anno solemnitas Paschalis incipiat, eodem scilicet mense, die, feriâ, & lunâ, eodemque concurrente; quibus primo anno Dominicæ Passionis, ac resurrectionis illuxerat. Hoc etiam anno, in quo nunc viuimus, ad eumdem ordinem Dominica Passio, quæ postridiè celebranda est, redire videmus. Dùm igitur annus iste primum illum Dominicæ Passionis, ac resurrectionis ordinem renouat, proculdubiò cum illâ, quam diximus, Victorij calculatione concordat. Interim verò dùm res valeat enucleatius discuti, hac, charissime frater, vterque simus solutione contenti. Hoc tamen nolo te lateat, quoniam hac præsenti Paschali solemnitate peractâ, nonagesimo quinto anno similiter Pascha veniet, omnibus his in vnum conuenientibus, mense videlicet, die, feriâ, & lunâ, & quinto concurrente, qui tamen bissextus est, & epactâ, & versu cycli decemnouenalis. Post quintum concurrentem bissextum, ducentesimo quadragesimo septimo anno, similiter Paschalis solemnitas ventura est; & postmodum tribus vicibus fiet, vt Pascha per ordinem nonagesimo quinto anno simili modo semper eueniat, eisdem omnibus, quæ supradicta, simul conuenientibus. Sed in isto quinto concurrente, qui nunc est, numquàm Paschalem festiuitatem euenire contigit, ab ipsâ primâ passione Dominicâ, nisi dumtaxat eam solam, quam Vi-

Solutio.

Quoto anno hæc epistola scripta sit.

Paschalis cõputi Auctores.

Cõsule Schol.

ctorius posuit, & nunc secundò repetitur, & numquàm deinceps ventura est, vt omnia illa simul congruant, hoc est, mensis, dies, feria, & luna, epactâ, eodemque versu cycli decem nouenalis, nisi similiter quingentesimo trigesimo tertio anno. Sed cùm iàm sæculum hoc suo sit fine claudendum, superfluum est per longæ calculationis ephemeridas producere volumina sæculorum.

Finis secundi Libri.





BEATI PETRI DAMIANI MONACHI BENEDICTINI, S.R.E. Cardinalis, Episcopi Ostiensis.

Epistolarum Liber III. Ad L. Patriarcham, & Ad Archiepiscopos.

EPISTOLA I. Ad L . Patriarcham.

ARGVMENTVM.

Ad Patriarcham . . . . scribens, contrà Græcorum hæresim disputat, qui Spiritum sanctum à Patre tantum, non à Filio procedere, impiè affirmabant. Hanc opinionem luculentè redarguit, contrariumque verum esse firmissimis rationibus, & auctoritatibus probat. Iccirco autem ad Patriarcham illum de hac re scribit, quia, vt hac ipsa quæstio sibi enuclearetur, à Pontifice Romano postulauerat.

Domno L . Beatissimo Patriarchæ, Petrus peccator Monachus seruitutem.



Religiosus Episcopus Popiliensis Ecclesiæ mihi retulit, quoniam ex ore Dominici Reuerentissimi Patriarchæ Gradensis audiuit, quæstionem vos Catholicæ Fidei valdè necessariam, Apostolicæ Sedi sacris insertam litteris destinasse, atque vt à sanctissimo Papâ Alexandro, inuictis scripturarum testimonijs euidentissimè solueretur, Sacerdotalis officij vigilantiâ postulasse: Cur videlicet Spiritus sanctus apud Latinos à Patre dicatur, Filioque procedere, cum apud Græcos à solo procedere Patre credatur? De quâ nimirùm quæstione, quod sentio, auxiliante Dominicus Patriarcha Gradensis.

ipso Spiritu sancto, de quo agitur, aperire præsumo. Non quod mihi super hoc negotio, vel à vobis aliquid sit iniunctum, vel ab auctoritate ipsius Romani Pontificis fuerit imperatum. Nam quo pacto summum negotium imperito homini dignaretur iniungere, qui tot sanctis, ac peritissimis viris secum iugiter conuersantibus non ambigitur abundare? Sed quia licet ignarus sim, & inutilis seruus in domo Domini mei Iesu, illis etiam eis obsequijs importunū me libet ingerere, ad quę nemo me dignatus est prouocare. Laudabilis planè sanctitatis vestræ prudentia, & digni fauoris est attollenda præconijs, quæ soluendā

Rom. Pontificis auctoritas summa.

sancti Spiritus quæstionem, non ad alium quempiam, sed ad Petrum specialiter, quem cęlestis sapientiæ, & potentiæ claues accepisse indubitanter agnoscit. Nec decebat tantæ dignitatis, & sapientiæ virum ab alio mysterij cælestis arcana requirere, nisi ab illo potissimùm, quem non caro potuit, vel sanguis instruere, sed cui Deus ipse per se sua secreta dignatus est aperire. Beatus es, inquit, Simon Bariona, quia caro, &

Matt.16.v.17.

sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui est in cælis. Hunc enim præcæteris mortalibus de toto terrarum orbe Conditor orbis elegit, cui cathedram magisterij principaliter in ecclesiâ tenere perpetuo priuilegij iure concessit; vt quisquis diuinum aliquid, ac profundum nosse desiderat, ad huius præceptoris oraculum, doctrinamque recurrat: Nec illi humiliter offerre, quod soluendum est, erubescat, etiamsi & ipse, quod quæritur, non ignorat. Numquid enim Angelus de cælo veniens nesciebat docere Cornelium, quem videlicet, vt quid sibi agendum es-

Act.10.v.5.

set, addisceret, destinauit ad petrum? Mitte, inquit, viros in Ioppem, & accersi Simonem, qui cognominatur Petrus. Hic hospitatur apud Simonem quemdam Coriarium, cui est domus iuxta mare: hic dicet tibi, quid te oporteat facere. poterat planè sanctus Angelus hominem docere Gentilem, quid sibi competeret ad salutem: sed eius vsurpare nolebat officium, cuius docendi nouerat fuisse commissum. Quid ergò mirum si sacerdos, licet sanctitate conspicuus, licet eloquijs diuinis vehementer instructus, ad Apostolorum principis magisterium misit, ad quē etiam Angelus docendi gratiâ primitias Gentium Cornelium destina-

Galat.1.v.1.

uit? pauli etiam ad Galatas hæc verba sunt. paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum patrem, qui suscitauit eum à mortuis. Hic itàque, qui non ab hominibus, sed ab ipso Christo, & Deo patre fuerat factus Apostolus, atque ab Auctore sapientiæ sufficienter instructus, ad petri tamen magisterium ve-

Ibidem.v.18

nit, & non in transcursu, sed per plurimos dies apud eum in cælesti scholâ permansit. Veni, inquit, Hierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum dies quindecim. Per mysticum scilicet hebdomadis, & ogdoadis numerum veteris instrumenti, simul ac noui didicit sacramentum. Dignum ergo fuit, vt ad sedem illius vestra sancta prudentia soluendam dirigeret quęstionem, ad quem & ignarus fidei vir angelitùs mittitur: & à quo Apostolus etiam, qui iàm à Deo instructus fuerat,

pleniùs eruditur. Et quia per Moysen dicitur: Habetis Aaron, & Vr vobiscum, si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos. Adsit vtinam Aaron, id est, mons fortitudinis Christus: adsit & Vr, ignis ille videlicet, qui est ipse, de quo scribimus, Spiritus sanctus: vt per nos etiam, minimum videlicet Romanæ Ecclesiæ membrum, quod nonnullos latet, aperiat: & huius quæstionis nodum quasi quoddam mystici libri signaculũ clauis Dauid Christus absoluat: *Exod. 24. v. 14*

In primis ergò dicamus, vnde ignorantiæ istius oriatur origo, vt & Græci ferè omnes, & Latinorum quidam perhibeant, Spiritum sanctũ non à Filio, sed à solo Patre procedere. Hoc.n.ex Dominicis autumãt verbis quibus ait: Nõ enim vos estis, qui loquimini: sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Et iterũ: Ecce ego mitto promissum Patris mei in vos. Et illud: Cum venerit Paracletus, quem ego mittã vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. De quo rursum ait: Ego rogabo Patrem, & alium Paracletũ dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternũ, Spiritum veritatis. Et alibi dicit: Paracletus autẽ Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. Et iterum: Si ergò vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quantò magis Pater vester de cęlo dabit Spiritum bonum petentibus? His itáque, & huiusmodi non solùm Euangelicis, sed & alijs scripturarum testimonijs asserunt Spiritũ sanctũ nequaquàm à Filio, sed à solo tantùm Patre procedere. Nam & apud Latinę linguæ Doctores sæpè tale quid reperitur, quod huic sententiæ congruere videatur. Beatus planè Hieronymus in expositione Fidei, quam ad Alypium, & Augustinum Episcopos mittit, inter cętera sic ait: credimus & in Spiritum sanctum Dominũ verum ex Patre procedentem, ęqualem per omnia Patri, & Filio. Augustinus etiam aduersus Maximum hęreticũ inuectus, ait: de Patre est Filius, de Patre est Spiritus sanctus. Beatus etiã Leo Papa in argenteâ tabulâ, quæ ante sacratissimũ corpus B. Pauli Apostoli videtur erecta, inter cęteras suę Fidei symbolas ait: & in Spiritum sanctũ Dominum, & viuificatorem ex Patre procedentem, cum Patre, & Filio coadorandũ, & glorificandũ. In Nicęni quoque Concilij symbolo dicitur: credimus & in Spiritum sanctum, qui de Patre procedit propriè, & Deus est verus sicut Filius; & aliquãto post: quodque & Spiritum sanctum verum Deum inuenimus in scripturâ, & de Patre propriè procedere, & cum Patre, & Filio semper esse: & iterum, de Patre inquit, Filius, & Spiritus sanctus propriè, & verè de Patre procedit. Verumtamen hæc, & alia huiusmodi testimonia scripturarum, siue sanctorum verba Doctorum non pręiudicant Catholicæ Fidei, quã Spiritum sanctum sicut à Patre credimus: ità nihilominus & à Filio procedere perhibemus. Nam cum vel ipse Dominus, vel sancti quoque Doctores Ecclesiæ, Spiritum sanctum à Patre procedere concorditer asserant, nusquàm tamen perhibent, quòd à Filio non procedat: immò cum dicitur, Spiritus sanctus à Patre procedere, à Filio

Quæ sit origo Græcorum erroris.

Matt. 10. v. 20
Luc. 24. v. 49
Ioan. 15 v 26
Ioan. 14. v. 16
Ibidem. v. 26.
Matt. 7. v. 11

Auctoritates, quæ pro Græcis facere videbantur.
Hieronymi.
Augustini.
Leonis Pap.
Nicæni Conc.

quoque procedere, credi necesse est, quia Pater, & Filius vnius, eiusdemque substantiæ proculdubiò est. Nam cum Filius dicat: Ego, & Pater vnum sumus; quomodo potest Spiritus sanctus ab eo, quod vnum est, & procedere, & non procedere? Sed res ineffabilis, quę nullo valet humanæ rationis ingenio concipi, nullo potest mentis intuitu, vel consideratione discerni, ex diuinorum dumtaxat eloquiorum debet sententijs colligi. Nam, sicut ait Apostolus, Spiritus sanctus omnia scrutatur etiam profunda Dei. Quis enim scit hominum, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi spiritus Dei. Nos autem spiritum huius mundi non accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis, quæ & loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrinâ spiritus. Enimuero quomodò Pater ineffabiliter Filium gignat, quomodò Spiritus sanctus à Patre, vel vtroque procedat, qualiter intuitus humanus attingeret, nisi per organa Prophetarum, vel per incarnatum Verbum suum Deus omnipotens hoc mortalibus reuelaret? Est enim Fides, sicut dicit Apostolus, sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Stat enim Joannis illa sententia, qua dicit: Charissimi nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus: scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus quoniam videbimus eum sicuti est. Ad comprehendẽdum ergò summum, & ineffabile veræ Fidei sacramentum, non humanæ opinionis sequamur indaginem, sed solam amplectamur cælestis eloquij veritatem; vt hoc potissimùm de Deo credatur, quod diuinitus, & in his, quæ summa, & incomprehensibilis Veritas perhibet, fidei nostræ constantia non vacillet.

Joan 10. v. 30 · 1. Cor. 2. v. 10 · Heb. 11: v 1 · 1. Ioan. 3. v. 2

Porrò autem quod à Patre procedat Spiritus sanctus, nulla neque apud Græcos, neque apud Latinos quæstio est: nec res testimonijs indiget, cùm hoc ipsum, & ea quę suprà posuimus, euidenter exempla declarent. Quod autem à Patre procedat, simul & à Filio, vnde scilicet quæstio est, Euangelica nos docet auctoritas, cùm Dominus dicit: Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. Et alibi: Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre. Cum ergo Paracletum & Pater mittat in nomine Filij, & Filius mittat à Patre; patet profectò, quia sicut ab vtroque, qui proculdubiò vnum sunt, mittitur, ità nihilominus & ab vtroque procedit. Et qui sæpè Spiritus Veritatis dicitur, cum vtique Christus sit Veritas, qui Spiritus est Veritatis, Spiritus est proculdubiò Filij. Vnde & alibi dicit; Ille me clarificabit, quia de meo accipiet. De meo scilicet accipiet, quia & in me est. Vnde & in Esaiâ vox Patris ad Filium, Spiritus meus, inquit, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedant de ore tuo, & de ore seminis tui vsque in æternum. Ipse nimirum Spiritus est illa virtus, quæ de illo exibat, sicut in Euãgelio legitur, & sanabat omnes. Et iterùm de muliere fluxu sanguinis

Joan. 14. v. 26 · Ioan. 15. v 26 · Ioan 16. v. 14 · Esai 59 v. 21 · Luc 6. v 19 · Luc. 8. v. 46

liberatâ: Ego noui virtutem de me exiisse. Vnde & Apostolus ad Galatas, Quoniam, inquit, estis filij Dei misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra clamantem Abba Pater. & alibi; qui Spiritum Christi non habet, hic non est eius. ecce hic, cum dicit Apostolus: Spiritus Filij sui, vel Spiritus Christi, numquid addit & Patris, vt dicat, Spiritus Christi, & Patris? Numquid quia prætermisso Patris vocabulo, Spiritus Filij dicitur, iure consequitur, vt Patris esse Spiritus denegetur? Idem quoque Apostolus ad Philippenses ait: Scio enim, quia hoc mihi prouenietin salutem per vestram orationem, & subministrationem Spiritus Iesu Christi. Hinc est, quod Sapientia Dei, quæ proculdubiò Christus est, dicit: Spiritus meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & fauum. Sicuti ergo cùm Filij, vel Christi Spiritus dicitur, non statim consequitur, vt eum possimus à Patre disiungere: ità cùm dicitur, Spiritus Patris, non eum possumus à Filio separare. Beatus etiam Petrus ait: De quâ salute exquisierunt, atque scrutati sunt Prophetę, qui de futurâ in nobis gloriâ prophetauerunt, scrutantes in quod, vel quale tempus significaret, qui in eis erat Spiritus Christi, prænuncians eas, quæ in Christo sunt, passiones, & posteriores glorias. Quod autem eumdem Spiritũ Filius in Discipulos miserit, idem Petrus in Actibus Apostolorum perhibet, dicens: Dexterâ igitur Dei exaltatus, & promissione Spiritus sancti acceptâ à Patre, effudit hoc donum, quod vos videtis, & auditis. Hinc est, quod cum resurrexisset mortuis, & apparuisset discipulis, vt eũ de se procedere patenter ostenderet, insufflauit, & ait: Accipe Spiritũ sanctum. Nec sanè putandum est, quod flatus ille corporeus, qui tunc aërem percussit, Spiritus sanctus fuerit, sed per congruam hanc significationem conuenienter ostensum est, quod Spiritus sanctus procedit ab ipso. Esaias quoque cùm de Filio Dei loqueretur, adjecit: Percutiet terram virgâ oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium. Cui sententiæ concinens Paulus in Epistolâ ad Thessalonicenses ait: Tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui. Quod etiam in libro Beati Iob mysticè designatur, cum dicitur: Audiet auditionem in terrore vocis eius, & sonum de ore illius procedentem. Os denique Patris in hoc loco intelligitur Filius, per quem videlicet nobis diuinæ legis sanctio promulgatur, Sonus vero de illius ore procedens, Spiritus sanctus est, qui à Filio veniens, mirabiliter sonuit, cùm super Apostolos repentino sonitu in linguarum varietate descendit. Factus est, inquit, repente de cælo sonus tamquàm aduenientis Spiritus vehementis. Hic nempè sonus, qui de ore Christi prodijt, ipse est proculdubiò gladius bis acutus, quem Ioannes in Apocalypsi ex eisdem labijs exire conspexit. De quo & per Psalmistam dicitur: Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Quia ergo sicut dictum est, os Patris Filius est, Spiritus oris Dei nil aliud intelligendus, quam Spiritus Christi.

Galat. 4. v. 6
Rom. 8. v. 9
Phil. 1. v. 19
Eccl. 24. v. 27.
1. Pet. 1. v. 10
Act. 2. v. 33
Ioan. 20. v. 22
Isaye 11. v. 4
2. Thess. 2. v. 8.
Iob. 37. v. 2
Act. 2. v. 2
Apoc. 1. v. 16. & 2 v. 12.
Psal. 32. v. 6

Amouet dubitationem, quæ nasci poterat.

Quod si quæritur, cùm de substantiâ Patris sit Filius, de substantiâ Patris sit nihilominus & Spiritus sanctus, cur vnus Filius, & alius non sit Filius? Non incongruè respondetur, de Patre est Filius, de Patre est Spiritus sanctus: sed ille genitus est, iste procedens; Ideóque ille Filius est Patris, de quo & genitus est: iste autē Spiritus vtriusque, quoniam de vtroque procedit. Verumtamen & illa generatio, & ista processio non modò ineffabilis, sed & prorsus incomprehensibilis est. Sed in his, quæ nostræ mentis acie penetrare non possumus, illis, per quos Spiritus sanctus locutus est Fidem certam, tamquam si res nostris subiaceret obtutibus, adhibemus. Et quamquàm nobis ignota sint arcanæ profunditatis occulta mysteria, non tamen dubitamus in eo, quod Dominus loquitur: non ambigimus in eo quoque, quod in Prophetarum vaticinijs inuenitur.

Amouet aliā dubitationem

Sed hîc mihi fortassis obijcitur: non intelligitis Euangelium, nescitis quid sibi velint oracula Prophetarum; quæ scilicet aliud sępè prætendunt in litterarum superficie, aliud continent in spiritualis intelligentię veritate. Ad quod nos facilè respondemus, quia fuere quamplures Apostolici, & Catholici viri, de quorum scilicet approbatâ pietate, & sanctitate per ostensa multarum signa virtutum nil omninò remansit ambiguum. Hi nimirum orthodoxam Fidem verbis simplicibus exposuerunt, & litteris exaratam ad posteritatis memoriam reliquerunt. Illorum planè fuit ex Apostolicis, & Propheticis sententijs ista discutere; nobis autem nil aliud restat nisi præfixis dumtaxat eorum definitionibus obedire. Illis nempe vis necessitatis incubuit, vt hæc subtiliter, ac diligenter inquirerent, & certam Fidei regulam definirent; nobis autem eâ tantum viâ gradiendum est, per quam videlicet nostri præcessere maiores. Quod ergò illis tunc ex Euangelicis, ac Propheticis, vel etiam Apostolicis fontibus inhianter hauserunt, hoc nobis propinantes in posteros fideliter transfuderunt; dicente Psalmistâ: In Ecclesijs benedicite Deo Domino de fontibus Israël; & nos puritate Fidei, quæ per eos in nobis, tanquàm per veritatis riuulos influit, securè iam, & absque vllo timore percipimus: & tanquàm ab ipsâ principali diuini fōtis origine, nos hanc haurire gaudemus. Audiamus ergò quid de processione Spiritus sancti in sexto libro de Fide, quem ad Gratianum Imperatorem mittit, beatus dicat Ambrosius; non enim, ait, quasi ex loco mittitur Spiritus, aut quasi ex loco procedit, quando procedit à Filio. Et paulò post: Spiritus sanctus cum procedit à Patre, exit à Filio: nec immeritò ab vtroque procedit, cùm in vtroque æqualiter sit, sicut in octauo eiusdem operis libro idem dicit Ambrosius: Patet in Filio, & Filius in Patre: ita Dei Spiritus in Patre, & in Filio. Augustinus autem cum per totum ferè librum, quem de sanctâ Trinitate composuit, innumerabiliter asserat, quod Spiritus sanctus de Patre, simul Filioque procedat, tamen vnam saltem eius sententiam ponimus, ne prorsus eum negligenter prætexisse videamur. In illâ inquit, sanctâ Trinitate

Psal. 67. v. 27

Auctoritates Patrum Latinorum.

Ambrosij.

Augustini.

vnus est Pater, qui solus de se ipso essentialiter vnum Filium genuit: & vnus Filius, qui de vno patre solus est essentialiter natus: & vnus Spiritus sanctus, qui solus essentialiter de patre, Filioque procedit. Hieronimus quoque hoc scripsisse fertur: Spiritus, qui à patre, Filioque procedit, patri, Filioque coæternus, & per omnia coæqualis est. Hęc est sancta Trinitas, idest, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: vna est deitas, & potentia: vna essentia, idest, Pater, qui genuit, Flius, qui est genitus; & Spiritus sanctus, qui ex patre Filioq; procedit. Quãuis hoc in expositione Fidei eius videlicet illâ, quam legimus, nequeat inueniri. B. etiam Papa Gregorius in confessionis suę Symbolo sic ait: credo patrē ingenitū, Filiū genitū, Spiritū verò sanctū nec genitum, nec ingenitum, sed coæternum de patre, & Filio procedentem. Quod si ab his fortè, qui Gręcè tantum sciunt Latinè non norunt, è diuerso dicatur non sibi sufficere Romani Doctores eloquij, nisi Gręci quoq; sermonis patres adhibemus, audiant, quid beatus perhibeat Athanasius in libro quē aduersus Arriū scripsit. Ego, inquit, credo Filium in patre, & patrem in Filio, Spiritum quoq; paracletū, qui procedit à patre, & Filij esse, & patris; quia & à Filio procedit, sicut in Euangelio scriptū est, quod per insufflationem suam dedit Discipulis Spiritum sanctum. Beatus etiam Cyrillus de hac eadem piritus pSrocessione contrà Nestorium sic ait: quamuis enim in sua sit substantia Spiritus eius, & intelligatur in persona proprietas iuxta id, quod Spiritus est, & non Filius, attamen alienus non est ab illo. Nam Spiritus appellatus est Veritatis, & Veritas Christus est. Vnde & ab isto similiter, sicut & à Deo Patre procedit.

Hieronymi.

Gregorij.

Auctoritates Patrum Græcorum.

Athanasii.

Ioan 20. v. 22.

Cyrilli.

Sed adhuc fortassis inquiritur, cùm Spiritus de Patre procedat, & Filio, cur idem Filius dixerit, quia de patre procedit? Quid enim causæ fuit, vt non diceret de Patre, & me procedit, sed potius diceret, Spiritus qui à Patre procedit? Cur hoc eum fecisse putamus, nisi quod solet referre id etiam, quod suum est, ad eum, de quo ipse est? De Patre quippè est Filius, & à quo habet, vt ipse sit Deus, ab illo nihilominus habet, vt à se quoque procedat Spiritus sanctus. Vnde est, quod alibi dicit: Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me. Si igitur hîc apertè cognoscitur suam esse doctrinam, quam tamen non suam dixit esse, sed Patris, quantò magis illic intelligendum est, & de ipso procedere Spiritum sanctum, vbi sic ait, de Patre procedit, vt nequaquã diceret, de me non procedit? Huic & illud est simile, quod alibi dicit: Qui in me credit, nō in me credit, sed in eum qui me misit. Quid enim sibi vult, quod ait: Qui in me credit, non in me credit? Quomodò in ipsum, quomodò nō in ipsum? Quomodò tàm contrariū, tamque per cōpugnãtia sibi verba intelligetur aduersum, qui in me credit, non in me credit, sed in eum, qui me misit: nisi sic intelligatur, qui in me credit, non in hoc, quod videt, credit; vt spes nostra non in creaturâ sit, sed in illo qui creaturã suscepit, quatenus vnum se esse cum eo mortalibus innotesceret, atque ad se simul cum eo contemplandum humana corda mundaret? Ita cum

Aliam item amouet dubitationem.

Ioan 7. v. 16

Ioan 12. v. 44

dicit: Mea doctrina non est mea, non paruam mentibus caliginem generat, nisi carnem à spiritu dispensatiuæ rationis ordo discernat. Nō enim dixit, ista doctrina non est mea, sed mea doctrina non est mea. Quam dixit suam, eandem dixit non suam. Quomodò sanè istud verum est, nisi secundum aliud suam dixerit, secundum aliud non suam? Secundum formam Dei suam, secundum formam serui non suam? Cum enim dicit, non est mea, sed eius, qui misit me, ad ipsum Verbum, quod in carne latebat, nostræ mentis intuitum prouocat, vt eum à Patre simul vnum esse cognoscat. Doctrina enim Patris est Verbum Patris, qui est vnicus Filius. Quod ergò dictum est: doctrina mea non est mea, sic intelligendum est, ac si dicat: ego non sum à me ipso, sed ab illo, qui me misit. Cum ergò doctrinam suam, quam simul cum Patre dictat, esse non suam, sed Patris esse perhibeat, quid mirum si Spiritum sanctum dicat de Patre procedere, à quo scilicet habebat idem Filius, vt etiam de ipso procederet? Vnde cum in Nycæni Concilii Symbolo, quod superius memorauimus, Spiritus sanctus non simpliciter dicatur à Patre procedere, sed addatur propriè, & in Spiritum, inquit, sanctum, qui de Patre procedit propriè; hæc proprietas non ideò datur Patri, vt Spiritus sanctus de solo ipso procedat, sed quia ab ipso datū est Filio, vt etiam ex ipso procedat. Vnde & Augustinus in libro de sancta Trinitate, non frustrà, inquit, in hac Trinitate non dicitur Verbum Dei, nisi Filius: nec donum Dei, nisi Spiritus sanctus: nec de quo genitus est Verbum, & de quo procedit principaliter Spiritus sanctus, nisi Deus Pater, moxque subiungit: ideò addidi principaliter, quia & de Filio Spiritus sanctus procedere reperitur: sed hoc quoque illi Pater dedit, non iam existenti, & nondum habenti, sed quidquid vnigenito Verbo dedit, gignendo dedit. Non ergò turbetur Fides, cum audit Spiritum sanctum propriè, siue principaliter à Patre procedere: quoniam ab illo datur Filio, vt ab ipso procedat, à quo & ipse ineffabili, atque incomprehensibili generatione procedit; sicut ipse qui est Patris sapientia per Salomonem dicit: Ego ex ore Altissimi prodiui. Et in Euangelio. Ego enim ex Deo processi, & veni. Illud præterea summopere cauendum est, ne dùm asserimus, quod de Patre Filius habeat, Paracletus à se procedat, credamus etiam, quod Spiritus sanctus de Patre procedat in Filio, & de Filio procedat ad sanctificationem nostram. Absit enim hoc credi, ne quasi diuersitas graduū videatur in simplici, atque incomprehensibili diuinitate disponi, cum scriptura dicat: Ne ascendas per gradus ad altare meum. Sd absque vlla dubitatione credendum est, quod Spiritus sanctus simul ab vtroque procedat, quamuis hoc Filio Pater dederit; vt quemadmodum à se, ità nihilominus & ab illo procedat. Spiritus enim sanctus ineffabilis quædam est Patris, Filiiq; communio: atque ideò videtur hoc vocabulum obtinere, quia Patri, simul ac Filio non ambigitur hæc appellatio conuenire. Nam hoc ipse propriè dicitur, quod illi communiter appellantur; quoniam & Pater Spiritus, & Filius Spiritus: Pater sanctus, & Filius sanctus: & sicut vtriq;

Quomodo dicatur, Spiritus sanctus à Patre propriè procedere in Nyceno Symbolo.

Aug. l. de trinitate.

Eccl. 24. v. 5.

Ioan. 8. v. 42.

Exod. 20. v. 26

eius vocabulum indifferenter congruit, sic ipse simul ab vtroque procedit. Possemus adhuc nonnulla scripturarum exempla congerere, nec impossibile esset nostris allegationibus egregios catholicæ Fidei defensores cum suis argumentationibus adhibere: sed quia lege prohibemur iuxta altare nemoris arbusta conserere, nolumus poma Spiritus, opacis prolixæ locutionis foliis operire. Sanctitas ergò tua, venerabilis Pater, licet cælestis eloquij pabulo pleniter, vbertimque refecta, tamen magis, ac magis adhuc veritatis esuriens, non dedignetur interim hoc pauperculi hominis perexile ientaculum, gustatura postmodùm de manibus Domini nostri Papæ, tamquàm per Abachuc Prophetam, per Angelum, regalium delicias epularum.

Conclusio.
Iudic.6.v.25.
Dan.14. v.36.

EPIST. II. Ad Gebehardum Archiepiscopum Rauennatem.

ARGVMENTVM.

Reuocatus in patriam ab Archiepiscopo Rauennate, excusat se, quod adhuc monachorum, qui sua cura commissi erant, necessitatibus detentus non paruerit. Laudat deinde eundem, & adhortatur. Postremò orat, vt profectionis labor, si fieri potest, interim sibi remittatur.

Domno G. secundæ per Italiam Sedis Antistiti, Petrus vltimus Eremitarum seruus deuotissimæ seruitutis obsequium.

PRæcepisti mihi dilectissime Pater, & Domine, & præcipiendo mandasti, vt ad te venirem; sed ego pauperculum locum ad regendum suscipiens, qui prius per memetipsum solummodò pauper extiti, nunc per tot pauper effectus sum, quot regendos accepi. Perpendo igitur & quale sit plurimos regere, & præbendæ necessitatis stipendia non habere. Quapropter dùm fratrum necessitati consului, ad vos facilè venire non potui; veruntamen dùm & hoc ipsum studiosè pertracto, quodammodò sacrilegium deputo, si sanctitati tuæ parere qualibet occasione postpono. Quis enim illi tutò inobediens fiat, quem Deo sanctis operibus obedire non dubitat? Tibi enim, cui, Deo auctore, præsides, sedes Rauennatica, tibi omnis in Christo grates sancta reddidit Ecclesia: nimirum qui eo tempore, quo symoniacus draco miserabilium negotiatorum brachia perplexis concupiscentiæ spiris virus infundit; tu solus penè ex omnibus inuictus Christi miles incolumis permanens, Petri iaculo nequissimæ bestiæ guttur infigis, & Ecclesiã tuã mundã ab omni eius pestifera contagione custodis: & quod

B. Petrus Dã. Prior monasterij fontis Auellani.

Laus Archiepis. Rauen.

Pastorũimmò latronũ culpa magistri sedes amisit, nobilis alumni cathedra inuiolata seruauit. Sed inter hæc omnia vestræ sanctitatis studia, illud mihi multò est charius, quod saluti monachorum pastoralis oculus vester inuigilat, & occulta diu vulnera in lucem producere, & disciplinæ †Cysurgio secare nõ cessat. Eia miles Christi fortiter te in vires collige, & circumducto prudentiæ tuæ oculo, contrà cunctas diaboli machinas viriliter præliare. Auaritiam iugula, superbiam calca, lapsos erige, vacillantibus sanctæ exhortationis dexteram præbe; quatenus & temetipsum sanctarum virtutum scuto custodias, & alios ab omni antiqui hostis impugnatione defendas. Obsecro autem te, dilectissime, si cũ tua licentia potest fieri, non me hoc tempore inquietari permittas: sin autẽ, quidquid volueris, cum omni auctoritate præcipias.

EPIST. III. Ad eundem Gebehardum Archiepiscopum Rauennatem.

ARGVMENTVM.

Ostendit se tanto Gebehardi Archiepiscopi amore teneri, vt illius absentis desiderium ferre vix possit. Hortatur mox, vt Pisaurensis, & Fanensis Ecclesiarum, amotis eorundem flagitiosis Rectoribus, statum componat. Postremò commendat ei Abbatem Classensem.

Domno G. Reuerentissimo Archiepiscopo, Petrus deuotissimæ seruitutis obsequium.

Dilectissime mihi, Pater & Domine, quo circà te desiderio ferueam, quæ tuæ dilectionis flamma meum pectus exurat, testis est lingua, quæ tàm crebrò te abesse conqueritur: testis est conscientia, quæ serenissimam angelici tui vultus speciem tàm perspicuè contemplatur. In illo quippe pectoris receptaculo, non vbi pater, aut mater, sed vbi ipse sum, te alterum reconditum gero. Quapropter humiliter peto, vt mihi mutui amoris vicem redhibeas, & gratia, quæ simplex egreditur, ad me duplicata recurrat. Hoc autem mihi persuadere facilè poterunt, qui ad vos de nostris partibus venientes, aliquod negotium in præsentia sanctissimi Apostolici Domini mei exercere contendunt. Talem te ergò, charissime Pater, in causa reprobórum Episcorum Fanensis & Pisaurensis exhibe, vt te in veritate comperiam Dei iudicium pertimescere, contrà ministros diaboli viriliter decertare, arida diabolicæ plantationis arbusta conuellere, Ecclesiam Christi ad lumen velle de tenebris reuocare. Vnum autem nolo te lateat, quia si infames illi, & criminosi in Episcopatus arce perstiterint, nõ modicũ, splẽdidissime Domine, Papæ opinio laborabit; & tu, qui Consiliarius eius

Episcopi Fanensis, & Pisaurensis vita criminosa.

es,& tantâ omnigenę eruditionis sapientiâ polles,nęuum proculdubiò reprehensionis incurres.

Rogo autem, & humiliter obsecro, vt charissimum Patrem meum Abbatem Classensem in meâ personâ suscipias: & quidquid illi beneficij, quidquid charitatis impenderis, mihi propriè te exhibere cognoscas.

EPIST. IV. Ad Henricum Archiepiscopum Rauennatem.

ARGVMENTVM.

Consultus ab Henrico Archiepiscopo de Cadaloo Antipapâ, & Alexandro secundo, quid sibi videretur, vter nam legitimus esset Pontifex iudicandus, Alexandrum, prout æquum erat, pro vero Pontifice habendum respondet: Cadaloum verò tamquam simoniacum, & schismaticum ab omnibus damnandum esse, & reijciendum, quod etiam ex moribus vtriusque facilè dignosci possit. Consilium autem, quod sibi idem Archiepiscopus dederat, vt scilicet occultè, non palàm Cadaloi electionem improbaret, tamquàm sibi minus honestum reijcit. Non enim clàm, sed in conspectu hominum pro Ecclesiâ Dei, ait esse belligerandum.

Domno H. Reuerentissimo Archiepiscopo, Petrus peccator Monachus debitæ subiectionis obsequium.

Literas sigillo vestræ sanctitatis impressas, venerabilis Pater, mox vt aspexi, promptus arripui, lætus explicui, curiosè perlegi. In quibus nimirum liquidò comperi, & primum circà me vestræ pietatis affectum, & certum de ea, quam vobis antè suggesseram, mea petitione promissum. Illud autem, quod in calce subiecistis epistolæ, vt vobis scriberem quid mihi de eo, qui in Apostolicâ sede nunc præsidet; vel eo, qui eiusdem sedis Electus esse videtur; quamquàm per nonnullos ecclesiæ vestræ filios iam potuissetis audire, quæ sit nostra super horum duorum hominum diuersitate sententia, tamen quia præcipitis, etiam apicibus adnotamus. Ille nimirum, inquantum mihi videtur, absque vllâ excusatione simoniacus est, quia nobis omnibus eiusdem vrbis Cardinalibus Episcopis reclamantibus, obsistentibus, & terribiliter anathematizantibus, nocturno tempore cum armatorum turbis vndique tumultuantibus, & furentibus inthronizatus est. Dehinc ad marsupiorum patrocinia funesta concurrit, pecunia per regiones, andronas, vel angiportus in populos erogatur, B. Petri venerabilis arca peruaditur, sicque per totam vrbem velut officinam malè fabricantis Simonis factam, vix aliud, quã, vt ità loquar, malleorũ, atque † incudinum tinnitus auditur.

Cõsule Schol.

Consulitur B. Doctor ab Archiepiscopo Rauennate de legitimo Rõ. Sedis Antistite.

Eius prudens responsio in Cadaloum Antipapam, cuius & vitam turpissimam describit.

† incudum.

Et, ô scelus, & ferale prodigium! Petrus cogitur nundinas Simonis ex suâ quantitate persoluere, qui Simonem cum omni suo commercio cognoscitur perpetuâ maledictione damnasse. Quod autem ille crimen hoc palliat, & tractum se, vique coactum, quibus potest verbis, excusat, hoc ego licet ad liquidum nesciam, tamen & ipse non vsquequaque diffiteor. Ita quippè est homo stolidus, deses, ac nullius ingenij, vt credi possit nescisse per se talia machinari. Verumtamen in hoc reus est, quia in cœni voragine, in quam semel est violenter iniectus, volutatur vltroneus, & in adulterium, quod nolens ante commiserat, delectabiliter perseuerat.

Vt autem & de ipsâ eius promotione lacrymosa, vt aiunt, verba non protraham, nobis Episcopis per diuersa latibula fugientibus, Presbyter Ostiensis Ecclesię, qui vtinam syllabatim nosset vel vnam paginam ritè percurrere, vt eum ad Apostolatus culmen proueheret, raptus à satellitibus Satanæ & violenter attractus est. Et ecce, vt vos canonicæ sanctionis decreta non latent, si cuncta etiam, quæ sibi opponi possunt, obiectionum capitula supprimantur, hoc solum tale est, vt ex eo se nullatenus valeat expedire. Nam si presbyter proculdubiò deponendus est, quia sui sibimet priuilegium Pontificis vsurpauit; quo pacto poterit is, qui ordinatus est, stare propter quem solum ordinator eius iudicatus est à suâ dignitate corruere? Hùc accedit quia piæ memoriæ Stephanus Papa congregatis intrà Ecclesiam Episcopis, ciuibusque Romanis, Clero, & populo, hoc sub districti anathematis excommunicatione statuerat, vt si eum de hoc sæculo migrare contingeret, antequàm Hildeprandus Romanæ Ecclesiæ subdiaconus, qui cum communi omnium consilio mittebatur, ab Imperatrice rediret, Papam nullus eligeret, sed Sedes apostolica vsque ad illius reditũ intacta vacaret. De his porrò plura sunt, quæ dicantur. Sed ne sanctitas vestra pluribus intenta negotijs prolixa, quod absit, verba fastidiat, & regulę suæ limitem epistolare compendium non excedat, nunc ista sufficiant.

Stephani X. Papæ Decretum de eligendo Rom. Pont.

Vt autem percunctationi vestræ in hoc etiam nostra responsio satisfaciat, de Electo hoc mihi videtur, quia benè litteratus est, & viuacis ingenij, sine suspicione castus, in erogandis eleemosynis pius. His vltrà non addo, ne non videar vniuersitatis amator, sed singularitatis assertor. Ille autem è contrà, si vnum, non dicam psalmi, sed vel homilię quidem versiculum plenè mihi valeat exponere, mu-tum aduersus eum vltrà nõ facio; manus do, plantas osculor, & non modò iam Apostolicum, sed etiam Apostolum, si iubetis, appello.

Alexandrum Papam commendat B. Doctor.

Cadalous litterarum imperitus.

Quod autem scripsistis, vt mitterem vobis litteras taciturnitate signatas, quasi paterno mihi consulentes affectu, ne aduersa fortassis incurrerem, si sensa cordis cum libertate proferrem; absit à me, vt in tali negotio dura prorsus, & aspera perpeti lubrei fugiam, & negligẽdo tam ingenuæ Matris incestum, sub vmbrâ degener filius delitescam. Immò peto, vt Epistola hæc in publicum veniat, sicque per vos quid super hoc totius

Mira B. Doctoris animi constantia.

mundi periculo sentiendum sit, omnibus innotescat. De benedictione autem vestrâ, quam petij, venerande Pater, nihil aliud dico, nisi quia quidquid ei, qui missus est, datur, eius proculdubiò manibus, qui misit, immittitur.

EPIST. V. Ad VVibertum Archiepiscopum Rauennatem.

ARGVMENTVM.

Vvibertum Archiepiscopum rogat, qui suum Monasterium visitaturus aduentabat, vt habitâ ratione illius inopiæ, & necessitatis eidem pecuniam, sicut cogitarat, non auferret: contentum enim debere esse ijs rebus, quas antè abstulisset.

Domno VV. Reuerentissimo Archiepiscopo, Petrus salutem.

GRatias Regi Regum Deo referimus, quia dum totum orbem propinquus iam dies Dominicę natiuitatis irradiat, vrbem nostram etiam clarissimus vester aduentus illustrat. Itaque libet exclamare: Gloria in excelsis Deo; & in terra pax hominibus bonę voluntatis. Verumtamen satis miror, venerabilis Pater, quia postquàm ad te veni, postquàm ab alio reuocatus itinere, vestris iussionibus parui, nullum legationis verbum, nullum suscipere merui vestrę familiaritatis indicium. Certè nonnulli testes sunt huius rei, quam loquor, quia si bonæ memoriæ Decessori vestro hic habitandi * ob tempora salute suæ animæ, & de spiritualium rerum ordinationibus ratâ promissione firmaret; vos autem è diuerso me quotidie flagellatis, quotidie acres verberum plagas infligitis: & qui audire non meretur linguam, grauem de sacris manibus suscipit disciplinam. Nempè dùm hoc sollicitè ipse considero, sępè intra secretum mei pectoris hæc mecum tacitus verba reuoluo. Hoc mihi, inquam, facit dominus meus, quod Eliæ fecisse legitur omnipotens Deus: vade, inquit, in Sareptam Sidoniorum, ibi præcepi mulieri viduæ, vt pascat te. Quę videlicet vidua postquàm Prophetam ex diuinâ iussione suscepit, fælicem se, & domum suam fore tanti hospitis contubernio iudicauit. Cui tamen dum sedula famulatur, dùm deuotis ministrat obsequijs, eius filius repentinâ morte corripitur: & per quem suum sperabat filiũ diu in hac vitâ florere, eũ iàm cœpit velut auctorem mortis impetere, dicens: Quid mihi, & tibi, vir Dei? ingressus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum? Ecce, clementissime Domine, cætera Monasteria sub alis misericordiæ vestrę illæsa persistunt, & cum securitate, & immunitate Deo deseruiunt. Hoc autem solum, ex quo me in illud ingredi præcepistis, tot patet inuasionibus, & rapinis obnoxium, vt nisi mens vestra vel nunc flectatur ad

Luc. 2. v. 14.

Archiepiscopus Rauennas asperior in B. Petrum Dam.

3. Reg. 17. v. 9.

Ibidem. v. 18.

misericordiam, iam videatur funditus desolatum. Sic itáque domus Dei per me videtur in infima deijci, per quem sperabatur, Deo vobis cooperante, cælotenus exaltari. Quapropter, gloriosissime Domine, fusis lacrymis ad vestigia vestra corruo, sanctæ viscera pietatis imploro, vt secundum grauitatis vestræ prudentiam iam memineritis retinere flagellum, iam ponatis tot persecutionibus modum, dicente Domino per
Tob. 3. v. 13. *Abac. 3. v. 2.* Prophetam: Dùm conturbatus fueris, in irâ misericordiæ memor eris. Nec grauetis sanctum locum adhuc auferendo pecuniam, quem tantam Ecclesiasticarum rerum nostis iàm pertulisse iacturam.

EPIST. VI. Ad Annonem Archiepiscopum Coloniensem.

ARGVMENTVM.

Laudat Archiepiscopum Coloniensem, quod Imperatoris filium pupillum suæ fidei commissum egregiè tutatus esset, & eidem, cùm adoleuisset, paternum imperium restituisset. Deinde quod Cadaloum Pseudo pontificem persecutus esset, & quantum in ipso fuit, Ecclesiastico mucrone iugulasset. Hortatur, vt extremam operi manum imponat: adhuc enim eiusdem Cadaloi rabiem perniciosius in Christianam rempublicam grassari, posse tamen coërceri, si eiusdem Archiepiscopi operâ generalis Patrum conuentus cogeretur.

Domno Annoni Reuerentissimo Archiepiscopo, Petrus peccator Monachus dignæ deuotionis obsequium.

IN expeditionis exercitio constituti, dignè non possumus eisdem manibus & styli currentis articulum texere, & frænis equorum fluitantibus, vt dignum est, deseruire: sed licet meliùs sit luculenter eloqui,
Annonis Archiepiscopi virtutes. quam mutire; verumtamen cum necessitas imminet, melius est vtcumque mutire, quam penitus obmutescere. Cùm nobis ad memoriam, venerabilis Pater, labor tuus, & studium venit, nobilis illa fides, atque prudentia Ioiadæ sacerdotis menti nostræ subsequenter occurrit.
4. Reg. 11. v. 1. & 4. *2. Par. 22. v. 10 & deinceps.* Sicut enim sacra, vt optimè nosti, testatur historia, Athalia vxor Ioram, cùm Ochoziam filium suum, regem videlicet Israel, videret extinctum, cœpit in omne semen regium immaniter fremere, posteritatemque Dauid crudelis Bellona tentauit funditus abolere. Sed insignis ille sacerdos Ioas filium Ochoziæ, piâ & multis laudibus efferendâ fraude surripuit, & occultè vsque septennium intrà templi septa seruauit, cui postmodùm regalis sceptri iura contradidit, eúque ad præsidendum Israëlitico populo iuxtà proauorum suorum consuetudinem roborauit

mox

mox vero tamquam hoc egregio non sufficeret Sacerdoti, confirmato Regis ad imperio, ad vtilitatem Sacerdotij, siue templi, suam porrexit industriam, & cum præfato Rege ad ordinandam, & disponendã consacerdotum suorum se contulit disciplinam. Nam & sacra tecta templi, vt instaurarentur, instituit, & nonnulla, quę Sacerdotibus competebant edicta deprompsit. Sciebat enim quoniam vtraque dignitas alternæ inuicem vtilitatis est indiga, dum & Sacerdotium Regni tuitione protegitur, & Regnum sacerdotalis officij sanctitate fulcitur. Sed quid mihi per sacræ lectionis seriem currere, nisi quia in te video eiusdem operis similitudinem nostro tempore cõuenire? Seruasti, venerabilis Pater, relictum tuis manibus puerum firmasti regnum, restituisti pupillo paterni iuris imperium: ad Sacerdotium quoque manum tuæ prudentiæ protinus extendisti dùm & Parmensis bestiæ squamea colla Euangelici mucronis vigore præcidere, & Apostolicæ Sedis Antistitem in suę dignitatis elaborasti † filium reformare: sed cœpto operi nisi postrema manus accedat, nisi adhibeantur adhuc illa, quæ restant; sanctum vestri operis ædificium minatur, vt corruat. Cadalous enim ille sanctæ perturbator Ecclesię, euersor Apostolicæ disciplinæ, inimicus salutis humanæ: ille, inquam, radix peccati, præco diaboli, Apostolus Antichristi, sagitta nimium producta de pharetrâ Satanæ, virga Assur, filius Belial, filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, velut draco teterrimus adhuc sufflat, adhuc fœtore venenatæ pecuniæ nares hominum fœdat, fidemque multorum vento perfidiæ vacillantem nouus hæresiarcha perturbat. Sicut enim Iouem in Dianæ gremium per aureum imbrem descendisse fabularum commenta confingunt; sic iste per aurum de suę Ecclesiæ sacrilegâ deiectione quęsitum, adulterinum Sedis Apostolicæ concubitum quærit, & tamquam petulcus adulter suam explere libidinem in Romanę Ecclesię violatione medullitus inardescit.

Regnum, & Sacerdotium inuicem sunt annexa.

Cadaloum intelligit, qui Parmensi Ecclesiæ præerat

† solium.

Cadaloi vitiorum Catalogus.

2. Thess. 2. v. 4.

Apollod Biblioth. lib. 2.

Quamobrem, venerabilis Pater, vt sanctus studij tui labor ad effectum omninò perueniat, & per caudam titionis huius, immò per vnum putridum diaboli membrum, apud opinionem hominum Romana Ecclesia non vilescat, & hac occasione, quod absit, Christianus populus in errore permaneat, necesse est, vt vestra prudentia totis nisibus elaboret, quatenus generale Concilium quantocyus fiat, & perniciosi huius erroris spinas, in quo miser mundus versatur, euellat. Prætereà libenter ad vestræ sanctitatis alloquium, si occasio daretur, attingerem, vt communicandum consilium, quod absentia prohibet, viua conserti sermonis verba conferrent. Sed quoniam id fortasse non mereor, peto, quęso, & humiliter suggero, vt sancta vestra prudentia Cadaloicam rabiem, quæ latrare non desinit, omninò conetur extinguere; quatenus Christiana religio pacificâ per vos valeat tranquillitate gaudere, vt dùm Regnum, ac Sacerdotium optatâ per vos pace perfruitur, is, qui vtriusque dignitatis auctor est, pacis ęternæ digna vobis præmia largiatur. Sed dum

equus offertur, dum socij omnes iter arripiunt: Ecce breuem sperno & strcui vestigia sterno.

EPIST. VII. Ad Vidonem Archiepiscopum Mediolanensem.

ARGVMENTVM.

Tacitè gratias agit Vidoni Archiepiscopo, quod se, dùm apud illum versaretur, sacris vestibus liberaliter donasset. Ostendit se memorem huius beneficij, assiduas pro eo ad Deum preces fundere: itemque curare, vt idem sui Monachi, & amici facerent.

Domno V. Reuerentissimo Archiepiscopo, Petrus peccator Monachus deuotissimæ seruitutis obsequium.

NOuerit sanctitas vestra, venerabilis Pater, quia me nimis pœnituit, atque, vt ità loquar, cor meum me valdè percussit in eo, quod liberalitati vestræ tàm largæ, tamque munificæ non pepèrci. Ad instar enim futuræ resurrectionis, binis me stolis induere decreuistis. Ego autem vestra oppressus auctoritate nil restiti, nil manum retraxi: sed seruorum Dei genuini rigoris oblitus, facilè cuncta suscepi. Quod planè cum recolo, conscientiâ me mordente redarguor, rubore perfundor, sicque sub proprijs tamquam sub alienis reprehensionibus erubesco. Neque hoc frustrà. Si enim Regem Dauid cor suum, scripturâ teste, percussit, 1 Reg. 24. v. 6. quia dumtaxat oram chlamydis Saul silenter abscidit; quid ego, qui non vesti particulam, sed integras vltrò, etiam pretiosas à Domino meo vestes extorsi: & sub non impendendæ, sed percipiendæ charitatis obtentu, dùm me indui, alterum spoliaui? Qui profectò si verè Sacerdos essem, iustitiâ magis indui, quàm textilibus ornamentis ambirem. Inter hæc tamen dum tribunalibus meæ mentis examinandus assisto, (Integritas B. Petri Dam.) meque ipse districtâ prorsus animaduersione discutio, hoc mihi defensionis est, & pro me stat, quia nonnulla mihi tunc temporis munera sunt oblata, quæ tamen apud nos susceptionis aditu non reperto, ad eos, qui miserant, sub omni sunt celeritate remissa. Vnde possum fortè colligere, quia charitas, quæ Dominum meum, vt benedictionem conferret, admonuit: eadem in seruo suo, vt collatam susciperet, acquieuit. Sed dum beneficij vestri recolimus modum, ad illud Zacharię mens redit oraculum. Erat, inquit, Iesus indutus vestibus sordidis, & stabat antè faciem Angeli: Qui respondit, & ait ad eos, qui stabant coram se dicentes, Zachar. 3. v. 3. auferte vestimenta sordida ab eo: deinde, vt scriptura prosequitur,

indutus est mutatorijs. Felix ille dies, in quo vestium ista permutatio celebrabitur: & corpus Iesu, quod est Ecclesia omni luctus, atque tristitię squalore deposito, beatæ immortalitatis* splendore vestietur; sicut in illo dedicationis Psamo iàm gratulabunda præcinit, dicens: Conuertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, & præcinxisti me lætitia, vt cantem tibi, gloria mea. Sed cui ego de talibus loquor? Sufficiat mihi tantummodò dicere, quia tu, venerabilis Pater, Angelus Domini mihi factus es, qui pro amore Iesu mihi sordida detrahens, eumdem ipsum in me infulis sacerdotalibus adornasti. Quibus tamen ego muneribus non prorsus ingratus hanc vicissitudinem compensaui, vt in pluribus non modò nostris, sed & extraneis, atque longinquis & eremis, & monasterijs vestrum nomen adscriberem, fratrumque vos orationibus humili deuotionis studio commendarem.

Psal. 29. v. 12.

Gratitudo B. Petri Dam. in Archiep. Mediol.

EPIST. VIII. Ad V. Archiepiscopum Bisuntinum.

ARGVMENTVM.

Commendat Archiepiscopi Bisuntini disciplinam, & ordinem, quibus in suâ Ecclesia vtebatur. Illud autem præcipuè laudat, quod tumulum sibi viuo posuerat, vt scilicet supremum vitæ diem semper ante oculos haberet. Vnum tamen correctione dignum, dùm in eius hospitio esset, se vidisse, quod tùm clerici, tùm ij, qui sacris non sunt initiati, dùm eadē sacra peragerentur, ys sedentes interessent: id non esse neq; ex præscriptâ disciplinâ, neque ex dignitate, apertè demonstrat.

Domno V. Reuerentissimo Archiepiscopo, Petrus peccator Monachus seruitutem.

NOn ignoras, Venerabilis Pater, quoniam dùm à te receptus hospitio tuis interfui, sic omnia velut in quadam animi mei tabellâ depinxi, vt nullâ de cætero valeant obliuione deleri. Teneo scilicet claustrum post † absidam Ecclesiæ, tuo dumtaxat habitaculo dedicatum, † vbi tàm priuatè, tàm remotè studio potes orationis, ac lectionis insistere, vt eremiticâ videaris solitudine non egere. Alterum quoque claustrum, quod dextrum tenet latus Ecclesiæ, non omisi, vbi candidus clericorum tuorum cœtus tanquam chorus nitet Angelicus. Illîc enim velut in cœlestis Athenæ Gymnasio sacratum scripturarum erudiuntur eloquijs: illîc veræ philosophiæ solerter incumbunt studijs, seseque sub regularibus exercent quotidie disciplinis. Nec illud excidit, quia præter istas, duas alias nouiter canonicas, vno simul eodemque tempore construis: vnam scilicet cum Ecclesiâ sanctæ Mariæ Magdalenę, alteram verò cum Ecclesiâ si ritè teneo, sancti Laurentij: Et cùm tua

Archiepiscopi Bisuntini magnificentia in ædificandis Ecclesijs.

non sit diues ecclesia, mirum est qualiter tàm operosis, tamque magnificis sit intenta structuris, & tam profusis quotidie sufficere possit impendijs.

Illud autem, fateor mihi præ omnibus placuit, quia sepulchrum tuum mihi tunc ostendisti, à te velut hodie suscipiendum, accuratissimè præparatum: vbi tamquam Vespillonum merces, quini nummorum solidi per quatuor altrinsecus angulos in sudario sunt ligati: vt inter exequias funeris, in ipso quoque pietatis opere sepultoribus tuis videatur remuneratio non deesse; In quo nimirùm patriarchæ Abrahæ tenere videris exemplum, qui cùm Saram vxorem suam sepelire satageret, & omnes filij Eth electa quæque sepulchra sua sibi gratis offerrent, gratuita contempsit, ab Ephron filio Seor speluncam duplicem comparauit. Nam & in ipso quaternario numero quodammodò cerneris eius imitatus exemplum; sicut enim quadringentis siclis argenti redemit ille speluncam, sic & tu quaternis quinque solidis aliquo modo videris emere sepulturam.

Gen. 23. v. 16.

Hîc notandum, quam detestanda sit auaritia Clericorum, qui de sepulturis Ecclesiæ commodum sperant: cùm hoc etiam ignorantes Deum Gentiles abhorreant. Illi respuunt pecuniam, cum offertur; isti impudenter exigunt, etiam cùm negatur. Illi contemnentes Abrahæ pretium dicunt: In electis sepulturis nostris sepeli mortuum tuum, nullusque te poterit prohibere; Isti Gentilium suppares aiunt: Appende pecuniam & suscipe sepulturam. Tu autem, Venerabilis Pater, sapientis mihi videris vsus esse consilio, cùm sepulturam tibi adhuc viuens, & valens fieri decreuisti. Nã si quandò deceptrix hæc vita blanditur, si fortè mẽs lenocinãte fastigio cuiuslibet dignitatis extollitur, mox vt ad expectantẽ se talẽ domũ quis oculos dirigit, puluerem se sicut est, cineremq; perpẽdit. Hinc est, quod per Salomonẽ dicitur: Quid necesse est homini maiora se quærere, cùm ignoret quid conducat sibi in vitâ suâ, numero dierum peregrinationis suæ, & temporis, quod velut vmbra præterit? Nec illices titillationum motus præualent carnes in luxuriæ fluxa resoluere, dùm mens cogitur scaturientes vermes, ac profluentem ex eisdem carnibus saniem cogitare. Vnde & idem Salomon, Melius est, inquit, ire ad domum luctus quam ad domum conuiuij. In illâ enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quod futurum sit. Sed ij, qui radicem cordis in arenosâ tenent huius sęculi delectatione plantatam, si sibi mũdus arridet, si iucunditas eos suauis, ac tranquilla demulcet, tamquàm fel, vel absinthium, memoriam proculdubiò mortis abhorrent. Vnde, vir Sapiens ait: O mors, quã amara est memoria tua homini pacẽ habenti in substantijs suis, viro quieto, & cui iustitiæ directæ sunt in omnibus, & adhuc valenti capere cibum. At si quem tædiosæ calamitatis infortunium pręgrauat, si languor assiduus, vel inopia rei familiaris angustat, illi mors dulcis efficitur: atque vt volaces gressus acceleret, exoratur. Vnde dicit ille, qui suprà: O mors bonum est iudicium tuum ho-

Auaritia Clericorum in sepulturis detestanda.
Gen. 23. v. 6.
Eccles. 7. v. 1.
Ibid. v. 3.
Homines mũdani in delitijs mortem abhorrent.
Eccl. 41. v. 1.
In aduersitatibus vero exoptant.
Ibid. v. 3.

mini indigenti, & qui minoratur viribus defecta ætate. Cum profectò finem suum homo nequaquam pro varietatibus huius vitæ debeat perhorrescere, vel optare: sed ad hoc tantùm si vel propriæ, vel fraternæ saluti perpenditur eadem mors, vel vita prodesse. Quod in se declarat ille, qui dicit: a Coarctor autem è duobus, desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multò magis melius: permanere b autem in carne, necessarium est propter vos. Hinc & beatus Petrus auditoribus suis aiebat: Iustũ arbitror, quandiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in cõmonitionem. Certus enim sum, quod velox est depositio tabernaculi mei. In verbis planè suis bonus Pastor ostendit, quia non sibi, sed discipulis suis & viuere volebat, & mori. Nam paulò post dicit: Dabo autem operam & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriã faciatis. Placet itaque mihi sepultura tua, quam tibi velut memoriæ signũ ante oculos posuisti; vt dùm illa conspicitur, florentis malè huius vitæ tibi viror arescat, ac de futuris cogitare mens in se collecta solerter incipiat. Quò scilicet postquã homo peruenerit, illud proculdubiò inuenit, quod mutare nullatenus possit. Vnde & Salomon admonet, dicens: Semper memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.

Homo non debet mortẽ optare, aut per horrescere pro varietate fortunæ, sed pro fraterna charitate.
a *Phil*, 1. v. 23.
b 2. *Pet*. 1. v. 13.
S. Petrus non sibi, sed suis viuere, & mori volebat.
Eccl. 7. v. 40.

Vnum præthereà corporis, ac desidiæ signum in Ecclesia tua vidi, quod & tunc, prout expeditionis dictabat hora, corripui, & nunc apicibus tradere non superfluum duco. Plerique siquidem ibi Clericorum resident, dum vel canonica horarum celebrantur officia, vel etiam ipsa Missarum offeruntur terribilia sacramenta. Cuius torporis ignauiam per Galliarum partes nonnullis inesse etiã monachis deprehendi: quod profectò prauæ consuetudinis vitium & correctione dignum, & de stadio militantis Ecclesiæ in his, quæ incolumes sunt, constat penitus eradendum. De qua scilicet in Canticis legitur: Quid videbis in Sunamite, nisi choros castrorum? Et iterum: Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis suis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Nam cum vbique nobis aduersus nequitiæ spiritus immineat infœderabile bellum, feruentius ingruit in modulatione psalmorum: & cum oramus, tunc velut in acie contrà malignorũ hostium tentamenta confligimus, vt nobis omninò necesse sit, aut superantibus eneruiter cedere, aut corruentibus, in Domino plausibiliter insultare. Qui cum corpora nostra marcida sessione contemplantur hebescere, de ruina quoque interioris hominis illicò sperant se victoriam obtinere. De quibus per Esaïam dicitur: Ponam illum in manu eorum, qui te humiliauerunt, & dixerunt animæ tuæ, incuruare, vt transeamus. Vbi post incuruationem animæ, etiam de corporis incuruatione protinus additur: Et posuisti vt terram corpus tuum, & quasi viam transeuntibus. Vtraque nimirum substantia, anima scilicet, & corpus, in nobis sic vnitæ sunt, vt plerumque vna solerter agente, vigeat altera: & dũ hæc resoluta negligenter oscitat, illa quoque dormitantis ignauiæ languore torpescat. Iosue certè cum vidisset Angelum euaginatum te-

Clericos, dum diuina celebrãtur officia sedere, praua consuetudo est.
Cant 7. v. 1.
Cant. 4. v. 4.
Cum oramus tunc contra malignos spiritus quasi in acie decernimus.
Esai. 51. v. 23.

Iosue 5. v. 15 nentem gladium, ait: Quid Dominus meus loquitur ad seruum suum? cui nil aliud ille præcepit, nil prorsus vt exequeretur, iniunxit, nisi tantùm hoc, solue, inquit, calceamentum de pedibus tuis; quare? subiunxit: locus enim, in quo stas, sanctus est. Cum ergo loco illi, propterea quia sanctus erat, debebatur nuditas pedum; cur Ecclesia quæ nihilominus sanctus est locus, non mereatur saltē stantium reuerentiam clericorum?

Exod. 3. v. 5. Moysi quoque dicitur: Ne appropies huc; solue calceamentum de pedibus tuis. Locus enim in quo stas, terra sancta est. Vt quid enim hæc antiquis Patribus diuinitus imperata per sacras paginas legimus, nisi vt sanctis locis nos reuerentiā debere credamus? An minus sacer est locus, in quo per mysterium viuificæ passionis Christi corpus offertur, quam ille, vbi per suum Deus Angelum loquebatur? In Deuteronomio quoque legitur, quia dixit Dominus Moysi: Tu sta hic mecum, vt loquar tibi omnia mandata, & cerimonias, atque iudicia. Non ait, sede, vel recūbe, sed ista mecum: vt scilicet stando discat, quod sedendo postmodùm doceat. Nunc itaque dum in procinctu sumus, vult Deus nos sibi ministrantes assistere, vt cum eo postmodùm mereamur in municipij tranquillitate sedere. Porrò autem si cui tanta suppeteret munerum copia, vt donec officium superesset, præbere dona singulis non cessaret; is quoque gradum figeret, cuius articulos lāguor chiragricus innodaret. Corporis ergò morituri stans susciperet commodum, animæ verò perpetuo regnaturæ sedendo despicit ornamentum? Si Regi, vel terreno cuilibet Optimati suæ ditionis officia reuerenter assistunt; cum antè terribilem maiestatis diuinæ conspectum laudum præconia iubilamus, qua præsumptionis audacia sedere præsumimus? Dicit Daniel: Millia millium ministrabāt ei, & decies centena millia assistebāt ei. Ecce, dùm innumerabilium Angelorum alij Deo ministrare, alij dicuntur assistere, nullus eorum hic reperitur in subsellio residere. Cui ergò virtutes Angelicæ trementes assistunt, terreni, & corruptibiles homines astare despiciunt? Et cum Ecclesiasticus illis officiis ritè credatur Angelicam semper adesse præsentiam, dicente scriptura: In conspectu Angelorum psallam tibi, nostramque vigilantiam, siue desidiam non modò diligenter attēdere, sed & superno Iudici cūcta per ordinem nunciare, quanto putamus aduersus nos zelo mouentur, dùm in conspectu illius nos irreuerenter sedere conspiciunt, cui scilicet ipsi trementes assistunt? Nam & Zacharias sacerdos cum incensum poneret, non sedentem, sed stantem iuxta altare Angelum vidit. Apparuit illi, ait Euangelista, Angelus Domini stans, à dextris altaris incēsi. Dicit & in Apocalypsi Beatus Ioannes: Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum. Stantes vtique antè, non sedentes. Et paulò post, Omnes, inquit, Angeli stabant in circuitu throni, & seniorum. Esaias cum præmisisset, Vidi Dominum sedētem super solium excelsum, & eleuatum, & ea, quæ sub ipso erant, replebant templum, protinus addidit: Seraphim stabant subter illud. Ecce

Deut. 5. v. 31.

Dum sumus in hac vita, tempus est stādi, postea erit tempus sedendi.

Dan. 7. v. 10, Apoc. 5. v. 11.

Psal. 137. v. 2.

Angeli contra homines indignantur in Ecclesia manentes.

Luc 1. v. 11. Apoc. 7. v. 9.

Esai. 6. v. 2.

vbi Seraphim sedere non audent, sedet homo lutens, & tamquàm pannus menstruatæ luridus, & immundus? Vbi virtutes cœlorum sibi sedilia non vsurpant, illic homo tamquam cōmuni, ac domestico perfruitur otio, qui se puluerem esse, & cinerem non ignorat? Ingreditur Rex nuptiale conuiuium, & inuenit hominem non modò fortasse nuptiales induuias non habentem, sed & contrà illius conuiuij regulam ignobiliter residentem; quid aliud iubere putandus est, nisi vt ligatis ille manibus, & pedibus, illicò mergatur in tenebras? Enimuerò de sedente Eli Sacerdote dicit scriptura: Quia cecidit de sella retrorsum, iuxta ostiū, & fractis ceruicibus mortuus est. Sedebat & Balthasar Rex Babylonis, cū in superficie parietis aulæ regiæ articulus sibi scribētis apparuit, qui suā, suorūq; stragem instare nocte prima, Medis, ac Persis imminentibus, nunciauit. Requiescebant Zebee, & Salmana Reges Madian cum exercitu suo, cū super eos tāquàm securos Gedeon irruit, eosque gladiis crassantibus trucidauit. Discūbebant nihilominus & Amalechitæ super faciē terræ, cū illos repente Dauid inuasit, eosque à vespera vsque in vesperā diei alterius percutere non cessauit. At contrà, Elias dicit: Viuit Dominus exercituū, ante cuius conspectum sto. Sto, inquit, non sedeo, non oscito, nō maresco: cui etiam à Domino dicitur: Egredere, & sta in monte coram Domino. non ait, sede, sed sta coram Domino. Nunquid & Dauid, atque illi septem chori cum eo sedebant coram Arca Domini, & non potius, sicut scriptura testatur, ipse Rex percutiebat in organis, & saltabat, ac subsiliebat totis viribus ante Dominum? Sicque ducebant Arcam in iubilo, & clangore buccinæ. Nota quoque quod ait Dominus Moysi: Applica tribum Leui, & fac stare in conspectu Aaron Sacerdotis, vt ministrent ei, & excubent, & obseruent, quidquid ad cultū pertinet multitudinis coram tabernaculo testimonij. Non ait, sedeant, oscitent, & dormitent, sed fac stare, vt ministrent, excubent, & obseruent. Moyses in monte per quadraginta dies, & totidem noctes nunquàm, vel ad momentum quidem sedit, nullà cibi, vel potus alimenta percepit, sed ieiunus Domino iugiter astitit; & tu, qui quotidiana te refectione sustentas, breui saltem spatio grauaris ante tui Conditoris astare præsentiam? Sic enim in Exodo legitur: Stetit ergò ibi cum Domino Moyses quadraginta dies, & noctes, panem non comedit, & aquam non bibit, & scripsit in tabulis verba fœderis decem. Hodieque nonnulli fratres, dùm laudibus diuinis insistunt, non sunt solo standi labore contenti, satagentes insuper, & per alia sui corporis exercitia fatigari.

Matt.22.v.13. *1.Reg.4.v.18.* *Dan.5.v.5.* *Iudic.8.v.21.* *1.Reg.30.v.20* *3.Reg.17.v.1.* *& 18.v.15.* *3.Reg.19.v.11.* *2.Reg.6.v.14.* *1.Paral.15.v.28.* *Num.3.v.6.* *Exod.34.v.28.*

Nam, vt de cæteris sileam, quidam frater, Gezo nomine, nunc à nostro non procul habitaculo disparatur, sexagenaria iam circiter ætate grandæuus, qui totum Psalterium genua flectendo decurrit, hoc scilicet modo, vt vnum expleat versum dùm pauimento prosternitur; alterum dùm protinus eleuatur. Sic itaque per totum Psalterij cursum vna semper fit metanea per geminos versus.

Gezonis Eremitę pia exercitatio.

Alius quoque nobiscum fuit, ætate processior, qui iure Dominicus vocabatur. Hic mihi confessus est, sæpè se mille fecisse metanxes per singulos dies, dùm tamen ferrea lorica iugiter esset indutus ad carnem. Sed qui talia quærit audire, curet opuscula nostra percurrere. Nunc autē sufficit mihi sanctitati vestræ suggerere, vt hoc ignobilis negligētię vitiū in sua prius Ecclesia corrigat, deinde per cæterarum palmites tamquā falcem salutiferæ correptionis extendat. Districtè quippè prohibendū est, non modo clericis, sed & laicis vtriusque sexus, vt nisi sicut mos est, einter nocturni lectiones officij, alias dùm diuinis hymnis insistitur nemo sedeat, nisi corporis eum valetudo compellat. Plerosque nempè vidimus non modò sacri, sed & sæcularis ordinis viros qui sic iter quælibet Ecclesiasticæ synaxis officia status sui viribus sunt contenti, vt nec podio, nec adiacenti prorsus vlli materiæ dignentur inniti. Qui nimiùm quò laboriosius in conspectu supernæ maiestatis se conspicientis assistunt, & suauiorem dulcedinem intimæ quietis acquirunt: quantoque difficilius sui corporis grauedinem tolerant, tantò copiosius eos ad Deum meritum leuat. Porrò autem, sicut Eutropij testatur historia, Varro consul quoniam apud Cannas dùm aduersus Annibalem confligeret, perdidit, numquàm postmodum vsque ad vitę suæ terminum recubās cibū sumpsit. Quod si faciunt hoc Ethnici, vt famæ suæ nomen extendant; quid agendū est Christianis, vt in cælesti sibi gloria sedes acquirant? Enimuerò si dignus in Deum nobis feruor inesset, par fuerat nos inter diuinæ laudis excubias non modò non sedere, sed & manibus in alta porrectis incessabiliter psallere. Sicut hortatur nos Psalmista, cū dicit: In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum. Et Apostolus ad Timotheū, volo, inquit, viros orare in omni loco, leuantes puras manus sine ira, & disceptatione. Nam & præclarus Ecclesiæ doctor Ambrosius beatos martyres Geruasium, & Protasium extensis manibus semper orantes se vidisse testatur. In cuius verbis datur intelligi, quoniā & ipse non aliter tunc orabat Episcopus, quāquàm hoc ipse vitandæ gloriæ causa non exprimat. Verisimile quippè est vt cum quo simul orant, nequaquàm ab eo in orationis qualitate dissentiāt: alioquin si aliter orabat Ambrosius, ad hoc sibi ille modus orationis ostenditur, vt ad hanc orandi regulam deinceps informetur. Cui cum Beatus Paulus de prætatis Martyribus diceret, quorum corpora in eodem loco inuenies, signanter addidit, in quo stas, & oras. Stabat quippè Sacerdos egregius, cum orabat, non ad instar istorum sedebat, & otiosa tractabat. Prætereà cum idem dicat Apostolus: Qui sunt administratorij Spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiūt salutis: Vbi credēda est frequētius Angelica beatitudo discurrere, quā in Ecclesia, vbi nouit Dei populum, propter quem scilicet mittitur, cōuenire? Et qui potētiori cuilibet personæ festinàter assurgimus, qua præsumptionis audacia sedere corā virtutibus Angelicis nō timemus?

Tu autē, dilectissime, quia in occiduis partib⁹ inter sacerdotes insignis

es,

Laici quoque in Ecclesia inter Diuina officia sedere nō debent.

Cōsule Schol.

Psal. 133. v. 2.
1. Tim. 2. v 8.
S. Ambros.

Heb. 1. v. 14.
Angeli nullibi frequentius quam in Ecclesia conueniunt.

es, ac celebris famæ, vbique in quantum potes, & hoc ignominioſæ ſeſſionis opprobrium deſtrue, & cætera, quæ villicatui ſacerdotalis officij competunt, non ſegniter implere contende. argue, obſecra, increpa, atque, vt idem monet Apoſtolus, vigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple; vt cum neceſſe fuerit conſpectui ſummi Paſtoris aſſiſtere, copioſum, ac dignum tanto nomine fructum de peracto valeas miniſterio conſignare. 2.Tim.4 v.2.5

EPIST. IX. A. Archiepiſcopum.

ARGVMENTVM.

In hac Epiſtolâ totus in eo eſt, vt oſtendat, quæ ſit dignitas Sacerdotis, quod officium, quanta ſit ei, qui tàm ſublime munus ſubſtineat, præſtanda innocentia: & quàm ſit non modò crimen, ſed etiam criminis ſuſpicio fugienda. In principio autem, quod oblitus eram dicere, gratias agit eidem, quod multa munera ad ſe miſiſſet.

Domno A. Venerabili Archiepiſcopo, Petrus peccator Monachus pleniſſimæ deuotionis affectum.

CVm Patriarcha Iacob filio ſuo Ioſeph dicat: Benedictiones Patris Gen.49. v.26
tui confortatæ ſunt benedictionibus Patrum eius, ego congruè poſſum dicere: quia benedictiones Patris mei, non Patrum, ſed eiuſdem Patris mei, ſunt benedictionibus confortatæ. Tot quippe benedictiones fuerunt, quas mihi liberalitas veſtra direxit, vt vna commendaſſet alteram, & ſequentes eam, quæ præceſſerant, prout ſcriptura loquitur, confortarent. Porrò autem ſi Dauid gratiarum promeruit actiones, cùm de manubijs, quas Amalechitis abſtulerat, ſenioribus Iudâ, dona tranſmitteret, dicens: Accipite benedictionem de prædâ 1.R.g 30.v.26
hoſtium Domini: quantò potiores ego gratias debeo, qui benedictiones accepi nō cruentatas manibus hoſtium Domini, ſed ſanctificatas, atque depromptas è ſanctuario Domini? Verùm vt ab occaſione corporalium munerum, ad ſpiritualium benedictionum ſe ſermo dirigat ſacramentum; cum Apoſtolus hoc in magnâ fælicitate conſtituat, quod dicit: In hoc vocati eſtis, vt benedictionem hæreditate poſſi- 1.Pet.3.v.9
deatis, quanta vobis, hoc eſt ſummis Eccleſiæ Sacerdotibus, eſt dignitas prærogata, vt benedictionem non modò vobis exhibitam poſ- Dignitas Ar-
ſidere, ſed poſſitis etiam alijs tradere? Et non qualemcumque, ſed chiepiſcopi, &
etiam Epiſcopalem, per quam ſcilicet, veſtri juris eſt ordinare Ponti- ſollicitudo.
ficem: & cùm non parui terroris ſit, atque formidinis eſſe vel inferioris ordinis ſacerdotem, nimirum ipſi quoque lege præcipitur, vt po-

Num.18.v.23. puli portet iniquitatem; quàm pauendum est, ac tremefactis visceribus formidandum, omnibus nunc in ecclesiasticâ dignitate præcellere, quos æque, necesse est, & antè omnes in tremendi Iudicis examine respondere? Vnde sollicitè considerandum est, vt quem ad obtinendas ecclesiastici culminis infulas summi Sacerdotij sublimitas eleuat, celsitudo quoque laudabilis, & arduæ conuersationis attollat: & sicut per acceptæ dignitatis sublime fastigium cæteris eminet, sic eum præ cæteris vita supereminens, & spiritualium morum splendor exornet.

Leuit.21.v. 10 & deinceps. Vnde per Moysen dicitur: Pontifex, idest, Sacerdos maximus inter fratres suos, super cuius caput fusum est vnctionis oleum, & cuius manus in sacerdotio consecratæ sunt, vestitusque eius est sanctis vestibus, caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet, & ad omnem mortuum non ingredietur omninò: super Patre quoque suo, & Matre non contaminabitur, neque egredietur de sanctis, ne polluat sanctuarium Domini, quia oleum sanctæ vnctionis Dei sui super eum est.

Expositio: Pōtifex, idest, Sacerdos maximus, &c.

Oleo quippè caput Sacerdotis inungitur, cum mens eius sancti Spiritus pinguedine saginatur. Cuius etiam manus idem oleum consecrat, cum bonæ voluntatis studium, quod Sacerdos versat in mente, & visibiliter ostendit in opere. Sancti planè sacerdotis est, & quæ sancta sunt, cogitare; & quæ mente conceperit, etiam in operibus euidenter exprimere: alioquin quid prodest bonum aliquod cogitare, nisi solerter inuigilet, hoc ipsum & in operatione perficere? Elaborandum est ergò sacerdoti, vt & caput illius consecratum sit per piæ voluntatis intuitum, & manus eius spiritualis olei sint charismate delibutę per euidens sanctæ operationis indiciū. Qui etiam vestitus sanctis vestibus dicitur, quia dignum est, vt sacerdos pietatis, atque iustitię

Psal. 131, v. 9 semper in diuinis adornetur, sicut scriptum est: Sacerdotes tui induant justitiam. Cui præcipitur, vt caput suum non discooperiat, idest, vt cor suum huius mundi desiderijs non expandat, sed occultum semper in adipiscendi regni cælestis intentione custodiat. Iubetur etiam vestimenta non scindere, videlicet, vt sic semper honestatis, ac piæ conuersationis veste contectus incedat; ne, quod absit, hanc peruersi cuiuslibet operis interpretatione dirumpat. Prohibetur insuper & ad mortuum ingredi; nimirum vt studeat à malis, quibus anima moritur, pedem cautè subtrahere, se seque ab operibus mortuis peruigili solicitudine custodire. De quibus dicit Apostolus: quia Christus eripuit

Heb. 9. v.14 nos ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti. Subiungitur etiam, vt super Patre, & Matre non contaminetur, idest, vt neque mundi negotijs, neque mortalis huius vitæ desiderio polluatur. Vnde bene subjungitur, de sanctis non egredietur, ne polluat sanctuarium meum. De sanctis enim sacerdos egreditur, cùm neglectis animarum curis per desideria terrena vagatur. De sanctis egreditur, cùm ecclesiasticâ disciplinâ postpositâ, transeuntium causarum negotijs immoderatius implicatur. Vbi mox aptè subjungitur: Ne polluat sanctua-

Quid sit Sacerdotem de sanctis egredi.

dum meum. Sanctuarium quippè polluitur, cum sacerdos quilibet per terrena desideria sparsus, causisque sæcularibus dissolutus, sacrosanctis altaribus audacter assistere non veretur; cum videlicet fit, quod per Prophetam dicitur: Et erit sicut populus, sic sacerdos. Quamobrē vt Ecclasia Christi in suâ vigere munditiâ valeat, & obscœno malè ministrantium contagio non sordescat, illîc adhùc aptè subjungitur: Virginem ducet vxorem, non viduam, non repudiatam, & sordidam, atque meretricem non accipiet, sed puellam de populo suo: ne commisceat stirpem generis sui vulgo gentis suæ; quia ego Dominus, qui sanctifico eum. Sacerdotis vxor vita eius, & conuersatio non inconuenienter accipitur, quæ scilicet esse virgo præcipitur, vt ab immundi spiritus obsoletâ luxuriâ, qui violator est animarum, immunis, & incorrupta seruetur. Non sit vidua, sed cælesti sponso fælici sit fœdere copulata: Repudiata quoque, ac sordida, vel etiam esse meretrix interdicitur; ne videlicet si spurcâ libidinis, ac luxuriantium vitiorum contaminatione polluitur, ab eodem animarum Sponso ferali diuortio separetur. Huic sordidæ vxori Apostolus libellum repudij dederat, cùm dicebat: Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror velut stercora. Ac si dicat: Vxorem illam sordidam, ac meretricem, cui copulatus in Iudaismo fueram, per diuortium desero, eamque repudij interueniente libello, tamquàm stercus abijcio. Ex huiusmodi quippè sacerdotis vxore non tales liberi procreantur, qui Deo sacrificium offerant, sed potius qui seueritatem, & vltionem diuinæ animaduersionis incurrant. Hinc est, quod cùm ad Osee Prophetam diuinâ voce dicatur: Vade, sume tibi vxorem fornicationum, quia fornicans fornicabitur terra à Domino. Ille, sicut scriptura testatur, abijt, & accepit Gomer filiam Debelaim; & concepit, & peperit filium. Et dixit Dominus ad Osee: Voca nomen eius Iezrahel. Quod vtique nomen quamuis prosperum significare videatur, in eo, quod interpretatur semen Dei; hîc tamen vindictam Dei, & furorem sonat, cùm protinus subinfertur: Quoniam adhuc modicum, & visitabo sanguinem Iezrahel super domum Iehu, & requiescere faciam regnum domus Israël, & in illâ die conteram arcum Israël in valle Iezrahel. Quod autem hîc per Iezrahel, non salus, siue prosperitas, sed Dei potius ira signatur, etiam in hoc innuitur, cum protinus subinfertur: Concepit adhuc, & peperit filiam, & dixit Dominus: Voca nomen eius absque misericordiâ, quia non addam vltrà misereri domus Israël, sed obliuione obliuiscar eorum. Cumque peperisset & tertium, ait: Voca nomen eius non populus meus; quia vos non populus meus; & ego non ero vester Deus. In quibus vtique nominibus filiorum fornicariæ mulieris euidenter addiscimus, quia quisquis immundæ vitæ velut vxori vir jungitur, eiusque male blandientis amplexibus oblectatur, nequit ex eâ liberos, qui Deo placeant, gignere,

Esai. 24. v. 2

Leuit. 21. v. 13

Sacerdotis vxor quæ sit.

Philip. 3. v. 7

Osee. 1 v. 2.

Iezrahelis Etymon.

Ibid. v. 4

Matt.7. v.18 quia nec potest ex amarâ radice dulcis fructus afferri. Non enim potest arbor mala fructus bonos facere. Vnde cauendum est sacerdoti, ne sordidam, aut meretricem ducat vxorem, sed castæ semper, atque pudicę conuersationis exhibeat honestatem. Ex quâ nimirum non spurios, sed legitimos valeat filios gignere, dùm studet ingenuos bonorum operum fructus, diuinâ largiente gratiâ, germinare. Necesse est ergò, vt sacerdotalem sacerdos ducat vxorem, ex quâ responsuram paterno generi procreet sobolem. Vndè & illîc congruè subditur: Non commisceat stirpem generis sui, vulgo gentis suæ. Sacerdos etenim generis sui stirpem vulgo suæ gentis associat, cùm vulgariter viuens à populo per clarioris vitæ meritum non discordat: cùm denique per latam, & spatiosam viam mundanę conuersationis incedit, seseq; per morũ spiritualium honestatem à turbis vulgaribus non secernit. Vt autem sacerdos dignam generi suo sobolem procreet, ipse quoque à Patrum suorũ, sanctorum videlicet præcedentium sacerdotum, vestigijs non aberret: ne si ab eorum insigni prosapiâ ignobiliter viuendo degenerat, ius sacerdotalis officij, quo videlicet indignè fungebatur, amittat. Hinc est, quod in libro Esdræ, & cùm pręmissum sit, de filijs sacerdotum, filij Hobia, filij Accos, filij Berzellai, qui accepit de filiabus Berzellai Galaaditis vxorem, & vocatum est nomen eorum, protinus additur: Ij quæsierunt scripturam genealogię suæ, & non inuenerunt, & eiecti sunt de sacerdotio. Planè qui genealogiæ suę scripturam non inueniunt de sacerdotio repelluntur; quia qui se per ignobilitatem sæcularis vitæ ab ingenuo præcedentium Patrum stemmate degenerasse considerant, dignum protectò est, vt eos à sacerdotio censurę canonicæ vigor expellat. Nobilem ergò, necesse est, esse ecclesiæ sacerdotem; vt qui minister est Domini, erubescat se seruum esse peccati. Ad quam nobilitatẽ nos ille prouexit, de quo Apostolus ait: quia eruit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ, seruitutemq; peccati illius à nobis cruor abstersit, de quo per Ioannẽ dicitur: Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Hanc autem munditiam, vt sacerdos in se valeat præ cæteris possidere, stigma sanguinis Christi studeat in se signanter exprimere; sicut dicit Apostolus: Ego stigmata Iesu semper in corpore meo porto. Vnde & in lege præceptum est, vt sanguine arietis immolati, tangeretur extremum auriculę dexterę summi Sacerdotis, similiter & manus dexteræ, & pedis. Vt hinc itâque sermo celer expediat, in auriculâ sacerdos arietis immolati sanguinem portat, cum eum passionis Christi mysterium inhianter audire delectat. Dexteræ quoque eius idem sanguis illinitur, cùm id, quod studiosus auditor intelligit, efficaciter operatur: dexter etiam pes eodem cruore signatur, cum vita sacerdotis aduersus tentamenta diaboli, passionis Christi recordatione munitur; vt sicut potestatem accepit, super Serpẽtes, & Scorpiones incedat: morsus tamen eorum, & inualidi furoris venena non metuat; siue certè, quia pes est corporis terminus, quid per

Leuit. 21. v. 15
Expositio: Sacerdos non cõmisceat stirpẽ generis sui vulgo gentis suæ.
1. Esdræ 2. v 62
Nobilitas sacerdotum vita sancta.
Coloss. 1. v. 13
Apoc. 1. v. 5
Galat. 6. v. 17
Leuit. 8. v. 23
Quid sit, sanguine arietis immolati tangi extremũ auriculæ, manus & pedis Sacerdotis.

hoc,nisi boni operis designatur extremũ? Nimirum, vt omne bonum, quod incipimus,perseueranter etiam vsque ad fælicem terminum perducamus. Hinc est,quod Israëlitico populo diuina vox ait: Si audieris, inquit,vocem Domini Dei tui,vt facias,atque custodias mandata eius, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis Gentibus.In quibus vtique verbis patenter exprimitur,quod figuratur in membris: Si audieris,inquit,vocem domini Dei tui,ecce sanguis arietis immolati rubet in aure sacerdotis.Quod verò sequitur,vt facias, ecce manus operantis. Quod autem postremò subjungitur, atque custodias mandata eius,ecce perseuerãtia boni operis.Nihil enim prodest cuiquam bonũ opus incipere,nisi studeat etiam vsque dum perficiat,custodire.Et notandum, quod dextera tantum auricula, manus, & pes sacerdotis illo sanguine liniri præcipitur: quo videlicet sic semper dexterę conuersationis,ac fidei rectitudinem in omnibus teneat;vt exorbitantibus à viâ vestigijs, anfractus sinistrę deuius non incurrat. Siue certè sic semper Dominicæ passionis Sacramentum pro dextro teneat, vt tamquam sinistra prorsus, ac vilia cuncta mundi huius blandimenta contemnat. Enimuerò,quia sacerdos dux, & antesignanus est exercitus Domini, his titulorũ insignibus iubetur adornatus incedere, se seque sequentibus ecclesiasticæ militię cuneis Sanguinis,& Crucis Christi debeat vexilla præferre.Hoc figurabat Zacharias propheta cum diceret:In die illa erat,quod super frænum equi est,sanctum Domino.Porrò autem ante Saluatoris aduentum quid genus humanum, nisi velut infrænis equus erat, quod vbiq; per voluptatum suarum campos libertas infrunita raptabat.Sed ori eius frænum Redemptor noster adhibuit, cùm sanctum Euangelium,quo videlicet omnia petulantis lasciuię vitia compescuntur,obiecit.Super hoc autem frænum sanctum Domini,hoc est, Crux ponitur, quia cuncta sancti Euangelij præcepta Crucem spirant: vt Crux post Christum portetur,inuitant.

Deut.28.v.1

Zach.14.v.20

Ante Saluatoris aduentum genus humanum equus erat infrænis.

Id ipsum signabat & lamina illa aurea,quã summus Sacerdos in gloriam,& decorè gerebat in capite,cui videlicet nomen Domini Tetragrãmaton erat inscriptũ.Sicut enim quatuor illîc erãt litteræ,ita nihilominus quatuor sũt Crucis cornua quadrifidi orbis partes amplexa.Hãc sacerdos portabat in gloriã & decorẽ;quoniã & Apostolus dicit: Mihi autem absit gloriari,nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Portet ergo laminã auream sacerdos in capite,vt Crucẽ Christi iugiter verset in mente.Sanctum quoq; Domini fræno equi sui cõsequẽter adhibeat,vt carnẽ suam cum vitijs,& concupiscentijs crucifigat. Tunc enim sacerdos & laminã auream capiti, & sanctum Domini fræno adhibet equi; cum & ad crucem Christi mẽtis intuitum dirigit,& corpus suum velut ferocem equum, ab omni lasciuientium vitiorum libertate compescit. Propter hoc sanè geminum Crucis portandę mysterium scriptum est, quoniam & Elias, & Ioannes Baptista zonas pelliceas habebant circà lumbos suos. De Saluatore verò nostro Ioannes in Apocalypsi

Exod 28. v 36

S. Crux per laminam auream in veteri lege figurata.

Gelat.6.v.14.

4 Reg.1.v.8

Matt.3.v.4.

Apoc. 1. v. 13. dicit: Quoniam habebat zonam auream circa mamillas suas. Constat autem, quia inter vtramque mamillam cor hominis constituitur. Vnde Sponsa dicit in Canticis: Dilectus meus inter vbera

Cant. 1. v. 12 mea commorabitur, hoc est, in corde meo iugiter requiescet. Quid est ergò pelliceis zonis, quæ videlicet ex mortuis animalibus fiunt, lumbos, vbi libido permaximè viget, accingere, nisi omnes carnalium passionum illices motus, ac fomites per afflictionem corporis vndique refrenare? Et quid est circà mamillas auream habere zonam, nisi & aduersus ingruentium cogitationum importuna phantasmata, sollicità semper inuigilare custodiâ? Lumbos ergo pelliceâ zonâ percingimus, cùm carnis lasciuiam per inediæ continentiam coërcemus. Auream verò zonam circà mamillas habemus, cùm aduersus infestantium cogitationum impetus infœderabili certamine dimicamus. Tunc itàque fiet, quod illìc sequitur; mox enim, vt sanctum Domini super frænum equi futurum Propheta præmisit,

Quid per zonas pelliceas, & aureas signetur.

Zach. 14. v. 20 prælltò subjunxit: Et erunt lebetes in domo Domini, quasi phialæ coram altari, & erit omnis lebes in Hierusalem, & in Iuda sanctificatus Domino exercituum. Lebetes planè in phialas verti, & zonam auream circà mamillas haberi præcipiebat Dominus in Euan-

Luc. 21. v. 34 gelio, cum dicebat: Cauete ne grauentur corda vestra in crapulâ, & ebrietate, & curis huius sæculi. In crapulâ scilicet, & ebrietate lebetes; in curis huius sæculi zonam habendam circà mamillas intellige. Lebetes planè illorum erant pectora, qui suspirabant pisces Aegypti; qui nauseantes manna, esuriebant pepones, inhia-

Num. 11. v. 5 bant cœpas, & allia. An lebetes non erant, qui feruentes clamabant, quia sedebamus super ollas carnium? Illa quippè corda lebetes sunt, in quibus edacitas regnat, & per cupiditatis æstum excoquuntur edulia, & copia diuersa ciborum. Sed hi lebetes conuertuntur in phialas, & sunt coram altari, ac sanctificati Domino, cum Sanctum Domino, equi fræno superponitur, cùm denique zona aurea mamillis interioribus adhibetur. Tunc nimirum lebetes, & ollæ carnium conuertuntur in phialas aureas, videlicet plenas

Vanorum hominũ corda lebetibus comparantur.

Apoc. 5. v. 8 odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. Et istę ponuntur coràm altari phialę, quæ prius dùm lebetes essent, potius versabantur in nidore culinæ.

Mens sancti sacerdotis phiala est aurea.

Tunc autem mens sacerdotis est phiala aurea, atque odoramentis spiritualium aromatum plena, cùm orationibus, ac pijs operibus est vigilanter intenta. Et hæc phiala coram altari esse dicitur, quia omne, quod cogitat, Deo sacrarium offerre non cessat. Et tunc lebes iste sanctificatus est Domino, atque ideò consecrationis gratiam, quam ipse intùs ex munere summi Largitoris accepit, meritò iam, & in alios adhibitâ manus impositione transfundit. Sed ego, quasi cui loquor, oblitus, dùm sermonem diutius protraho, metam compendij epistolaris excedo. Iam igitur ista sufficiant, tan-

tùm vt qui à benedictione cœperam, verbum in benedictione concludam.

Dexrera Dei, venerabilis Pater, suis te benedictionibus repleat: & grege comitante commisso regnis cælestibus introducat.

EPIST. X. Ad A. Archiepiscopum.

ARGVMENTVM.

Archiepiscopo, vtpotè qui talibus rebus audiendis magnopere delectabatur, nunciat Canonicos Velitrensis Ecclesiæ, cui ipse præerat, emersisse tandem aliquandò, & se ad bonam, vt dicitur, frugem recepisse, eosque iuxtà præscriptam sibi disciplinam, non vt antè coactos, sed sponte, & libenter vitam instituere. Affert deinde nonnulla exempla & mira, quæ multis contigerunt, ex quibus non parua vtilitas percipi potest.

Domno A. venerabili Archiepiscopo, Petrus peccator Monachus plenissimæ deuotionis affectum.

QVia noui sanctam mentem tuam, venerabilis Pater, præcipuè de hominum salute gaudere, adeò vt cum animarum te contingit audire profectum, velut ad dulcium epularum agglutcas, ac delecteris edulium.

Refero tibi de Canonicis nostris, sanctæ videlicet Velitrensis ecclesię, quia qui sub multis laboribus nostris, atque sudoribus incorrigibiles videbantur, iam per diuinam gratiam resipiscunt, & per canonicæ regulę tramitem non iam coacti, sed gaudentes incedunt. Vnusquisque prætereà eorum quadragesimali tempore quotidie Psalterium complet; tribus per hebdomadam diebus omnes vino, & pulmento communiter abstinent; tantúmque districtæ conuersationis videntur habere feruorem, vt per totam Quadragesimam, quę est antè Pascha: & illam, quæ Natiuitatem Domini nostri Iesu Christi consuetudinaliter antecedit, tribus in hebdomada diebus vnusquisque se in capitulo coram fratribus exuat, & propria peccata confessus, durâ corrigiarum scuticâ perferat disciplinam. In quo videlicet sanctæ conuersationis indicio potes manifestè colligere, quid de cæteris vitæ modis, & obseruationibus debeas æstimare. Et, ô disciplina salutifera, nimirùm carnis afflictio, in quâ dùm corpus ad humanum nudatur aspectum, ante Dei oculos coruscantibus indumentis apparet ornatum. Porrò vix dùm mensis emensus est, ex quo res contigit ista, quam refero.

Velitrensis Ecclesiæ Canonicorum emendatio, & profectus.

Carnis maceratio per scopas quam sit salutifera.

Baruncius planè mihi frater vnanimis, & in amoris præcipui dul-

Baruncij Eremitæ sanctitas, & reuelatio.

cedine singularis, non in eremo, sed in villâ quadam eremo subjectâ, dùm opus ageret necessarium, languorem incurrit extremum. Qui dùm sibi imminentem cognosceret obitum, fratribus, qui sibi sedulitatis officium exhibeant, pœnitentiam sibi proposuit iniungi, qui dùm tres, vel vt multum, quatuor Psalmos, vt pote sancto, & innocenti viro, sufficere iudicarent; ille petijt, vt decem sibi annorum pœnitentiam traderent, quam illicò peragendam fratribus qui morabantur in eremo, quantocyus delegarent. Nocte igitur insecutâ, dum quique per cellas constituti post gallicinium nudati, corporalibus disciplinis insisterent, festinarentque fratres pœnitentiam, antequàm ille moreretur, implere; Lamberto fratri, qui sibi sedulus assistebat, Baruncius ait: Cur, inquit, te non præparas, & sicut cæteri fratres indumentis Ecclesiasticis non adornas? Omnes enim de eremo fratres vsque modò mihi visibiliter astiterunt, albis nimirum, ac resplendentibus stolis induti, & velut in choro psallentes micantium vestium candore conspicui. Compulit ergò illum vt ad eorum indueretur exemplum. Vbi notandum, quia dum fratres illi nudati corporalibus disciplinis essent ab ipso procul intenti, ei, vt ità loquar, non iàm carnalibus, sed spiritualibus oculis decoro cultu videbantur induti. Is planè, qui mihi hoc retulit, venerabilis Pater Liutprandus aliud etiam mihi consequenter innotuit, quod ab audientium ædificatione non vacat.

Monachi dum flagellis atterũtur, stolis albis ornati videntur.

Liutprandus ven. eremita cælesti auxilio roboratur, ne ieiunium possit violare.

Initio, inquit, illius Quadragesimæ, quæ Natiuitatem Dominicam ex ecclesiasticâ institutione præcedit, tanta mihi subitò molestia repentini languoris incubuit; vt vix pedibus constanter insisterem, nedùm possem regulam quotidianæ conuersationis implere. Cúmque tenebrosis, atque confusis cogitationibus fluctuans, ieiunium funditus desperarem, ac de quotidianâ deinceps ciborum remissione decernerem, subitò lenis mihi sopor obrepsit, & super codicem, cui videlicet intentus eram, caput paululum reclinaui. Tunc mihi visum est, quod tota cella plena esset fumo, & insuper quamplures illìc essent homines, qui clamosis, ac mutuis inter se vociferarentur colloquijs; Cùm ecce sanctus frater Iuuentius, qui in eadem eremo laudabiliter conuersatur, repentè cellulæ fores irrupit, & zelo seuerissimę animaduersionis homines exturbauit, ac sine morâ violenter propellens exclusit. Num, inquit, huius eremi non est inuiolabilis regula, vt colloquium fieri in cellâ quisque non audeat, sed ingredientium labia silentij protinus censura compescat? Moxque manutergium repentè corripuit, omnemque fumi chaos, tetramque congeriem, quâ cella replebatur, abjecit. Quo facto, protinus exsoporatus euigilo, mentemque meam ab omni fumigantium cogitationum caligine liberam, non sine magnâ cordis lætitiâ, recognosco. Tunc itáque omni tędio tentationis, atque languoris expulso, tantę virtutis in me robur, ac for-

S. Frater Iuuentius Eremita.

ac fortitudinem reperi, vt per totam illam Quadragesimam vsque ad Dominicam natiuitatem vix aliquandò vel leuiter esurirem: & ne vno quidem die præter panem, & aquam, nisi fallor, alia quælibet alimenta requirerem.

Et ô vtinam sic * Albuino pariensis Ecclesiæ contigisset Episcopo. Cui nimirum dùm septimi, si ritè teneo, mensis ieiunium celebraret; & profligato iàm ieiunij biduo, ad Sabbatum peruenisset, singularis ferus vænatione captus, offertur. Mox ille in concupiscentiam lethalis edulij pestilenter illectus exarsit, ieiunium in alteram hebdomadam transferendum esse decreuit: & confestim coquis, vt porcum accuratius coquerent, imperauit. Illo itáque die gulæ suæ perfecit homo miserabilis appetitum, octauo autem, proximo videlicet Sabbato, diem clausit extremum. Et hoc certè dignè commeruit, qui de Ecclesiæ sacrario quasi sepulchra concupiscentiæ fecit in deserto. Quid autem mirum, si illîc, vbi tàm aperta est culpa, manifestè est irrogata vindicta, cùm sæpè mirabilem rei videamus euentum, & tamen ignoremus supernæ dispositionis causâ latente mysterium?

Pariensis Episcopi intemperantia diuinitus punita.
* Alberico f.
Num. 11. v. 34.

Leo planè dudum Puteolanus Episcopus, nunc autem nobilis Eremita, nuper mihi, & fratribus retulit: quia cùm dæmoniacus quidam esset in monasterio, quod apud Parthenopen est in Beati Agnelli confessoris honore constructum, in hominem propè astantem repentinus insiluit: eumque rabido furore percutiens, protinus interfecit. Et ô quis profunda Dei iudicia penetrare sufficiat! Mox enim, vt innocétem hominem furibundus extinxit, confestim à dęmonio liberatus, & menti suæ, ac rationi pristinæ restitutus, numquàm de cætero passionis illius molestiam pertulit. Inquisitus autem cur hoc facinus perpetrauerit; hominem, inquit, non vidi, sed nigrum canem, qui me mordicus apprehendere satagebat, sicut mihi videbatur, occidi. In hoc igitur occultæ dispositionis effectu causa non claruit, cur videlicet, vel ille repentino dignus fuerit vulnere perimi, vel iste meruerit à dęmonio liberari. Cùm & ille, quantùm ad humanum spectat arbitrium, innocenter occisus, & iste quantùm ad exterioris reatus speciem, videatur vltione plectendus. Et quid mirum, si merita nobis aliena non pateant; cùm & ipsi sæpè, quod fecimus, per obliuionis hebetudinem ignoremus?

Leo ex Puteolano Episc. Eremita.
Neap. cœnobium S. Agnelli.
Dæmoniacus hominem necans liberatur.
Iudicia Dei abyssus multa.

Religiosus planè presbiter Ioannes rem mihi retulit antè paucos annos Romę contigisse, quam narro. In Assumptione scilicet Beatæ Dei Genitricis Marię cum nocturno tempore Romanus populus iuxtà morem orationibus, & Litanijs insisteret, & accensis luminibus diuersarum Regionum Ecclesias perlustraret; mulier quędam in Basilicâ, quæ est ad honorem eiusdem Beatæ Virginis, in [a] Capitulo constituta, commatrem suam vidit, quę scilicet ab anno ferè fuerat iam defuncta. Cumque per multitudinem [b] conflentium ad eius attingere non potuisset alloquium, studuit eam in tali cuiusdam angiportus articulo præstolari; vt dubium non esset, quod egressa Basilicam, ab eâ declinare non

B. Virgo Maria in suæ festiuitatis Assumptione innumeros liberat à pœnis Purgatorij.
[a] Capitolio vel Campitello f.
[b] confluentium f.

possèt. Hanc itáque transeuntem protinus inquisiuit: non inquit, tu commater mea es, Marozia videlicet, quæ dudùm defuncta es? Hoc illi vocabulum fuerat, dum adviueret. Quâ respondente, ipsa sum. Et quomodò, inquit, tibi nunc est? Ait, vsque hodie non leuis me pœna constrinxit, quia videlicet per lasciuiæ petulantis illecebras cùm coætaneis me puellis in tenerâ adhuc ætate fœdaui: & hoc ipsum, proh dolor! obliuioni quodammodo tradens, Sacerdoti quidem confessa fui, sed iudicium non accepi. Verùm hodie Regina mundi pro nobis preces fudit, meque cum multis alijs de locis pœnalibus liberauit: tantáque multitudo per interuentionem eius hodie est de tormentis erepta, vt numerum totius Romanæ plebis excedat; vnde sacra eidem Dominæ nostræ gloriosæ dicata passim loca visitamus, actionesque sibi gratiarum pro tantis misericordiæ beneficijs alacres exhibemus. Cúmque super hoc commater illius ambigeret, nec fidem facilè sermonibus adhiberet, subjunxit: vt experiaris, inquit, pro certo verum esse, quod loquor, scias te transacto hoc anno, in hac eadem festiuitate proculdubiò morituram. Quod si, quod fieri non potest, vlterius vixeris, me protulisse mendacium liquidò comprobabis. Et his dictis, ab oculis eius euanuit. Mox illa cilicium induit, & de obitu suo solicita, quæ audierat, viuere cautius cœpit. Quid plura? Peracto ferè anno pridianis cœpit ægrotare vigilijs, in ipso verò festiuitatis die vitam, sicut ei demonstratum fuerat, terminauit. Vbi notandum, & non leuiter expauescendum, quia de peractâ culpâ, quam præfata mulier obliuioni tradiderat, vsque ad interuentum intemeratę Dei Genitricis supplicia perferebat.

B. Virginis misericordia, & auctoritas apud Deum.

Rainaldus quoque Cumanus Episcopus mihi narrauit, quod & ab Humberto venerabili sanctę Ruffinæ quondam Episcopo se didicisse perhibuit. Presbyterum, inquit, nocturno silentio quiescentem, compater suus, qui defunctus fuerat, in visione clamauit, dicens: Veni, vide spectaculum, quod iudicare non poteris otiosum. Duxit ergo illum ad Basilicam Beatę Cæciliæ, in cuius videlicet atrio videbantur Agnes, Agatha, eademque Cæcilia, multarumque Beatarum Virginum chorus, mirabili cultus, & habitus nitore conspicuus. Hæ nimirum parabant quamdam magnificam sedem, cæteris hinc inde subsellijs eminentem, & ecce Beata Virgo Maria cum Petro, & Paulo, atque Dauid, ac non paruis Martyrum, diuersorumque Sanctorum vallata turmis micantibus venit, seseque in eâ, quæ parata erat, sede composuit. Porrò autem dum in illo tam sancto conuentu silentium fieret, omnesque reuerenter astarent; ecce mulier quędam, licet paupercula, pelliceo tamen indumento decenter ornata, ad intemeratæ Virginis vestigia corruit, eamque vt Ioanni Patricio iam defuncto misereretur, orauit. Cúmque hoc ipsum mulier ter obsecrando repeteret, nec responsum aliquod impetrare posset, adiecit: nosti, inquit, domina mea Regina mundi; Ego sum misera illa, quæ in atrio Basilicæ tuæ maioris nuda, & tremula iacere consueueram; ille verò mox vt aspexit, pia mihi

Rainaldus Episc. Cumanus, & Humbertus Episc. Card.

Sanctorum apparitio pulcherrima Romę in Ecclesia S. Cæcilię.

Ioãnes Rom. Patricius.

miseratione condoluit: & pellem hanc super me, qua videlicet erat indutus, iniecit. Tunc beata Dei Genitrix, homo, inquit, ille, de quo rogas, multa flagitiorũ mole depressus est: duo tamen hæc habuit, vt & indigẽtibus pius, & magna sacris locis extitisset humilitate deuotus. Frequenter enim oleum proprijs ceruicibus deferebat, & lucernis Ecclesiæ meę fomitem ministrabat. Cúmque super hoc eidem Patricio & cæteri sancti testimonium perhiberent, cumque idipsum & suis Ecclesijs egisse simul assererent; illicò Regina mundi præcepit, vt Patricius ille duceretur ad medium; & ecce multitudo dæmonum præfatum Ioannem trahunt, pœnalibus vndique loris astrictum, & ambientium catenarum squaloribus vehementer attritum. Tunc eum Domina nostra iussit absolui, & Sanctorum cœtibus aggregari; vincula verò, quibus ille fuerat absolutus, alteri homini, qui in hac adhuc vita manebat, præcepit innectenda reponi. Tunc conuentus ille Sanctorum solutus est, & vnusquisque in diuersa contendens, ab aspectu cernentis euanuit. Beatus verò Petrus Apostolus ad Ecclesiam suam venit, cui protinus omnium successorum suorum, Pontificum videlicet Romanorum, chorus infulatus, ac festiuus occurrit: ipse quoque beatus Petrus cum eatenus videretur indutus Hebraicis vestibus, sicut in picturis vbique conspicitur, tunc & phrygium suscepit in capite: & sicut cæteri, sacerdotalibus infulis est ornatus in corpore. Tunc responsorium illud, quod dicitur: Tu es Pastor ouium, melodis, atque mellifluis cœperunt intonare clamoribus: sicque illum vsque ad sacerdotalis chori consistorium deduxerunt. Quò perueniens, ipse Apostolorum Princeps nocturnum est exorsus officium dicens: Domine labia mea aperies: deinde tres Psalmos, totidemque lectiones, ac responsoria, quæ in Apostolorum natalitijs recensentur, canonico more persoluit. Omnibus itáque per ordinem ritè decursis, matutinis quoque laudibus consequenter expletis, eiusdem Ecclesię tintinnabulum sonuit, & continuò Presbyter, qui hęc videbat, euigilans, somnium terminauit.

B. Virginis iussu Sanctorum cœtibus aggregatur.
S. Petr. Apost.

Præterea idem, qui suprà mihi narrauit Episcopus, quia Monachus quidam quotidiè dum antè sanctum altare beatæ Mariæ semper Virginis pertransiret, illam ex more percurrebat antiphonam, quæ sic incipit: Gaude Dei Genitrix Virgo immaculata: Gaude, quę gaudium ab Angelo suscepisti: Gaude, quæ genuisti æterni luminis claritatem: Gaude mater: Gaude sancta Dei Genitrix Virgo. Tu sola mater innupta. Te laudat omnis factura. Genitrix lucis intercede pro nobis. Quam videlicet antiphonam dùm quadam die pertransiens diceret, audiuit vocem ex eodem altario procedentem: Gaudium mihi annunciasti, gaudium tibi eueniet.

Laudanti B. Mariam, gaudium nunciatur.

Sed & idem mihi narrauit Episcopus, quia frater quidam non quotidiano, non certe solemni Sanctorum, sed solo vtebatur, & delectabatur officio defunctorum. Cumque conditionis humanæ debitum soluens tribunali superni Iudicis astitisset; cœpit turba dæmonum vehementer

Officiũ mortuorum quotidie persoluens in cæleste regnum introducitur.

hoc illi crimen impingere, quod Ecclesiasticæ institutionis regulam negligens, per assuetæ synaxis officia vota Deo reddere contempsisset. Tunc beata Regina mundi semper Virgo Maria, & omnes Sanctorum chori cum eâ valenter occurrunt, seséque ad illius auxilium concorditer interponunt. Hic, inquiunt, noster Capellanus, ac minister extitit: quodque defunctorum semper exequijs libenter interfuit, nobis omnibus proculdubio ministrauit. Absit igitur, vt in impiorum manus iste deueniat, qui pijs erga nos, dum adiuueret, studijs insudabat. Sic itáque Beatæ Virginis precibus, omniumque supplicatione Sanctorum, in eorum meruit transire consortium. Ignorabat tamen huius rei relator Episcopus, vtrum ille frater ad nos reuersus, an alijs in hac vita degentibus ista retulerit.

Hæc tibi, venerabilis Frater, familiariter scribo, quia velut suauibus epulis sic in tuâ, quęcumque sit, allocutione delector: & mens mea continuò lætatur, & gliscit, cùm aliquid, quod tibi congruè scribatur, occurrit.

Finis tertij Libri.





BEATI PETRI DAMIANI MONACHI BENEDICTINI, S.R.E. Cardinalis, Episcopi Ostiensis.

Epistolarum Liber IIII. Ad Episcopos.

EPISTOLA I. Ad Albertum Episcopum.

ARGVMENTVM.

Hunc, ad quem scribit, Albertum, Episcopum fuisse, & Damiani ipsius antè Episcopatum discipulum, facilè mihi persuadeo. Magna enim auctoritate illum non modò admonet, sed etiam præcipit, vt in administratione animarum sibi commissa nihil auarè, nihil cupidè agat: sed ità se innocenter gerere studeat, vt ex eius vita, & moribus non infamia, sed gloria ad ipsum Magistrum sanctissimum redundet.

Domno Alberto Episcopo .... Petrus peccator Monachus .....



RECOR experientiam tuam, venerabilis frater Alberte, & paterni vigoris auctoritate pręcipio: vt non adeò rebus temporalibus sit intenta, quo minus sufficiat in animarum, quæ nobis commissæ sunt, vigilare custodiâ. Nobis inquam, animæ sunt commissæ quæ sicut à Deo mihi, sic à me cõmẽdatę sunt tibi: Deo tamen soli rationem sumus vterq; proculdubio reddituri. Studeat ergo fraternitas tua & religiosam ducere vitam, & honestam habere famam. Vitam pro te, famam pro te & me: immo non tàm pro nobis, quàm pro his etiam, qui commissi sunt nobis. Nam si nomen tuum, quod absit, fœdâ laboret infamiâ, & in meum protinus redundat opprobrium: & his, quos

Prælati subditorum animas mira sollicitudine debent custodire.

ad virtutes informare studuimus, velut cancer perniciosè pullulat in
1. Pet. 2. v. 12. exemplum. Vnde Petrus postquàm præmisit, dicens: Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam, vt in eo, quod detractant de nobis tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes,
1. Pet. 3. v. 16 glorificent Deum in die visitationis; paulò post addidit: Cum modestiâ, & timore habentes conscientiam bonam, vt in eo, quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conuersationem. Paulus etiam ad Timotheum, oportet, in-
1. Tim 3. v. 7. quit, Episcopum testimonium habere bonum ab his, qui foris sunt, vt non in opprobrium incidat, & laqueum diaboli.

Clericorum prouentus nō debent in vsum propriū conuerti.

Illud prætereà, frater charissime, sollicitè præcaue, diligenter attende: ne cùm decimas, vel quælibet oblata fidelium per Ecclesias diuidis, de consacerdotum meorum præsumas aliquid ratione minuere; vndè videlicet id, quod mihi competit, quasi fideliter consulens, possis augere. Absit enim, vt quod alieni iuris est, in mea lucra proficiat: & quod ex offerentium merito sacrum est, in sacerdotum manibus
Philip. vlt. v. 18 sacrilegium fiat. Ego enim, sicut Apostolus ait, habeo omnia, & abundo; nec volo fratres meos in his rebus, quæ nobis in communes vsus à Deo concessæ sunt, per potentiam, vel astutiam supplantare, quos in Christi simplicitate & humanitate præcedere, & in quorum oculis debeo mihi stigma paupertatis Christi euidenter imprimere, absit, vt eorum pauperiem in mea patiar lucra transire, quatenus cum eodem Apostolo liberâ fronte coram eis valeam humiliter glo-
Ibid. v. 11. 12. riari: Ego, inquit, didici, in quibus sum sufficiens esse, scio & humiliari, scio & abundare vbique, & in omnibus institutus sum, & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati. Omnia possum in eo, qui me confortat.

Eleemosynas suæ diœcesis pauperibus in primis distribuat.

Volo prætereà, vt in eisdem diœcesanis Ecclesijs, in quibus oblati sunt, per celebriora solemnia panes, & si qua sunt alia, quæ ad cibum videntur pertinere, vel potum, pauperibus erogentur, ne dum alijs pauperibus offerenda congerimus, detractionis materiam populo relinquentes, infercire sacculis per auaritiam iudicemur. Et certè dignum est, vt pauperes Christi refrigerium sentiant de stipe potissimum illius Ecclesię, quam frequentant.

Caueant, ne pecunię amoru alicui culpā opponant.

Caue etiam, ne more quorumdam, non dicam pastorum, sed fabrorum, cuiquam Sacerdotum sub pecuniæ titulum cuiuslibet reatus opponas: eumque ab administratione suspendens, postmodum per terreni lucri commodum in sui gradus iura restituas. Giezi nempe me-
4. R g. 5 v. 27 retur lepram, qui suam mutat pro pecuniæ cupiditate sententiam.
Act 8. v 20 Qui commodum tollit, & ministerium reddit, ex ore Petri vibratum in Simonem spiculum non euadit. Simoniacæ lepræ compellitur. * ...

* Finis huius Epist. desid. in M. SS.

EPIST. II. Ad B. Episcopum.

ARGVMENTVM.

Gratias agit B. Episcopo pro eleemosynis in se suumque monasterium collatis. Admonet tamen, vt misericordiæ, & in pauperes beneficentiæ cæteras quoque virtutes adiungat; ne, quod absit, eleemosynæ meritum per obnoxiam culpis vitam oblitteretur. Ad extremum rogat, vt duos Clericos ad Diaconatus ordinem promoueat.

Domno B. Episcopo, Petrus fidelem orationem in Christo.

Dilectissime, dùm collata mihi tuæ libertatis beneficia recolo, in amorem tuum totus, fateor, ad rependenda quotidianę orationis dona recurro. Quæ videlicet oratio, & si vt cuiquam prosit, peccatis meis obstantibus impeditur, tua tamen deuotio, vt tibi prodesse valeat, promeretur. Caue ergo, dilectissime, ne bonum, quod eleemosynarũ tibi largitas cõferre poterat, vitiorũ incentiua consumant, & ædificiũ quod misericordiæ manu construitur, impacto libidinis ariete destruatur. Sic igitur bona fiant, vt eis se mala nõ misceant. Ad hoc dantur bona tẽporalia, quatenus per hæc acquirantur æterna; ne, quod absit, in staterâ districti Iudicis dum † pręponderat, pondus boni operis inanescat. Quid enim prodest Deo temporalia bona conferre, animam autem, pretiosissimam videlicet pecuniam, denegare? Cuncta nimirum condita omnipotens Deus vsibus hominum tradidit, solas autem animas suo vsui reseruauit. Sic ergò, dilectissime Pater, satage tua impendere, vt temetipsum quoque studeas exhibere. Tibi enim Episcopalis officij dignitate collatum est, vt nos iuniores sanctæ prædicationis vberibus pascas, & lacteolę teneritudini viscera maternæ pietatis impendas. Rogamus itáque sanctitatem tuam, vt hos duos Clericos, qui se à suo Episcopo licentiam accepisse fatentur, ad ordinem Diaconatus promoueat: & debitam huius officij consecrationem gratis, vt dignum est, habere decernat.

Eleemosynæ iungenda sunt bona opera.

Cur bona temporalia dentur hominibus.

† Malum, & auaritia.

EPIST. III. Ad Cunibertum Episcopum Taurinensem.

ARGVMENTVM.

Vir Ecclesiasticæ tunc pænè labentis disciplinæ vindex acerrimus, castitatisque amator, cultorque sanctissimus totum propè orbem ad eam à Clericis oppugna-

tam defendendam, & subleuandam disertissimo ore quasi quodam classico excitare, & inflammare conatur. Scribit enim ad Episcopum Taurinensem, in cuius ditione tàm perniciosi exempli facinus publice tolerari sciebat, vt scandalum hoc ab Ecclesiâ suâ exterminare, & amouere contendat: quod vt ei persuadere possit, nihil intentatum relinquit. Omnia tàm noui, quàm veteris testamenti exempla, & loca congerit, & excutit. In Clericos quoque ipsos, & eorum pellices, quas ipsi vxores falso appellabant, luculenter, & grauiter, vt res ipsa postulabat, inuehitur. Denique, vt vno verbo absoluam, non committit, vt castitati patrocinium defuisse videatur.

Domno Cuniberto reuerentissimo Episcopo, Petrus peccator Monachus deuotæ subjectionis obsequium.

HÆc est veræ charitatis, & amicitiç regula, vt ità se fratres mutuç dulcedinis amore confoueant; quatenus si quid in vtrouis reprehensibile est, alter alteri non abscôdat. Illa quippe necessitudo probatur vtilis, & honesta, quç dum cuncta producit in medium, & quod corrigendũ est, corrigit, & quod sanũ est, mutuo puritatis, ac sinceritatis amore custodit. Sicque fit, vt dùm delinquentis culpa corrigitur, corripienti copiosior gratia cumuletur. Inter nonnullos virtutum flores, venerabilis Pater, quibus tuæ sanctitatis vernat ingenium, vnum mihi, fateor, valdè displicuit: quod nimirum & tunc me in te vehementer inuexit, & nunc styli huius articulum exarare compellit. Permittis enim, vt Ecclesiç tuæ Clerici, cuiuscumque sint ordinis, velut iure matrimonij confœderentur vxoribus. Quod sanè quàm ecclesiasticç mũditiæ videatur obscœnum, quàm canonicæ sit auctoritati contrarium, quàm certè cunctis sanctorum Patrum sanctionibus odiosum, absit vt tanta, quæ in te est, possit ignorare prudentia. Præsertim cùm & ipsi clerici tui, aliàs quidem satis honesti, & litterarum studijs sint decenter instructi. Qui dùm ad me confluerent, tamquàm chorus Angelicus, & velut conspicuus Ecclesiæ videbatur enitere Senatus. At postquam latentem pestis huius eluuiem didici, protinus lux in caliginem, & lętitia mihi vertitur in mœrorem, atque ad illud Euangelicum illicò mens recurrit: Væh vobis, inquit, Scribæ, & Pharisęi, qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ foris apparent hominibus speciosa, intus autẽ plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitiâ. Quid est, Pater, quod tibi soli vigilas: & his, pro quibus priorem exigendus es rationẽ, tã inerti securitate dormitas? In alijs certè quibuscumque personis non exigitur fœcunditas castitatis: in Episcopo autem inutilis esse castitas iure decernitur, quæ se sic exhibet sterilem, vt aliam non pariat castitatem. Præsertim cum ipse Deus omnipotens per Esaiam, Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? Vbi notandum, quia dùm non alias, sed alios parere facio, dicat; virorum potius, ac pastorum Ecclesiæ fœtus expectat. Malus autem pastor cum eodem Prophetâ

Episcopi Taurinensis conniuentia in toleranda libidine Clericorum.

Matt. 23. v. 27

Frustra sunt casti Episcopi, si Clericos incontinentes esse permittunt.

Esai. 66. v. 9

Propheta potest lugẽdo cantare: Non parturiui, & non peperi, & non enutriui iuuenes, nec ad incrementum perduxi virgines. Attende etiã diligenter, quod in Leuitico legitur: Omne, inquit, animal, quod vel contritis, vel tunsis, vel sectis, ablatisque testiculis est, non offeretis Domino. Porrò si tanto Deus odio habet sterilitatem in animalibus brutis, quæ sibi per sacerdotale ministerium offeruntur, quantò magis hanc aspernatur in sacerdotibus, qui sibi sacrificium offerunt? Nimirùm, vt sicut illis fœtus exigitur carnis, ità sacerdotes in alios propagines germinent sanctitatis. Tunc ergò coram diuinis obtutibus tua castitas approbatur, si & in Clericos tuos propaginata porrigitur. Porrò autẽ sicut olim Deus omnipotens de cũctis tribubus Leuitas elegit, vt per legalès cerimonias Israeliticam regerent plebem: ità etiam in nouo testamento Clericos sibi, tamquã familiares adsciuit, quibus Ecclesiasticam committeret dignitatẽ. Dicit enim Moysi: Applicabis Leuitas coram tabernaculo fœderis, conuocata omni multitudine filiorum Israël. Cumque Leuitæ fuerint coràm Domino, ponent filij Israël manus suas super eos, & offeret Aaron Leuitas munus in cõspectu Domini à filiis Israël, vt seruiant in ministerio eius. Vbi notandum, quia cum dicit: Ponent filii Israël manus suas super eos, & offeret Aaron Leuitas munus in conspectu Domini à filiis Israël, euidenter apparet, quia Leuiticus ordo munus Dei est à populo datum, eique in sacrificium per manũ sacerdotis oblatum. Quid ergò iàm restat, nisi vt ij, qui iam Deo facti sunt sacrificium, & à mundi huius seruilibus sint operibus liberi, & solis diuini famulatus vacent obsequiis mancipati? Vt quid enim à populo segregantur, & munus Deo specialiter fiunt, nisi vt diuisam à populo viuendi regulam teneant, & cerimoniis diuinæ legis iugiter excubantes insistant? Vnde & alibi dicit: Ego tuli Leuitas à filiis Israël pro omni primogenito, qui aperit vuluam in filiis Israël, eruntque Leuitæ mei. Sed cum lex illa fuerit data per seruum, Euangelica verò gratia sit collata per Dominũ, necesse est, vt aliud tunc à Leuitis Synagogæ, aliud nunc à Clericis exigatur Ecclesiæ. Illis siquidem pro qualitate temporis permittebantur iura coniugij; istis verò præcipitur, à carnalis affectus amplexibus penitus sint remoti. Nã quia sola Leuitica tribus ad sacerdotale ministeriũ tunc erat electa, necessaria tũc erat propagatio generis ad cõseruãdum sacerdotalis officiũ dignitatis; sicut in Leuitico Dominus, Virginẽ, inquit, sacerdos ducet vxorem: viduã, & repudiatã, & sordidam, atque meretricem non accipiet, sed puellam de populo suo: ne cõmisceat stirpem generis sui vulgo gentis suæ; quia ego Dominus, qui sanctifico eum. Nunc autem quia ex omni populo Christiano passim fit sacerdotalis electio, & in promotione Clericorum non distinctio generis, sed prærogatiua dumtaxat exquiritur sanctitatis; cessant iura coniugij, dùm præcedentis aboletur censura mandati, sicut Apostolus ad Hebræos ait: Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius, & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex. Et

Esa.13.v.4.

Leuit.22.v.24

Num.8.v.9.

Clerici nõ alia de causa à populo segregãtur, nisi vt diuersam à populo viuendi regulam teneant.

Num.3.v.12.

Leuit.21.v.13.

Hebr.7.v.18.

Heb. 8. v. 6. paulò post: Nunc autem Christus tantò melius sortitus est ministerium, quantò & melioris testamenti mediator est. Nam si illud prius culpa vacasset, non vtique secundo locus inquireretur. Hoc autem propter illos, qui dicunt, quia si sacerdotes nubere peccatum esset, nequaquam hoc in lege veteri Dominus præcepisset. Sed qui hoc dicunt, proculdubiò quid canonica decernat auctoritas, aut nesciunt, aut se fallaciter ignorare confingunt. Nos planè, quilibet nimirùm Apostolicæ sedis æditui, hoc per omnes publicè concionamur Ecclesias, vt nemo Missas à Presbytero, non Euangelium à Diacono, non denique Epistolam à Subdiacono prorsus audiat, quos misceri fœminis non ignorat. Et ne id agere perperam videamur, apponeremus aliquot sentẽtias Patrũ, nisi prohiberet epistolare cõpendium. Sed quia nostris verbis fides nõ aliter adhibetur, eorum pauca saltem ponẽda sunt testimonia, vt per hæc, quæ nunc occurrunt memoriæ, colligant quanta valeãt, si quæsierint, in ipsis codicibus inuenire. In primis itaque, quid Apostolus Iacobus super hoc negotio beato Clementi scripserit, audiamus. Ministri, inquit, altaris, Presbyteri, siue Diaconi ad Dominica tales eligantur officia, qui ante ordinationem coniugẽ suam reliquerunt. Quod si post ordinationem ministro contigerit propriæ inuadere cubile vxoris, sacrarij non intret limina, nec sacrificij portitor fiat, nec altare contingat, nec ab offerentibus holocausti oblationem suscipiat, nec ad Dominici corporis portionem accedat; aquam sacerdotum porrigat manibus, ostia forinsecus claudat, minora gerat officia, vrceum sanè ad salutarem Calicem non suggerat. Aurelius verò Carthaginensis Episcopus inter cætera sic ait: Placuit sacros Antistites, ac Dei Sacerdotes, necnon & Leuitas, vel qui Sacramentis diuinis inseruiunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter, quod à Deo postulant, impetrare; vt quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus. Faustinus etiam Episcopus Ecclesię Pontianæ prouinciæ Piceni, Legatus Romanæ Ecclesiæ dixit: Placet, vt Episcopus Presbyter, & Diaconus, & qui sacramenta contrectãt, pudicitiæ custodes, ab vxoribus se abstineãt. Ab vniuersis Episcopis dictum est, placet, vt in omnibus, & ab omnibus pudicitia custodiatur, qui altari seruiunt. In Carthaginensi quoque Cõcilio iterum dicitur: Præterea cum de quorumdam Clericorum, quamuis lectorum, erga vxores proprias incontinentia referetur; placuit Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos secundum propria statuta etiam ab vxoribus continere. Quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico remoueantur officio. In canonibus Apostolorum dicitur: De Presbyteris, & Diaconibus diuinarum legum est disciplina, vt incontinentes in officiis talibus positi, omni honore Ecclesiastico priuentur: nec admittãtur ad tale ministerium, quod sola continentia oportet impleri. Idem, qui suprà, videlicet Carthaginensis Episcopus: Audiuimus, inquit, fratres charissimi, præterea, quod quorumdam Clericorum, quamuis lectorum, erga vxores proprias incontinentia referuetur; placuit, quod & in diuersis

Presbyteri, qui pellicem habet, Missa non est audiẽda. Consule schol

Epist 2. Clementis ad Iacobum fratrẽ Domini.

Conc. Carthaginen. 2. c. 2.

Ibid. al. Potentinæ.

Cõc. Carthag 5. c. 3.

Apost. Can...

Conciliis firmatum est vt Subdiaconi, qui sacra mysteria contrectãt, & Diaconi, & Presbyteri, sed & Episcopi secũdum propria statuta etiã ab vxoribus se contineant, vt tanquàm non habentes videãtur esse. Quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico remoueantur officio. Cæteros autem Clericos ad hoc non cogi, nisi maturiori ætate. Ab vniuerso Concilio dictum est: Quæ vestra sanctitas est iustè moderata, & sancta, & Deo placita sunt, confirmamus. Sed, vt valeamus euitare fastidium, sufficiat tantùm de solis Subdiaconis quid statuatur, inducere; vt eorũ mensura diligenter inspecta, de superioribus gradibus nemini liceat dubitare. In decreto quoque Leonis Papæ hoc inter cætera reperitur. Nam cùm extra Clericorum ordinem constitutis, nuptiarum societati, & procreationi filiorum studere sit liberum arbitrium; ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec Subdiaconis quidem connubiũ carnale conceditur: vt qui habent sint tamquam non habentes; & qui non habent, permaneant singulares. Quod si in hoc ordine, qui quartus est à capite, dignum est custodiri, quantò magis à primo, vel secundo, tertioue seruandum est, ne aut Leuitico, aut Presbyterali honore, aut Episcopali excellentia quisquam idoneus existimetur, qui se à voluptate vxoria necdùm frænasse detegitur. Syluester Papa in decreto suo sic ait: Nulli autem Subdiaconorum ad nuptias transire permittentes, præcipimus ne aliqua hoc præuaricatione præsumpserit. *Leon. Pap. ep. 82. ad Anastasium Thessal. c. 4.* *Sy Roman, c. 8.*

In Concilio Nicæno dicitur: Innuptis autem, qui ad Clerum prouecti sunt, præcipimus, vt si voluerint, vxores accipiant: sed Lectores, Cantoresque tãtũmodò. Sed & B. Gregorius Petro Subdiacono mandauit, dicens: Ante triennium Subdiacones omnium Ecclesiarũ Siciliæ prohibiti fuerant, vt more Romanæ Ecclesiæ, suis vxoribus nullatenus miscerentur. Quod mihi durum, atque incompetens videtur, vt qui vsum eiusdem continentiæ non inuenit; neque castitatem antè proposuit, cõpellatur à sua vxore separari, atque per hoc, quod absit, deterius cadat. Vnde videtur mihi, vt à præsenti die omnibus Episcopis dicatur; vt nullum facere Subdiaconum præsumant, nisi qui se victurum castè promiserit; quatenus & præterita, quæ per propositum mentis appetita non sunt, violenter non exigantur, & futura cautè caueantur. Qui verò post eandem prohibitionem, quæ ante triennium facta est, continenter cum suis coniugibus vixerunt, laudandi, atque remunerãdi sunt, & vt in bono suo permaneant, exhortandi. Eos autem qui post prohibitionem factam se à suis vxoribus continere noluerunt, peruenire ad sacrum ordinem nolumus. Quia nullus debet ad ministerium altaris accedere, nisi cuius castitas ante susceptum ministerium fuerit probata. *Can. Apost. 25* *Greg Reg. lib 1. ep. 42.*

Sed cur ego ad coaceruandos canones vltrà progredior, quandoquidem hos ignorare ipsi etiam nequeunt, qui tumida aduersus eos ceruice confligunt? Aliquandò cum me Laudensis Ecclesiæ tauri pingues armata conspiratione vallarent, ac furioso strepitu vituli multi tumultuantes infrenderent, tamquàm ructum fellis in os meum *Clericorũ inepta defensio.* *Psal. 21. v. 13.*

euomere, dicentes: Habemus auctoritatem Triburiensis, si tamen ego nomen teneo, Concilij, quæ promotis ad Ecclesiasticum ordinē incūdi coniugij tribuat facultatem. Quibus ego respondi: Concilium, inquam, vestrum, quodcunque vultis, nomen obtineat: sed à me non recipitur, si decretis Romanorum Pontificum non concordat. Aucupantur enim quædam quasi canonum adulterina sarmenta, eisque præbent auctoritatem, vt authenticam canonum valeant vacuare virtutem. Sed Salomō dicit: Quia spuria vitulamina non dabunt radices altas. Distant enim adinuentiones hominum à sententiis, quæ prolatæ sunt per Spiritum sanctum; & qui sacris canonibus repugnare non metuunt, ipsum proculdubiò Spiritum, à quo promulgantur, offendunt. Vnde Ioannes in Apocalypsi, si quis, inquit, apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto: & si quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate sancta, & de his, quæ scripta sunt in libro isto. Sed ne quis nos arguat sacræ Scripturæ verba ad arbitrium nostræ voluntatis inflectere, asserens nequaquam hæc ad sacros canones pertinere: audiat quod Anacletus Papa, quintus scilicet à B. Petro, de violatoribus canonum dicat. Violatores ait, voluntariè canonum grauiter à sanctis Patribus iudicantur, & a sancto Spiritu, cuius instinctu, ac dono, dictati sunt, damnantur. Quoniam blasphemare Spiritum sanctum non incongruè videntur, qui contrà eosdem sanctos canones, non necessitate compulsi, sed libenter, vt præfixum est, aliquid aut proteruè agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt. Talis enim præsumptio manifestè vnum genus est blasphemantium Spiritum sanctū: quoniam, vt iam prælibatum est, contra eum agit, cuius iussu, & gratia iidem sancti editi sunt canones.

Sap. 4. v. 3.
Cōmenta hominum differunt à sententiis per Spiritū sanctum prolatis.
Apoc. 22 v. 18. & deinceps.
Damasus in Epist. ad AureliūCarthag.

Cum omnes ergò sancti Patres, qui per Spiritum sanctum canones condiderunt, de seruanda Clericorum pudicitia non dissona inuicem vnanimitate concurrant, quid sperandum eis, qui Spiritum sanctum propriæ carnis illecebras adimplendo, blasphemant? Qui nimirum per momentaneæ libidinis fluxū inextinguibile combustionis æternę mercantur incendium. Nunc in luxuriæ fœtore sordescunt: sed tunc flammis vltricibus traditi, in torrente picis, & sulphuris rotabuntur. Nunc æstuanti luxuriæ semetipsos exhibent tartarum: tunc in chaos æternæ noctis immersi trucis gehēnæ perferent sine fine tormentū. Nunc in semetipsis ignē libidinis nutriunt: tunc indeficientis flāmas incendij medullis suorum viscerum pascent. Et, ô nimis infælices, & miseri! seruādo legem putridæ carnis suæ, quæ verminibus est deuoraturis obnoxia, illius iura contemnunt, qui de cælo venit, & super Angelos regnat. Vnde reprobo viro per Prophetam Dominus dicit: Posuisti me post corpus tuū. Ac si dicat, corporis tui libidinem pro lege custodis, & legis meæ mandata contemnis. Lex quippè corporis humani diuinæ legi contraria est. Vnde dicit Apostolus: Video aliam legem in membris meis

Ezech. 23. v. 35.
Lex corporis humani est diuinæ legi cōtraria.
Rom. 7. v. 23.

repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati quæ est in membris meis. Illi ergo Deum post corpus suum ponunt qui contemnentes diuinæ legis imperium, suarum obtemperant illecebris voluptatum: & dum laxant fræna luxuriæ, indictam sibi præuaricantur regulam disciplinæ. Ignorantes quia pro vniuscuiusque fugaci voluptate concubitus, mille annorum negotiantur incendium; vt qui nunc ęstuant flammâ luxurię, tunc comburātur igne vindictæ. Sed qui petulantis illecebræ volutantur in cœno, quàm pestiferæ securitatis audaciâ salutaris Eucharistiæ sese ingerunt Sacramento? Cùm Dominus per Moysen sacerdotibus dicat: Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea, quæ consecrata sunt, & quæ obtulerunt filij Israël Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino. Deinde sequitur: Homo de semine Aaron, qui fuerit leprosus; aut patiens fluxum seminis, non vescetur ex his, quę sacrificata sunt mihi, donec sanetur. Quod si illi, qui corporis infirmitate cuiuslibet immunditię patiebatur illuuiem, non licebat oblata comedere: quo pacto is, qui sponte versatur in contaminatione luxuriæ, sacramenta Deo valeat offerre? Vnde dicitur in Leuitico: Omnis, qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedat offerre hostias Domino, nec panes Deo suo. Deinde sequitur: Velum non ingrediatur, nec accedat ad altare; quia maculam habet, & contaminare non debet sanctuarium meum.

Leuit. 22. v. 3.

Leuit 21. v. 21. 23.

Prudens hic lector attendat, quàm aptè Apostolica illa Iacobi sententia, quæ superius posita est, cum hac diuinâ lege concordat. Si ergò tunc, quisquis habebat maculam, ingredi sanctuarium non audebat, quisquis se nunc cum mulieribus polluit ministrare sacris altaribus quâ mente præsumit? Cum profectò tabernaculum illud, vmbra tantum, & instrumentum erat imaginis: Ecclesia verò, sicut Apostolus ad Timotheum dicit, Columna & firmamentū est veritatis. Et sicut ad Hebręos ait, Vmbram habet Lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum. In illo tamen veteris legis tabernaculo, siue templo, cum ministrabant Leuitæ, vel sacerdotes, nequaquàm suis vxoribus miscebātur. Nam & Dauid, sicut in Paralipomenon libro legitur, viginti quatuor sacerdotum, totidemque Leuitarum sortes instituit, qui in cultu templi, suas vices agerent, ac per cerimoniarum ritus suis temporibus ministrarent. Qui nimirum donec vicis suæ tempus explerent, a reddendo coniugali debito penitus continebant. Quod & Lucas Euangelista manifestè declarat, qui cum præmisisset, quia Zacharias erat de vice Abia, & quia sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum, non multò post ait: Factum est, vt impleti sunt dies officij eius, abijt in domum suam; moxque subiecit: Post hos autem dies concepit Elizabeth vxor eius. Vnde perspicuè constat, quoniam illius temporis sacerdotes prorsus à reddendo coniugali debito seruabantur immunes, donec vicis suę tempus explerent. Immò iugiter morabantur in templo, donec sortis indictæ fungebantur officio. Vnde Moyses ad Aaron ait. Donec ritus

1. Tim. 3. v. 15. Hebr. 10. v. 1.

In veteri lege Sacerdotes, & Leuitæ tēpore quo ministrabant non miscebantur vxoribus.

1. Paral. 23. v. 4. & 24. v. 3.

Luc. 1. v. 23. 24.

Leuit. 8. v. 33.

sacrificij compleatur, die, ac nocte manebitis in tabernaculo, obseruantes custodias Domini, ne moriamini. Nunc autem, cum scriptura præcipiat, vt semper oremus; ministri altaris non habent delegatas vices dùm sine vllâ temporis intermissione, ministerij sui continuam exhibêt seruitutem. Prætereà dicit Apostolus: Vir vxori debitū reddat, & vxor viro: Nolite, inquit, fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus vt vacetis orationi. Dùm ergò coniugale commercium sæcularibus tollit orare, quâ ratione permittit clericos sacris altaribus ministrare? Quod sanè tempus inuenient, quod debeant vacare coniugio, qui nunquàm ab ecclesiasticæ sedulitatis feriantur obsequio? Ad Corinthios namque dicit Apostolus: Qui sine vxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodò placeat Deo. Qui autem cum vxore est, sollicitus est quę sunt mundi, quomodò placeat vxori. Quisquis ergò diuinis mancipatur obsequijs, necesse est vt ijs, quæ Dei sunt, sollicitus semper insistat; ne per carnales affectus animum diuidat. Sed quomodò valet esse sollicitus ac semper intentus auctori, cuius cor cōglutinatur vxori? Nescitis, inquit, quoniam corpora vestra membra Christi sunt? Et, vt multa præteream, quæ super hoc themate idem dicit Apostolus, ne fastidium generem, illud saltem inferam: An nescitis, ait, quoniam mēbra vestra templum est Spiritus sancti, qui in vobis est? De quo tēplo alibi dicit: Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Si ergò non solum anima, sed & ipsum corpus nostrū, quod videtur, & palpatur extrinsecus, templum est proculdubiò Spiritus sancti: quomodo is, cui prohibetur carnale commercium, non violat templum Dei, dum semetipsum petulantis luxuriæ prostibulum construit: Spiritum sanctum, in quo signatus fuerat, abijcit: & in illius vice spiritum in se libidinis introducit? Et cum idem nobis dicat Apostolus: Nolite contristare Spiritum sanctum in vobis, in quo signati estis, nonne Spiritum sanctum ad suum contristat interitum, qui eum ex habitaculo sui iuris excludit, & eius hostem, luxuriæ videlicet intromittit auctorem? Cur non ad memoriam reuocatur, quoniam filij Aaron, Nadab videlicet, & Abiu, dùm diuino altari alienos ignes inferunt, incendio cælitus misso protinus exuruntur? Arreptis, inquit, Nadab, & Abiu filij Aaron thuribulis suis, posuerunt ignem & incensum desuper, offerentes coràm Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat: egressusque ignis à Domino, deuorauit eos, & mortui sunt coram Domino. Quid est enim alienum ignem Domino sacerdotes offerre, nisi ardore libidinis inflammatos, sacrosanctis altaribus propinquare? Et cum scriptura dicat. Spiritum nolite extinguere, isti quantum in se, Spiritum sanctum, qui in eis ardere debebat, extinguunt, & alienum ignem offerunt, dum ad altare Domini flammâ libidinis æstuantes accedunt. Sed repentè super eos ignis diuini furoris accenditur, quo terribiliter exuruntur, Scripturâ testante, quē dicit: Et nunc ignis aduersarios consumit. Et certè legitimum est, vt quod sordentes sacris altaribus appropinquant, gladio diuinæ vltionis intereant,

1. Cor. 7. v. 5.
Ibidem. v. 32.
1. Cor. 6. v. 15.
Ibidem v. 19.
1. Cor. 3. v. 17.
Non solū animæ, sed etiam corpora nostra debēt esse Spiritus sancti templa.
Ephes. 4. v. 30.
Leuit. 10. v. 1. 2
1. Thessal. 5. v. 19.
Hebr. 10. v. 27.

dicente ad Moysen Domino: Docebitis filios Israël, vt caueant immunditiam, & non moriantur in sordibus suis, cum polluerint tabernaculum meum, quod est inter eos. Proh pudor! maior à filijs Leui seruabatur reuerentia Synagogæ quam nunc à ministris Christi deferatur Ecclesię. Illi siquidem sub districti ieiunij se castigabant, tabernaculum ingrediendo, censurâ, Isti verò ne castitatis quidem acquiescunt seruare munditiam. Dixit enim Dominus ad Aaron: Vinum, & omne, quod inebriare potest, non bibetis, tu, & filij tui, quoniam intrabitis tabernaculũ testimonij, ne moriamini: quia præceptum est sempiternum in generationes vestras, vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum, & prophanum; inter pollutum & mundum. Sed nunc ministri Ecclesiæ, qui Christum habent magistrum, & hunc crucifixum, non perhorrescunt in voluptatum suarum dulcedine viuere, & quocumque pruritus carnis allexerit, adhinnire, sicut per Hieremiam Dominus ait: Saturaui eos, & mœchati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur. Equi amatores in fœminas emissarij facti sunt. Vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat. Et iterum: Propheta namque, & sacerdos polluti sunt, & in domo meâ inueni malum eorum, dicit Dominus. Sed quia nũc desideriorum suorum iucunditates explendo pascuntur, quid eis pro suauitatis huius haustâ dulcedine rependatur, attendant. Ecce, inquit, ego cibabo eos absinthio, & potabo eos felle. A Prophetis.n. Hierusalem est egressa pollutio super omnem terram. Nam qui nunc perditè viuunt, qui medullas carnalis dulcedinis sugunt, & quodam quasi melle petulantis luxuriæ saginantur, dignum est, vt taxato postmodum pretio felle, simul & absinthio debrientur: vt sicut nunc se voluptatum suarum poculis irrigant, itâ tunc repletis felle visceribus amarescant. Illud prætereà quam impudentis audaciæ pręsumptio est, vt nimirum cum non possint ab obscœnâ contagione cessare, nolint, tamen à ministerij sui, cui se indignos exhibent, executione quiescere; cũ illis Dominus per Esaiam dicat: Cum veneritis ante conspectum meum, quis quæsiuit hæc de manibus vestris, vt ambularetis in atrijs meis? Ne afferatis vltrà sacrificium frustrà. Incensum abominatio est mihi. Per Hieremiam quoque increpans ait: Vt quid mihi thus de Sabâ affertis, & calamum suaue olentem de terra longinqua? Holocausta vestra non sunt accepta, & victimæ vestræ nõ placuerũt mihi. Sed & per Malachiã, ô sacerdotes, inquit, qui despicitis nomen meũ: & dixistis, in quo despeximus nomen tuũ? offertis super altare meũ panem pollutũ. Et paulopost: Ecce ego proijciam vobis brachium, & dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum. Rursusque per Esaiam: Cum extenderitis, ait, manus vestras, auertam oculos meos a vobis: & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Quod igitur à Deo ipso protestante repellitur, cur impudenter offertur? Vnde & postmodum dicit: Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum; & peccata vestra absconderunt

Leuit. 15. v. 31. *Leuit. 10. v. 9.* *Hier. 5. v. 8.* *Hier. 23. v. 11.* Pœnæ clericorum incontinentium. *Ibid. v. 15.* *Esa. 1. v. 12.* *Hier. 6. v. 20.* *Malach. 1. v. 7.* *Malach. 2. v. 3.* *Esa. 1. v. 15.* *Esai. 59. v. 2.*

faciem eius a vobis, ne exaudiret. Quantò ergò melius, qui eiusmodi sunt, vt se se nunc a sui ordinis administratione compescerent quàm diuini super se furoris gladium prouocarent: quantóque modestius, vt recedendo Christi altaribus non seruirent, quàm hęc accedendo pollucrent. Pium est enim credere, quia quisquis nunc peccata propria recognoscens, ac deserens, à suo se ministerio humiliter reprimit, in die iudicij, eundem; quo se sponte priuauerat, ordinem obtinebit. Quod in libro Esdræ significari videtur, vbi sacerdotum genealogia describitur. Ibi quippe sacra narrat historia, quia quidam sacerdotum quæsierunt scripturam genealogię suæ: & quoniam reperire non potuerunt, eiecti sunt de sacerdotio. Illi planè veraciter filij sacerdotum sunt, qui sacerdotaliter viuunt: ij sacerdotalis generis lineam seruant, qui vitam suam Deo sacrificium offerunt, ac de sacerdotali se prodire prosapiâ religiosè viuendo testantur. Et dùm sanctorum sacerdotum imitantur exempla, quę legunt, tunc in sacris eloquijs sacerdotum se filios recognoscunt. At ij, qui carnaliter viuunt, & prauorum sequenda vestigia, quasi de sæcularium generatione descendunt, meritò de sacerdotum proijciuntur ordine; quorum se per vitam reprobam nequeũt filios inuenire. Et notandum quod illic sequitur: dixit Athersatha eis, vt non comederent de sanctis sanctorum, donec surgeret sacerdos Dei doctus, atque perfectus. In quâ nimirùm prohibitione quid aliud per allegorię mysterium debet intelligi, nisi vt is, qui indignus est sacerdorio, à percipiendis se sacramentis, & sacerdotalis ordinis administratione compescat, donec Christus in iudicio, qui verè sacerdos est doctus, atque perfectus, exurgat? Sicut per Psalmistam dicitur: Terra tremuit, & quieuit, dum exurgeret in iudicio Deus, vt is cuius terroris instinctu, quilibet lapsus hic suâ se dignitate sponte priuauerat, eum in iudicio gratâ vice restituens, ad amissi ordinis culmen attollat, dicens: Amice, ascende superius, & tunc sit sibi gloria coram simul discumbentibus.

Clerici, qui se continere nõ possunt, melius esset, si a sacris ordinibus cessarent.

1. Esdræ 2. v. 62

Ibidem. v. 63.

Psal. 75. v. 9.

Luc 14. v 10.

Sed sunt nonnulli quod prætereundum non est, qui iuxtà Apostolum desperantes, semetipsos immunditiæ tradiderunt: nam continentiam funditus desperantes à suscepti ordinis administratione se reprimunt, sicque se delinquere velut impunè confidunt: ac si seruus domino suo dicat, quia quod præcipis, implere non valeo, ad hostium tuorum castra transfugio, illisque me ad pugnandum contrà te dedititium trado; tamquam possit dominum suum placare, quod fugit; & non possit irritare, quod aduersus eum in arma consurgit. Quibus ego constanter, & sine vllâ prorsus ambiguitate denuncio, quoniam cassâ se ac friuolâ pollicitatione decipiunt, si non exequentes officium, officio se exutos esse confidunt. Licet.n. à frequentatione, vel executione cesset ordo cuiuslibet, vel officium; in ordinato tamen nihilominus permanet ordinis Sacramentum. Et sicut vir quispiam, & si cesset ab opere coniugali, nullo modo tamen absoluitur copulatione coniugij; ità clericus

Ephes. 4. v. 19.

Nonnulli Clericorum a sacro ministerio cessant, & hoc modo putant se posse impunè luxuriari.

Clerici ordines sacros nõ amittunt etiã si eis non vtantur.

& si

& si sui ordinis non fungatur officio eiusdem tamen ordinis non exuitur sacramento. Cauendum est ergò, illis, ne super eos veniat formidolosa illa sententia, quæ per Apostolum dicitur: Impossibile est, inquit, eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cæleste, & participes sunt facti Spiritus sancti: gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes. Ità planè videntur agere, ac si Israëlitarum quispiam, volens fornicari cum idolis, dicat: Quia nequeo seruare duram, ac rigidam Dei legem, ad ritum transibo Gentilem, tamquam recedés à lege non sit debitor legi. Et hoc modo quamquàm de seruatâ lege non sit præmio dignus, vltioni tamen de contemptâ non teneatur obnoxius. Sed audiamus quod talibus diuina seueritas in Deuteronomio dicat: Cumque audierit quisquã verba iuraméti huius, benedicat sibi in corde suo, dicens: Pax erit mihi, & ambulabo in prauitate cordis mei, & assumat ebrius sitientem, & Dominus non ignoscat ei, sed tunc quàm maximè furor eius fumet, & zelus contra hominem illum: & sedeant super eum omnia maledicta, quæ scripta sunt in hoc volumine, & deleat nomen eius sub cęlo, & consumat eum in perditionem ex omnibus tribubus Israël iuxtà maledictiones, quæ in libro legis huius, ac fœderis continentur. Eat ergò clericus, cui muliebris prohibetur admixtio, præbeat sacrilegâ venerandis altaribus auersione repudium, vt liber, tamquam emissarius equus in luxuriæ prosiliat appetitum. Sed dùm à Deo libertatem accipit atque ab eo, tamquam absolutus abscedit, maledictionis eius, ac suæ perditionis laqueos non euadit. Cum Psalmista dicat: Maledicti, qui declinant à mandatis tuis. Et per Ezechielem Dominus ait: Neque cogitatio mentis vestræ fiet, dicentiũ, erimus sicut Gentes, & sicut cognationes terræ, vt colamus ligna, & lapides. Viuo ego dicit Domin[9] Deus, quoniã in manu forti, & brachio extento, & in furore effuso regnabo super vos, & educam vos de populis, & congregabo vos de terris, in quibus dispersi estis, & subijciam vos sceptro meo. Nostrâ, vt fertur cõtigit ætate, quod narro. In Galliarum partibus penes administrationem, ac ditionem cuiusdam religiosi Abbatis, nomine Benedicti, Presbyter habitabat, qui nimirum quantò copiâ facultatis vberius affluebat, tantò magis religionis, & honestatis premebatur inopiâ. Obeunte igitur pellice, viduatus, adiecit iterare coniugium. Quid plura? Confœderat sibi, quasi tabularum lege prostibulum, amicorum, atque confinium congregat nuptiali more conuentum, epulaturis etiam totius affluentiæ prouidet apparatum. Abbas autem, dùm decumberet, iámque fælicem propinquaret ad exitum, hoc audito, duos ad eum monachos misit, eique tam impudens scelus sub districtæ censuræ interminatione prohibuit. Ille verò, vt erat conceptæ nequitiæ stimulatus instinctu, obtemperare non potuit, sed temeritate plectibili, quidquid nuptialis ordo dictabat, impleuit. Cunctis itáque perstrepentibus locis, ac lasciuiæ deditis, Presbyter

Hebr. 6. v. 4.

Deut. 29. v. 19

Psal 118. v. 21.

Ezech. 20. v. 32

Presbyteri Galli incontinentia, & pœna.

tãquàm bos ad victimã ductus conuiuiũ deserit, thalamos non delectationis, sed perditionis ingreditur: & ô terribilis Deus in consilijs super filios hominũ! repentinâ morte mulctatur. Vno si quidẽ, eodemq; momento, & semẽ fudit, & animã exhalauit. Sic sic remunerari debuit, qui de sacrario Domini ad exoletũ lupanar, suinũq; volutabrũ trãsire decreuit. Fortassis enim iste, quia sacri altaris non frequentabat accessum icircò se impunè credidit peccaturum. Sed expertus est, quod Apostolus dixerat: Quia terribile est incidere in manus Dei viuentis. Alio quoque tẽpore, cũ Papa Stephanus, qui zeli Phinees æmulabatur ardorem, omnes clericos Romæ, qui post interdictũ Papæ Leonis, incontinentes extiterant, de cõuentu clericorum, & choro Ecclesiæ præcepisset exire; vt quãquam, relictis fœminis, per pœnitentiæ se lamenta corrigerẽt, tamen quia sancto viro inobediẽtes fuerãt, & de sacrario ad tẽpus exirẽt, & celebrãdæ missæ licentiã de cætero non sperarẽt, iuxtà canonicãB. Cæciliȩ trans Tiberim cõstitutãPresbyter habitabat, quod nec fœminãvllo modo acquiescebat abijcere, nec vmquã poterat hȩc statuta, nisi vana prorsus, & friuola iudicare. Quadã itaque die, dũ incolumis, vegetus, ac robustus existeret vespertinis horis ad quiescendũ se in lecto cõposuit. Sed repentinâ diuinæ vltionis animaduersione percussus, manè repertus est cadauer exanime. Illicò præfatæ canonicȩ religiosus certè conuentus duos ad me clericos direxerunt, quod tali deberent mortuo consulentes. Nos si rem ritè tenemus, consilium dedimus, vt eum quidem, quia presbyter fuerat, penes Ecclesiam sepelirent: sed nullum sibi vel hymnorum, vel psalmodiȩ officium redderent; quatenus & incestis terror accresceret, & castitatis gloria germinantius pullularet. Et certè dignum videtur, vt mortuus, iuxtà Prophetam, sepulturam possideat asini, qui dum viueret humanâ contempsit lege constringi. Sicut Ioachin filio Iosiæ Regi Iudâ per Hieremiam dicitur: Sepulturâ asini sepelietur putrefactus, & proiectus extrà portas Hierusalem. Enim verò cui militaris est character impressus, quocumque transfugiat, militiæ suȩ, cui iuratus fuerat, secum semper signaculum portat. Et quandocumque inusti sibi stigmatis vibicem conspicit, desertorem se militiæ, reumque transfugij recognoscit. Sic etiam clericus, cùm signaculo Spiritus sancti, quod in die suæ consecrationis accepit, probatur ad lupanaria spurca descendere, nec illud de se vllâ poterit occasione delere, quamquàm & illic illud accipiat signum de quo in Apocalypsi Ioannes ait: Faciet omnes pusillos, & magnos habere characterem bestiæ in dexterâ manu, aut in frontibus suis. Sed quid cum charactere bestiȩ signo illi, de quo dicitur: Quia hi, qui erant supra montem Sion cum agno, habebant nomen eius, & nomen Patris eius, scriptum in frontibus suis? Quid enim luci ad tenebras? aut quæ societas Christi, & Belial? Qui consensus templo Dei cum idolis?

Psal. 65. v. 5.
Hebr. 10. v. 31.
Alterius presbyteri in eadẽ culpa non dissimilis pœna.
Num. 25. v. 8.
Hier. 22. v. 10.
Apoc. 13. v. 16.
Apoc. 14. v. 1.
2. Cor. 6. v. 15.

Intereà & vos alloquor, ô lepores clericorum, pulpamenta diaboli, proiectio Paradisi, virus mentium, gladius animarum, aconita biben-

tium, toxica conuiuarum, materia peccandi, occasio pereundi. Vos inquam, alloquor gynecæa hostis antiqui, vpupæ, vlulæ, noctuæ, lupæ, sanguisugæ, affer, [a] affer sine cessatione dicentes. Venite itaque, audite me, scorta, prostibula, sauia, volutabra porcorum pinguium; cubilia spirituum immundorum, nimphæ, sirenæ, lamię, dianę, & si quid adhuc portenti, si quid prodigij reperitur, nomini vestro competere iudicetur. Vos enim estis dęmonum victimæ ad æternę mortis succidium destinatæ. Ex vobis enim diabolus, tamquam delicatis dapibus, pascitur, vestræ libidinis exuberantia saginatur. Habitat enim, iuxtà Scripturam, in secreto calami, & in locis humentibus. Vos estis vasa iræ, & furoris Domini, reposita in diem vltionis. Vos tigrides impiæ, quarum nesciunt, præter humanum sanguinem, cruenta ora sitire. Vos harpyæ, quæ sacrificium Domini circumvolantes arripitis: eosque, qui Deo oblati fuerant, crudeliter deuoratis. Nam & leænas vos non incongruè dixerim, qui belluarum more, iubas attollitis, & incautos homines ad suæ perditionis interitum cruentis amplexibus harpaxatis. Vos sirenæ, atque charybdides: quæ dum suauem deceptionis editis cantum, ineuasibile struitis, salo vorante, naufragium. Vos viperæ furiosę, quæ præ impatientis ardore libidinis, Christum qui caput est clericorum, vestris amatoribus detruncatis. Nā sicut Madianitides olim per phaleratæ vestis ornatum ad suum prouocabant Israëlitarum corda concubitum: ità vos accurati cultus, siue fucati vultus illecebris infælices homines de sacro sancti altaris ministerio, quo fungebantur, auellitis, vt in lubrico vestri amoris glutino suffocetis. Et sicut Madianitides illæ à se pellectis suadebant idola colere, sic & vos istos post signum Crucis impressum quodammodò bestiæ compellitis imaginem adorare. Qui profectò vobiscum simul, nisi fortè resipiscunt, illud Apocalypsis elogium nō euadunt: Si quis, inquit, adorauerit bestiam, & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte suâ, aut in manu suâ, & hic biberit de vino iræ Dei, qui mixtus est mero in calice iræ ipsius, cruciabitur in igne, & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, & antè conspectum agni, & fumus tormentorum eorum ascendet in sęcula sęculorum, nec habent requiem die, ac nocte. Porrò autem sicut Adam inter omnia Paradisi poma, illud dumtaxat, quod Deus vetuerat, concupiuit: Sic à vobis ex vniuersa humani generis multitudine illi tantummodò sunt electi, qui penitus ab omni muliebris affectus sunt confœderatione prohibiti. Per vos contrà turrem Dauid Damasci facies dimicat dum antiquus hostis per vos inuadere castitatis Ecclesiasticę cacumen anhelat. Vos planè non immeritò, fatear, Dipsades, vel Cerastes, quę miseris, & incautis hominibus sic sanguinem sugitis, vt lethale virus eorum visceribus influatis. Vnde ad illarum numerum pertinentes, de quibus Moyses Israelitarum Principibus ait: Cur fœminas reseruastis? Non ne istę sunt, quæ deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam & pręuaricari fecerunt vos in Domino super peccato Phogor? Ec quâ

Hic contra pellices clericorum scriptor inuehitur.

[a] *Prou.* 30. v. 15

Iob. 40. v. 16.

Num. 25. v. 1.

Apoc. 14. v. 9.

Num. 31. v. 15.

mẽtis audaciâ non perhorrescitis contrectare manus sacrosancto chrismate, vel oleo delibutas, siue etiam Euangelicis, vel Apostolicis paginis
Abac.1.v.10. assuetas? Dicit de maligno hoste, Scriptura, quia esca eius electa. Per vos ergò diabolus electam escam deuorat, dum sanctiora membra Ecclesiæ, suggestionis, ac delectationis velut vtriusque molæ dentibus atterit; & dùm vobis iungit eos, in sua viscera quasi traijciendo conuertit. In plenariâ plane synodo Sanctę memoriæ Leo Papa constituit, vt quæcumque damnabiles fœminæ intrà Romana mœnia reperirentur presbyteris prostitutæ, ex tunc & deinceps Lateranensi palatio adiudicarentur ancillæ. Quod videlicet salutare statutum, æquitatis iustitiæque plenissimum, nos etiam per omnes Ecclesias propagandum esse decernimus: quatenus percepto prius Apostolicę Sedis edicto, vnusquisque Episcopus Ecclesiæ suæ vindicet famulas, quas in suâ parochiâ deprehenderit sacrilegâ presbyteris admixtione substratas. Æquitatis scilicet iure, vt quæ sacris altaribus rapuisse seruorum Dei conuincuntur obsequium, ipsæ hoc saltem Episcopo per diminuti capitis sui suppleant famulatum. Sed quid ego loquens vobis vltrà progrediar? potius ipse Deus omnipotens quod vobis per Hieremiam loquatur, attendite: Audite, inquit,

Decretum Leonis Papæ contra concubinas clericorum.

Hier.9.v.20. mulieres verbum Domini, & assumãt aures vestræ sermonem oris mei, docete filias vestras lamentum, & vnaquæque proximam suam planctum, quia ascẽdit mors per fenestras vestras, ingressa est domos vestras, dispergere paruulos de foris; iuuenes de plateis. Et cadet morticinum hominis, quasi stercus, super faciem regionis, & quasi fœnum post tergum metentis, & non est qui colligat. Immò audiat vnaquæque, quid sibi per eumdem Prophetã idem Dominus singulariter dicat: Quia oblita
Hier.13.v.25. es mei, & confisa es in mendacio, & ego nudaui femora tua contra faciẽ tuam, & apparuit ignominia tua, adulteria tua, & hinnitus tuus, scelus fornicationis tuæ super colles, in agro vidi abominationes tuas. Timeat itàque, & medullitus contremiscat, ne super eam illa maledictio veniat, quam immundis mulieribus per Moysen Deus iniquitatis vltor
Numer.5.v.21. intentat: His, inquit, maledictionibus subiacebis. Det te Deus in maledictionẽ, exemplũque cunctorũ in populo suo; putrescere faciat femur tuũ, & tumens vterus tuus dirumpatur. Ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem tuum, & vtero tumescente putrescat femur. Perpẽdat etiam,
Apoc.16.v.11. quia hęc delectatio carnis, quâ nunc fruitur, illã sibi parit amaritudinem de qua in Apocalypsi Ioannes ait: Quia hi, qui missi sunt in stagnũ ignis ardẽtis, cõmanducauerunt linguas suas prę dolore, & blasphemauerunt Deũ cæli & terræ in doloribus, & vulneribus suis. Sed ego dum productionis styli laciniam fugio, velut ex magno animositatis gurgite vix tenuem scintillam in iumentorũ austri armenta distillo. Postremò tamen audite me, manipule clericorum, si quod vobis clausum est, regnũ vultis recuperare cælorum, repudiate quantocyùs detestanda consortia, & sub dignę satisfactionis, ac pœnitentiæ vos reprimite disciplinam. Veniat inter vos sancta discordia, quæ suscitet, & accendat in vobis

salutaris odij fomitem, & odiosam Deo violet charitatem. Nolite vasa Deo sacrata in vasa contumeliæ vertere. Nolite hæc exemplo Balthasar vsui vestræ delectationis aptare: ne repente zelus Dei super vos in iracundiæ se furore succendat, & vibratus indignationis suæ gladius vtrũque confodiat. Noui certè presbyterum, qui pellici suæ morienti, ac pœnitudinẽ flagitanti districtè prohibuit, seseque pro ea pœnitẽtiæ debita soluturũ absolutè spopõdit. Illa vtpote sacerdoti, & litteris erudito homini facile credidit, sicque se in tartarũ cũ massa plumbea, quam Zacharias Propheta testatur, immersit. Subdolos ergò deceptores, tãquã serpẽtinũ virus, abiicite, & vos velut è cruentis leonũ dentibus eruí festinate. Nec vos terreat, quod fortè, non dicam fidei, sed perfidiæ vos annulus subarrauit: quod rata, & monimenta dotalia notarius quasi matrimonij iure conscripsit: quod iuramentum ad confirmandã quodammodò cõiugij copulã vtrinque processit. Totum hoc, quod videlicet apud alios est coniugij firmamentum, inter vos vanum iudicatur, & friuolũ. Nam cum scriptura dicat: à Deo datur viro vxor. Et Dominus in Euangelio: Omnis arbor, quã nõ plantauit Pater meus cœlestis, eradicabitur; nullo stabilitatis nititur fundamẽto, quod omnipotentis Dei reluctatur imperio. In vos quippe redundat, quod Esaias Propheta denunciat: Pro eo, inquit, quod eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorũ, ibant, & plaudebant, ambulabãt & pedibus suis composito gradu incedebant, decaluabit Dominus verticem filiarũ Sion, & Dominus crinem earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorũ, & lunulas, torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gẽmas in fronte pendentes, & mutatoria, & pallia, & linteamina, & acus, & specula, & sindones, & vittas, & theristra: & erit pro suaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispanti crine caluitiũ, & pro fascia pectorali ciliciũ; pulcherrimi quoq; viri tui gladio cadent, & fortes tui in prælio. Vnde ne vos cũ viris, quos pulcherrimos arbitramini, diuini furoris gladio corruatis, extenta colla deponite, oculorum nutus, & plausus abiicite, eique vos, qui vltor est criminũ humiliter subiugate. Porrò si ad Deum vultis incunctanti fide recurrere, plenam vobis paratus est veniam indulgere: cum fornicãti cuilibet animæ per Prophetam dicat: Si recedẽs mulier duxit virum alterum, numquid vir eius reuertetur ad eam vltrà? Numquid non polluta, & contaminata deputabitur mulier illa? Tu autem contaminata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit Dominus. Fælix tale cõmercium, quia cum impudicos clericos à vestra copulatione diuellitis, plaudentibus Angelis cælestis sponsi thalamos introitis. Gaudium est enim eis super peccatore pœnitentiam agente. Et Per Prophetam: Reuertimini ad me, & ego reuertar ad vos, dicit Dominus. Sed vt ad eum, cui cœptus est, styli currentis reflectatur articulus, cum Apostolica sit illa sententia, qua dicitur: Quia non modò talia facientibus, sed & consentien-

Daniel. 5. v. 5. *Zachar. 5. v. 8.* *Matt. 15. v. 13.* *Esa. 3. v. 16.* *Hier. 3. v. 1.* *Luc. 15. v. 7.* *Malach. 3. v. 7.* *Rom. 1. v. 32.*

tibus par pœna debetur; valdè tibi cauendum est, venerabilis Pater, qui quàuis temetipsum præbeas vernantis pudicitiæ candore conspicuum, permittis tamen, vt in clero tuo, tanquàm cruenta illa Iezabel, obtineat luxuria principatum, de qua nimirũ Angelo Thyatiræ Ecclesiæ dicitur: Habeo aduersum te pauca, quod permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit Prophetã, docere, & seducit seruos meos fornicari. Authentica certè est illa sententia, qua dicitur: facti culpam habet, qui quod potest negligit emendare. Quid n. profuit Hely, quia in luxuriam ipse non corruit, sed fornicantes filios paterna quidem pietate, non autem sacerdotali auctoritate corripuit? Lege, Pater, Epistolam, quam de Episcoporum incontinentia pię memoriæ Nicolao Papæ direximus: & quidquid illic huiusmodi repereris scriptum, ad te nihilominus intellige destinatum. Veruntamen age, quæso, si videres monachum fornicantem, nónne protinus stomacho nauseante screares: cœlum, terramque vociferando cõfunderes, exurendũ præterea à flãmis vltricibus inclamares? Et tamẽ liquidò nouimus, quia non diuersam pœnitentiæ mensuram monacho, atque diacono canonica præfigit auctoritas. Cũ ergò vna peccati sit in vtroq; mensura, cur habeatur in peccatore diuersitas? vt videlicet hunc æquanimiter toleremus, immò etiã sibimet amicabiliter applaudamus: illũ verò dignũ suspendio iudicemus? An personã accipimus, & cõtrà legis edictũ diuersum in sacculo pondus habemus: Non habebis, inquit Moyses, in sacculo diuersa pondera, maius & minus: nec erit in domo tua modius maior, & minor. An & aduersus Euangelium facimus, culicẽ liquantes, & camelũ glutientes? Nempè quantò maior est presbyter monacho in dignitatis ecclesiasticę priuilegio, tãtò deterior est in peccato. Nã cum monachis de populo nil pertineat, sacerdotibus iussum est populi peccata portare. Sicut Moyses ad Aaron dicit: Cur non comedistis hostiam in loco sancto, qui sancta sanctorum est, & data est vobis, vt portetis iniquitatẽ multitudinis, & rogetis pro ea in cõspectu Domini? Sanè quomodo nunc aliena possunt peccata portare, quoniam oculi semper intendunt ad vteros tumentes, & pueros vagientes?

Apoc. 2. v. 20. | Facti culpam habet qui negligit emendare quod potest. | *1. Reg. 2. v. 23.* | Monachus & Diaconus eadem pœnitentia mulctãtur à Canonibus. | *Deut. 25. v. 13.* | *Matt. 23. v. 24.* | Quãto maior est presbyter monacho in dignitate, tanto deterior est in peccato. | *Leuit. 10. v. 17.*

Sed quia nonnulli eorum sunt, qui dùm mala committunt, etiã viperini dogmatis hæc assertione defendunt; non ignorent, quoniam damnabilis hæreseos laqueis innectuntur. Qui nimirum dùm corruunt, impudici; dùm defendere nituntur, meritò iudicantur hæretici. Vnde & clerici vxorati Nicolaitæ vocantur, quoniã à quodã Nicolao, qui hanc dogmatizauit hæresim, huiusmodi vocabulum sortiuntur. Sed nunc accedit, vt hoc insigne vocabulum nouũ, si præualent, accipiat incrementũ: vt qui hactenus dicti sunt Nicolaitæ, amodò vocentur & Cadaloitæ. Sperãt enim, quia si Cadalous, qui ad hoc gehẽnaliter æstuat, vniuersali Ecclesiæ Antichristi vice præsederit, ad eorum votum, luxuriæ fræna laxabit. Super quo nimirùm etiam mihi iidem eius fautores insultant, eũque non esse mortuum iuxtà cuiusdam à me facti versiculi Prophetiam exprobrantes, obtrectant, Dixeram enim inter cætera: Non ego te fallo,

Clerici, qui sibi licere affirmant vxorem ducere, ex hæresi Nicolaitarum sunt. | Cadaloi insana ambitio.

cœpto morieris in anno. Sed vt me comprobent non fuisse mentitũ, audiant admirabilem diuinæ dispositionis euẽtum. Cadalous siquidẽ ipso festiuitatis die sanctorum Apostolorum Simonis, & Iudæ, quasi in Papam, Deo reprobante, ac repellente, fuit electus: eodemque vertente anno, in prædictorum Apostolorum vigiliis, ab omnibus Teutonicis, & Italicis Episcopis, ac Metropolitanis, qui cum rege tũc aderant, damnatus est, & depositus. Quamobrem, iuxtà Ezechielem Prophetam, fimum boum pro stercoribus humanis Deus sibi quodãmodò contulit, dùm carnis interitum honoris ruina mutauit. Tunc quippè mortuus est in honore, cùm honoris synodali iudicio perdidit dignitatem. Nunc autem non dicam biathanatus, sed potius mille mortuus toto terrarum orbe deridetur, exploditur, maledicitur, anathematizatur. Audiant igitur hoc insultores mei, & dùm diuinæ dispensationis perspexerint ordinem, me mendacij non accusent. Tu autẽ, vir Domini, gladiũ Phinees zelo feruidus arripe, vt Israëlitã cũ Cosbin Madianitide coëuntem acuto valeas pugione transfodere. Cum Samuele quoq; te in vltionis spiritum constanter accinge: & ad confusionem Saul, Agag pinguissimum in frusta concide. Helias etiam tibi productum de pharetra Domini gladium porrigat, & de sacerdotibus, ac prophetis Baal, ductis ad torrentem Cison, ne quidem vnus euadat. Nam & Moyses, quia pro amore Israëlitæ cuiusdam, percussum sabulo abscondit Ægyptium, totius Israël obtinere meruit principatum. Atque vt illam magis victoriam memoremus, quæ ad castitatis pertinet sacramentum, Dauid quia ducenta præputia Philistinorum feruidus bellator abscidit, protinus in coniugium Michol filiam Saul Regis accipit. Nam quia Saul centum tantummodò petiit, sed ducenta genero deferente suscepit; ille Regi Israël præputia geminata comportat, qui Deo non solum corporis, sed & cordis pudicitiam immolat. Adonias filius Agith, quia illicitũ petiit, Bersabee interueniente, coniugium, Salomone promulgante iudicium, fuso cruore purgauit incestũ. Memento itaque, quod tibi idem Salomõ dicit: Fili mi si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneũ animam tuam: Illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis sermonibus tuis: Fac ergò quod dico tibi, fili mi, & temetipsum libera, quia incidisti in manus proximi tui: discurre, festina, suscita animum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitẽt palpebræ tuæ. Tunc enim apud amicum tuum propriis illaqueatus es verbis, cum te Dei populum regere promisisti. Nec illud obliuiscaris, quod per Hieremiam dicitur: Maledictus homo, qui prohibet gladium suum à sanguine. Ille quippe gladium compescit à sanguine, qui peccata delinquentium negligit vindicare. Sed ne fortè timeas pro castris pudicitiæ stare, & contrà trementes luxuriæ cuneos castitatis arma corripere, audi quid tibi per Ezechielem vox diuina promittat: Ecce, inquit, dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum: & frontem tuam duriorem frontibus eorum; vt adamantem, & vt silicem dedi faciem tuam; ne timeas, neque metuas, à

Damiani vaticinium de morte Cadaloi admirabiliter impletũ. Consule schol

Ezech. 4. v. 15.

Num. 25. v. 11.

1 Reg. 15. v. 33.

3. Reg 18. v. 40.

Exod. 2. v. 12.

1. Reg. 18. v. 27.

3. Reg. 2. v. 25.

Prou. 6. v. 1.

Hier. 48. v. 10.

Ezech. 3. v. 8.

Prou.3.v.25. facie eorum. Per Salomonem quoque tibi dicitur: Ne paueas repétino terrore irruentes tibi potentias impiorum. Dominus enim erit in latere tuo, & custodiet pedem tuum, ne capiaris. Et iterum, Omnis sermo Dei Prou.30.v.5. ignitus clypeus est sperantibus in se. Quod si impossibilitatem fortassis opponis, & sicut mihi in os dixeras, ad hoc te sufficere posse diffidis, audi quid tibi per eundem Salomonem sapientia vera respondeat: Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahũtur ad interitum, liberare ne cesses. Si dixeris, vires non suppetunt; qui inspector est cordis, ipse intelligit, & obseruatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini iuxta opera sua. Prou.24.v.11.12.

Sic ergò te, venerande Pater, in hoc castitatis, libidinisque congressu constanter accinge: Sic vibrato spiritus gladio grassanti in Ecclesia tua luxuriæ lethale vulnus inflige, vt manubias, ac spolia de manu cruenti prædonis strenuus valeas bellator eripere; & ad ipsum castitatis auctorem peractæ victoriæ merearis insignia reportare.

EPIST. IV. Ad G. Episcopum Auximanum.

ARGVMENTVM.

Ab Episcopo Auximano, cui vt mundi huius vanitatibus nunciũ remitteret, persuaserat, recẽter digressus, & ad suos reuersus, multos ibi ex ijs, quos ipse nouerat, mortuos inuenit. Hinc igitur sumpta occasione hortatur eundẽ Episcopũ, vt vlterius conuersionem suam non differat, nec se tãdiu malè blandientis Oceani procellis, & fluctibus iactari patiatur, sed ad monasterij portum festinus accurrat. Quod si fecerit, omne illi suum studium, obsequium, beneuolentiamque pollicetur: sin minus habere eum sibi res suas iubet, nec quidquàm sibi posthac cum illo negotij fore denunciat.

Domno G. Reuerentissimo Auximano Episcopo, Petrus quidquid seruus, & filius.

Dilectissime, postquàm à vobis discessi quamplures homines defunctos esse in nostris partibus reperi. Vnde ad vos quoque mentis oculũ reflectẽs, valdè perterritus sum, ne vobis quod absit, simile quid contingeret, & me tot per inducias super inducias protelantem, diuina sententia ex aliena morte damnaret. Quapropter obsecro te charissime Pater, per omnipotentem Iesum, per sanctos Angelos eius, per thronum maiestatis eius igneum, in quo iudicaturus est viuos, & mortuos, ne temetipsum decipias, ne vlterius differas, ne salutis tuæ remedium de die in diem procrastinando, animam tuam seducas: sed intra citò, dũm licet in portum conuersionis, ne te tardantem repentini opprimant casus, ne

In conuertendo se ad Deũ non est procrastinãdum.

te

te tardantem repentini opprimant casus, ne te inopinatę mortis absorbeat fluctus, & æstuantis gehennæ deglutiat barathrum. Heu, heu, Pater mi, quare non possum impetrare apud Deum, vt tibi oculos cordis aperiat, & lectum calamitatis tuæ, in quo securus iaces, videre permittat? Certè si manifestè conspiceres, quam propinqua est mors, quæ nunc tibi post tergum in insidiis latitat, absque mora relinqueres quidquid tibi mundus arridet: quidquid tibi deceptrix hæc vita demulcet. Sed imprudenter ago, si doctiorem me docere præsumo. Vnum dico, Pater mi, nec irascaris, si conuerti volueris me seruum, me filium, me vilissimum famulum, quamdiu vixeris, sub pedibus tuis semper habeto: sin autem, nequaquàm tecum vlterius colligam, ne, quod absit, à Deo meo dissentiens spargam; nec vnquàm volo alicui in amore esse coniunctus, qui à diuina fuerit societate diuisus.

EPIST. V. *Ad G. Episcopum....*

ARGVMENTVM.

Terribilem illum, & formidandum mortalibus diem, quo vniuersum genus humanum antè supremi Iudicis tribunal, vt exactissimam vitæ in hac miseriarũ valle transactæ rationem reddat, quasi arena maris congregabitur, luculenter describit: & velut in pictura G. Episcopi ob oculos ponit. Hortatur, vt eiusdem speciem, & imaginem mentis oculis tamquam præsens intueatur, & suo animo insidentem nullo vnquàm fucata huius mundi fælicitatis aspectu dimoueri, aut diuelli patiatur.

Domno G. Reuerentissimo Episcopo, Petrus debitæ seruitutis obsequium.

Dilectissime Pater, & Domine. Nunc dùm tibi mundus arridet, dùm carnis sanitas feruet, dùm prosperitas terrena demulcet, quæ post ista sequuntur, excogita: & iam quasi transactis, quæ præstò sunt, illud prudentia vestra solerter examinet, quæ præsentibus futura succedant. Quæcumque ergò transitoria sunt altiori consilio iam transisse decernite, & velut ludifactoriæ illusionis somnium deputate. Illuc mẽs vestra recurrat, illuc sollicitos acuminis sui oculos dirigat, quod postquàm contigerit transire non nouit. Terribilem quoque vltimi iudicii diem iam in conspectus vestri præsentia ponite, & repentinum tantæ maiestatis aduentum tremefactis visceribus retractate, nec illum diem putetis esse longinquum, quem Propheta tanto antè nos sæculo vicinum, & velut iam esset in limine, prædicabat, dicens: Iuxtà est dies Domini magnus; iuxtà, & velox nimis. Vox diei Domini amara, tribulabi-

In properitatibus mens ad futura consideranda dirigenda est.

Dies iudicij tanquam in conspectumẽtis præoculis habenda est.

Sophon. 1. v. 14

tur ibi fortis. Dies iræ, dies illa, dies tribulationis, & angustiæ, dies calamitatis, & miseriæ: dies tenebrarum, & caliginis: dies nebulæ, & turbinis: dies tubæ, & clangoris. Pēsa dilectissime, extremum diem iudicij super corda reproborum, qua asperitate Propheta vidit amarescere, quem tot appellationibus non valuit explicare. Enimuerò, vt taceamus nunc de illis nunquàm finiendis damnationis æternæ suppliciis, tantummodò si solus ille vltimi terror, & horror, vt dignum est, studiosè discutitur, tota mundi huius deceptrix, & falsa fęlicitas, ac si lutum velut infructuosa alga littoris iudicatur. Quem enim, vox illa non terreat, quis non medullitus contremiscat, cum audiat ipsum Dominum dicentem in Euangelio: Quia sicut fulgur exit ab Oriente, & apparet in Occidente, ita erit aduentus Filij hominis? Quis, inquam, non expauescat, cum eadem Veritas dicat: Quia sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, virtutesque cœlorum mouebūtur? De quo etiam Petrus ait: Adueniet autem dies sicut fur, in quo cæli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur; & iterum dicit: Cæli autem, qui nuc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt igne reseruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum. Hinc & Iudas Apostolus ait: Ecce, inquit, veniet Dominus in sanctis millibus facere iudicium contrà omnes, redarguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti sunt contrà eum peccatores impij. O si in palato cordis nostri sapere possit quantæ amaritudinis est, quod per Ioannem dicitur: Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerūt, & plangent se super omnes tribus terræ. Tunc dissoluentur renes eorum formidine qui modò non timent: tunc replebuntur viscera eorum amaritudine, qui modò in carnalis illecebræ voluptatibus molliter iacent. Tunc enim sanguineas lacrymas effundentes incipient dicere montibus: cadite soper nos, & collibus operite nos. Tunc enim non est quoquàm confugere, non est latibulum, vbi se quisquam valeat occultare. Nimirum cum & inferni portæ panduntur, mors inimica destruitur, puluis qui putruerat, id est, humana caro, audiens vocem tubæ viuificatur. Iam quos in gremio suo terra susceperat, quos aqua sorbuerat, quos edax flāma consumpserat, omnes quasi commissum sibi depositū reddūt, & vitæ absque vlla sui diminutione restituunt. Tunc enim terra concutitur, aër repentina tempestate turbatur, tonitrua perstrepūt, corruscationes, & fulgura humana pectora terrore confundunt. Deus enim manifestè veniet, Deus noster, & non silebit. Ignis in conspectu eius ardebit, & in circuitu eius tempestas valida. Aduocauit cœlum desursum, & terram, vt discernat populum meum. In die scilicet illa tremenda cū Angelis & Archangelis, cum thronis, & dominationibus, cum principatibus, & potestatibus apparebit; Cælis corruscantibus, terris ardentibus, cunctis etiam elementis in sui obsequij terrore commotis. Quem diem benè ille eximius Prophetarum Esaias denunciat, dicens: Ecce

Qui extremū iudicij diem serio meditatur, huius mūdi felicitates tāquam somnia putat.

Mat. 24. v. 27.

Ibid. v. 29.

2. Pet. 3. v. 10.

Ibid. v. 7.

Iud. in Ep. Cathol. v. 14.

Apoc. 1. v. 7.

Apoc. 6. v. 16.

Luc. 23. v. 30.

Psal. 49. v. 3.

dies Domini veniet insanabilis: dies furoris, & iræ, vt ponat orbem terræ desertum, & peccatores perdat ex eo. Stellæ enim cæli lumen suum non dabunt, & obscurabitur sol in ortu suo, luna verò non dabit lumen suum, & mandabo vniuerso orbi mala, & impiis peccatorum, & perdã contumeliam iniquorum, & arrogantiam superborum humiliabo: & erunt qui relicti fuerint pretiosi magis quam aurum ab igne purgatum, & homo pretiosior quam lapis saphirus. Cælum enim quatietur, & terra mouebitur à fundamentis suis propter furorem iræ Domini Sabaoth; in die, qua superuenerit furor eius. Sed & Malachias Propheta consona his loquitur, dicens: Ecce venit Dominus omnipotens & quis sustinebit diem aduentus eius? Aut quis portabit conspectum eius, quoniam ipse ingredietur ignem conflatorium, & sicut palcam † velantium, & sedebit conflans, & purgans sicut aurum, & sicut argentum. Et iterum dicit: Ecce dies Domini veniet ardens vt clibanus † vt vrat eos, & erunt omnes alieni, & omnes qui faciunt iniquitatem vt stipulam incendet eos dies illa, qua veniet dicit Dominus omnipotens, non relinquetur radix, neq; palmes. Alius verò vir desideriorum ità dicit: Et ecce videbã, & throni positi sunt, & antiquus dierũ sedebat, & indumẽtũ eius sicut nix candidũ, & capilli capitis eius sicut lana munda. Thronus eius ignis exurẽs, fluuius ignis currebat ante ipsum, iudiciũ cõstituit, & libri aperti sunt; & paulò post, Et vidi, inquit, in visu noctis, & ecce in nubibus cæli Filius hominis veniebat, & vsque ad vetustum dierũ peruenit, & in cõspectu eius oblatus est, & ipsi datus est principatus, & honor, & regnum, & omnes populi, tribus & linguæ ipsi seruiẽt: & potestas eius potestas æterna, quæ non transibit, & regnum eius non corrumpetur. Inhorruit spiritus meus, Ego Daniel, hebetudo mea, & visiones capitis mei conturbabant me. Cum ergò hæc agi cœperint, pandentur sine dubio cœli portæ, immò potius ipsum cælũ auferetur è medio tamquàm si tabernaculi velamina colligantur, scilicet vt reparetur, & trãsformetur in melius. Tunc ergò omnia metus habebit timorq;, ac tremor implebit vniuersa; nimirùm cum ille iudicet, qui teste nõ egeat, qui argumenta non quærat, qui oratorem causæ non postulet. Sed his omnibus procul amotis, ipse & gesta & verba, & cogitationes; dijudicat, atque in medium collocat, & cuncta velut in tabulis quibusdam depicta, oculis eorũ, qui commiserunt ea, atque omnibus, qui assistere videntur, ostendet. Quomodò ergò tunc commouebitur, & in metu erit vniuersa creatura? Age ergò cũ ad illud singulare iudiciũ venerimus ab eo Iudice iudicandi, qui nec falli occultatione criminum potest, nec ad impunitatem promerendam alicuius oblatione corrumpi. Cum cœperint omnia secreta reuelari, & non solum actus, ac verba, sed etiam ipsæ cogitationes ostendi. Quid faciemus sub tanti Iudicis maiestate? Quid excusationis ostendere poterimus? Quâ nos defensionis arte purgabimus? Quæ nobis subuentura est pœnitentia, quam in hac carne contẽpsimus? Quæ nos defensura sunt opera bona, quæ in hac vita non te-

Esai 13. v. 9.

Mal. 3. v. 2.

† ventilãtiũ f.

† & vret. f.

Mal. 4. v. 1.

Dan. 7. v. 9.

In die iudicij cælum auferetur è medio, vt in melius reparetur.

Metus, quo affecti erunt homines tempore iudicij describitur.

cimus? Ad quos Apostolos, aut quos alios sanctos confugituri sumus, quorum exempla, simul ac verba despeximus? An fortè aliqua se fragilitas corporis excusabit: Sed excusationi eorum reclamabunt omnium exempla Sanctorum, qui fragilitatem carnis in carne vincentes, quod fecerunt, vtique facere nos posse docuerunt. Maximè quia nec ipsi peccato sua virtute, sed Dei miserantis auxilio restiterunt. Qui se & nō quærentibus vt quæratur: atque, vt in eum credatur, ostendit: credentes in se ne à peccato vincantur, inuicta protectione defendit. Quid ergò responsuri sunt, si eis Dominus dicat: si potuistis, quare non restitistis desideriis peccatorum? Si nō potuistis, quare meum contrà peccatum non quæsistis auxilium? Aut vulnerati, quare pœnitendo nō adhibuistis vulneri vestro remedium? Numquid non ad hæc obmutescent? Quid autē excusationis respondeant; non habentibus dicit: Ligatis manibus, & pedibus mittite eos in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentiū. Vbi vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Pēsandum ergò est, & summo studio reuoluendum, qui in illo die terror erit, cum in pœna iam remedium non erit. Quæ illic confusio, cui reatu suo exigente, continget in conuentu omnium hominum, angelorūque erubescere. Quis pauor eum, quem & tranquillum mens humana non valet capere, etiā iratum videre? De quo die bene per Esaiā dicitur: Exaltabitur autē Dominus solus in die illa: quia dies Domini exercituū super omnem superbum, & excelsum, & super omnem arrogantem, & humiliabitur, & super omnes cedros Libani sublimes & erectas, & super omnes quercus Basan, & super montes excelsos, & super colles eleuatos, & super omnē turrim excelsam, & super omnem murū munitum, & super omnes naues Tharsis, & super omne quod visu pulchrum est, & incuruabitur sublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum, & eleuabitur Dominus solus in die illa, & idola penitus conterentur, & introibunt in speluncas petrarum, & in voragines terræ à facie formidinis Domini, & gloriam maiestatis eius, cum surrexerit percutere terram. Nūc peccata delinquentium Dominus videt, & tacet: tunc autem loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos, sicut ipse per Prophetam dicit: Tacui, inquit, semper silui, patiens fui, sicut parturiens loquar. Quisquis enim terrenis commodis nunc inhiat, quisquis lasciuæ carnis voluptatibus pascitur, tunc æternæ combustionis igne consumetur, & diuini furoris gladio deuorabitur. Vt enim Propheta dicit: In igne zeli Domini deuorabitur omnis terra, & in gladio eius omnis caro. Illic iam à Domino non potest mereri, quæ petit, qui hic noluit audire, quæ iussit. A quibus enim diuina vox in hac vita despicitur, tunc falsa eorum humilitas cum precibus ante ianuam veniens non auditur, sed dicitur illi: Nescio vos; ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Et verè Dominus per Salomonem dicit: Vocaui, & renuistis; extendi manum meā, & non fuit, qui aspiceret: despexistis omne consilium meū, & increpationes meas neglexistis.

Matt. 22. v. 13.
Esa. vlt. v. 24.
Esa. 2. v. 11.
Psal. 2. v. 5.
Esa. 42. v. 14.
Sophon. 1. v 18
Non potest in die iudicij à Domino quisquam mereri quod petet, qui noluit audire quod iussit.

Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo vos, cum vobis id quod timebatis, aduenerit. Cum irreuerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit. Quando venerit super vos tribulatio, & angustia, tunc inuocabunt me, & non exaudiam. Mane consurgent, & non inuenient me. In quo ergò confidemus? Vbi spem adipiscendæ salutis habebimus? Numquid in pecuniarum thesauris, quos in arcâ recondimus? Numquid in diuitiarum affluentiâ, quas intrinsecus vacui malè exterius possidemus? Sed audi Apostolum Iacobum, quâti diuitias hominum faciat, quod meritum in terrenæ substantiæ possessione constituat: Agite, inquit, nunc diuites, & plorate vlulantes in miserijs, quæ aduenient vobis. Diuitię vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra a tineis comesta sunt. Aurum & argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis enim vobis iram in nouissimis diebus. Et paulò post: Epulati estis super terram, & in luxurijs enutristis corda vestra, in die occisionis adduxistis.

Matt. 25. v. 12. *Ibid. v. 41.* *Prou. 1, v. 24.* *Iacob. 5. v. 1.* *Ibid. v. 5.*

Heheu, quid tunc dicent miseri, cum se viderint & bona temporalia irrecuperabiliter amisisse, & mala sibi perpetua ineuitabiliter imminere? Quæ tunc illis mens erit, cum viderint tempus acceptabile, & diem salutis penitus effluxisse: & illud tempus adesse, in quo nihil boni facere, nullum perditionis suæ remedium valeant inuenire? Quàm amara eorum conscientia, quam flebilis eorum poterit esse querela, Tunc enim, sicut Salomon fatetur, flentes, & præ angustiâ spiritus gementes dicent: Errauimus, inquiunt, à viâ veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentię non est ortus nôbis: lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Quid profuit nobis superbia? aut quid diuitiarum iactantia contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquàm vmbra, & tamquàm nuncius præcurrens, & tamquàm nauis, quæ pertransijt fluctuantem aquam, cuius, cum præterierit, non est vestigium inuenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus. Aut tamquàm auis, quæ transuolat in aëre, nullum inuenitur argumentum itineris illius, sed tantum sonitus est alarum verberans leuem ventum; & scindens per vim itineris aërem, commotis alis transuolauit, & post hoc nullum signum inuenitur itineris eius. Aut tamquam sagitta emissa in locum destinatum, diuisus aër continuo in se reclusus est, & ignoratur transitus illius. Sic & nos nati continuo desiuimus esse, & virtutis quidem signum nullum valuimus ostendere, in malignitate autem nostrâ consumpti sumus. Talia dixerunt in inferno ij, qui peccauerunt, quoniam spes impij tamquam lanugo est, quę a vento tollitur: & tamquam spuma gracilis, quæ à procellâ dispergitur: & tamquàm fumus, qui à vento diffusus est: & tamquam memoria hospitis vnius diei prætereuntis.

Malorum perturbatio in die iudicij.

2. Cor. 6. v. 2.

Sap. 5. v. 6.

Finis huius Epistolæ desid. in M. SS. & petendus videtur ex fine Epist. 8. Lib. 8. infra quæ est eiusdẽ argumenti, ijsdemque sententiis & verbis.

EPIST. VI. Ad Ioannem Episcopum.....

ARGVMENTVM.

Mittit quosdam suos libellos ad Ioannem Episcopum, quem ad rerum humanarum contemptum adhortatur: eiusdem quoque amicitiam se appetere ostendit, & nonnulla ad vtriusque salutem vtilia communicare.

Ioanni Reuerentissimo Episcopo, Petrus vltimus Monachorum seruus debitæ venerationis obsequium.

Dilectissime, qui excelsum montem subire festinat, necesse est, vt ad eius verticem graduum interpositione conscendat. Quapropter ego ad celsitudinis vestræ notitiam peruenire desidero, vt pote ecclesiastico viro, & super montem Sion diuinitus eleuato, ecclesiasticum munusculum scalarum more præmitto: quia verò non vanæ glorię ostentatione, non corporalis commodi vtilitate, vel mea ad vos opuscula dirigo, vel vestram gratiam requiro, illi melius satisfacio, quem de oculis cordium iudicare sine vllâ dubitatione cognosco. Præterea, dilectissime mihi Pater, & domine, vides ipse, quia cuncta tempoialia fugiunt: quę in hoc mundo possidemus, diu nobiscum manere non possunt. Terreni honores, & dignitates quasi fumus quo altius extolluntur, in nihilum redeunt, & mundana omnia, ipso iam mundo ad finem delapso subsistere nullatenus possunt. Nos etiam, qui hîc tanto desiderio incipimus, momentaneâ febre correpti, subitò cuncta deserimus; & tunc sine dubio discimus nulla fuisse, quæ maxima credebamus. Sola opera nostra siue bona, siue mala non pereunt, sed in districto examine tremendi Iudicis ventilanda seruantur. Tu igitur, dilectissime, intra conscientiam tuam reuertere: & dum licet, quid tantæ maiestati respondere debeas, sollicitus meditare. Pensa quis tecum rationem positurus veniat, quàm multiplicem fructum pro tam amplâ villicatione tuâ requirat. Scias denique proculdubiò, Pater charissime, quia gratiâ tuam, & bonam voluntatem semper habere desidero: & salutem tuam non solum animæ, sed etiam corporis medullitus concupisco. Quapropter de tuo mihi seruitio fiducialiter præcipe, meque tibi libenter obedire indubitanter agnosce. Ego itaque, quia munera terrena non habeo, despicabilia tibi opusculorum meorum dona transmitto: non vt per hoc defensionis tuæ patrocinium quæram, sed vt ad cordis tui cubiculum linguæ meæ vestigijs aditum pandam. Non vt mihi prosit auxilium, sed vt meum tibi valeat prodesse consilium. Nonnulla quippè ab humilitate mea vobis sunt suggerenda non solum ad futuram, sed

Rerum temporalium instabilitas.

Sola hominũ opera siue bona, siue mala non pereunt, cum cetera pereant.

etiam ad præsentem vitam vobis maxime necessaria. Quorum videlicet partem in hac etiam Epistolâ scriberem, si curiosum superuenientis oculum non timerem. Terminum mihi post tempus paschale præfigite, &, vt ad vos veniam, vestræ sanctitatis auctoritate iubete. Peto etiam, si placet, vt quod latoris præsentium ore depromitur; efficaciter audiatur.

EPIST. VII. Ad N.... Episcopum....

ARGVMENTVM.

Hanc epistolam scripsit cum esset in itinere, vt ipse ait; Admonet autem quemdam Episcopum, vt à muneribus impiorum accipiendis abstineat, ne peccatorum eorumdem particeps fiat: quod & sacra scriptura auctoritate, & nonnullorum exemplis probat. Oportere igitur, ait, magnam cautionem adhiberi, ne passim ab omnibus dona accipiantur, sed tantum ab ijs, quorum munera etiam Deo accepta esse non ambigitur.

Domno N.. venerandæ sanctitatis Episcopo, Petrus peccator Monachus salutem.

Dilectissime, licet in itinere constitutus, nequeam elimatè quid scribere, rectius tamen iudico rem necessariam vtcumque signare, quàm penitus silentio præterire. Quod igitur ore ad os frequenter admonui, idipsum nunc apicibus replico, & ne reorum quorumlibet hominum te muneribus polluas, funditus interdico. Scriptum est enim: † Immolans ex iniquo oblatio est maculata, & non sunt beneplacitæ subsannationes iniustorum. Cur enim non veremur accipere, quæ Deum nouimus reprobare? Hinc iterum scriptum est: Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationibus impiorum, nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. Et alibi: Victimæ impiorum abominabiles Domino. Et Psalmista: Non dabit Deo placationem suam, nec pretium redemptionis animæ suæ. Cur etiam illud ad memoriam non reducimus, quod Giezi perpetuæ lepræ scabredinem induit, dum oblata Naaman Syri munera concupiuit? Sed vt caueatur exitium, aliud adhuc annectatur exemplum. Gerardus sanè religiosus ecclesiæ Florentinæ canonicus nuper mihi retulit ista, quæ narro. Hildeprandus comes † Tusciæ, qui dicebatur de Capuanâ, in tantum diues erat ac præpotens, vt gloriaretur se plures habere curtes, atque castella, quam Dies sint, qui numerantur in anno. Hic presbyterum quemdam, religiosum

Bona iniquorum deo oblata nõ placent. *Eccl 34. v. 21.*

†Immolantis

Ibid. v. 23.

Prou. 15. v. 8.

Ps 48. v. 8.

4 Reg. 5. v. 27.

†In Tusciam.

videlicet, & honestum virum spiritualem sibi fecerat patrem, à quo & pœnitentiam ex more percipiebat. De quo presbytero alius presbyter, Rainerius nomine, hanc visionem vidit, quod non parua vox sonuit, quę illum ascendere, inclamauit: Petre, inquit, presbyter, sic enim, si ritè teneo, vocabatur, ascende hûc. Hæc autem vox tam magna fuisse dicitur, vt ad eius vehementiam nonnulli de somno fuerint excitati. Ad huius vocis imperium presbyter ascendit in quoddam arduæ celsitudinis promõtorium. Is autem, qui vocauerat, Sanctus Benedictus esse videbatur. Post huius autem montis ascensum illicò presbyter toto corpore sese comperit esse leprosum, moxque prorumpens, heu, heu, inquit cur huius pestilentiæ plaga me perdidit? Cui B. Benedictus, diplois, ait, quam suscepisti de eleemosynâ Comitis Hildeprandi (Nam idem Hildeprandus tunc nuper obierat) hæc tibi versa est in lepram: Quamobrem redde trãsitoriam vestem, si vis perpetuæ lepræ vitare pruriginem. Hæc enim odibilis, ac perniciosa vestis tibi quidem, vt conspicis, nocuit, illi verò nil omninò profecit. Vt quid ergò prauorũ quorumlibet hominum munera quærimus, cum eorum quæuis oblatio & illorum nequeat abolere contagia, & nobis vertatur in lepram? Sed, vt totius visionis seriem prosequamur, continuò B. Benedictus eum de monte deposuit, atque ad subiectæ conuallis inferiora deduxit. Intereà videt Presbyter horrendum quemdam fluuium, tetrum, piceum, atque sulphureum, iuxtà quem, duce Beato viro, dum pergeret, vox de flumine sonuit, eumque vocauit. Cumque protinus ille subsisteret, & quis eum vocauerit, inquisisset: Ego, inquit, sum infælicissimus ille Comes Hildeprandus cui pœnitentiam licèt infructuosam imponere consueueras. Cui presbyter ait: Et quomodò tu Comes Hildeprandus es, cùm sis tàm obesi, & mutilati corporis, vt non humanam speciem, sed Taxi potius habere videaris effigiem? Cui Comes, tot, inquit, supplicijs atteror, tot nouis & exquisitis quotidie pœnis affligor, vt non mirum sit, quod corporis mei forma depereat: sed quod aliquatenus vel essentia ipsa subsistat. Tantæ scilicet crudelitatis fui, dum in corpore vixi, vt nunc Sanctis omnibus odio habear: & ita me iusta eorum seueritas vnanimiter despicit, quod nullus illorum adhuc pro me apud diuinam clementiam intercessit. Videbantur autem præfato fluuio innumerabiles volucres quasi columbæ variâ plumarum diuersitate conspersæ: vt hinc albi, illinc nigri discolor species videretur, omnesque velut mœstæ nimis, ac lugubres quasi præ dolore rostra retorquebant ad pennulas. Inquisitus itaque Comes, quid illæ volucres essent, respondit: illæ sunt, inquit, animæ diuersis in hoc gurgite purgatorijs deputatæ, quæ videlicet sicut non ex toto sunt albæ, sed interfusâ sparsim nigredine variatæ, sic & ex parte iam purificatæ, & ex parte sunt adhuc peccatis obnoxiæ. Nam quantò spatiosior albedo cernitur in varietate plumarum, tantò maior intelligitur facta abolitio peccatorum: in quantum verò nigredo remansisse conspicitur, in tantum adhuc peccatorum maculis asperguntur.

Exemplum Presbyteri, qui ob acceptam vestem ab homine malo leprosus euasit.

Munera & oblationes prauorum hominum & accipientibus nocent, & dantibus non prosunt.

Sed post multa Presbyter indè procedens, aspicit Lotharium Comitem qui iam antè non multum tempus obierat. Hic itâque pubetenus adhuc cruciabatur in gurgite, ferè medius eminebat. Cúmque presbyter eum, qualiter ergà se ageretur, inquireret, respondit totum se sulphureis vndis primò fuisse submersum, sed iam paulatim alleuiari, ac de die in diem mitescere graue supplicium. Sed precor, ait, dic domui meæ, vt reddant possessionem B. Mariæ, quam abstuli, si fortè merear ab his, in quibus teneor, pœnis absolui. De quâ tamen Ecclesiâ B. Mariæ loqueretur Presbyter non agnouit, & viuentibus specialiter designare non potuit. Prætereà Presbyter in anteriora contendens, vidit domum nimis horrendam, atque terribilem, pluresque ministros eiusdem domus æque feroces, toruos, ac visu ipso formidabiles, qui nimirum hinc inde cum magnâ frequentiâ discurrentes anxiabantur, anhelabant, & nescio quid magnum velut egregium præstolantes hospitem, præparabant. Cumque præfatus presbyter, quid hoc esset, stupefactus inquireret; responsum est, eos quartâ feriâ proximè venturâ Comitem expectare Guidonem. Sicut enim copiosi delitiarum sumptus venturis præparantur hospitibus; ita maligni spiritus misero homini non alias, quam pœnarum, ac tormentorum epulas prouidebant. Presbyter itâque Rainerius post hanc visionem euigilauit, quod viderat, recitauit; Comes quartâ feriâ, sicut prędictum est, obijt.

Lotharius Comes.

Guido Comes.

Vt ergò ad id, quod cœpimus, reuertamur, noli frater, noli patere muneribus: non omnibus, quę præbentur, liber apud te pateat aditus: sed quędam admittantur, vt in necessitatibus subleuent: quædam repellantur, ne reatus alieni nos ponderibus grauent. Dùm igitur oblata suscipimus, de offerentium meritis prius, necesse est, disputemus. Manus itâque nostra non omnia, quæ prębentur, indifferenter accipiat: & non id, quod offertur, sed potius à quo offertur, cautâ prius examinatione discernat. Dicit scriptura: Si rectè offeras, & rectè non diuidas, peccasti. Et nos, quod similiter est, necessarium dicimus; quia si quæ offeruntur, accipias, & offerentium merita non discernas, deterius deliquisti. Vis audire, quid mihi nuper de collato quodam munere contigit?

Non omnia quæ dantur sunt accipienda, sed prius videndum est a quibus dentur.

Gen 4 v. 7. Iuxta septuaginta.

Primarius quidam, Rodulfus nomine, potens satis, & prudens, apud suum monasterium mihi pallium reuerenter obtulit, quod triblathon iuxtà sui generis speciem nuncupatur: trium quippe colorum est, & blathon pallium dicitur: vnde triblathon pallium vocatur, quod trium cernitur esse colorum. Hoc itâque vir ille suppliciter offerens, procidit, soloque prostratus me, quâ potuit humiliati cordis intentione rogauit: defer, inquit, hoc munusculum, Domine mi, sanctis fratribus tuis, à quibus vtique nil aliud peto; nisi vt hoc solum apud diuinā impetrare clementiam studeant; quatenus à corde meo tenebrarum, quas patitur, caliginem tollat. Amor enim sæculi cor meum detinet obcæcatum, mihique tenebras ingerit, quas sanctis eorum orationibus expelli †,

† cupio addid.

quo saltē tenue diuinæ lucis igniculo mereat illustrari. Sed cùm ego & orationum vota promitterem, & munus ingestum non modò verbis, sed & manibus propulsarem, quæ vtrinque fusa sint verba, intelligenda relinquimus, non scribenda per ordinem iudicamus. Quid plura? defero munus fratribus, sed ingratos inuenio: legati fungor officio, sed non festiuè suscipior. Inuehuntur enim, non gratias agunt: expostulant, non blandiuntur: & oblationem talis viri non donum, sed sordes, atque contagium deputant animarum. Nullo itáque pacto quiescere potuerunt, donec munus incautè susceptum, ad eum, qui dederat præstò remitterem, eique gratuitas orationes sub verbis excusatorijs nihilominus quasi non remitterem, pollicerer. Fateor, multum mihi placuit, quod obiurgatus sum, quod correptus sum, quod verbis mordacibus aspersus sum. Tu quoque, frater, custodi te à muneribus impiorum, vt dum caues proprium; alienum perhorrescas tibimet adhibere flagitium: &, iuxtà
1. Tim. 5 v. 22. Pauli sententiam, Non communices peccatis alienis: ac liberâ talibus
Act. 20. v. 26. cum eo valeas conscientiâ dicere: Mundus ego sum a sanguine omnium vestrum.

EPIST. VIII. *Ad Mainardum Episcopum Eugubinum.*

ARGVMENTVM.

Mainardo Eugubino Episcopo suadet, vt prædia, facultatesque Ecclesiæ tempore sui Episcopatus ademptas, recuperare conetur. Eumdem hortatur, vt mores corrigat, arduum vitæ iter arripiat, quò facilius per aspera quæque, ac ardua mundi huius saxa iactatus, ad quietis, fœlicitatisque in cœlo portum peruenire possit.

Domno Mainardo Episcopo ... Petrus peccator Monachus.

QVia noui, frater, tibi non deesse prudentiam, securus, & absque formidine correptionis adhibeo disciplinam. Nam & in prouer-
Prou. 17. v. 10. bijs Salomon dicit: Plus proficit correptio apud prudentem, quàm cen-
Prou. 19. v. 25. tum plagæ apud stultum. Et iterum: Si corripueris sapientem, intelliget disciplinam. Qui rursus ait: Auris, quæ audit increpationes vitæ
Prou. 15. v. 31. & 32. in medio sapientium commorabitur; moxque subiungit: Qui abijcit disciplinam, despicit animam suam; qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis. Quod ore ad os sæpè præmonui, per litteras replico, & motum fugacis eloquij velut ad ancoram stationis apicibus ligo.

Ecclesiæ Eugubinæ status tempore Mainardi.

Instaura, venerabilis frater, Ecclesiæ tuæ prædia, prodige secularibus tradita, reuoca diuersi generis ornamenta nocenter † opposita, &

† exposita f.

saltem insignia quæque, vel optima restituãtur, quæ prelationis tuę tempore grauiter suspiramus ablata. In moribus quoque tuis temetipsum corrige, & vndique cautus, vndique circumspectus omninò te in sacerdotali grauitate, & honestate compone: nec delecteris fallacium diuitiarũ copijs, quæ fortassis ingeruntur, affluere: nec de cathedræ, cui prę-sides ambias honore gaudere. Nam sæpè Deus omnipotẽs, quod procul sit à te, menti reprobæ, quam per abrupta voluptatum suarum iter arripere conspicit, omnem sibi cæpti conatus aditum intercludit. Et sicut iàm præsidenti sæpè prohibet, dùm vult gaudere, ne gaudeat: sic ad regimen anhelantem reprimit, ne concupitę dignitatis culmen ascendat. Ioannes planè Marsicanę prius Ecclesiæ Archipręsbyter, nunc religiosus in Casinensi cœnobio monachus, hesternâ me docuit relatione, quod narro. Albericus, inquit, Ecclesię meę sub nomine Episcopalis incubabat officij. Hic obscœnæ meretriculæ prolectarius adhærebat. Qui videlicet dum Ottonis Augusti propinquum formidaret aduẽtum, falsum mentitus est cælibatum. Meretricem itáque à consortij sui societate remouit, eamque sacro velamine fallaciter indutam, sanctimonialem esse constituit: verumtamen post Imperatoris abscessum & ad pristinæ fœditatis ignominiam redijt, & insuper ad probrosę infamiæ suæ cumulum ex eadem tartarei prostibuli victimâ filium procreauit. Qui mox vt per incrementa temporum grandiusculus adoleuit, pater eum sibimet in Episcopali dignitate substituit. Sed cum longa dominandi consuetudo ad memoriam rediret, seque non celebrari, ac venerabiliter excoli sicut antè consueuerat, erubesceret, reperit consilium ex intimo diabolici pectoris felle prolatum. Locutus itáque primò cum quibusdam pestilentissimis monachis, deinde cum nonnullis Deum nescientibus laicis, tandem condicto pręstitæ sponsionis pactus est fœdere, vt centum librarum Papiensis monetæ pretium infælix mercator appenderet: & sic illi, cœcato prius Abbate, qui tunc præerat, Casinense monasterium ei securè contraderent, quod ille deinceps eorum fultus auxilio sine vllo contradictionis obstaculo possideret. Hoc etiam primogeniti satanæ conuentioni machinati fœderis addiderunt: vt ille prætaxati pretij partem dumtaxat per suos seruos mitteret, & donec in manibus suis positos Abbatis oculos non aspiceret, partem, quæ residua esset, nullatenus destinaret. Quid plura? corrasis vndecumque potuit, atque cõgestis aureis muliebribus ornamentis sexaginta librarum pretij ad B. Germani oppidum per suos complices misit, eisque quid, & quibus loqueretur, quod de sententiâ diaboli nequam discipulus hauserat, serpentinum virus inuomuit. Qui venientes ad oppidum, & communicato cum quibus edocti fuerãt, nefando mysterio, protinus in cryptâ quadam eiusdem oppidi missi sunt, ibique per aliquot dierum spatium occultati. Satellites autem satanæ comprehenso violenter Abbati oculos eruunt, eosque linteolo protinus inuolutos, ad eos, qui in cryptâ habitabant, occultè transmittunt, qui mox alacres effecti, & tãquàm thesaurum

Alberici Episcopi concubinarij infelix exitus.

diu desideratum inhianter amplexi, festinanter ad propria remeare cœperunt. Cumque iam profligato longiori spatio extrema pars itineris superesset, & tamquàm voti compotes securi iam alimenta perciperent, peregrinus quidam subitò superuenit: & nouum aliquid inquisitus, Albericum, qui dudum fuerat Episcopus, obijsse respondit. Quod illi grauiter aspernati, ac vehementer attoniti credere nullatenus potuerunt. Deinde rem certius agnoscentes, & dierum spatium, quo videlicet ille in ęgrotatione decubuit, diligenter addiscunt: & illâ signanter hora, qua videlicet Abbati lumen auulsum est, illum infæliciter expirasse, liquidò deprehendũt. Ecce quàm amaro fine defecit, qui iucundè, atque suauiter viuere concupiuit: & ipso temporis articulo, quo se conscensurum esse sperabat quasi sublime fastigiũ, qui cæcum fecerat, & ipse tamquàm verè cæcatus, atque ex improuiso correptus, repente est demersus in tartarum. Cui rectè propheticũ illud congruit: Dum adhuc ordirer, succidit me. Filius autem eius, apostolus videlicet Antichristi, quem in Ecclesiasticę dignitatis apicem pater allexerat, quanto tempore superuixit, multas calamitatum atque contentionum amaritudines pertulit: postremò ferocibus suorum gladijs vndique perfossus occubuit. Dignum quippe est, vt talis vitæ clausula illis occurrat, qui contrà voluntatem Dei ad sacri ordinis culmen anhelant: ac proinde dulcedo viuendi, quam mente conceperant, in amaritudinem: & prosperitas, quæ per colorem falsitatis arriserat, illis prouenit in calamitatẽ: quibus & illud Hieremiæ meritò congruit: Sperauimus pacem, & non est bonum: quæsiuimus bona & ecce turbatio. Et illud Psalmistæ: Deiecisti eos, dum alleuarentur.

Esai. 38. v. 12. | Hier. 14 v. 19. | Psal. 72. v. 18.

E contrà tu, venerabilis frater, huius mundi suauia quęlibet, ac malè iucunda contemne: rerum transeuntium copias, ac mundanæ gloriæ lenocinium despice: sequensq; vestigia Saluatoris, aspera quæque tibi, ac dura propone; vt per difficilia gradiens, ad iucunda pertingas: & velut aspera dumeta perambulans, viam tuam suaui fine concludas.

EPIST. IX. *Ad Oldericum Episcopum Firmanum.*

ARGVMENTVM.

Scribit hanc Epistolam Firmano Episcopo, quâ primùm gratissimas sibi ab eo missas litteras scribit: deinde se grauiter ferre suæ nomen sanctitatis, quod per illas tribuebatur. Quare pluribus argumentis conatur eum ab hac opinione deducere, quamuis se ipse consoletur, existimans id nequaquàm illum credidisse, sed ad acrius impellendum fecisse. Addit prætereà se ægrè tulisse calamitates Ecclesiæ, vt armis res sacras defendere compelleretur, quapropter non armis, ac viribus corporeis tuendam dicit Ecclesiam: sed precibus, armisque diuinis: idque sacris testibus, & rationibus mititur comprobare.

Domno Olderico Firmano Episcopo, Petrus peccator Monachus inexplebilem deuotionis affectum.

MEllifluam vestræ sanctitatis Epistolam quanta cordis auiditate susceperim, perseuerantia probat. Eam quippè cohabitatricem mihi in cellula iugiter teneo, cum ea sæpè confabulor, in ea interioris hominis vestri speciem, ac veri vultus imaginem manifestè contemplor. Est tamen, quod in ea grauiter fero: quia scilicet non tàm honoratum, quàm oneratum me tàm sancti nominis laude reperio. In hoc siquidem flebilior est mea calamitas, quod non modò mei me reatus impediũt; sed insuper sancti homines in mea, proh dolor! æstimatione delinquunt. Absit autem, vt tantum virum fatear etiam me prædicando mẽtiri, sed quia homo es, potes saltẽ per beneuolentiã falli. Quia verò mentiri est contra mentem loqui, contingit aliquandò, vt idẽ sit & ex dicentis opinione verum, & ex ipsius rei qualitate mendacium. Confiteor id Domino meo, quod sępè versatur in animo meo: quoniam quisquis me in os meum laudat, cupidum me proculdubiò assentatoriæ laudis accusat. Remordente scilicet conscientia protinus aio: cum iste mihi loqui venit ad me votum, meque conetur beneuolum reddere, numquàm me oleo delenificæ suauitatis aspergeret, si me delectari laudem fauoribus non speraret. In mea igitur laude confundor, & dùm magnificari videor, erubesco. Ipse quippè me fauor obiurgat, qui laudis auidum & is, qui videtur esse laudatus, existimat.

Modestia B. B. Petri Dam. suas laudes in se non agnoscentis.

Mentiri quid sit.

Huc accedit, quia quæcumque humana mens sano viget fulta consilio, si se subtiliter, & solerter inquirit, vix ire suis facultatibus inuenit, vnde meritò sperare præconium possit. Mortalis quippè conditio vnque coarctata, atque constricta quid nouit, vnde possit extolli? Quis enim sciat, quid in æternitate fuerit, antequàm Deus hunc conderet mundum? Sed cum ignoret, quid fuerit ante mundi principium, nouit forsitan quid post eius terminum sit futurum: vtrũ scilicet in ministerio sui cursus vlterius astra deseruiant: & vtrum ne post ea, quæ nunc sunt, alia rursus elementa succedant; vnde & Seraphim illa, quæ Esaias Propheta in conspectu Domini stare cõspexit, senas alas habuisse, describit: Duabus, inquit, velabant faciẽ, & duabus velabant pedes, & duabus volabant. Velabãt porrò faciẽ, siue pedes, non suos, sed vtique Dei. Et quid per faciem Dei, nisi mũdi principiũ? Quid per pedes, nisi eiusdem mũdi finis debet intelligi? Alarũ ergò Seraphim & plures sunt, quæ velant, & paucæ quæ volant: quia ex diuinorũ operũ celsitudine cum perpauca ad nostrã permittantur aduolare notitiã, plurima in thesauris secretorũ cœlestiũ seruãtur occulta. Nã quod funditus ignoremus, quid antè mundi principium fuerit, & quid iã post consumationem iam sit futurũ, idem

Homines nihil habent quo superbia efferri possint.

Esa. 6. v. 2.

Humanæ sciẽtiæ imperfectio.

perhibet Esaias: Priora, inquit, annunciate mihi, & nouissima, quæ futura sunt; & dicam, quia Dij estis. De mediis autem pauca vtcumque cognoscimus, quæ ex scripturarum attestatione nobis panduntur. Porrò autem & in his ipsis quantam notitiæ patiamur inopiam, qui sapientissimus inter homines extitit, non erubuit confiteri. Ait enim Salomon: Sunt iusti, & sapientes, quorum opera in manu Domini; & tamen nescit homo, vtrum amore, an odio dignus sit; sed omnia in futurum seruantur incerta. Vbi notandum, quia cum iustos dicat, & sapientes, qui nimirum debuerant subtilius nosse: ipsos etiam perhibet, quæ futura sunt ignorare. Enimuerò quod me nō modò de sapientia, sed & de vitæ quoque quasi sanctitate laudastis, non vt hoc vestra prudentia crederet, sed ob hanc fortassis industriam, vt me ad procinctum sancti certaminis acrius instigaret, qua confidentia, vel in hoc valeo quantumlibet assentire, dùm pro quouis a otioso verbo ratio redditur: dùm b sola fatui compellatio gehennæ supplicium comminatur: dum diuinæ legis c non apex, non iota prætereat; dùm sola d concupiscentiæ visio mœchiæ crimen incurrit? Hęc & huiusmodi, venerabilis Pater, quisquis digna consideratione perpendit, ex diuina quidem potest miseratione præsumere: sed nescio vtrū valeat in quantūlibet exuberantium meritorum suorum securitate dormire; præsertim cum mundus vndique fremat, vndique velut maximum pelagus intumescentibus procellis se attollat, tantasq; nobis quibuscūque raptoribus molestias ingerat, vt terrenis potius nos inseruire negotiis, quàm obsequiis vacare diuinis, vel ad puritatis aspirare munditiam plerumque compellat. Malignus planè spiritus humanum genus nunc solito vehementius per omnia vitiorum abrupta præcipitat: truculentius tamen odiorum, ac simultatum omnes liuore perturbat. Tot enim quotidie bella desæuiunt, armatæ acies proruunt, hostiles impetus inhorrescunt; vt de militaribus quidem viris plures gladius videatur absumere, quam in grabatulis quiescentes, corporeæ cōditionis ægritudo finire, vt propemodū maris more geratur hic mundus. Sicut enim cum ventorum tempestas oboritur, crispante mitius pelago, in vicinia littoris æstus feruentior excitatur; ità nunc in fine mundi velut vicino maris littore, furentibus dissidijs, discordiæque procellis, cuncta hominum corda vexantur, & tamquàm spumosis fluctibus illiduntur. Instabilis enim homicida omnia scrutatur, omnia mundi velut vnius agri loca perlustrat, ne quid infæcundum à liuidi fomitis satione prætereat. Hinc est, quod ad ecclesiastici status vniuersale periculum ab inuicem sacerdotium, imperiumque resiliunt; atque ad Dei omnipotentis iniuriam, nunc, cum vnus Papa in Apostolico sit solio constitutus, alter à finibus Aquilonis destinatur electus. Sed ille Papæ abusiuum Papam proculdubio superaddidit, qui primus omnipotentis Dei vocabulum plurali numero declinauit: Eritis, inquiens, sicut Dij, scientes bonum, & malum. Super quo nimirū potius flere compellimur, quàm prolixius quid scribere delectemur.

Esai. 41. v. 23. Eccles. 9. v. 1. Diuini iudicij seueritas. a Matt. 12. v. 36. b Matt. 5. v. 22 c Luc. 16. v. 17. d Exod. 20. v. 17. & Deut. 5. v. 21. Matt. 5. v. 28. Mundus similis est pelago. Perturbationes & tempestates illius seculi. Mundi finis propè est. Sacerdotij, & imperij discordia. Cadaloum intelligit. Gen. 3 v. 5.

Vnde, cum antè aliquot dies hymnos rhytmicos flendo depromerem.

Rythmus de Eccl. Rom. ab Antipp. inuasa

Heu Sedes Apostolica,
Orbis olim gloria,
Nunc proh dolor; efficeris
Officina Simonis.
Terunt incudem mallei,
Nummi sunt tartarei.
Iusto Dei iudicio
Fit ista conditio,
Vt quisquis Apostolicam
Sedem semel comparat,
Redimere non desinat,
Donec male pereat.

His dictis, præ dolore contabui, & addere supersedi.

Sed cum inter cætera mala, quæ nostris temporibus emergunt, ipsas quoque Ecclesias violenti homines insolenter opprimant, ac prædia, vel quælibet bona sacri iuris inuadant, nonnullos mouet, vtrùm Ecclesiarum Rectores expetere vindictam debeant, vt malis mala, more sæcularium, reddant. Nam plerique mox, vt eis vis infertur iniuriæ, ad indicenda protinus bella prosiliunt, armatorum cuneos instruunt, sicque hostes suos acrius fortè, quam læsi fuerant, vlciscuntur. Quod mihi planè satis videtur absurdum, vt ipsi domini sacerdotes attentent, quod turbis vulgaribus prohibetur: & quod verbis impugnant, operibus asserant. Quid enim magis Christianæ legi videtur esse contrarium, quàm redhibitio læsionum? Vbi, quæso, sunt tot præconia scripturarum? Vbi quod Dominus dicit: Si quis tibi, quod tuum est, tulerit, ne repetas. Si enim nobis non licet eadem ipsa, quæ nobis ablata sunt, repetere; quomodò pro his licet vltoriæ retributionis vulnus inferre? Vbi & illud: Si percusserit tibi maxillam, præbe ei & alteram: Si angariauerit te mille passus, vade cum eo duo alia millia: Si tulerit tibi tunicam, da ei & pallium. At fortasse quis obiicit, turbis sæcularibus hæc esse mandata, non sacerdotibus: nimirum vt Ecclesiarum Præsules hæc prædicare debeant, non seruare. Sed quis hoc vel desipiens sentiat, cum Dominus dicat: Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum: Qui autem fecerit, & docuerit, magnus vocabitur. Sacerdos itaque, qui in regno cœlorum vult esse magnus, fit in populo præuius, vt quod voce se sequentibus dictat, primus ipse viuis operibus impleat. Vnde, vt omnis praui intellectus occasio tollatur, primus ille inter Ecclesiæ sacerdotes non ait: Domine, quoties peccauerit frater in fratrem, & dimittit ei? sed omnium potius sacerdotum causam in vna sui persona constituens, Domine, inquit, quoties peccauerit in me frater meus, & dimittã ei? vsque septies? cumque sibi responderetur, vsque septuagies septies indulgendum; nullum iam de seruando à sacerdotibus vniuersali mandato relictum videtur ambiguum. Luca etiam Euangelista testante, docemur, quia Domino Ierusalem properante, Discipuli præcedentes intrauerunt vrbem Samaritanorum, vt illi pararent. Cumque illos Samaritæ nullatenus recepissent, commoti Iacobus, & Ioannes, humanitate dictante, dixerũt: Domine, vis dicimus, vt ignis descendat de cœlo, & cõ-

An liceat litigare pro iuribus Ecclesiasticis. Conf. schol.

Luc. 6. v. 30.

Matt. 5. v. 39.

Matt. 5. v. 19.

Matt. 18. v. 21.

Ibid. v. 22.

Luc 9. v. 54.

Ibid. v. 56. sumat illos, sicut Elias fecit? Mox conuersus increpauit illos, dicens: Nescitis cuius spiritus estis: Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare; vbi mox subditur: Et abierunt in aliud castellum; ac si non lingua, sed opere loqueretur: date locum iræ, vel potius, Matth. 10. v. 3. quod ipse dicit: Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Vita planè, quam Saluator noster gessit in carne, non minus, quàm prædicatio Euangelica nobis est, & proposita tenendæ linea disciplinæ. Sicut ergò ipse cuncta mundi furentis obstacula, non per districti examinis vltionē, sed per inuictam superauit incōcussæ patientiæ maiestatem: ita docet mundi rabiem potius æquanimiter ferre, quàm vel arma corripere, vel lædenti læsionibus respondere; præsertim cum inter regnum, & sacerdotium propria cuiusque distinguantur officia, vt & Rex armis vtatur sæculi, & sacerdos accingatur gladio spiritus, Ephes. 6. v. 17. qui est verbum Dei. De sæculi nempè principe Paulus dicit: Non sine Rom. 13. v. 4. causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui ma- 2. Paral. 26. lum agit. Azarias Rex, quia sacerdotale vsurpat officium, leprâ perfunditur; & si sacerdos arma corripit, quod vtique laicorum est, quid meretur? Nam & Dauid iccircò antè Euangelium euangelicè vixisse creditur, quia non modò Semæi, & Saul, sed & plurimis indulsisse suis hostibus inuenitur. De quo, & cæteris sanctis Patribus nōnulla hic exēpla perstringerem, nisi vos incomparabiliter notiora, quàm mihi, hæc & his similia, certum tenerem. Planè quis non videat, quàm sit inhonesta confusio, vt quod agendum Ecclesia denegat, impudenter ipsa cōmittat: & cum aliis prædicet patientiam, infœderabilem ipsa contrà innocentes accendatur in iram? Contigit enim hoc facienti, quod Apo- 1. Cor. 9. v. 27. stolus dicit: Ne cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar: vel illud Rom. 2. v. 21. potius, quod ad Romanos ait: Qui ergò alium doces: te ipsum non doces: qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non mœchandum, Ibid. v. 23. mœcharis: qui abominaris idola, sacrilegiū facis, & præcipuè id, quod his præstò subiungit, sacerdoti congruere videtur: qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras. In lege quippè Dei sacerdos non immeritò gloriatur, qui ministerij locum ad prædicanda legis mandata sortitus est: sed per præuaricationem legis Deum inhonorare conuincitur, cum scita legalia transgredi non veretur. Dumque aliud agit, aliud prędicat; quantùm in se est, omnes ab eiusdem legis obseruatione perturbat, sicut Scribis, & Pharisæis Dominus di- Matt. 23. v. 13. cit: Væh vobis, qui abstulistis claues sapientiæ, & scientiæ, sed ipsi non Luc. 11. v. 52. introistis, & insuper alios introire volentes prohibuistis. Et reuera quâ fronte, quâ libertatis audacia sacerdos quilibet in dissidentium cōfœderatione desudet, cum ipse suis læsoribus non remissionis indulgeat veniam, sed efferet implacabiliter ad vindictam? Inter omnes sanè virtutum gemmas, quas Saluator noster de cœlo veniens attulit, duas insignius, atque præclarius rutilare monstrauit, quas & in se prius expressit, & vt nobis imprimerentur, edocuit, charitatem scilicet, & patientiam.

Dauid euangelicè vixit.

Duas virtutū gemmas Christus de cælo nobis attulit.

patientiam. Et de charitate quidem dicit Apostolus: Propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit Deus mundum, Filium suum misit. De patientiâ vero ait: Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt; vt per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus. Per charitatem namque Dei Filius de cœlo descendit, per patientiam verò diabolum superauit: His muniti virtutibus & fundatores Apostoli sanctam Ecclesiam condiderunt, & propugnatores eius sancti Martyres diuersa mortium supplicia triumphaliter pertulerunt. Si ergo pro Fide, quà vniuersalis viuit Ecclesia, nusquam ferrea corripi arma conceditur, quomodò pro terrenis, ac transitorijs Ecclesię facultatibus loricatæ acies in gladios debacchantur? Porrò, sancti viri cum prævalent, hæreticos, idolorumque cultores nequaquam perimunt, sed potius ab eis pro Fide catholicâ perimi non refugiunt. Quomodò ergo pro rerum vilium detrimento fidelis fidelem gladijs impetat, quem secum vtique redemptum Christi sanguine non ignorat?

Ephes. 2. v. 4
Rom. 15. v. 4
Arma ferrea pro fide capere non licere, caute intelligendum. Cõsule Schol.

In Galliarum finibus audiui gestum fuisse, quod refero. Inter Abbatem, & quemdam sæculi prępotentem orta est non leuis de possessione contentio. Cumque à partis vtriusque fautoribus minis diu certaretur, & iurgijs, tandem vt armis ageretur vtrinque condictum est. Et sæcularis quidem paratis militum copijs, campum præliaturus ingreditur, acies struit, cuneos ordinat, atque ad fortiter agendum omnium mentes acerrimus cohortator inflammat. Siluescunt omnia gladijs, rubent clypei, vociferantium clamor attollitur, minaces armatorum fremitus inhorrescunt, tela stringuntur, & solus aduersę partis impetus ad congruendum accensis manibus expectatur. Abbas autem non in armis terrenis spem suam, sed in humanæ salutis auctore constituens, cunctis, qui pro se dimicare conuenerant, suum prohibuit comitatum; solos autem monachos suos equis imposuit, capita cucullis operiri pręcepit, sicque cum illis, velut galeatis, & loricatis Fidei munimento, Crucisque vexillo ad locum certaminis venit. Cumque vir ille non ferrea, vt sperabat, arma conspiceret, sed tamquàm cęlestem atque Angelicam aciem aduentare cominus aduertisset, tantus eum cum suis omnibus diuini timoris horror inuasit, vt desilientes ex equis, protinus arma projicerent, terrę se humiliter sternerent, indulgentiam flagitarent. Sic, sic nimirum titulos victoriæ triumphalis obtinuit, qui non in frequentibus equis, non in micantibus gladijs spem posuit, sed ex diuinæ tantùm potentiæ virtute præsumpsit.

Exemplum Abbatis Galli cuiusdam.

Ad hęc si quis objiciat, bellicis vsibus Leonem se frequenter implicuisse pontificem, verumtamen sanctum esse. Dico, quod sentio, quoniam nec Petrus ob hoc Apostolicum obtinet principatum, quia negauit: nec Dauid iccircò prophetiæ meretur oraculum, quia torum alieni viri inuasit; cum mala, vel bona non pro meritis considerentur habentium, sed ex proprijs debeant qualitatibus iudicari. Numquid

Tacita obiectio amouetur.
Mar. 14. v. 72
2. Reg. 11. v. 4

Ecclesiastici negotij causæ legibus diriмantur.

hoc legitur, vel egisse, vel litteris docuisse Gregorius, qui tot rapinas, ac violentias à Longobardorum est feritate perpessus? Nûm Ambrosius bellum Arrianis se, suamque ecclesiam crudeliter infestantibus intulit? Numquid in arma sanctorum quispiam traditur insurrexisse Pontificum? Causas igitur ecclesiastici cuiuscumque negotij leges dirimant fori, vel sacerdotalis edicta consilij; ne quod gerendum est in tribunalibus iudicum, vel ex sententia debet prodire Pontificum, in nostrum vertatur opprobrium congressione bellorum. Sed ecce, dum auiditate loquendi vobiscum sermonis articulum longius protraho, metam, vt video, compendij epistolaris excedo. Incolumen te, venerabilis Pater, ad regendũ ecclesiæ suæ statum, custodiat omnipotens Deus: & tu quoq. in sanctis orationibus tuis mei memor esse digneris.

EPIST. X. Ad R. Episcopum.

ARGVMENTVM.

Hanc epistolam ad Eugubinum Episcopum scriptam esse credibile est. In qua se excusat, quod ecclesiam suam ab Episcopo Forosemproniensi consecrari passus esset, cùm ad Eugubinum spectare videretur ius consecrandi, quia in illius erat diœcesi constituta. Id se fecisse ait primùm, quoniam eumdem Episcopum habere quasi possessionem consecrandi illius loci ecclesias audisset. Deinde ne quem antea sibi parum æquum expertus esset, infestiorem redderet. Proinde orat, vt ademptum Missarum celebrandarum ius in ea ecclesia restituat, & suorum monasteriorum patrocinium suscipiat.

Domno R. Episcopo domino suo, Petrus quidquid seruus, & filius.

CHarissime Pater, quod Ecclesiam ab Episcopo Semproniensi consecrari passus sum, testis est mihi conscientia, non causa vestrę derogationis feci, sed quia consuetudinem licet nouam ab incolis sui decessoris audiui. Fatebantur enim, quia ex quo massam Sorbituli prædictus Episcopus introiuit, habitâ consuetudine ipse ecclesias consecrauit; & ego quis eram, qui super vnum possessorem, siue iustum, siue iniustum alium superinducerem, & monachus inter duos Episcopos iurgium seminarem? Porrò non dubitabam, quia necesse erat, vt venirent scandala, sed timebam quod sequitur: Væh illi, per quem scandalum venit. Et certè hoc scandalum cuicumque videatur aduersum, in quantum cum Deo, & cum iustitiâ fuerit executum, mihi fuerat non mediocriter necessarium. Ex quo enim vos in hunc episcopatum, Deo auctore, venistis, interrogate si verum est, ego cum

Matt. 18. v. 7

Sempronienſi Epiſcopo charitatem habere non potui : Et qui mihi eatenus fuerat deuotiſſimus, iam non occultus, ſed manifeſtiſſimus factus eſt inimicus. Fœlicem me tali infortunio. Vnde enim aduerſum me veſter animus commouetur, inde mihi, qui inimicum fugere geſtio, fructus vtilitatis acquiritur. Eſt namque Saul, Dauid neſciente, peremptus; eſt etiam peccator monachus nullo proprio ſtudio, ſed ſolo Dei nutu de Sempronienſis Epiſcopi laqueo liberatus. Foroſempronien. Epiſcopus in P. Dam. animo infeſto. 1. Reg. 31. v. 4 1. Par. 10. v. 4.

Noueris proculdubio, dilectiſſime Pater, quia eccleſiam veſtram diligo, & ſalutem veſtram, & honorem ſecundum Deum fideliter concupiſco : veſtrę etiam ſedi obedientiam exhibere nequaquàm refugio, ſed potius alacriter curro. Obſecramus igitur, dilectiſſime, interdictum noſtrę eccleſię officium reddite : & non ſolùm illam poſſeſſiunculam, quę veſtræ proculdubiò diœceſis eſt, ſed & quidquid habemus, veſtrâ auctoritate defendite, veſtrum per omnia deputate; quatenus fratres, qui nobiſcum Deo deſeruiunt, patrem vos, & defenſorem ſe habere congaudeant, & diuinam pro vobis miſericordiam implorare non deſinant. P. Damiani in Eugubinam Eccleſiam beneuolentia.

EPIST. XI. Ad Theodoſium Senogallienſem, & Rodulphum Eugubinum Epiſcopos.

ARGVMENTVM.

Theodoſium Senogallienſem, & Rodulphum Eugubinum antiſtites librorum ſuorum iudices, & quaſi cenſores conſtituit: præcipitque vt ijs diligenter perlectis, quidquid viſum fuerit, aut ante, aut poſt ſuam mortem quacumque ratione corrigant, & emendent.

Reuerentiſſimis Epiſcopis Theodoſio Senogallienſi, & Rodulpho Eugubino, Petrus peccator Monachus ſeruitutem.

NOuerit ſanctitas veſtra, dilectiſſimi mihi Patres, & Domini, quia præſumpſi quędam opuſcula ſcribere, non tàm videlicet, vt † legiuis eccleſiaſticis, quod temerarium fuerat, aliquid adderem, quam ob hoc præcipuè, quia ſine quolibet exercitio inertis otij, & remotioris cellulæ tædia non perferrem : vt qui operibus manuum vtiliter inſudare non poteram, cor vagum, atque laſciuum quodam meditationis loro reſtringerem: ſicque cogitationũ ingruentium ſtrepitum, atq; acidiæ obrepentis inſtantiam facilius propulſarem. Sed quoniam iam illius examinis tribunalibus appropinquo, vbi nõ modò de verbis, & ſcriptis, vltrò etiam de minutiſſimis cogitationibus diſcutionem † legibus. P. Damianus cur libros cõſcripſerit.

Auctoritas concessa à Damiano Theodosio & Rodulpho Episcopis de suis libris expurgandis.

ventilandum esse non ambigo, sanctitatis vestræ prudentiam, quâ valeo, supplicatione deposco, vt aut me aduiuente, si vacat: aut postquàm me obire contigerit, quidquid opusculorum meorum inuenire potestis, attentâ diligentiâ perlegatis, & si quid in his catholicæ regulæ dissonum, si quid sacrarum Scripturarum auctoritati reperitur aduersum, prout visum fuerit, vel prorsus abscindite, vel ad sanum intellectum correctam sententiam reuocate: quatenus quod meæ stoliditatis ignorantiâ deprauatur, ad rectæ fidei lineam vestræ sanctitatis diligentiâ reformetur: & hoc per vos emendet charitas, quæ ædificat, quod per me deliquit scientia, quę fortassis inflabat. Quid enim, mirum, si ego imperitus, & animalis homo dictatiunculis meis sanctos viros adhibeam iudices, quandoquidem Lucas & Marcus in Euangelijs, quæ Spiritu sancto dictante, descripserant, Petrum, & Paulum Apostolos habuere censores? Porrò autem quoniam ex his, qui exercitati sunt in meditationibus scripturarum, purioris circà me fidei, & abundantioris charitatis aliquem esse non arbitror, iccircò vobis potissimum huius fascem laboris iniungo. Sic igitur, dilectissimi, in hoc pietatis opere etiam me defuncto fideles estote, sic vltima veteris amicitiæ iura persoluite; vt & me, si qua reperitur, erroris mei noxa non teneat: & vobis ex impenso charitatis officio præmiorum cælestium merces accrescat.

Lucæ & Marci Euangeliorum Petrus, & Paulus censores fuerunt.

EPIST. XII. *Ad V. Episcopum.*

ARGVMENTVM.

Episcopum ecclesiæ bona alienantem reprehendit: & magnitudine culpæ antè oculos posita, hortatur, ne quid simile in posterum admittat.

Domno V. Reuerentissimo Episcopo, Petrus peccator Monachus salutem.

NOlo te lateat, venerabilis frater, quia de prædijs ecclesiæ tuæ, quæ distrahere diceris, non paruus rumor increuit: nam & cor nostrum non leui mœroris aculeo nuper eadem fama transfixit. Numquid oblitus es, quod antè ferè quinquennium Victor Apostolicæ Sedis Episcopus in plenario Concilio Florentiæ celebrato, cui simul & Imper. Heinricus interfuit, hoc sub excõmunicationis censurâ prohibuit? An ignoras, quia ad hoc ecclesijs prædia conferuntur, vt ex his pauperes sustententur, indigentes alantur? vt ex his viduis, atque pupillis subsidium procuretur? Ecclesiæ quippe nascentis initio hic mos inoleuit, vt quilibet venientes ad Fidem, possessionum suarum iura distraherent: atque ad pedes Apostolorum pretium, quod ex his sumebatur,

Victor II. Pap.

Cur prædia conferantur Eccl.

Origo bonorum Ecclesiasticorum.

offerrent. Vnde & in eorum Actibus legitur: Quotquot, inquit, possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes, afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Precedente verò tempore sanctis ecclesiarum Rectoribus visum est, vt ipsa potius ecclesijs prędia traderentur. Vnde scilicet non modo clericos sacris excubantes officijs ecclesiæ pasceret, sed & refrigerij stipé diuersis indigentibus & inopiâ laborantibus ministraret. Perpende igitur, venerabilis frater, quantorum homicidiorum in die iudicij reus erit, qui modò tot orphanis, diuersisque pauperibus, vnde viuere debeant, subtrahit. Ad tribunal illius, qui pauperes singulariter diligit, qui se in paupere refici, in paupere se perhibet esurire; ad tribunal, inquam, illius quâ conscientiâ venit, qui alimenta se subtraxisse pauperibus recognoscit? Si damnatur ille, qui vel vnum hominem peremit ferro, quâ sententiâ dignus erit, qui bona ecclesiæ profligando, quàm plures interficit famis, & inopiæ gladio? De quibus diuinâ voce malo cuilibet venditori iam dicitur: Ecce vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ. Et ille quidem fratrem peremit inuidia, quia sacrificium eius non est, Deo reprobante susceptum. Isti plerumque tale quid faciunt amore pecuniæ, quod est seruitus idolorum. Sed quia conueni te, ac super his, quâ licebat, austeritate corripui; respondisti, parum quid esse, quod datum est: nec rei modum tenuisse, quod mihi, famâ vulgante, perlatum est. Ad quod ego: aliquando guttatim liquor emanat, qui tamen vas prorsus euacuat: vber etiam promptuarium, vnde modicum quid quotidie tollitur, tandem aliquando vacuum reperitur. Id ipsum tamen quod parum, & perexiguum dicis, iudicantis omnia scientiam non euadit. Audi quid Hieremias dicat: Factum est verbum Domini ad me, dicens: Ecce * Ananchel filius Sella patruelis tui veniet ad te, dicens: Eme tibi agrum meum, qui est in Anathoth. tibi enim competit ex propinquitate, vt emas eum. Et paulo post subdit: Intellexi autem, quod verbum Domini esset, & emi agrum ab Ananchel filio patruelis mei, qui est in Anathoth, & appendi ei argentum septem stateres, & decem argenteos. Ecce, quàm exilis, quàm paruus ager ille fuisse perpenditur, vt decem dumtaxat argenteis, & septem stateribus emeretur, & tamen super eum verbum Domini ad se factum Propheta testatur. Nam & eidem Hieremię tanti fuit agellus, vt de eo dicat: Et scripsi in libro, & signaui, & adhibui testes, & appendi argentum in staterâ, & accepi librum possessionis signatum, stipulationes, & rata, & signa forinsecus: & alia plura, quæ hîc adnotare postponimus, ne fastidium legentibus ingeramus. Dùm ergò tàm parua possessio à Prophetâ tàm solemniter emitur, vt etiam diuinę vocis oraculo prædicatur, quælibet ecclesiastici iuris hæreditas quantò ad vendendum debet esse terrori, ex quâ videlicet Christus in suis debet indigentibus sustentari? Sed quid de venditione loquimur? cum non modò ea, quæ emphyteoseos sunt lo-

Act. 4. v. 34
Matt. 25. v. 40
Gen. 4. v. 10
Ephes. 5. v. 5
Hier. 32. v. 8
*Anamehel.
Ibidem. v. 9.
Ibidem. v. 10
Quanta sit adhibenda cautio in alienandis rebus Ecclesiæ.

quimur? cum non modò ea, quę emphyteoseos sunt locata contractu, vel iure proueniunt, siue etiam quæ libellario nomine pensitantur: sed illa quoque, quæ sub nudo beneficij vocabulo sæculares accipiunt, reuocari de cætero, atque restitui ecclesijs nullo modo possunt? Ità quippè manus diripientium diabolicę tenaciæ glutinis inuiscantur, vt quolibet modo semel acceperint, ecclesijs reddere sua bona nullatenus acquiescant: et non modò ipsi, dum viuunt, proprietario quasi iure possideant, sed & in posteros sui germinis, eminus possidenda transmittant. Petunt tibi sęculares ecclesiastica prædia, importunos se ingerunt, supplicantes insistunt, & non sub astipulationibus monimenti, sed tantùm forte nomine beneficij: quod vtique tantumdem est, ac si adamantino stylo tabulis æreis scriberentur. Veniunt itaque ad te, dicentes cum Ahab Rege Samariæ: *Da mihi vineam tuam, vt faciam mihi hortum olerum, quia vicina est, & propè domum meam.* Tu cum Naboth Iezrahelite præstò responde: *Propitius sit mihi Dominus ne dem hæreditatem patrum meorum tibi.*

3. Reg. 21. v. 2. Ibid. v. 3.

Præstereà non ignoras, quia cum à pœnitentibus terras accipimus, iuxtà mensuram muneris eis de quātitate pœnitentiæ relaxamus. Sicut scriptum est: Diuitiæ hominis redemptio eius. Perpende igitur, & congruâ ratione considera, quia sicut is, qui prædia præbet ecclesijs, pœnitentiæ suæ pondere meritò leuigatur; sic ille, qui subtrahit, subeundæ pœnitentiæ dignâ mole deprimitur. Nam si dator absoluitur, consequens est, vt pręreptor vinculis innodetur: tantique hic debiti teneatur obnoxius, quantò ille non ambigitur absolutus. Quisquis igitur ecclesiastici territorij prodigus est, tot in vnum caput mala concurrunt. In tremendo namque Dei iudicio sancti, quorum honor clericorum egestate minuitur, irascuntur; pauperes, viduæ, pupilli, quilibet hospites famis se gladio clamitant interemptos. Sic multiplicis homicidij reus erit, qui sanguinem forte numquàm fudit. Sunt etiam, qui Plebes sæcularibus tradunt: ij nimirum tantò grauius delinquunt, quantò & sacrilegium committere conuincuntur, quia & sancta prophanant, & his, quibus quasi beneficium prærogatur, venenum lethale propinant. Quid est enim decimas in vsum sęculariū vertere, nisi mortiferum eis virus, quo pereant, exhibere? Hùc accedit, quod & Plebesanis iusta datur occasio, vt matricibus suis ecclesijs obedientiam subtrahant, vt non eis legitima decimarum tributa persoluant. Et hæc reuerâ sunt egregia dona Pontificis, quibus nimirum honor ecclesijs tollitur: accipienti, quod datur in perniciem vertitur; populus à Christiani ritus obedientiâ reuocatur. Ab his itaque sacrilegis donis, dilectissime Frater, manum retrahe, ab his nefarijs, prophanisque contractibus cautâ semper, ac diligentissimâ te prouisione compesce. Prius animas tibi commissas, deinde etiam facultates ecclesiæ tàm peruigili semper attentione guberna: vt stadio tui villicatus emenso, non quod absit, ecclesię dissipator, sed celebris famæ testimonio custos dicaris, &

Prou. 13. v. 8

Alienatores rerum Ecclesiasticarum quot pœnis sint obnoxij.

pastor. Obsecro, frater, ne grauius tibi videatur ista correptio. Nam quia nostro studio te prouectum ad episcopatus apicem non ignoras, dignum est, vt sicut prouehentem, ita nihilominus & redarguentem aliquandò æquanimiter feras. Nam & ipse Dominus Petrum vniuersali prius Ecclesiæ prætulit, deinde graui reprehensionis inuectione pulsauit. Nam cū diceret: Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcūque ligaueris, siue solueris super terram, ligabitur, & soluetur in cælis; paulò post eum tàm austerè corripuit, vt diceret: Vade post me Sathana, scandalum es mihi, quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum. In quo nimirum nobis dedit exemplum, vt quos ad honoris culmen attollimus, sub disciplinæ semper magisterio refrænemus: & ne ipsi, se lenocinante fastigio, in superbiæ tyrannidem erigant, magistri eos sub custodię suę calcibus premant.

Matt.16. v.19

Ibidem, v.23.

EPIST. XIII. Ad V. Episcopum Sarsinatem.

ARGVMENTVM.

Sarcinati Episcopo gratias agit, quod iuuenem quemdam præclaræ indolis, sed censu pauperrimum, quem ipse illi commendauerat, libenter amplexus esset, & omni liberalitatis officio fouere non cessaret. Hortatur, vt pergat de eo, immò de Deo, pietatis operibus benemereri. Obtestatur quoque, vt suam salutem non negligat, nec velut lethargo sopitus iaceat, sed fluxas mortalium spes, breuissimum, & anceps vitæ, proximumque & certissimum mortis tempus ante oculos ponat: cælestesque & sempiternas pro terrenis, & caducis pijs in cælo paratas opes assidua cogitatione meditetur.

Reuerentissimo ecclesiæ Saxenatis Antistiti V. Petrus peccator debitam seruitutem in Christo.

DIgnas tibi, Pater charissime, gratias refero, quia pauperculum hunc, quem ad te miseram, pro amore Christi, & meâ charitate alacriter suscepisti; & vt reuerâ gubernator pauperum, & pupillorum pater, omne sibi humanitatis, & pietatis officium prærogasti. Nunc itaque, dilectissime, reuerentiam tuam suppliciter obsecro, perfice, quæ cœpisti, planta in horto ecclesiæ suę surculum, quem ab omnis humani adiutorij radice præcisum, sub vmbrâ misericordiæ tuæ absconditum, mori vsque modò non permisisti: ne quem tuæ pietatis humor ad tempus seruat, æstus post modum veniens nimiæ paupertatis vrat. Sed cur ego magistrum doceo? sic circà illum satage, dilectissime, non vt mea balbutit ignauia petere: sed sicut acutissima tua prudentia animæ suæ prouidet expedire.

Vitæ instabilitas ante oculos habéda.

De cætero, dilectissime, vide quid agas, considera ad quem finem hæc tua tranquillitas tendat. O quàm miserum est in huius sęculi prosperitate modico tempore viuere, & ad æterni ignis incendium quotidie clausis oculis velut in lecticâ positum properare! Quis scit quam propinqua est mors, quæ nunc improuisa velut in insidijs latitat: quam breuis vita, quæ fraudulenter blandiens prospera cuncta ministrat. Sed quia apud sapientiorem plus forsitan valeo precando, quam prædicando, obsecro te, dilectissime Pater, & Domine, per Iesum excitare, expergiscere, euigila, aperi oculos, respice cælum, & per momentaneæ illusionis somnium non perdas sempiternum veræ beatitudinis præmium. Rogo etiam de charissimo, & dulcissimo fratre Heinrico, vt eum apud te velut charissimum filium teneas, & amorem sibi paternæ charitatis impendas; quatenus numquàm illum præconij, laudisque pœniteat, quæ de te, quocumque ierit, referre non cessat. Bene valeas, & in sacris ordinibus tuis mei peccatoris memoriam, deprecor, vt habeas.

EPIST. XIIII. Ad V. Episcopum.

ARGVMENTVM.

Sacerdotum inscitiam, imperitiamque singularem, in sacris quoque rebus incuriam, neglıgentiam, seu potius contemptum religionis grauiter detestatur: & hæc omnia quàm sint tàm ipsis sacerdotibus, quàm reliquorum hominum ordinibus, quorum salus illis commissa est, perniciosa, diserte ostendit: itemque quàm cauti debeant esse Episcopi in talibus ad ecclesiasticas dignitates promouendis, ne peccata eorumdem ad ipsos redundent. Quod in extrema parte epistolæ Episcopo, ad quem scribit, diligenter commendat.

Domno V. Reuerentissimo Episcopo Petrus peccator, & Monachus.

QVia te, vir reuerentissime, sacerdotij culmen in Ecclesiâ tenere conspicio, inesse quoque tibi sacerdotalem animum fiducialiter credo, dolorem cordis mei, qui me de sacerdotibus cruciat, tibi potissimum communicare decerno. Per Episcopalis enim torporis ignauiam ità nunc presbyteri litterarum reperiuntur expertes, vt non modò eorum, quæ legerint, intelligentiam non attingant, sed syllabatim quoque vix ipsa decurrentis articuli elementa balbutiant. Et quid iàm pro populo in suis precibus supplicat, qui quod loquitur ipse velut alienus ignorat? Scriptum est enim: Qui ignorat ignorabitur. Et cum Apostolus obsequium nostrum rationabile esse pręcipiat, quomodò

Sacerdotum ignorantia accusatur.

1. Cor. 14. v. 38

Rom. 12. v. 1

modo illic rationabile erit obsequium, vbi is, qui offert, oblationis suæ non concipit intellectum? Cumque Deus omnipotens in offerentibus mentium magis vota consideret, quàm strepitum vocis attendat; quid in suis obtinere precibus valeat, qui quod nescit, implorat? Quibus quid aliud euenire putandum est, nisi quod illis sacerdotibus contigerit, quos post captiuitatem Israëlitici populi Rex Assyriorum in vrbibus Samariæ constituerat, & diuini cultus cerimonias ignorabant? Nam cum nescirent Deum iuxtà legalium mandatorum obseruantiam colere, leonum eos rabies perimebat. Scripturę siquidè hæc verba sunt: Nunciatumq; est Regi Assyriorum, gentes, quas transtulisti, & habitare fecisti in ciuitatibus Samariæ, ignorant legitima Dei terrę; & immisit in eos Dominus leones, & ecce interficiunt eos, eo quod ignorent ritum Dei terræ. Petrus autem dicit: Quia diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret. Sacerdotes ergò, qui Dei legitima nesciunt, leonum dentibus exponuntur; quia nimirum illos malignorum spirituum rabies deuorat, qui sacrificiorum cultui temerarijs ausibus insistentes, qualiter Deus ritè colatur, ignorant. Sicque funguntur officio sacerdotum, vt sacerdotalis officij nesciant sacramentum. Et sicut per illorum imperitiam factum est, quod Scriptura testatur: Vnaquæque inquit, gens fabricata est Deum suum, posueruntque eos in phanis excelsis, quæ fecerunt Samaritæ: Gens, & gens in vrbibus suis, in quibus habitabant. Ità nunc per pseudosacerdotum ignorantiam, qui docere Dei populum nesciunt, fieri dolemus: vt scilicet alij quorum Deus venter est, & terrena sapiunt, luxuriam colant: alij auaritiam, quæ est idolorum seruitus, venerentur: alij rapinis, alij perjurijs, alij homicidijs, alij veneficijs sacrilegâ deuotione deseruiant: & sic diuersis criminibus, tamquàm simulacris, & sculptilibus obsequium seruitutis impendant. Vnusquisque cuius opus facit, illius & seruus appellatur, de quibus dicit Apostolus: Quia tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis, qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & seruierunt creaturæ potius, quam Creatori. Qui nimirum per Fidem, quam tenent, Ecclesiæ parietibus includuntur, sed per reprobę vitæ meritum, extrinsecus sunt. Confitentur enim se nosse Deum, factis autem negant. Fidei quippe verba prætendunt, sed impietatis operibus inhianter insistunt. Vnde & illic legitur: Fuerunt igitur gentes istæ timentes quidem Deum, sed nihilominus & idolis suis seruientes. Quos vtique redarguit Veritas ipsa, cum dicit: Nemo potest duobus dominis seruire. Cum ergo per sacerdotum vecordium imperitiam plebs indocta depereat, par fuerat, vt episcopalis grauitas à talium se promotione suspenderet, nec alienos excessus in se temerariâ præcipitatione transferret: præsertim cum Timotheo Apostolus dicat: Manus citò nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis. Quisquis enim vel turpiter lapsum, vel diuinæ

4 Reg. 17. v. 26

1. Pet. 5. v. 8

4. Reg. 17. v. 19

Sacerdotum ignorantia quam sit omnibus perniciosa.

Phil 3. v. 19
Ephes. 5. v. 5.
Rom. 1. v. 24

Tit. 1. v 16

4. Reg. 17. v. 41
Matt 6. v. 24.

Imperiti non sunt ad sacerdotium promouendi.

1. Tim. 5 v. 22.

Episcopus, qui indignum promouet, eius se peccatis inuoluit.

legis ignarum ad sacrum prouehit ordinem, eius se peccatis inuoluit, cui peccandi materiam trahit: & non modò his se, quibus ille iam inuolutus est criminibus obligat: sed his etiam, quæ commissurus est, per anticipationem obnoxium parat.

Aliud vitiũ sacerdotum.

Est aliud, quod mihi de sacerdotibus sæculi ordinis displicet, quia sicut sęcularibus mixtâ regionariæ ciuilitatis habitatione colliminant, ità nihilominus plerique ab eorum conuersatione, & inconditis moribus non discordant: curis sæcularibus indifferenter inseruiunt, ab otiosi se sermonis ineptijs non compescunt: immò per lites, & iurgia frequenter à proximorum suorum charitate resiliunt, & cum liuoris, vel cuiuslibet terrenæ concupiscentiæ flammas in suis pectoribus feruere non nesciunt, venerandis tamen altaribus se impudenter ingerunt, & ab offerendi sacrosancti libaminis ministerio non recedunt. Non attendentes, quod filij Aaron iccircò cælestis ignis incendio cõcremati sunt, quia alienum ignem offerre in Dei sacrificio præsumpserunt: Arreptis, inquit Scriptura, Nadab, & Abiu filij Aaron thuribulis suis, posuerunt ignem, & incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat; moxque subiungit: Et egressus ignis à Domino deuorauit eos, & mortui sunt coram Domino. Nam cum ad offerendum Deo terribilis sacramenti libamen accedimus, cauendum valde est, ne alienum ignem, hoc est, libidinis flammam, vel cuiuscumque vitij fomitem inter salutares hostias deferamus. Sed ille potius ignis in nostrarum mentium thuribulis ardeat, illa cor nostrum diuini amoris flamma succendat, quam Dei spiritus per inuisibilem gratiam nostris visceribus administrat. Admonendi sunt itaque qui sacris altaribus ministrare disponunt, vt non modò cor ab ęstuantium passionum igne custodiant, sed etiam linguam, quæ inter Deum, & nos quodammodò mediatrix est, à superuacui sermonis leuitate cõpescant. Petrus enim, quia ream suam, linguam scilicet, deliquisse cognouit, eius inter se, & Deum tamquàm mediatricis habere patrocinium recusauit: sed dùm amare fleuit, reconciliationis suæ spem in lacrymarum interuentione constituit, & oculis, quibus non peccauerat, veniam impetrauit. Sit ergo vsque ad Missarum peragenda mysteria saliua linguæ nostrę virgo vel casta: vt vel se sub virginali taciturnitatis censurâ coërceat, vel sub pudicę quodammodo locutionis moderamine sobria verba depromat.

Leuit. 10. v. 1

Ibidem. v. 2.

Sacerdos sacris altaribus appropinquãs ab omni peccato mundus esse debet.

Matt. 26. v. 75
Mar. 14. v. 72
Luc. 22. v 62
Ioan. 18. v. 27.

Sacerdotum incuria circa res sacras.

Illud etiam quantę confusionis opprobrium est, quod nonnulli circà sacri altaris vtensilia tantę negligentiæ sunt, & tàm segnis incuriæ, vt stanneos, vel etiam supparis cuiuscumque metalli calices longo situ scabredinis inhorrescere patienter aspiciant, in squalido linteo Dominicum corpus offerant, & inuoluant: & quod non dignaretur potens quilibet, qui tamen vermis est, proprijs adhibere labijs, in hoc isti corpus non verentur imponere Saluatoris. Quid porrò de conscissis, ac putrescentibus sacrorum altarium prandeis, quid de diuersis vasis

ad ecclesiastica ministeria necessarijs, quid denique de sacerdotalibus eloquar indumentis? Quid postremò de codicibus dicam, in quibus nimirum hęc ipsa quoque legere inoffensè non possumus, quæ tenaci adhuc memoriâ reseruamus? Quæ nimirum omnia, oculis subiecta cernentibus, & leuibus excutiunt risum, & sapientes prouocant ad lamentum. Vnde primæ dignitatis sacerdotibus valde cauendum est, & terribiliter formidandum, ne quod ab illis, qui videntur subesse, delinquitur; ab his qui potioris sunt gradus, & quibus hæc corrigenda sunt, requiratur. Nullus planè mortalium, vt existimo, maius aliquid in diuinis peragit sacramentis, quàm ipsi quoque qui sæculi sunt ordinis sacerdotes. Esto si quidem, quod Patriarchæ, vel Metropolitę quilibet, & Episcopi consecrent, diuinum chrisma conficiant, & cætera, quæ suis specialiter competunt priuilegijs, experimenta percurrant. Sed neque Episcopus, neque chrisma, neque aliud quid in ecclesiasticis sacramentis maius quá corpus, & sanguis est Saluatoris. Ea ergo, quę potiora, & sublimiora sunt in Ecclesiâ, presbyteri cum pontificali dignitate participant. Et quamuis suis quique limitibus iubeantur esse contenti, ijdem ipsi qui sunt in quibusdam suppares, in excellentioribus rebus inueniuntur æquales. Nullus igitur grauius conuincitur peccare, quàm presbyter, qui vel per imperitiam, vel reprobam vitam dùm indignè ministrat, quantùm ad se, salutaris victimæ sacramenta contaminat. Regi planè, vel, sublimiori cuique personæ si quis per vitium detractionis obloquitur, vel etiam in diripiendâ, siue demoliendâ rerum sui facultate grassatur, facile redit in gratiam, si dignè satisfaciens emendat offensam. At si manibus excedit, si in eius personam audacter prosilit, si hostiliter irruit, quia non pecuniaria, sed criminalis est causa, nihil ab eo aliud exigitur, quàm vindicta: & non iam inter eos de reparatione sequestræ pacis agitur, sed de solâ dumtaxat augendi fœnoris vltione tractatur. Ita nimirum aliud est in Deum per diuersos modos humanæ fragilitatis excedere, aliud in sacrosancti corporis eius, & sanguinis oblatione peccare. Sicut aliud est promulgata regiæ legis edicta negligere, aliud ipsum specialiter Regem vibrato propriæ manus iaculo sauciare. Multis nempè sceleribus plebs Israëlitica se frequenter immiscuit, sed numquàm se tàm crudeliter impiauit, quàm tunc cum Dominum crucifixit. Et certè qui Dominicum corpus pollutis tractare manibus non veretur, crucifigentium Iesum particeps esse conuincitur. Quibus nimirum expauescenda nimis est Apostolica illa sententia, qua dicitur: *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt: rursus renouari ad pœnitentiâ, rursum crucifigentes sibimetipsis Filiû Dei, & ostentui habentes.* A nullo planè Deus omnipotés maioris iniurię pręiudicium tolerat, immò deterius nemo peccat, quàm sacerdos, qui prohibétibus canonibus indignè sacrificat,

Sacerdotibus maioribus cauendum est, ne ad eos redundent vitia inferiorum.

Nullus grauius peccat quam presbyter malus, vel imperitus.

Qui sacrosanctum Christi corpus pollutis manibus tractat, particeps crucifigétium Christû est.

Hebr. 6. v. 4

Aliter in quocumque modo peccantes quasi Dominum in rebus eius offendimus, indignè verò sacrificantes, velut in personam eius manus
1. Reg. 2. v. 25. inijcere non timemus; cum scriptum sit: Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Deum peccauerit vir, quis orabit pro eo? Eant ergo nunc presbyteri, & pro lucris huius vitæ sacris se altaribus ingerant, pro suo, suæque consanguinitatis affectu ex fidelium oblatione ditescant: non videlicet vt pupillis, ac viduis alimenta prouideant, non vt subsidia peregrinantibus subministrent, sed vt sibi, vel suis turpia lucra conuectent. Eant, inquam, & se suosque dumtaxat demissi sui acquisitione reficiant, vt postmodum medullis suis ignis æterni voraginem pascant. Quantæ scilicet damnationis est eos, qui peccata populi comedere prohibētur, ex acquisitis rebus non codices emere, non ornamenta, vel vtensilia suis ecclesiis prouidere, sed in necessitatis, vel necessitudinis sumptus cuncta prodigere? Præsertim cum hæc iccirco sacerdotibus conferantur, vt ipsi pro populo precibus, ac votis insistere, eiusque debeant peccata portare. Hinc est, quod Eleazar, & Themar filiis Aarō Moyses ait: Cur non comedistis hostiā pro peccato in loco sancto, qui Sancta sanctorū est, & data est vobis, vt portetis iniquitatem multitudinis, & rogetis pro ea in conspectu Domini? Sed cū passus sit Dominus in Cruce pro salute mundi, nunc mactatur in altari pro vnius commodo, & facultate presbyteri. Tunc crucifixus est pro totius populi multitudine, nunc quasi pro vnius homuncionis vtilitate salutaris hostia videtur offerri. Isti planè sanctorū patrum, qui dudū in sacerdotali ordine floruerunt, non legitimi filij, sed potius dicendi sunt manzeres, atque ideò non immeritò inter eorum non connumerantur hæredes. Illi siquidē, iuxtà Hieremiam, nutriebātur in croceis; isti proh dolor! amplexati sunt stercora. Hic plane iure fungitur sacerdotio, qui regulis non obuiat patrum, qui paternum non violat institutum, vnde Moyses ait: Offerat similam calidam in odorem suauissimum Domino sacerdos, qui patri iure successerit. Ille quippè sacerdos patri iure succedit, qui sanctorum patrum ingenuitatem in conspicuis operibus exprimit, qui maiorum suorum prosapiam per spuriæ cōuersationis ignominiam non confundit: alioquin quisquis ille est, qui velut à titulis proauorum, & clara generositate degenerat, qui se non legitimū, sed adulterinum, vel extraneum alienis moribus repræsentat, eiiciendū se de sacerdotio euidenter indicat. Vnde & in libro Esdræ de quibusdam dicitur: Quia quæsierunt scripturam genealogiæ suæ, & non inuenerunt, ideoque eiecti sunt de sacerdotio; quibus & hoc protinus interdictum est, vt non comederent de sanctis sanctorum. Sicut ergò illi, qui ingenuitatem venerabilem patrum sanctæ conuersationis honestate conseruant, in dignitate sacerdotalis officij meritò perseuerant: sic è diuerso qui à præcedentium patrum degenerant meritis, dignum est, vt etiam paternæ priuentur officio dignitatis. Et qui facti sunt à patrum suorum claritate dissimiles, in paterno non maneant officio.

Sacerdotibus dantur facultates Ecclesiæ vt pro populo orent.
Leuit. 10. v. 17
Tren. 4. v. 5.
Quis sit vere Sacerdos.
Leuit. 6. v. 22.
1. Esdr. 2. v. 62

sacerdotes: & nullatenus in eorum iura succedant, à quorum nobili ingenuitate degenerant. Quos omnes velut ab vnâ personâ per Osee Prophetam Dominus reprobat, dicens: Quia scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi: & oblita es legis Dei tui, obliuiscar & ego filiorum tuorum: & secundum multitudinem eorum sic peccauerunt mihi, gloriam eorum in ignominiam commutabo, peccata populi mei comedunt, & ad iniquitatem eorum subleuabunt animas eorum; & erit sicut populus, sic sacerdos; & visitabo super eum vias eius, & cogitationes eius reddam ei. Nolo tot eorum enumerare flagitia, quæ vel in oblatione mysterij, vel inter ipsa quoque regenerationis humanæ perpetrant sacramenta: videlicet in scrutinijs, in symbolis, atque in baptismalis lauacri sacramento. Omitto panem in salutares hostias conuertendum, qui nonnumquàm antè fit mucidus, quàm sanctificetur oblatus: ipsum quoque mysterium non intrà dies octo consumitur, sed plerumque ad omnipotentis Dei iniuriam in mensem tertium reseruatur. Prætereo quod aliquandò aqua vino in Eucharistiâ non miscetur, & sic quodammodò per errorem occulti schismatis à Christo populus separatur. Hæc, & his similia tædet vltrà protendere, ne dùm diutius ista prosequimur, Christianę religionis opprobrium texere videamur. Osea.4. v.6

Vnde satagendum est sanctis Episcopis, vt his malis, quæ in necem Christiani populi grassantur, occurrant: & Apostolorum opera per pseudosacerdotes, qui modò sunt, destrui non permittant, nec tàm arduum Christi patiantur perire laborẽ propter augẽdam in terreno quæstu paucorũ hominum facultatẽ. Interim quod mens scatet, supprimere volo, nec valeo: scintillam zelus excutit, dùm caminum conscientiæ dolor incendit. Quid enim erit de quolibet supremæ damnationis Episcopo, qui lapso cuicumque presbytero tollit lucrum, & sacrificandi reddit officium? Iste iàm non communicat peccatis alienis, sed auctor existit, immò tamquàm Iudas Scariothes, tradit impijs manibus Saluatorem propter vilis pecuniæ quantitatem: Christum venali commercio distrahit, & pro amore pecuniæ tradit auctorem vitæ. Et iste profanus omnium criminum reus, pro quibus ille fuerat sacerdotalibus infulis exuendus.

Episcopi vigilantes esse debent in coërcendis Clericorũ flagitijs.

Vt ergò stylus ad hoc, vnde digressus est, redeat, videtur nobis, si placet, hoc episcopis vtendum esse consilio, vt indignos, ac turpiter lapsos administratione suspendant: super eos autem, qui permanserint, idoneos à latere suo viros, qui eos debeant frequenter inuisere, & custodire constituant. Cui simile Rex etiam Assyriorum fecit, cum sacerdotem ad instruendos cæteros Samariam destinauit: Ducite, inquit, illûc vnum de sacerdotibus, quos inde captiuos adduxistis, vt habitet cum eis, & doceat eos legitima Dei terræ. Qui nimirum sacerdos, sicut Scriptura prosequitur, habitauit in Bethel, & docebat quomodo colerent Dominum. In Bethel ergo, hoc est, in domo Dei, dignum est potiorem 4 Reg.17.v.27

Quid Episcopi de Sacerdotibus indignis constituere debeant.

quempiam præsidere, qui sacerdotalis officij regulis cæteros possit imbuere. Nam valdè timẽdum est, quod per Moysen dicitur: Anima, quæ peccauerit per ignorantiam de hostiâ, & de vniuersis mandatis Domini, quæ præcepit, vt non fierent, quippiam fecerit; si sacerdos, qui est vnctus, peccauerit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatũ Domino. Ex quibus verbis illud formidolosè notãdum est, quod ait: Si sacerdos, qui vnctus est, peccauerit, delinquere faciens populum; quia nimirum sacerdos, qui legem Dei nesciendo delinquit, suis etiam populum in peccatis inuoluit: & quos doctus releuare potuerat, secum simul per imperitiam grauat.

Leuit. 4. v. 2

Sacerdotes quam perniciose peccent.

Tu verò venerande vir, quem & vita præclarum, & doctrina conspicuum: &, quod his præstantius est, spiritalis zeli feruor reddit accẽsum, sic aliis iuniorum memineris delegare custodiam, vt & ipse frequenter huc, illucque discurrere non omittas. Faciens quod hortatur Salomon in Prouerbijs: Discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, ne dormitẽt palpebræ tuæ. Illud quoque non excidat, quod postmodum dicit: erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare non cesses. Vbi scilicet & excusatio tollitur, cum subiungit: Si dixeris, vires non suppetunt, qui inspector est cordis, ipse intelligit. Sic ergo super commissum gregem insignis pastor inuigila, vt & ignauos opiliones ab eorum curâ remoueas, & ipse cum Dauid insurgentium vrsorum, atque leonum rictus infringas: siue etiam cum Abraham postquàm cæsis Amalechitis fratrem tuum Loth de iugo captiuitatis eduxeris, ad Melchisedech regem iustitiæ cum triumphali gloriâ reuertaris.

Prou. 6. v. 3

Prou. 24. v. 11.

Ibidem. v. 12

1. Reg. 17. v. 34

Gen. 14. v. 15.

EPIST. XV. Ad V. Episcopum.

ARGVMENTVM.

Quinque corporis sensus, quibus neglectis in turpissima scelera homines prolabuntur, vt quam arctissimæ disciplinæ custodia coerceantur, prudenter admonet. Episcopumque hortatur, vt non modo ipse hoc præstet, sed etiam alios, qui suæ curæ commissi sunt, idem facere compellat: & præcipuè vt in presbyteros, & sacerdotes in hac re potissimum peccantes, nulla dignitatis, aut ætatis habita ratione, immò vt quisque dignatione maximè anteit, seuerissimè animaduertat.

Domno V. Reuerentissimo Episcopo, & sanctis ecclesiæ suæ canonicis, Petrus peccator Monachus seruitutem.

IN procinctu militaris exercitus iccircò tubæ, litui, buccinæ, & classica comportantur, vt eorum clangoribus castrenses excitentur excu-

biæ, se seque valeant milites à nocturnâ hostilis impetus incursione munire. Nos etiam, qui in cælestis militię sumus sacramenta iurati, & contrà mundi principes, ac spirituales nequitias in bella congressi, mutuis nos debemus excitare clamoribus: vt non degeneri sopore depressos nocturnus insidiator inueniat, sed paratos semper, ac promptos in acie reperiens pertimescat. Nam velut in quinque portarum ciuitate consistimus, dùm in corpore, quod quinque sensibus cingitur, habitamus. His ergò portis seras apponimus, his repagula, vectes, ac pessulos adhibemus, cum sensuum nostrorum aditus à vitijs irruentibus, ac mundi vanitatibus sollicitè custodimus. Tunc enim nostra Pentapolis incolumis, integra perseuerat, cùm suis contenta limitibus, nec ad hostes ipsa insolenter egreditur, nec eis irrumpere molientibus aperitur: vt videlicet mens nostra in montis Sion arce cõsistens, quæ sursum sunt quærat, non ad carnalis illecebræ fluxa descendat. Ad illam Ierusalem, quæ sursum est libera, & est mater nostra, suspiret: illam verò, quæ seruit, cum filiis suis despiciens calcet. Alioquin si in vallem siluestrem, quæ nunc est mare salis, ad Gomorrhitarum progrediatur exemplum, hoc est, si infructuosæ vitę se se ima deijciat, si terrenæ sapientiæ salsuginem quęrat, mox hoste victoriam obtinente prosternitur, quoniam obseratis vrbis proprię mœnibus non munitur. An portas huius nostrę ciuitatis nõ obserat Propheta, cũ dicit: Qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem, & claudit oculos, ne videat malũ, iste in excelsis habitabit? An non & Dominus gustus nostri munit aditum, cum dicit: Cauete, ne grauentur corda vestra crapula, & ebrietate? De odoratu verò dicit Apostolus: Quia Christi bonus odor sumus Deo in his, qui salui fiunt. At contrà odoratus sui malè spiramenta laxauerãt, qui dicebant: Vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos tẽporis: coronemus nos rosis, antequam marcescant. Tactus verò noster idipsum debet desiderare quod gustus. Nam quod Propheta dicit: Gustate, & videte quàm suauis est Dominus. Idem & Ioannes ait: Quod manus nostræ tractauerunt de verbo vitæ. Hoc portò certamen, quod aduersus quinque corporis sensus geritur, per quinque Madianitarum reges mysticè figuratur. Armate, inquit, Moyses, ex vobis viros ad pugnã, qui possint vltionem Domini expetere de Madianitis. Cumque pugnassent contra Madianitas, vt sacra narrat historia, atque vicissent, omnes mares occiderunt, & Reges eorum, Eui, & Recẽ, & Sur, & Bur, & Rebe, quinque principes gentis. Eui planè belluinus, siue ferinus interpretatur. Hunc itaque Regem in nobis spirituali mucrone transfigimus, cum ferinos à nobis mores abscindimus, cum bestialis iracundiæ rabiem à nostro pectore detruncamus. Nam cum Dominus dicat: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram: qnomodò poteris mansuetorum obtinere beatitudinem, nisi belluini spiritus in te cohibeas feritatem? Recem verò, siue, sicut in veteri translatione dicitur, Rocon, interpretatur ina-

Pentapolis, id est, quinque ciuitates, allegorice hic appellat quinque corporis sensus.

Quinque corporis sensus quam sint caute custodiẽdi.

Isaye 33. v. 15
Luc. 21. v. 34
2. *Cor.* 2. v. 15
Sap. 2. v. 7.

Psal. 33. v. 9
1 *Ioan.* 1. v. 1

Num 31. v. 3

Quinque corporis sensus per quinque Madianitas reges designantur.

Iracundia cohibenda.

Matt. 5. v. 4

nitas. Et quid est aliud quidquid in mundo pro mundi concupiscentiâ geritur, nisi, quod Scriptura loquitur: Vanitas vanitantum, & omnia vanitas? Vanitas siquidem efficit vanitâtes, & ipsi vanitantes faciunt vanitatem; dum & mundus qui transitorius est, homines, quos decipit, vanos efficiat: & hominês mundum, quem insanè diligunt, in vanitatẽ vertant. Hunc ergo Regem Dei miles perimit, verus Israëlita concidit, si nil superfluè, nihil inaniter, vel quod ad rem non pertinet, gerat: sed grauiter, & rationabiliter diuinę legis implere mandata cõtendat. Tertius autem Madianitarum Rex Sur dicitur, quod profectò murus, siue robustus, vel etiam angustia interpretatur. Quid vero per murum, siue robustum nisi duræ mentis obstinatio, vel peruicacia debet intelligi? quod vero & angustia interpretari dicitur, neque hoc longius à vitio duritię separatur; quoniam quisquis ad dimittenda proximo debita durus, & obstinatus est, angustiâ constringitur mentis, dùm nulla dilatatur amplitudine charitatis. De quâ nimirùm charitate per Prophetam dicitur: Latum mandatum tuum nimis. Siue etiam hoc valet intelligi, quia duritiam mentis sequitùr angustia damnationis. Vnde per Salomonem dicitur: Beatus vir, qui semper est pauidus, qui autem mentis est duræ, corruet in malum. Quartus prætereà Madianitarum Rex Bur dicitur, quod irritatio interpretatur. Vides ergo, quia nomina Regum vmbrę sunt, & imagines vitiorum. Qui enim onera grauia per portas suas inferunt, profectò forinsecus obstrepentia per sensuum suorum aditus in pectorum suorum arcana transfundunt, Deum indubitanter irritant, quem videlicet his ad inferendam vltionis sententiam prouocant. Vnde scriptum est: Simulatores, & callidi prouocant iram Dei. Et de quibus sæpe ad Ezechielem dicitur: Quia domus exasperans est. Et Psalmista: Vt quid Deus, improperauit inimicus, irritat aduersarius nomen tuum in finem? Rebe vero, qui ordinatus dicitur, non aliter hic procedit, nisi vt per ironiam, vel antiphrasim dictum intelligatur; quatenus qui ordinatus dicitur, è contrario inordinatus sit, & confusus. Vitiosus enim quisque, & si superficietenus quasi rectè viuendi prætendat ordinem, confusæ tamen, & inordinatę cogitationis versat in corde caliginem. Per quinque ergo Reges Madianitarum quinque signantur corporis sensus: quia omne vitium, quod regnat in corpore, ab istis quinque sensibus pendet. Ij ergo tunc à nobis extinguendi sunt, & gladijs obtruncandi, cum aduersum nos in bello consurgunt, cũ nos scandalizare non desinunt. An non istos Reges extingui, & spiritus mucrone occidi præcipit Dominus, cũ scandalizantẽ oculum erui, cum manum, vel pedem iubet abscindi? Melius est, inquit, cum vno oculo, vel debilem ad vitam ingredi, quàm duos oculos, pedes, ac manus habentẽ, in inferna demergi. Ij planè sunt Reges Madianitarum. Madian autem interpretatur de iudicio. Quicumque enim Reges spiritu non reguntur, sed sensibus carnis obediunt, non ad misericordiam, sed ad iudicium se pertinere testantur. Sicut de quolibet

incredulo

Eccl. 1. v. 2
Nihil inaniter, sed omnia cum ratione sunt gerenda.
Obstinatio quam sit perniciosa.
Psal. 118. v. 96
Prou. 28 v. 14.
Qui nam sint, qui Deum irritant.
Iob. 36. v. 13
Ezech. 2 v. 5
Psal. 73. v. 10.
Confusio est propria vitiosorum hominum.
Matt. 5. v. 29.
Reges qui sensualiter viuunt, ad damnationem tendunt.

incredulo dicitur: Qui autem non credit, iam iudicatus est. At cōtrà de eo, qui verbum Saluatoris audit, dicitur: Quia in iudicium non venit, sed transit de morte in vitam. Illud potius vnicuique studendum est, vt se in operibus sanctis exerceat, vt se se in omnibus purificare, ac sanctificare contendat. Hoc tantummodò semetipsum insuggillare, & diiudicare non desinat. Nam qui semetipsum perfectè diiudicat, iudicium non expectat. Perfectè autem semetipsum diiudicare est, & reprehendenda non agere, & quæ irreprehensibiliter acta sunt, timidè retractare. Porrò autem quisquis hoc agit, ille verè Madianitarum Reges perimit: ille Amalechitarum principes sternit, & omnes à se vitiorum pestes excludit. Hinc est quod eadem sacra testatur historia: Quoniam egressi filij Israël venerunt ad fontem iudicij, hic est Cades, & interfecerunt omnes principes Amalech, & Amorrhæos, qui habitabant in † Tharansem. Cades autem sanctificatio interpretatur. In Cades ergò, qui fons est iudicij, Amalechitas, simul & Amorrhæos spiritualiter interficimus, cū & vitā nostram piis operibus sanctificare satagimus: & tamen ipsi nos tamquàm nocentes, ac reprehensibiles iudicamus. Cum elaboramus semper irreprehensibiliter viuere, per sollicitudinē tamen districti examinis opera nostra non desistimus accusare. Et notandum quoniā & fons iudicij, & Cades, qui sanctificatio dicitur, vnus, idemque locus est: quia nimirum iustus quisque semetipsum, dùm sanctè viuit, accusat, & se diiudicando, vel accusando magis, magisque sanctificat. Hoc itaque modo vita sanctorum & in propriis cogitationibus reprehenditur, & tamē in operibus irreprehensibilibus inuenitur. Vnde & præcipua vrbs illa Regni Seon vocatur Esebon, quæ nimirum cogitationes interpretatur. Per quod datur intelligi, quia maxima pars diabolicæ potestatis in cogitationibus regnat. Per Seon quippè nequitiæ spiritus figuratur: sed Esebon ex ditione Seon, in Israelitarum iura transfertur, cū cogitatio nostra, quæ superbiæ peste tumuerat, ad reprehensionis suæ iudicium per gratiam se veræ humilitatis inclinat, vt quæ se dudùm arroganter extulerat, iam sua facta diiudicans, ac diligenter examinans, humiliter reprehendit. In Cades ergò, qui est fons iudicij, Amalechitas, & Amorrhæos gladio vorànte deiicimus; quia tunc vitiorum omnium barbariem sternimus, tunc potestates aëreas inuictissimè debellamus, si & innocēter viuimus, & tamen reos nos, ac peccatis obnoxios iudicamus, dicentes cum Apostolo: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Et tunc Esebon, quam cogitationes interpretari diximus, in Israëlitarum cogitur transire dominium; cum mens nostra de superbia, vel omni terrena concupiscentia transfertur in amorem regni cælorum. Cogitationum quippè certamen numquàm Christi potest deesse militibus, quoniam operis nostri nos rectitudo non liberat, si prauis suis cogitationibus mens armata virtutibus non resultat. Sufficiebat quidem

Ioan 3. v. 18.

Ioan. 5. v. 24.

Qui seipsum perfectè iudicat iudicium non expectat.

Gen. 14. v. 7.

† Asason-thamar.

Perfectorum est vt cū viuāt iustè, se nocēter viuere existiment.

Tunc vitià omnia superamus cum nos innocenter viuentes tamquam peccatores accusamus.

1. Ioan. 1. v 8.

Militibus Christi cogitationum certamen deesse numquam potest.

legis antiquæ cultoribus, vt recta dumtaxat extrinsecus agerent; nobis autem Euangelio terribiliter intonante præcipitur, vt dùm operibus prauis exuimur, etiam cogitationibus peruigiles obluctemur. Audistis, inquit, quia dictum est antiquis: non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia quicumque viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eã in corde suo. Hinc est, quod Ioannes Baptista, per quẽ lex vetus exprimitur, zonam pelliceam in lumbis habuisse perhibetur. Saluator noster, qui auctor est Euangelij, inter septem candelabra aurea visus est à Ioanne vestitus podere, & præcinctus ad mamillã zona aurea. Quid est ergò zona pellicea circa lumbos, nisi quod antiquis dictum est, non mœchaberis? Et quid est zona aurea ad mamillam, nisi quod Christianæ fidei cultoribus dicitur: Qui viderit mulierẽ ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo? Hinc etiam per Prophetam diuina voce præcipitur: Laua Hierusalem à malitia cor tuum, vsquequò morabuntur in te cogitationes noxiæ? Et alibi: Attendi, inquit, & auscultaui; nemo, quod bonum est, hiatur. Et Salomon ait: Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu. Arripiamus ergò gladium spiritus, & contrà cogitationum nos infestantium cuneos infœderabiliter dimicemus. Legimus, quia Phinees sacerdos cũ vidisset Israëlitẽ cũ Madianitide coëuntem, pugionem repentè corripuit, & sacrilegam fornicantium bigam copulam inter pudenda transfodit. Hoc factum priorem ædificauerit populum. Tu autem, qui alterius belli magisterio instructus es, & spiritualis dux gregis, non corporalis allatus, si quem conspexeris de populo tuo post sensum in Madianitarum amorem euntem, & illecebrosis se cogitationibus volutantem, nolo parcas, nolo dissimules, sed illicò percute, sine dilatione transfige. Ipsam quoque vuluam, id est, secreta naturæ discutiens, atq; intimè penetrans, illũ ipsum peccãdi fomitem perfode, ne valeat vltrà concipere, vel virulentam sobolem, quæ Israëlitica castra contaminet, generare. Gladius, inquam, spiritus ipsum peccandi conceptaculum feriat, qui petulantia lasciuientis oblectamenta carnis extinguat. Quod cum omnibus pro suo cuique modulo necesse sit agere, illis tamen hoc propensius imminet, qui locum regiminis tenent, qui commissis fratribus præsident. Quos nimirum, necesse est, vt contrà vitia subditorum sacerdotalis zeli feruor accendat, & cum Phinees æterni sacerdotij iura possideant, quod si desidiæ circà delinquentes torpore languescunt, nudati sacerdotio, cum Heli fractis in terram ceruicibus eliduntur. Hinc est, quod cum Israëliticus ille populus initiatus esset Beelphegor in deserto, & in scorta Moab turpiter corruisset; iratus furore Dominus aduersus Israël, dixit ad Moysen: Tolle cunctos principes populi, & suspende eos in patibulis contrà solem, vt auertatur furor meus ab Israël. Quid est quod populus in luxuriæ voraginem labitur, & in eorum præpositos vindicatur? Subditi delinquunt, & principes in patibulis suspenduntur? Scilicet alius est,

Matt. 5. v. 27.
Io. Bapt. legis antiquæ typus
Matt. 3. v. 4.
Apoc. 1. v. 13.
Math. 5. v. 28.
Hier. 4. v. 14.
Hier. 8. v. 64.
Sap. 1. v. 5.
Num. 25. v. 8.
Clericorũ flagitijs Episc. agnoscere nõ debet, sed seuerè ea punire.
1 Reg. 4. v. 18.
Num. 25. v. 4.

qui peccat, alius ille, qui vapulat. Cur hoc, nisi quia culpa subditorum in præpositorum redundat opprobrium: & quod ab ouibus erratur, negligentiæ pastoris adscribitur? Et vide, quam formidolosa sit conditio præsidentium, vt non modò pro suis, sed & pro subditorum puniantur offensis. Arguit eos Moyses, quia lex Dei negligentiæ illos, ac torporis accusat. Qui suspendit eos ad solem, quoniam ad examinandum producuntur, & arguuntur à luce. Omnis enim, vt Dominus ait, qui mala agit, odit lucem: & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius: qui autem facit veritatem, venit ad lucem. Ad lucem quippè venit, qui occulta sua per puræ confessionis aditum pandit. Curandum est ergò Rectoribus Ecclesiarum, vt filios generent in Israël: & non qualemcumque, sed virilis sexus sobolem nutriant, quæ videlicet ad præliandũ bella Domini fortiter conualescat. Quisquis enim per iniunctæ prædicationis officium ad pugnandum alios incitat, sed ipse non pugnat, illi similis est, qui buccinæ clangoribus obstrepit, sed congredi cominus non præsumit. Hic itaque non virilem generat sexum, dùm sit pater ignauus. Quem profectò Salphaat ille signauit, qui non filium, sed quinque filias moriens dereliquit. Salphaat siquidem interpretatur vmbra in ore eius. Quisquis enim fortia prædicat, & eneruiter viuit, ne turpis appareat, quasi sub foliis se honesti sermonis occultat: sub vmbra se proprij oris abscondit, dùm in campum certaminis per sui torporis ignauiam non procedit. Hic itaque quantum ad se non virilem, sed muliebrem sobolem, & hanc sub quinario numero generat, dùm sequaces suos non ad robur spiritualis audaciæ, sed ad otium educat ignobilis vitæ. Quos vtique dùm non curat industria pugnæ spiritualis imbuere, cogit exterioribus negotiis quasi quinque corporeis sensibus deseruire.

Culpa subditorum in præpositos redũdat.

Ioan. 3. v. 20.

Prædicatores quæ ea, quæ docent non faciunt cui similes sint.

Num. 27. v. 3.

Has itaque corporalium sensuum portas, dilectissimi, & vitiorum irruentium phalanges obstruite, & virtutum spiritualium agminibus aperite. Mens quippè militis Christi, quasi retiaculum debet expandi, quæ scilicet & inanium cogitationum fluenta transponat, & sancti Spiritus incitamenta concipiens, quasi pisces includat. Robustos vos, atque peruigiles nocturnus insidiator inueniat, vt castrorum, pro quibus statis, hoc est cordiũ vestrorum aditus, non irrũpat. Erectum aduersùm se semper aspiciat Crucis triumphale vexillum, vt non à vobis, quod absit, victor manubias referat, sed pręstò diffugiens euanescat. Insistite semper, & quæ recta sunt, agite: & tamen eadem sub districta cordis examinatione pensate; vt qui vestris tribunalibus ipsi nunc trementes assistitis, illud vltimæ necessitatis examen videatis intrepidi, non denuò iudicandi, sed gloriam percepturi.

Mens Christi militis retiaculum debet esse.

EPIST. XVI. Ad V. Episcopum.

ARGVMENTVM.

Octauam sancti Ioannis Baptistæ natiuitatis eadem veneratione, qua ipsam natiuitatem celebrandam esse contendit. Deinde de octo veteris testamenti festiuitatibus disputat, easque ad Euangelicæ fidei normam allegorica interpretatione transfert, & accommodat.

Domno V. Venerandæ sanctitatis Episcopo, ac religiosis Ecclesiæ suæ canonicis, Petrus peccator Monachus seruitutem.

Nil prodest incipere, nisi perficiatur.

Io Bapt. octauis maior reuerentia debetur, quam alicuius alterius sancti.

Luc. 1. v. 14.

Oct. Io. Bapt. natiuitatis, sicut ipsa natiuitas honoranda est.

DIuini cultus obsequium tunc est proculdubiò laude dignum, cum fuerit laudabiliter consummatum. Cæterum quid prodest, si rectè quis quodlibet opus incipiat, nisi recto illud fine concludat? Nouimus itaque, dilectissimi, quia festiuitatem beati Ioannis Baptistæ, prout dignum est, quidem venerabiliter colitis, sed octauis eius trium lectionum breuitate contenti, non eam, qua dignæ sunt, reuerentiam exhibetis. Nam si lectionis Euangelicæ tenor diligenter attenditur, nullius sancti festiuitas in Ecclesia colitur, cuius octauis tanta reuerentia debeatur. Ait enim Angelus Zachariæ: Erit tibi gaudium, & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebũt. Quod proculdubiò nõ ipso natiuitatis die, sed octauo potius nõ ambigitur fuisse cõpletũ. Octauo quippè die, quo circũcisus est, non est sine multorũ gaudio Zachariæ Angelitus nunciatũ; & Elizabeth diuinitùs inspiratum, puero nomen imponitur. Os patris, quod diu clausum fuerat, aperitur. Et qui eatenus communia saltem proferre verba non poterat, mystica iàm prophetalis oraculi sacramenta fundebat. Totum ergò gaudium, quod Angelica fuerat denunciatione promissum, octauo natiuitatis die probatur exhibitum. Natiuitas itaque beati Ioannis non tàm gratia propriæ dignitatis attollitur, quàm octaui sui priuilegio decoratur. Quapropter æquitatis ratio dictat, vt sicut ipsa natiuitas, & eius octaua nihilominus honoretur, ex qua videlicet ipsa natiuitas illustratur, & ab ea percipit, vnde celebris, & insignis habetur. Ab octaua siqnidem sua venerabilis hæc natiuitas accipit, vnde Sanctorum omnium natiuitatibus antecellit. Atque ideò non supparem ab ea meretur honorem, cui præbet ex se honoris, ac celebris reuerentiæ dignitatem. Nec mirum si clarior, & insignis quæque festiuitas octono dierum circulo, nunc in Ecclesia pro-

teletur, cum octo præcipuas solemnitates per vnumquemque anni circulum in lege veteri Dominus instituisse legatur. Quæ profectò festiuitates & nobis sunt, & illis pro temporum diuersitate communes. Illorum quippè sunt, per carnalis obseruantiæ ritum, nostræ quoque nihilominus sunt super spiritualis intelligentiæ sacramentum.

Cur octaua insigniorum festiuitatum celebretur.

Prima siquidem eorum festiuitas est iuge sacrificium, quod vtique per continuos dies matutinis, ac vespertinis horis iubetur offerri. Ille nimirum iugis sacrificij solemnitatem Domino celebrat, qui in cælestis eloquij meditationibus assiduè perseuerat. Et quia mane lucis nostræ lex est & Prophetæ, vesperum autem lucis huius, quantùm ad ordinem temporum, Euangelium est; sicut dicit Apostolus: Nos, in quos fines sæculorum deuenerunt. Et ipse Dauid: Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Matutinum semper, & vespertinum offert Domino sacrificium, qui semetipsum à sæcularibus negotijs mactans, versatur assiduè in nouarum, ac veterum meditationibus scripturarum: siue matutinum, ac vespertinum Domino sacrificium iugiter immolamus, cum & dignas ei gratiarum actiones de nostrâ redemptione referimus, eiusque terribile iudicium formidantes, iam quasi tribunalibus Præsidenti trementes astamus.

1 Festiuitas iuge sacrificium. Leg. lib Leuit. 23. & Num. 28. & 29.

Meditatio scripturarum per iuge sacrificiû designatur.

1. *Cor.* 10. *v.* 11.

Psal. 140. *v.* 2.

Post iuge verò sacrificium sabbatum ponitur, videlicet vt ab omni operis seruilis executione vacetur. Christiano verò spirituale sabbatum agere, est a laboriosâ rerum temporalium cupiditate quiescere, solis orationum, ac lectionum studijs insudare, sæcularium negotiorum pondus de mentis ceruice projicere, ad contemplanda cælestia totâ cordis intentione vacare; carnis oblectamenta contemnere, de solâ spe cælestium spiritali iucunditate gaudere. De hoc enim dicit Apostolus: Relinquetur ergò sabbatismus populo Dei. Ille porrò sabbatum Domino veraciter celebrat, qui sic ab his, quæ mundi sunt operibus vacat, vt à spiritualibus tamen actibus non quiescat. Vnde Veritas ait: Aut non legistis, quia sacerdotes in templo sabbatum violant, & sine crimine sunt? Qui ergò ab actionum sęcularium laboribus cessat, & diuinæ seruitutis operibus vacat, ille Christianæ religionis sabbatum celebrat. Iste non seruile opus facit, quia se a peccati perpetratione custodit. Qui enim facit peccatum, seruus est peccati. Iste non in domo suâ ignem accendit, quia omnes vitiorum fomites, & iræ, & simultatis igniculos ex domicilio suæ mentis extinguit, ab illo cauens igne, de quo scriptum est: Ite in lumine ignis vestri, & in flammâ, quam accendistis. Hic denique pondus in viâ non portat, quoniam incuruantium se iniquitatum ruderibus cor per pœnitentiam leuigat. De quibus per Prophetam dicitur: Quoniam iniquitates meæ superposuerunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. Et paulò post: Incuruatus sum, & humiliatus sum vsquequaque. Iste pręterea in loco suo residens, longius non procedit, quia Christum sibi fundamentum ponit, in quo scilicet firmissimum suæ quietis habitaculum construit. Ipse quippe locus

Christiani viri Sabbatum est ab omni rerũ humanarum cupiditate feriari, & in sola rerum spiritualium meditatione cõquiescere.

Hebr 4 *v.* 9.

Matth. 12. *v.* 5.

Ioan. 8. *v.* 34.

Isai. 50. *v.* 11.

Psal. 37. *v* 5.

Ibidem. v. 7.

Psal.101.v.19 est, de quo scriptum est: Filij seruorum tuorum habitabunt ibi. Ipse fun-
1.Cor.3.v.11. damentum de quo dicitur: Quia fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, Christum Iesum.

III. Fest. Neomenia. Malachia vlt. v 2. Hebr.1.v.3.

Tertia vero festiuitas est Neomeniæ, id est, nouæ lunæ. Tunc autem innouari luna dicitur, cum soli coniungitur, & ab eo ad concipiendum splendorem velut amissi luminis reparatur. Sol iustitiæ Christus. Luna autem primò sancta vniuersalis Ecclesia, deinde quęque fidelis est anima eius, qui splendor est gloriæ, & figura substantiæ, de radijs illustrata. Cum ergò sancta quælibet anima Redemptori suo veraciter in amore cõiungitur, cum ei denique velut in sponsali thalamo per oblectationis intimæ glutinum copulatur, tunc proculdubiò solemnitatem Neomeniæ celebrat, dùm reformatam se à superno lumine fratrum suorum aspectibus repræsentat, sicut dicit Apostolus: Qui adhæret Domino, vnus
1.Cor 6.v.17. spiritus est. Nam si in his omnibus solum exterior ille solemnitatum ritus accipitur, non iam ex his vtilitatis aliquid nobis videtur posse conferri; sed superstitiosa potius exigi, ac friuola iudicari. Hinc est, quod A-
Coloss.2.v.16. postolus ait: Nemo dijudicet vos in cibo, aut potu, aut in parte diei festi, aut neomeniâ, aut in sabbato, quæ sunt vmbra futurorum. Quod ergo tunc erat vmbra futurorum Iudæo, nunc est exibitio præsentium Christiano: & quod illis datum est sub exterioribus cerimonijs, nobis factum est instrumentum intelligentiæ spiritualis. Tunc enim neomeniam, hoc est, nouæ lunæ colimus ortum, cum veterem deponimus hominem, & sanctę conuersationis induimus nouitatem.

IV. Pascha. Ioan. 1. v. 29. 1.Cor.5. v. 7.

Quarto loco Paschalis apud illos festiuitas ponitur, in quâ nunc apud nos Agnus ille, qui tollit peccata mundi, pro totius sęculi salute mactatur. Nam pascha nostrum immolatus est Christus. Huic continuatur festiuitas, quæ dicitur Azymorum, in quâ pręcipitur, vt è cunctis domibus abijciatur omne fermentum. Quam vtique festiuitatem, quæ videlicet vna cum Paschâ dicenda est, nos veraciter celebramus, si fermentũ malitiæ, & nequitiæ de tabernaculo nostri cordis abijcimus, & sinceritatis ac veritatis azyma custodimus. Cauendum est ergò, ne sit in mentibus nostris adumbratio fuci, corruptela fermenti, cauerna mendacij, sed potius in domo nostri pectoris vigeat & puritatis integritas, & soliditas veritatis.

V. Nouorum.

Post hanc illa festiuitas sequitur, quæ dicitur Nouorum, cum primitiæ scilicet de nouis frugibus offeruntur. Cum enim ad maturitatem segetum peruenitur, tunc in perfectione bonorum fructuum auctori bonorum Deo festiuitas agitur. Nos quoque Nouorum solemnia gerimus si prius agrum nostri cordis disciplinæ vomere proscindentes, virtutum germina spargimus, vt boni postmodùm operis frumenta metamus. Vn-
Hier.4. v.3. de per Prophetam dicitur: Nouate vobis nouale, & nolite serere super
Eccli.20.v.30. spinas. De bono scilicet agricolâ Salomon ait: Qui operatur terram suam, inaltabit aceruum frugum: & qui operatur iustitiam, ipse exaltabitur. De negligenti quoque operario idem dicit: Per agrum nomi,

nis pigri transiui, & per vineam viri stulti; & ecce totum repleuerunt vrticæ: operuerunt superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destructa erat. Et iterum, Præpara, inquit, foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum, vt posteà ædifices domum tuam. Sed quisquis interiorem hominem suum de die in diem secundum Apostoli sententiam renouat, quisquis cor suum diuini terroris ligonibus sulcat, iste non super spinas, sed super noualia seminat, vt centesimi prouentus segetem metat. Vnde dicit Apostolus: Quia qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Qui verò fructus & in hac vitâ de spiritu colligantur, idem alibi diligenter enumerat, dicens: Fructus autem spiritus est, charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Quisquis igitur hos fructus intrà suæ mentis horreum colligit, hic proculdubiò solemnitatem Nouorum salubriter colit.

Prou. 14. v. 30. Ibid. v. 27. 2. Corinth. 4. v. 16. Galat. 6. v. 8. Galat. 5. v. 22.

Deinde sequitur festiuitas mensis septimi, quæ dicitur Clangoris, siue Tubarum. Sic enim inter dies septimus quisque dicitur sabbatum; itá nihilominus & inter menses, qui septimus est, dicitur sabbatum mensium, vt etiam sabbatum sabbatorum. Quis est autem clangor ille tubarum, cui debeamus annua festa persoluere, nisi Euangelica, simul & Apostolica doctrina, quæ tamquam cæleste tonitruũ, ac terribilis buccina nos ad procinctum spiritualis militię prouocat: atque vt pro castris Imperatoris æterni contrà nequitiæ spiritus infœderabiliter dimicemus, instigat? Quis est ergò, qui tubarum, siue clangoris festum legitimè celebret, nisi qui scripturas veteris, ac noui testamenti studet in armario suæ mentis includere, ac præcepta cælestia tenaci semper memoriæ commendare? Hæc itáque festa celebrantibus ritè per Prophetam dicitur: Canite initio mensis tuba in die insigni solemnitatis vestræ.

VI. Tubarũ. Psal. 80. v. 4.

Post hâc est & illa festiuitas, quę celebratur decimâ die mensis septimi, in quâ videlicet animas suas Iudæi præcipiuntur affligere. Nos etiã hanc ritè solemnitatem colimus, cum carnem nostram maceratione castigamus inediæ, cum nos metipsos reprimimus sub arctæ custodiâ disciplinæ; cum denique petulantes carnaliũ passionũ illecebras crucifigimus, cum corpus nostrum pro Domino laboribus, & ęrumnis atterimus, cum interiorem hominem per compunctionis, ac fletuum lamenta mactamus. Hanc igitur nobis hoc modo festiuitatem celebrantibus repropitiatur ille, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine suo.

VII. Mensis septimi.

Octaua verò, quæ & vltima solemnitas est, dicitur Scenophegia, hoc est, tabernaculorum, quę videlicet quintodecimò die eiusdem septimi mensis incipit celebrari. Lætatur enim Deus in te, cum te quasi peregrinum cernit, & exulem: & non in patriæ domibus, sed in exilij tabernaculis conspicit habitantem. Non enim hîc habemus manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Cum enim hic cernimus per molem

VIII. Scenophegia. Hebr. 13. v. 14.

corporis, habitamus autem in cælo per studiũ intentionis; cum tãquam viatores quidam, & aduenæ per despectum mentis præsentia cuncta transcurrimus, ad supernam verò patriam anxijs desideriorum gradibus festinamus, tunc à nobis spiritualiter Scenophegia colitur, quæ dudum apud illos per legitimi ritus cerimonias carnaliter agebatur. Hęc porrò festiuitas quintodecimo die septimi mensis incipit: & quia per octo dies colitur, decimo Kalendarum Octobris proculdubiò terminatur. Dicitur enim in libro Numeri: Quinta decima die mensis septimi, quæ vobis erit sancta, ac venerabilis, omne opus seruile non facietis in ea, sed celebrabitis solemnitatem Domino septem diebus; & aliquantò post subijcit: Die octauo, qui est celeberrimus, omne opus seruile non facietis in eo. Quo videlicet die sancto, ac celeberrimo B. Ioannes Bapt. conceptus asseritur, cuius intuitu sumus impulsi, vt hanc Epistolam scriberemus: vt in eo ponamus finem, vnde scriptio traxit originem. Vbi non facilis oboritur quæstio, quomodo beatus Ioannes festiuitate nec dum elapsâ, sed adhuc durante, conceptus sit; cum Lucas Euangelista dicat: Et factum est, vt impleti sunt dies officij eius, abijt, haud dubium quin Zacharias, in domum suam: post hos autem dies concepit Elizabeth vxor eius. Quomodò autem impleti sunt dies officij, cum ipsa festiuitas nec dum esset impleta? Quintò decimo quippè die præfati mensis incipiebat hæc festiuitas, quæ dicitur Scenophegia, & octo diebus integris colebatur, vt octauus Kalendarum Octobris, quo beatus Ioannes conceptus est, inter cæteros eiusdem festiuitatis dies festiuior, atque, vt illîc dicitur, celeberrimus haberetur. Quod si fortè dicitur, quod traditio fallatur Ecclesiæ, quatenus in ipso die conceptus sit, sed postmodum, tota videlicet, sollemnitate decursa, hoc. . . . .

Num. 29. v. 12. *Ibid. v. 35.* *Luc. 1. v. 23.* Hoc loco MS. mutilus hab:

Illud prætereà consideratione dignum est, quod si vtique dierum numerus, vel quo Dominus in vtero virginali, vel quo beatus Ioannes in aluo mansit anili, diligenter inspicitur, duobus diebus excedere Domini numerus inuenitur. A conceptione quippè Domini vsque ad natiuitatem eius ducenti septuaginta sex dies; à conceptu verò Ioannis vsque ad natiuitatem eius ducenti septuaginta quatuor dies tantummodò reperiuntur. Nam cum Dominus octauo Kalendarum Aprilis conceptus, octauo Kalendarum Ianuarij natus sit; Ioannes autem octauo Kalẽdarum Octobris genitus, octauo Kalendarum Iulij de maternis visceribus sit egressus, duobus tamen diebus excedit numerus Saluatoris numerum Ioannis. Et hoc propter Februarium mensem, qui viginti tantummodò, & octo dierum supputatione contentus est; cum omnes alij menses vel triginta, vel triginta & vnum dies includant. Quia igitur hoc mense beatus Ioannes in maternis visceribus latuit, quo videlicet iam emenso, Dominus conceptus, & antequam per annuæ reuolutionis orbitam impleretur, est editus; duo dies, quibus mensis iste minuitur, conceptui beati Ioannis deesse reperiuntur. Huius ergò mensis

Christus duob. diebus amplius mãsit in aluo quàm Io. Bapt.

breuitas

breuitas habet, cur numerum Ioannis excedat numerus Saluatoris. Hac itáque ratione redditâ, credibile est, quod nec dum Scenophegiæ sollemnitate decursâ, beatus Ioannes Baptista conceptus est. Quod autem inter materna viscera Dominus diutius mansit, Ioannes celerius prodijt, non casus est accidentium, sed dispensatio personarum. Ille nimirum tamquàm metator hospitij domo maturius exijt, vt subsequenti mox Imperatori viam sterneret, aduentum eius regnis, prouincijs, & vrbibus nunciaret, confluentium populorum agmina tantæ maiestati obuiatura dirigeret, eiusque receptui quæque necessaria quantocyùs præpararet. Imperator autem noster in virginalis palatij thalamo residens, aliquantulum subsistit, & qui metatorem, œcónomumque præmiserat, procedere morosius iudicauit. Sed . . . .

Cur Christus posterius natus, quàm Io. Bapt.

Huius Epistolæ finis desideratur in MS.

EPIST. XVII. Ad V. Episcopum.

ARGVMENTVM.

Gratulatur V. Episcopo, quod à graui quodam morbo Dei gratiâ conualuisset. Hinc sumptâ occasione eumdem hortatur, vt iracundiam cohibeat: odij, & simultatum semina, si quæ sunt in animo suo, penitus euellat: & denique, vt iuxtà Euangelicæ legis præceptum, inimicis suis omnes iniurias, & offensas condonet.

Domno V. Reuerentissimo Episcopo, Petrus peccator Monachus salutem in Domino.

VEre diuinæ dispositionis ordo laudabilis, quia dum secat, curat: dum percutit, erudit, medetur, dum vulnus infligit. Ad hoc enim te, Venerande Pater, diuina seueritas corporalis molestiæ verberibus cinxit, vt tamquam docilem puerum à leuitate compesceret; idcircò te malleo disciplinę percussit, vt vas vtile in domo Domini à scabrescentis scoriæ, vel superductæ rubiginis squalore purgaret. Hinc est, quod de incorrigibilibus, & indisciplinatis per Prophetam dicitur: Percussisti eos, & non doluerunt: attriuisti, & noluerunt accipere disciplinam. Et iterum: Frustra conflauit conflator; malitiæ eorum non sunt consumptæ. De quibus & alibi per Prophetam diuina vox ait: Omnis domus Israël mihi versa est in scoriam. Tunc. n. domus Israël in scoriā vertitur, cum diuinâ peccator animaduersione percussus, vel in desperationis voraginem labitur, vel contra iustè sæuientis imperium per impatientiam efferatur. At contrà, quasi manente metallo scoria sub diuinis percussionibus auolat, cùm quilibet pœnitens superno verbere vapulās & inhorrescentium à se vitiorum rubiginem proijcit, & reflorescētium

Iob 5 v. 18.

Infirmitates a Deo cur mittantur.

Hier. 5. v. 3.

Hier 6. v. 29.

Ezech. 22. v. 18

candore virtutũ, ac resplendentis vitæ nitore clarescit. Quod vtique per respectum diuinę gratiæ in te perspicuè videmus impletum, cum & inimicos omnes in gratiam recepisti, & sic ab interiori prius valetudine conualescens, etiam corpore factus incolumis, Ecclesiæ gaudium reddidisti. Vnde cum Dauid non ingrata Deo debes voce cantare: Castigans castigauit me Dominus, & morti non tradidit me. Et cum Ionâ: Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum; vt veniat ad te oratio mea, ad templum sanctum tuum. Dehinc gratiarum actiones cum eodem Prophetâ hoc potissimum debes fine concludere: Ego autem in voce laudis immolabo tibi: quæcumque voui reddam pro salute meâ Domino. Nos etiam, qui te velut amissum recipere, Deo largiente, meruimus, offeramus ei sacrificium nostrorum vitulos labiorum & cum filia Raguel Sarâ dicâmus: Benedictum est nomen tuum Deus Patrum nostrorum, qui cum iratus fueris, misericordiam facis, & in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui inuocant te. Sequestri planè functus officio frequenter institeram, vt cum inimicis tuis rediuiua pace componeres, vt osoribus tuis te iniustè lædentibus sacerdotaliter indulgeres; sed animi tui motus, quos homo blandiens lenire non potuit, austeritas diuina perdomuit: &, vt ita loquar, iram tuam irascendo placauit. Sæuire scilicet in te voluit, vt sæuitiam tolleret: Spiritum vltionis effudit, vt mansuetudinis in te spiritum reformaret.

Psal. 117. v. 18. Ione 2. v. 8. Ibidem v. 10. Tob. 3. v. 13.

B. P. Dam. instantia cum V. Episcopo, vt cum inimicis se reconciliaret,

Quanto planè studio vitium iracundię sit vitandum, nunc prudentiæ tuæ liquidò valet probare iudicium. Nam qui tunc tibi videbantur amari, tuæque familiaritatis accessu prorsus indigni, dulcissimâ nunc eorum affabilitate perfrueris: teque in eos securè proijciens, quodammodo iucundis amicitię constrictus amplexibus delectaris. Tunc enim meritò dicebas: Turbatus est præ ira oculus meus; nunc autem alacri potes voce cantare: Iustitiæ Domini rectæ, lætificantes corda; præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Præceptum quippe Domini charitas est. Hoc est, inquit, præceptum meum, vt diligatis inuicem. Hoc sanè præceptum oculos cordis illuminat, sicut è contrario liuor, & odium cæcat. Quisquis enim, sicut ait Ioannes, odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat, quia tenebræ excæcauerunt oculos eius. Quo contrà, Dominus ait: Ego lux in hunc mundum veni: & omnis, qui credit in me, in tenebris non manet. Enimverò si omnis, qui credit in Christum, non manet in tenebris: & omnis, qui odit fratrem suum, iuxtà Ioannis vocem, in tenebris est, ille profectò non credere in Christum manifestè conuincitur, qui feralis odij tenebris excæcatur. Ex huius igitur Apostolicæ, & Euangelicæ sententiæ ratione colligitur, quia quisquis odij cæcitate percutitur, inter Christi fideles superfluò numeratur: & quicumque est odiosus, necessariò sequitur, vt sit etiam infidelis, & in Deum non habeat Fidem, qui circà

Psal. 6. v. 8. Psal. 18. v. 9. Ioan. 13. v. 34. 1. Ioan. 2. v. 11. Ioan. 12. v. 46.

proximum diuinitus institutam amiserit charitatem. Illa siquidem solummodò vera Fides dicitur, quæ per dilectionem operatur. Excludatur igitur ab electorum mentibus iracundia, quæ odium generat, quę nimirum cordis oculos, quos per semetipsam turbat, per virulentam sobolem deterius cæcat; & iracundus quisque se veraciter perimit, dum læsionem proximi, vel quod atrocius est, mortem sitit. Vnde scriptum est: Virum stultum interficit iracundia, & paruulum occidit inuidia. Porrò cum scriptum sit: Tu autem Domine cum tranquillitate iudicas; quoties turbulentos animi motus sub mansuetudinis vigore restringimus, ad Conditoris nostri similitudinem redire conamur. Nam dum quietem mentis ira diuerberat, dilaniatam quodammodò, scissamque perturbat: vt sibimetipsi non congruat, ac formam intimę similitudinis velut aqua fluctuante confundat: & dum cor fluidum iracundia permouet, tamquàm vndæ fluctuantis imago propriæ origini non respondet. Per iram denique sapientia perditur, vt quid, quoue ordine agendum sit, ignoretur. Vnde scriptum est: Ira in sinu stulti requiescit. De qua & alibi legitur: Ira perdit etiam prudentes: quia videlicet confusus animus, etiamsi valeat quid subtiliter intelligere, lethalis vitij mole depressus non valet explere. Porrò autem qui consueuit frequenter irasci, iustitiam numquàm poterit operari. Mentiri me fortasse quis diceret, si Apostolus in epistola non scripsisset: Ira viri iustitiam Dei non operatur. Nam dum perturbata mens iudicium suæ rationis exasperat, non quod Deus præcipit, sed quod furor suggerit, rectum putat. Quanta sanè sit iracundiæ pestis, in hoc patenter exprimitur, cum nobis iracundi hominis societas prohibetur: & quasi per antiquæ scripturæ sententiam quadam iam, vt ità fatear, excommunicatione percellitur, dum à proximorum suorum contubernio separatur. Ait enim Salomon. Noli esse assiduus cum homine iracundo, ne discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ. Et iterum, Melius est, inquit habitare, in angulo domatis, quàm cum muliere litigiosa, & in domo communi. Vnde qui se ex humanâ ratione non temperat, necesse est, vt solus bestialiter viuat. Per iram sanè concordia rumpitur: vnde cohabitantium sæpè societas violatur. Sicut scriptum est: Vir animosus parit rixas, & vir iracundus effodit peccata. Peccata nempè iracundus perhibetur effodere, quia malos etiam, quos ad furoris insaniā prouocat, cogit vt deteriores per impatientiam fiant. Per iram prætereà lux veritatis amittitur, & obtenebratæ mentis obtutibus inoccidui solis radius occultatur. Vnde dicit Apostolus: Sol non occidat super iracundiam vestram. Nam cum iracundia menti confusionis tenebras incutit, huic Deus illicò radium suæ cognitionis abscondit. Per iram certè sancti Spiritus splendor excluditur, cuius scilicet habitaculum fieri mens improba non meretur. Vnde per Prophetam dicitur: Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem, & quietum, & trementem

Vera Fides quæ dicatur. Gal. 5. v. 6.
Iob. 5. v. 2.
Sap. 2. v. 18.
Per iram, sapientia perditur.
Eccl. 7. v. 10.
Iacob. 1. v. 20.
Iracundi hominis consuetudo nobis prohibetur.
Prou. 22. v. 24.
Prou. 21. v. 9.
Prou. 29. v. 22.
Ephes. 4. v. 26.
Esa. 66. v. 2.

sermones meos? Nam cum humilem dixit, quietum consequenter addidit: quia dum ira menti quietem simul & humilitatem subtrahit, suam sancto Spiritui protinus habitationem claudit: dumque se per furoris insaniam eleuat, ne ad se Spiritus sanctus introëat, semetipsam mens velut obseratis foribus damnat. Et sciendum quod ira sæpè tranquillitatis mentita colorem, superficiem quietis obtendit, dum in furoris indignationem apertè non prosilit: sed interim, dum intrà mentem velut in clibano vehementius æstuat, licet extrinsecus taceat, clamosas intrà forum conscientiæ voces format. Vnde per Salomonem dicitur: Præstolatio impiorum furor. Et Sapiens quidam ait: Cogitationes iracundi vipereæ sunt generationes, mentem comedunt matrem suam. Tradunt autẽ physici, quod anima hominis tripartita sit. Est enim vt aiunt rationalis, irascibilis, concupiscibilis. Non ergò sine magno labore compescitur, quæ non per accidens oritur, sed naturaliter insita perhibetur. Verumtamen aduersus hoc vitium, sicut nec aduersus concupiscentiam, nequaquàm debemus desperare victoriam. Natura quippè nostra, cui scilicet ista dicuntur originaliter insita, ex primi quidem parentis est transgressione corrupta, sed ad statum incolumitatis pristinæ per nostri Redemptoris est gratiam reformata. Et licet lex carnis cum spiritus lege confligat, facilè mens nostra vetustatis suæ tenebras superat, si in eo, quem renouata concepit, vigore cœlestis gratię perseuerat. Vnde dicit Apostolus; Lex enim Spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati, & mortis; vbi mox additur: Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum misit in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis. Porrò si ira, vel concupiscentia, quæ nobis dicuntur naturaliter insitæ, per vigorem spiritus superari non possent, nequaquam idem prædicator egregius impossibilia præcepisset. Ait enim: Nunc autem deponite & vos omnia, iram, indignationem. Ad Ephesios quoque, Omnis, inquit amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitiâ. De concupiscentiâ verò superfluum est exempla proponere, quam & lex antiqua vetat, & omnis sacrarum Scripturarum censura cõdemnat. Superari ergò per diuinã gratiam possunt, quę superari per diuina mandata iubentur. Quid igitur irâ deterius, quæ nimirum de felle antiqui draconis euomitur, & vt re vera lethale virus in furiosi cuiuspiam corde grassatur. Ira siquidem, sicut scriptum est, dæmonium habet. Quod etiam experimento dignoscimus, si Saul irascentis historiam per ordinem perpendamus. Ait enim Scriptura; Quia cum mulieres Israelitarum ludentes in sistris, & lętitiæ tympanis canerent: Percussit Saul mille, & Dauid decem millia: iratus est Saul nimis, & displicuit in oculis eius iste sermo. Deinde subinfert: Post diem autem alterum inuasit spiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus suæ. Ecce, liquido videmus, quod scriptum legimus iram scilicet habere

Ira spiritum sanctum excludit.

Prou 11. v. 23.
Anima hominis tripartita.

Natura nostra corrupta per transgressionem Adæ, per gratiam Christi reformata.

Rom. 8. v. 2.
Ibidem v. 3.

Colos. 3. v. 8.
Ephes. 4. v. 31.

Vitia nobis insita superãtur per diuinã gratiam.

1. Reg. 18. v. 8.
Ibidem. v. 10.
Ira dæmoniũ habet.

dæmonium. In Saul enim cor ira præcessit, & mox nequitiæ spiritum introduxit: dehinc abreptitium suum in zelum vesani furoris accendit, ac ad perimendum Dauid, quem sanctus inhabitabat Spiritus, incitauit. Nam, teste Scriptura, tenebat Saul lanceam, & misit eam, putans quod configere posset Dauid cum pariete. Fremebat enim in vasculo suo auctor iracundiæ spiritus, cumque aduersus innocentem feralis inuidiæ facibus inflammabat.

Ibid. v. 11.

Cui propemodùm consimile quid in Vrbinati territorio iàm ferè à decennio contigit, quod ad nostram profectò notitiam ipsa potius rei præsentia, quam fama vulgante peruenit. Aduesperascente quippè iàm die, in duorum quorundam presbyterorum cordibus sol inocciduus occidebat, eosque aduersum se mutuis iniuriarum, iurgiorúq; conuitiis auctor discordiæ spiritus accendebat. Cumque presbyter compresbyterum probrosis contumeliarum irrisionibus laceraret, & alter alterum multò mordacitatis sale, maledictorumque relationibus conspersisset, vnus eorum minaciter intonans, & dentibus stridens, correpta lancea iter arripuit, atque ad domum suam longius constitutam, furibundis properare gressibus cœpit. Sed cum illum iam superueniens caligo noctis obnuberet, cor etiam interiores tenebræ perniciosius possiderent, ecce quinque nigri equites cum caballis æquè nigrantibus obuiant, eique is, qui maior inter eos videbatur, insultat: Sæpè, inquit, institi, vt te mihi subderes, vt in clientelam meorum contubernalium deuenires. Toties itaque subterfugiens, iàm non poteris iugum meæ ditionis euadere. Videbatur enim nobilis quidam vir esse, Romanus nomine, qui frequenter eum sollicitauerat, vt sibi subditus fieret. Presbyter itaque nimij terroris horrore perculsus, ad præcipientis imperium manus vtrasque complosit, atque illius manus dedititiorum more deosculans, se velut in herilis fidei tuitione commisit. Cui videlicet rei congruit, quod Salomon ait: Manus in manum non erit innocens malus. Quem protinus ille percuntans, scis, inquit, qui sim? Ille præstò respondens ait: Nônne tu es dominus meus Romanus? At ille: Absit, absit; sed ego sum, inquit, diabolus, cui tu nunc commissus es, & indiuidua deinceps societate cõstrictus. Sta igitur in fide, & serua, quod pollicitus es; & post huiusmodi verba, vel gesta, præstò disparuit. Tunc ille tremefactus, confusus, atque perterritus, ad domum non sine magno trepidationis horrore peruenit: paulò post ad Episcopum suum sanctæ memoriæ, Teuzonem nomine, me quoque præsente, pœnitentiæ flagitator accessit. Cui mox sacerdotalis officio dignitatis adempto, cum æstiuum tunc cauma ferueresceret, & secandarum messium tempus instaret, iuxta † carinæ regulam inclusionem custodiæ carceralis indiximus: annorum pœnitentiam competenti moderatione præfiximus: atque, vt in spem certæ recuperationis absque dubio conualesceret, adhortati omnes sumus. In quo nimirum facto manifestè perpenditur, quoniam iracundus dũ zelo immoderati furoris accenditur, iuxtà Scripturæ testi-

Exemplum presbyteri propter iracũdiam Diabolo mancipati.

Prou. 11. v. 21.

Teuzo Episcopus Vrbinas.

† canonum s.

monium, à dæmonio possidetur. Numquid enim iracundus dæmonio vexante non agitur, qui nonnunquã ad plectendã cuiuslibet non lædẽtis, quin potius sibimet obsequentis innocentiã permouetur? Vltrò etiã dũ libero mentis iudicio caret, ergà res etiã insensibiles vindictã vltoriæ animaduersionis exercet. Quod vtique Cyrus Rex Persidis egisse deprehenditur, sicut Herodotus antiquæ scriptor historiæ profitetur. Qui dũ militum vallatus agminibus, Gnydem fluuium transuadaret, vnus regiorum equitũ candore, formáq; præcellens, dũ per rapacem alueũ, vbi offensi vado vertices attollebantur, ingreditur: vndarum procellis præcipitanter irruentibus, naufragus absorbetur. Tunc Rex ira permotus, vlcisci in amnem statuit, contestans eum, qui præclarum vorauerat equitem, ità permeabilem relinquendum, vt vix aliquandò posset attingere genua fœminarum. Annum igitur, vt coniicitur, totũ in hoc ridiculoso labore perpetuat, ac reum maiestatis fluuiũ dum multis vtrinque fossis aperuit, quasi totidem per latera vulneribus sauciauit, per quadringentos scilicet, & sexaginta riuulos aquas fluminis subdiuisit, sic, sic velut inimici sui sanguinẽ perfluere compulit, & diuitem venam, in quam tyrannus infremuit, paupertate multauit. Cernis itaque, qualiter ira reddit amentem, quæ dum exequitur, quod impatientia suggerit, semetipsam ridentibus pabulum subsannationis exponit. Per omne quippè vitium, quod ab hominibus perpetratur, diuersis vtique modis misero cordi veternosi hostis virus infunditur. In iracundiæ verò peste, tota sua viscera serpens concutit, omnem fellis amaritudinem euomens fundit; adeò vt prudentem mentis expertem, rationabilem furiosum, callẽtem ingenio reddat insanum. Alienat enim miseros, & velut abreptitios insanire compellit. Quod sanè licet omnibus Christianis sit omninò prohibitũ, per-maximè tamen sacerdotibus est cauendum. Nam cum Veritas cunctis fidelibus in commune præcipiat, vt dissidens quisque munus suum antè altare deserat, nec illud antequàm læso fratri reconcilietur, offerre præsumat, quantò propensius id agendũ est sacerdoti, qui videlicet non metalli pondus, nõ corruptibilem margaritam, non certè manipulos segetum, sed vitalis Eucharistiæ oblaturus est sacramentum? Et cum illa singularis hostia pro inimicis principiò sit oblata, Apostolo testante, qui ait: Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius; qua mente sacerdos ad tàm terribile sacramentum, qua temeritatis audacia mensæ cælestis præsumit adire conuiuium, si dum reconciliationis mysterium celebrat, fratri suo reconciliari contemnat? Inimicus offert hostiam, quæ inimicitias soluit, ad mysterium pacis impacatus accedit; cum maius sit sacrificium peccanti dimittere, quam laudis hostias immolare: & placabilius sit Deo bonæ volũtatis holocaustũ, quam exterioris victimæ sacramentum. Vnde non otiosum credimus si his verbis inseritur, quod celebri à nonnullis relatione vulgatur. Vir quidam, vt dicitur, potentiorem se hominem interfecit, à cuius etiã filio, more sæculi, non legibus Euangelij, multas bellorum molestias pertu-

Cyri regis vesana iracũdia. Cõsule Schol.

Ira reddit amẽtem.

Matt. 5. v. 24.

Rom. 5. v. 10.

Inimico ignoscẽs ter à Christo crucifixo salutari meretur.

lit: paterni scilicet vltor interitus, & strages anhelabat hominum, & frequentium reportabat manubias rapinarum. Inter has igitur homicida deprehensus angustias, imperiale decreuit adire fastigium, si quod fortè tot calamitatibus posset reperire solatium. Quo comperto paterni sanguinis vltor insequitur, cumque siue, vt tribunaliũ lege cõstringat, siue, vt repentè gladiis opprimat, impiger comitatur. In Teutonicis verò partibus tunc Imperator agebat. Cũ itaque procedens modestè, quasi securus incederet, subsequens autem celerius properaret, tandem cõtigit, vt sibimet inuicem propinquantes, in mutuos vterque duceretur aspectus. Sed cum is, qui homicidij reus erat, vix quatuor, vel quinque comitũ fulciretur auxilio, interfecti verò filius triginta fermè cingeretur obsequiis armatorum, quaternionem suum cohortatur, vt fugiat. Ille se conspiciens de persequentium manibus auolare non posse, animæ patrocinium petiit, ad humilitatis vmbraculum confugium fecit. Proiectis igitur armis, brachiis etiam in modum Crucis extensis, solo prosternitur, & vel miserentium veniam, vel ictus ferientium præstolatur. At ille iàm victor ad reuerentiam Crucis manum reprimendo compescuit, vltrò etiam ne ab aliquo feriretur, inhibuit: postremò pacem integram faciens, ad honorem sanctæ viuificæ Crucis non modò vitam, sed & paternæ necis donauit offensam. Hac igitur insigni peracta victoria, quam scilicet non tàm alterius, quàm sui: &, vt ità fatear, non tàm hostis, quàm proprij cordis victor extiterat, ad Regis curiam, quia non procul erat, accessit; sed mox vt Ecclesiam oraturus ingreditur, res mira nimiumque stupenda, Saluatoris imago, quæ in Cruce videbatur expressa, tribus eum vicibus inclinato capite visa est salutare. O quàm gloriosum, & insigne præconium, vt ab auctore misericordiæ mereretur reuerenter accipi, qui propter eius reuerentiam omiserat vindicari; & ab eo recipere salutationis honorem, pro quo saluti contrariam postposuit vltionem. Quod protinus Imperator audiens, honorifica eum, & affectuosa, prout decebat, affabilitate suscepit, & copiosa munerum liberalitate ditauit. O si vir ille sacerdotalis ordinis officio fungeretur, quàm confidenter ad offerendum Deo munus potuisset accedere. Quo contrà, quisquis in corde irę, vel odij confusiones agglomerat, & tempus vltoriæ retributionis expectat, quàm perniciosè, quàm noxiè sacris altaribus appropinquat. Hominibus quippè vestitur in incendium, quod ad refrigerij prouisum est augmentum.

Vnde fortasse contigit, quod cuidam suo presbytero venerabilis Alfanus Salernitanus Archiepiscopus nuper euenisse perhibuit: qui nimirùm presbyter ad cumulandos pecuniæ quęstus non mediocriter à viduis & fœnorum captabat vsuras, & de cætero, carnali conuersatione viuebat. Hic aliquandò dùm missarum celebraret officium, inter ipsam Dominici corporis fractionem, tres repentè fauillæ ignis ex ipso cælesti sacramento prodeuntes emicuerunt, & in pectus sacrificantis

Prodigium quod contigit presbytero Salernitano Missam celebranti.

terribiliter impegerunt, quod nimirũ, quid esse potuerit, subtiliter inquirentis prudentia iudicabit.

Desideri' Casinẽsis Abbatis laus.

Illud etiam silentio prætereundum esse non arbitror, quod idem Salernitanæ Rector Ecclesiæ, & religiosissimus, ac veracissimus Casinensis monasterij Abbas Desiderius, vno mihi, vt ità loquar, ore dixerunt: quoniam Episcopus, cuius me ad præsens vocabulum fugit, dũ in quodam castro consecraturus esset Ecclesiam, ab eo, qui Beneuentanæ tunc erat electus Ecclesiæ, beati Barbati confessoris reliquias petiit. Qui nimirum fraternis acquiescens votis, sacras mundissimæ bustiæ reliquias intulit, sigillum competenter impressit, & statuto die per fidelem quemdam monachum arcana petenti dona transmisit. Sed mox vt soluto sigillo capsidile recluditur, inane prorsus & vacuum reperitur. Miratur gerulus deesse reliquias, quas credebat inclusas; dolet Episcopus à spei suæ se suspensione frustratum; veruntamen ingruente proposito, dedicatur Ecclesia. Redit nuncius, vacuum, vt credebat, capsidile reportans. Sed ecce, dum graditur, sentit quod intrà bustiam aliquid agitatur: mox aperit vasculum, totum venerabilium reliquiarum, sicut allaturus acceperat, inesse reperit sacramentum: post paululũ verò & præfata Ecclesia est omnino destructa, & totum nihilominus castrum, in quo fuerat constituta: quod sanè an ex merito sacerdotis euenerit, an quolibet alio diuino iudicio, nobis ad liquidum patere non potuit.

Illud etiam nunc ad memoriam redit, quod præfatus Salernitanus Archiepiscopus cuidam ex suis ciuibus euenisse perhibuit. In maris denique tempestate deprehensus, futurum se monachum affectuosa sponsione deuouit: sed naufragio erutus, votum soluere vitæ huius amore contempsit. Expleto verò anno, ipso die, quo votum Domino suæ conuersationis obtulerat, Kalendis scilicet Ianuarij, dum hinc indè discurreret, cum ludentibus, & cachinnantibus pueris choros duceret, & friuola quædã, ac scurrilia verba † noaret, subitò lapis de tecto super eũ cecidit, & obtriuit. Sic infælix ille, qui mundũ deserere contẽpsit vltroneus, amisit inuitus: & fallacẽ carnis dulcedinẽ perdidit, qui amando carnẽ mentitus est veritati. Huic itaque contigit, quod scriptum est: Ante ruinã exaltatur cor. Et illud Apostoli: Horribile est incidere in manus Dei viuentis. Quod si ira Dei viuẽtis cũctis peccantibus est timenda, illi certè est obnoxius, ac terribilius formidãda, qui laborat impatientiæ vitio. Qui dum in pectore suo stomachatis animi turbinem versat, motũ diuini furoris in se per suam iracundiam prouocat. Quid enim iustius, quàm vt ira mereatur iram? Vindicta pariat alterutram talione vindictam? Vnde vir sapiens ait: Qui vindicari vult, à Deo inueniet vindictam: & peccata illius seruans reseruabit. Quo contra salubriter admonet, dicens: Relinque proximo tuo nocenti te, vt tunc deprecanti tibi peccata soluantur, vbi mox quasi argumentando subiungit: Homo homini seruat iram, & à Deo quærit medelam? In hominẽ similem sibi non

Votum soluere contemnẽs infeliciter perit.

† boaret f.

Prou. 18. v. 12.
Heb. 10 v 31.

Ira Dei iracũdo maxime est timenda.

Eccli. 28. v. 1.
Ibid. v 2.
Ibid. v. 3.
Ibid. v. 5.

non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur? Adhuc etiam velut indignando subinfert: Ipse dum caro sit, reseruat iram, & propitiationem petijt à Deo? Et tamquàm pro iracundo fusa oratio exaudiri non valeat, donec in iracundiâ perseuerat, conuenienter adjecit: Quis exorauit pro delictis illius? Et quia cum ante oculos nostros mors celerius ventura reducitur, protinus iracundiæ tumor, necesse est, reprimatur, aptè subnectit: Memento nouissimorum, & desine inimicari: memorare timorem Domini, & non irascaris proximo. Reprimatur igitur iracundiæ furor in corde, vt numquam prorumpere possit in vocem. Sicut & in Ecclesiaste dicitur: Aufer iram de corde tuo, & amoue malitiam à carne tuâ. Iræ quippè tamquàm rapaci, atque præcipiti cuidam fluuio, Dominus trium obstaculorum sufflamen opposuit. In quibus vtique furoris impetum disciplinæ loro cohibendum esse mandauit. Primum scilicet in corde, secundum in gutture, postremam oppositionis metam prǽfixit in voce: Omnis, inquit, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio; hîc opposuit obicem cordis. Qui autem dixerit Racha, reus erit concilio; ecce obstaculum gutturis. Qui autem fatue, reus erit gehennæ ignis; ecce obstaculum vocis. Hæ sunt igitur oppositiones, & quasi quædam crates, & rudera cælestis imperij, quibus iracundiæ ac furoris impetus premitur: & ne quasi rapax fluuius obuiantia quæque subuertat, sub disciplinæ rationalis iudicio cohibetur. Sit ergo mens nostra non quasi vitrum, quod ad primum percussionis ictum impatiēs frangitur: sed pretiosi potius vena metalli, quæ sub mallei contunsione purgatur. Esset planè vitrum cunctis metallorum fulgoribus longè prǽstantius, si primis ictibus prǽstò non cederet: si natiui soliditate roboris percussionis iniuriam toleraret. Sed quia citius frangitur, inter cæteras metallorum species suppar, & contemptibilis iudicatur. Vitrum scilicet ex arenâ fit per humanæ artis industriam, ideóque compellitur ingenitæ fragilitatis seruare naturam.

Ibidem v. 5.

Ibidem, v. 6.

Eccl. 11. v. 10.

Tria remedia iracundiæ.

Matt. 5. v. 22.

Verumtamen tradidit historia, quia faber quidam sub Tiberio Cǽsare tale quoddam excogitauerit temperamentum, quo vitrum ductile fieret, atque flexibile, & iuxtà naturam cuiusque metalli, ad ferientis ictum infractum, ac solidum permaneret. Qui dum aulæ regiæ foribus fuisset admissus, porrexit Imperatori phialam, hoc, quod excogitauerat, artificio temperatam. Quam Rex indignatus subitò projecit in pauimētum, quæ nimirum phiala nullatenus est confracta, sed ad similitudinem vasis ænei, vel argentei reperta est ex quodam latere complicata. Faber autem protinus phialam de pauimento leuauit, vasculum de sinu protulit: & vas non scissurâ collisum, sed obliquè retortum, metalli more correxit. Hoc facto Cæsar admiratus, dixit artifici: est ne quisquā alius præter te, qui hanc vitrorum sciat efficere condituram? Iurat faber neminem esse super terram præter se solum, qui huius artis compræhendat ingenium. Quo Cæsar audito, prǽcepit eum protinus decollari; nimirum reputans, quia si huius artis exquisita subtilitas in communem hominum

Vitri condendi egregius artifex quod à Tiberio Imp. præmium reportauerit.

notitiam deueniret, aurum conspueretur vt lutum, omniumque vilesceret species metallorum: & re verâ si tàm fragilis vitro natura deesset, videlicet vt ductilis effecta, ictus ferientis admitteret, cuius vnquam metalli fulgor perspicaciam vitreæ claritatis æquaret? Vt igitur ad propositum reuertamur, sicut vitrum fragilis natura depretiat, & soliditatis robur cætera metalla commendat; ita per iracundiam tota virtutū structura collabitur, & per imperialis patientiæ maiestatem nitentium gemmarum splendore coruscum Deo in nobis habitaculum fabricatur. Sicut enim illa virtutes eradicat, sic ista congerminat.

B. Petrus Da. ad iracundiā pronus.

Porrò autem & me, qui hæc vtcumque conscribo, naturalis iracundiæ conspersio stimulat, ac sæpè leuissima quælibet offensio concussa meæ quietis arcana perturbat: vt in me plerūque, quod vix est acu, vel spinâ leuiter punctum, falarico telo mihi videatur esse perfossum. Leuem virgam iudico tauream, tolerans suspiro plumbatam. Sed hæc intrinsecus, quantum verò ad opus, dicat ira quod vult, frendeat, fremat, dentibus strideat: in omnibus his, quæ mihi interius suggerit, in quantum negare potuero, meum extrinsecus adiutorium non habebit: licet inflata turgeat, sufflet, furiat, sæuiat, intumescat; ego sibi membra mea nō dabo, vt per ea quasi per arma, quod conatur, efficiat. Nolite, inquit Apostolus, exhibere mēbra vestra arma iniquitatis peccato. Non enim illi do manum meam, vt per eam inflata percutiat, vel aliquid rapiat. Non linguam, non labia moueo, vt per ea sui fellis amaritudinem fundat. Dum ego itaque sęuienti iræ penitus hæc auxilia denego, necesse est, vt mox velut sine pabulo flamma flacceat, aut prorsus intereat, aut tamquàm ventus inoffenso aëre inaniter transeat, dùm obstaculū deest in quod pręcipitanter impingat. In semetipsam scilicet infracta reliditur, dum materia fomitis, in quâ se valeat exercere, frustratur. Hoc enim respondeo iræ, quod titillanti luxuriæ. Aliquandò me libido succendit, inflammat, viscera concutit, genitalia subrigit: sed in his omnibus faciat ipsa suis viribus contenta, quod potest: nam meę cooperationis auxilium habere non potest. Clamat iracundiæ furor, audio: æstuat libidinis ardor, sentio: sed nec illis clamoribus auxilij manum porrigo: nec istis furentibus flammis pabuli fomitem subministro. Illis opem vlciscendo non fero, istis per effectum libidinis non insufflo. Hoc itaque modo necesse est, vt & irę furor inaniter euolet, ac deficiat: & ardor libidinis sese, dum materiæ fomes non ministratur, extinguat. Naturam quippe possum ex ratione compescere, non omninò delere: possum lenire, non prorsus extinguere. Faciat in me vnusquisque quod vult, mihi necesse est intrà me-metipsum patientiam quęrere, nec debeo fructum ex alienæ virtutis mercede sperare. Nam vbi desunt bella, quæ prouocent, non offertur victoria, quæ coronetur. In cassum clypei tegmen opponitur, vbi iaculi, vel mucronis acies non vibratur. Si flamma fornacis emoritur, metalli puritas non probatur; ità me non aliena mansuetudo faciet patientem, sed intrà me debent erigi propugnacu-

Rom. 6. v. 13

Libidinis domitor.

la turrium, quæ procul abijciant, ac propellant ingruentium turbines iaculorum.

Hæc tibi, venerabilis Pater, imperitè dictaui, non vt te doceam, qui es, auctore Deo, doctor Ecclesiæ, sed vt turbulentis, mihique similibus possem sub allocutionis tuæ occasione prodesse. Nec tamen vereor, ne sancta prudentia tua molestè ferat, si quid sibi iunior quisque suggerere cum humilitate præsumat: cum non ignoret hominibus propheticâ Dominum voce dixisse: Venite, & arguite me. Et Moysen Domini *Esai. 1. v. 18* symmystem ex Iethro, gentilis videlicet hominis, ore patienter audiuisse: Stulto labore consumeris. *Exod. 18. v. 18*

Omnipotens Deus, qui te, venerande vir, nobis incolumem reddidit, & vitiorum omnium te faciat euitare squalorem, & tamquàm ex cocto per ignem vasculo suo spiritualium virtutum ingerat claritatem.

Finis quarti Libri.





BEATI PETRI DAMIANI MONACHI BENEDICTINI, S. R. E. Cardinalis, Episcopi Ostiensis.

Epistolarum Liber V.

Ad Archipresbyteros, Archidiaconos, Presbyteros & Clericos.

EPIST. I. Ad Archipresbyteros Andream, V. & C.

ARGVMENTVM.

Grauiter inuehitur contra quosdam maledicos homines, & imperitos, quod verba quadam ex ipsius sermone desumpta calumniose in inuidiam adducere conabantur. Asseruerat autem illis verbis, quales ex hoc saeculo hominum animae egrediuntur, tales iudicio sisti, quod dictum non à se primum, sed à Magno Gregorio prolatum, & diuinae Scripturae consentaneum ostendit.

Venerandis in Christo fratribus Archipresbyteris Andreæ, V. & C. Petrus peccator Monachus fraternæ charitatis affectum.

DVM ego non minimo languore depressus in lectulo iaceam, &, quod dicto, alter frater excipiat, non sit mirum si non luculentum, siue politum digero languidi sermonis articulum: immò, quia contrà rusticos, & imperitos, ac litterarum prorsus ignaros loquor, dignum est, vt eis congruens, rusticè proloquar: &, vt ipsi dicunt, quidquid in buccam venerit, negligēter effundam. Verumtamen antequàm ad rem veniam, quod mens suggerit, compendiosè præmittam. Philosophus quidam nocte dum stellarum cursus, & meatus siderum subtiliter rimaretur, in puteum repentè corruit, & hianti, sicut dicitur, immanitate profundum

Thales Philosophus, de quo Plato in Theæto, &

& obscœnis sordium squaloribus plenum. Cui nimirũ Philosopho domestica erat ancilla nomine Iambi, quę in dominum suum liberè, ac prudenter inuecta, per metrum Iambicum, quod ex ea postmodùm tale nomen accepit, super eo plausibiliter dixit, Dominus, inquit, meus ignorabat stercora, quæ sub eius pedibus erant, & nosse tentabat sidera. Hoc itáque modo fit in diebus nostris, vt rustici, & insipientes quique, qui nil pæne nouerunt, nisi vomeribus arua proscindere, porcos, ac diuersorum pecorum captabula custodire, nunc in compitis, ac triuijs antè mulierculas, & cõbubulcos suos, non erubescãt de Scripturarum sanctarum sententijs disputare: immò, quod turpe est dicere, in totâ nocte* iubant inter femora mulierum, die non verentur tractare de sermonibus Angelorum, & hoc modo sanctorum dijudicant verba doctorum.

Diogenes lib. 1. de vitis Philosoph.

* qui totâ nocte cubant. f.

Significauit enim mihi per litteras, sanctitas vestra, quod pro sententiâ illâ, quam nos in B. Stephani sermone posuimus, quia videlicet vniuscuiusque anima qualis de hoc sæculo egreditur, talis postmodùm iudicio pręsentatur, tantùm apud quosdam scandalum est exortum, vt dicant, orationes, oblationes, sacrificia, quæ pro defunctorum animabus offeruntur, nihil sibi proficere antè iudicium. Et quid mirum, si hoc idem mihi contigit peccatori, quod euenisse cognoscitur ipsi totius Christianæ religionis Auctori? Ait enim: Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quod audientes septuaginta fermè viri, dixerunt: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? Et, teste scripturâ, iam non cum illo ambulabant. Vssit itaque eos sol Christus. Est enim sol iustitiæ, istos autem vssit luna. Ego enim ad lunã, hoc est, ad corpus Christi pertineo, quod est Ecclesia: Vos autem è contrario benedicentes mihi dignamini dicere: Per diem sol non vrat te, neque luna per noctem. Ecce, in tantum profecerunt sapientes, & prudentes istarum partium viri, vt omnia cælestis eloquij profunda cognoscant, vniuersa diuinorum voluminum mysteria comprehendant, & in solâ vna sermonis mei sententiâ caliginem cæcitatis incurrant. Et si eos hæreticos esse delectat, numquid intantum amici mei diligunt, vt sine me in hæresim transire non possint? Quisquis enim perhibet orationes, oblationes, sacrificia pro defunctis prodesse non posse, & hoc inpudenter affirmare conatur, hic profectò Ærianus esse conuincitur. Ærius enim hoc in erroris sui disputationibus dogmatizat, quod hæc pietatis opera vana sint prorsus, ac friuola, nullique in illo sęculo postmodum profutura. Numquid enim diuinorum eloquiorum strenui scrutatores quamplures per diuinarum Scripturarum campos non possunt sententias reperire, quibus vt hæretici fiant, valeant sibi muscipulas, pedicasque substruere? Porrò si delectat eos, vt à Christianismo recedant, occasionis materiam inuenire, dijudicent illud, quod Dominus in Euangelio dicit: De die illa, idest, iudicio, neque Angeli sciunt in cælo, nec ipse Filius, nisi solus Pater. Et quo-

S. Doctoris sententia ab imperitis calumniis impetita.

Eius modesta responsio.

Ioan. 6. v. 54

Ibid. v. 61.

Malach. vlt. v. 2.

Psal. 120. v. 6.

Ærij hæresis. Cõsule Schol.

Qui orationes, oblationes, & sacrificia defunctis prodesse negant, hæretici sunt.

modò Filius diē iudicij ignorare possit, qui videlicet ipsum, eumdemque diem, & omnia tēpora, atque vniuersa visibilia, & inuisibilia simul
Ioan. 7. v. 16. cum Patre condiderit? Detestentur etiam illud, quod alibi dicit: Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.

O Domine Iesu, nos quidem simplices, & hebetes serui tui, quidquid dixeris, credimus tibi: scimus enim, quia veritas es, & mentiri non potes. Sed quomodò sapientes istius terræ, & diuinorum voluminum te-
Ioan. 14. v. 6 nebrosissimi, ac profundissimi scrutatores fidem poterunt tuis adhibere sermonibus? Poterunt enim à te secundum prudentiam suam versutâ mordacitate requirere: quomodò verum esse poterit, quod dixisti: Doctrina mea non est mea? Si tua est, quomodò non tua? Si autem non tua est, quomodò erit tua? Restat ergò, vt doctrinam tuam, aut tuam esse indubitanter asseras, & tuam non esse vltrà non dicas: aut si non tuam esse firmaueris, tuam iam esse omninò diffitearis. Sicque timendum est, ne syllogismorum suorum versutâ te argumentatione concludant, & auctorem sapientiæ cassibus captiosæ cauillationis inuoluant.

Porrò autem, vt etiam ad libri Regum recurramus historiam, Domi-
4. Reg. 22. v. 19 nus misit ad Iosiam Regem Iuda per Holdam vxorē Sellu: Pro eo quod audisti verba voluminis, & perterritum est cor tuum, & humiliatus es coram Domino, auditis sermonibus contra locum istum, & habitatores eius, quod videlicet fierent in stuporem, & in maledictum, & scidisti vestimenta tua & fleuisti coram me, & ego audiui, ait Dominus: iccircò colligam te ad Patres tuos, & colligeris ad sepulchrum tuum in pace, vt non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus sum super
4. Reg. 23. v. 29 locum istum. Et paulò post eadem subjungit historia: Ascendit Pharao Necho Rex Aegypti contrà Regem Assyriorum ad flumen Eufraten, & abijt Iosias Rex in occursum eius, & occisus est in Magedo, cum vidisset eum. Hîc censores alienorum operum, hîc detractores fratrum,
Psal. 56. v. 5 hîc planè dentes exacuant. Filij enim hominum, vt ait Dauid, dentes eorum arma, & sagittæ; linguæ eorum machæra acuta. Hîc, inquam crepantibus buccis æthneas flammas eructent, intimi fellis amaritudinem euomant, clamoribus suis cælum, terramq; confundant, dicentes: quomodò diuina vox mendacio caruit, quod Regi promiserat, efficaciter impleuit? Quomodò nimirum Iosias in sepulchro suo in pace quieuit, qui Ægyptiaci Regis gladio bellicosâ sorte subiacuit? Sicque illic pro-
Psal. 72. v. 9 pheticum illud possit aptari: Posuerunt in cælum os suum & lingua eorum transiuit super terram.

Vos autem, dilectissimi, & vnanimes fratres mei, quibus occultandū nihil est, indubitanter agnoscite sententiam illam Gregorianam esse, non nostram. Quartum ergò Dialogorum libri studiose perquirite, & illic inter cętera sic inuenietis. In Euangelio Dominus dicit: Ambulate dum lucem habetis. Per Prophetam quoque ait: Tempore accepto ex-
Ioan. 12. v. 35. Isaie 49. v. 8 audiui te, & in die salutis adiuui te. Quod Paulus exponens, dicit: Ec-
2. Cor. 6. v. 2 ce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Salomon quoque

ait: Quodcumque potest manus tua facere, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec scientia erit apud inferos, quò tu properas. Dauid quoque ait: Quoniam in sæculum misericordia eius. Ex quibus nimirũ sententijs constat, quia qualis hinc quisque egreditur, talis in iudicio præsentatur. Vbi etiam paulò post subdidit: hoc tamen sciendum est, quia illîc salutem de minimis nihil quisque purgationis obtinebit, nisi bonis hoc actibus in hac adhuc vitâ positus, vt illic obtineat, promerebitur. Et vt isti rabidioris iracundiæ furore vesaniant, audiant quod idem Gregorius in moralibus dicit: Quia prauus quisque mox vt mortuus fuerit, protinus inuenit, quod vlterius mutare non possit. Exclament ergò, vociferentur, & dicant: si mutari non possum, quid mihi oblationes, quid orationes, quid sacrificia? Claudat ergò iàm Ecclesia ianuas suas, & ego deinceps contentus ero parietibus domus meæ. Quid enim mihi hîc Ecclesias ingredi, si illîc nullâ possum ratione mutari? Iam ergò desinant paruulum hominem mordaciter persequi, & in me non * tanquàm verbi, velint inuidiam concitari; Gregorium lacerent, Gregorium mordeant, & in eum dentes auarissimi liuoris infligant. Illum legant, & hoc apud illum inueniant, atque super illum censoriã iudicij virgam tenentes, damnationis, quam meretur, in eum decreta retorqueant. Atque vt rabidiores in eum dentes exacuant, eumque velut scabiosi canes tamquàm mordicùs apprehendant. Audiant, quod alias idem Gregorius ait: Quotiens per immoderatum esum manus ad cibũ tenditur, totiens primi parentis lapsus iteratur. quod vtique quam durum sit, non exaggero; quia quibusque legentibus perspicuum esse non dubito: & quam multa scribit huiusmodi, quę nos studio breuitatis omittimus, ne metam epistolaris compendij, quod fastidiosum est, excedamus. Sed ipsi in tantum me diligunt, vt me solum legant, méque solo contenti, sacrarum scripturarum volumina vniuersa contemnant: & qui vix nouerunt syllabatim elementa percurrere, super me iudices facti non verentur in me sententias promulgare. Absit autem, vt vel B. Gregorius conspicuus, & insignis doctor Ecclesiæ; vel nos humiles, & exigui, qui in quantum licet, per illius cupimus vestigia properare, prohibeamus sacrificia, vel orationes pro quibuslibet defunctis, & si grauiter peccatores extiterint, omnipotenti Deo indesinenter offerri, & sic eos à deuotione fidelium viuentium adiuuari. Enimuerò qui sic illam sententiam intelligunt, tamquàm nocturni viatores oberrant, & more cæcutientium, manu parietem palpant. Quibus in hac soluendâ quæstione nos nolumus esse magistri, quia illi per arrogantiam cordis dedignantur esse discipuli.

Eccli. 9. v. 10
Psal. 105. v. 1 & 106. v. 1.
S. Greg.
*.

Vos autem, dilectissimi, pro me seruo vestro Dei omnipotentis misericordiam implorate: Domno autem Drudo, & fratri eius, ac Vicecomiti, cæterisque nobilibus viris nostrum Monasterium, & Eremum commendate. Deus omnipotens suâ vos protectione custodiat, & cum electis sacerdotibus suis partem vos habere concedat.

EPIST. II. Ad Damianum fratrem Archipresbyterum Rauennatem.

ARGVMENTVM.

Peccata sua, & negligentias non sine magno animi mœrore confitetur, & præsertim nimiam vrbanitatem, seu potius ad risum propensitatem grauiter accusat, & exaggerat: Fratremque suum Damianum, vt pro se ad Deum preces fundat, exorat. Præclarum in his præbens modestiæ, & humilitatis exemplum.

Domno Damiano fratri charissimo, Petrus peccator Monachus quidquid seruus, & filius.

NOLO te lateat, dulcissime mihi in Christo Pater, & Domine, quia continuò mens mea mœrore deprimitur, dum diem proprij exitus iàm iàm propius imminentem, & tamquam prę oculis positum assiduè contemplatur. Nam dùm tàm longæuos annos enumero, dùm spargi me canis attendo: atque in quocumque conuentu hominum positus, omnes pænè infrà meam ætatem esse considero, postpositis omnibus curis, de solâ morte cogito, sepulchrum meditor, à sepulchro mentis oculos non auello. Neque hoc solo infælix mens mea pauore contenta, in morte corporis considerationis suæ limitem figit: sed mox ad iudicium rapitur, quid sibi obijci valeat, quid ipsa defensionis obtendat, non sine magnâ formidine meditatur. Sed heu me miserum, atque inexhausto lachrymarum fonte lugendum! qui omnia mala commisi, & per tàm annosæ vitæ spatia nullum pænè mandatum diuinę legis impleui! Quæ enim miser homo mala non feci? Quibus me vitijs, quibus me criminibus non inuolui? Confiteor: cecidit in lacum miseriæ vita mea; perempta est in iniquitatibus meis anima mea. Superbia, libido, ira, impatientia, malitia, inuidia, gula, ebrietas, concupiscentia, rapina, mendacium, perjurium, stultiloquium, scurrilitas, ignorantia, negligentia, seu cæteræ pestes supplantauerunt me, atque omnia vitia, velut frementes bestiæ, deuorauerunt animam meam. Pollutum est cor meum, & labia mea. Contaminatus sum in visu, auditu, gustu, odoratu, & tactu. Et omnimodis, cogitatione, locutione, siue actione perditus sum. Et hæc quidem omnia mala commisi. Sed heu! proh dolor! dignos pœnitentiæ fructus numquàm attuli. Vnum inter hæc amarius deffeo, quo me perniciosius obligatum, teste conscientiâ, recognosco: scurrilitas nimirum mihi semper familiaris fuit, quæ & propter conuersionem numquàm me perfectè deserüit. Licet enim contrà

Thren. 3. v. 53
Quâ demisse de se sentiat S. Doctor.

contrà hoc, ferale monstrum sæpè pugnauerim, licet huius bestiæ nequissimos dentes malleo seueritatis attriuerim, ad tempus quidem reprimere, sed numquàm ex ea potui plenam victoriam reportare. Insolita namque cuiuslibet vitij consuetudo, licet omni studio ab animi penetralibus sit repulsa, assistit tamen sæpè quasi præ foribns importuna: & vel lambere summotenus nititur, si mordicus apprehendere prohibetur. Sub specie namque spiritualis lætitiæ dum me fratribus hilarem ostendere cupio, in vanitatis verba declino: & dum à solito rigore descendere fraternæ charitatis causa quasi discretè delibero, ad inutilia proferenda diffrænatam linguam indiscretè resoluo. Sed dum Dominus dicat: Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur; quale illis iudicium imminet, qui non modò fletibus non insistunt, sed vltrò etiam cachinnis, & vanis risibus histrionum more deseruiunt? Cumque consolatio non gaudentibus, sed mœrentibus vtique debeatur; quam consolationem expectare à venturo Iudice poterunt, qui se nũc ineptæ lætitiæ male-blanda iucunditate resoluunt? Rursum cum eadem Veritas dicat: Væh vobis, qui ridetis, quoniam flebitis; quid in tremendo iudicio dicturi sunt, qui non solum ipsi rident, sed insuper quędam scurrilia proferentes, risum audientibus violenter extorquent?

A spirituali lætitia facile in vanam declinatur.

Matt. 5. v. 5.

Luc. 6. v. 25.

Vbi notandum, quia cum inimicum animę sit ridere, perniciosius tamen est scurrilitatis verba proferre. Scurrilitati quippè deseruiens, & alios secum per vanam lętitiam destruit: & in hoc insuper reus est, quod otiosa verba inutiliter fundit Cum scriptũ sit: Omne verbũ otiosũ, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicij. Enimuerò dum hęc Euangelij verba considero, quid aliud, quam quoddam nobis commercium propositum esse perpendo? Quia nimirum & momentaneo risu perpetuus fletus emitur, & temporali fletu perpetua lætitia comparatur. Hinc est, quod sancti viri nunc omni studio fletus & lacrymas seminant, vt æterni gaudij fruges metant. Propheta attestante, qui ait: Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua; venientes autem veniunt cum exultatione, portantes manipulos suos. Debemus enim in agro cordis nostri virentia virtutum germina quasi propaginando componere, & hæc frequenti competentium imbrium inundatione rigare. Necesse est operibus lucidis ardenter insistere, & tamen salubrem fletus aquam, vbi superflua quælibet extinguantur, semper habere. Vnde legitur, quia Moyses fecit in tabernaculo septem lucernas cum emunctoriis suis: & vasa vbi, quæ emuncta sunt, extinguantur, de auro purissimo. Quid enim per septem lucernas, nisi septem sancti Spiritus intelligimus dona? Tunc enim septem lucernas in tabernaculo facimus, si in mente nostra sancti Spiritus charismata ex diuino munere componamus. Sed quia in ipsis sanctis operibus, quibus per afflationem sancti Spiritus ardentes insistimus, quædam superflua terrenæ corruptionis interserunt, cum lucernis etiam emunctoria necessa-

Mat. 12. v. 36.

Momentaneo fletu emitur perpetuus risus, & breui risu sempiternus mœror.

Psal. 125. v. 6.

Exod 25. v. 38. & 37. v. 23.

Quid per septem lucernas cum emũctoriis, & vasis significetur.

rio fiunt. Quid enim per emunctoria, nisi districtio pœnitētiæ designatur? Emunctorio namque, quod superuacuum est in lucerna, decerpitur; & districtione pœnitentiæ humanæ prauitatis culpa deletur. Vnde & Petrus quibusdam superflua perpetrantibus ait: Pœnitemini igitur, & conuertimini, vt deleantur vestra peccata. Ac si apertè dicat: emunctorium stringite, & excessus praui operis amputate. Rectè ergò cum lucernis & emunctoria fiunt; quia qui sancti Spiritus gratiam bonorum operum lumine resplendere contendimus, dum tamen humana corruptio superflua generat, pœnitentiæ remediis indigemus. Sed quoniã hæc ipsa superflua, quæ disciplina pœnitentiæ resecat, necessarium est, vt contriti cordis fletus extinguat, non immeritò Moyses post lucernas, & emunctoria, etiam vasa fuisse memoratur: vbi, quæ emuncta sunt, extinguantur. Vasa autem nostra sunt corda, quæ lacrymarum semper & fletus debent esse inundatione repleta. In quibus nimirum vasis & oleum illud reconditur, de quo in Euangelio perhibetur: Quia prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Si ergò & ij, qui claris operibus splendent, adhuc tamen fletibus indigent; quid de misero, meisque similibus sentiendum, qui tenebrosa multa commisimus: & bona, quæ luceant, non habemus? Quàm vberibus lacrymarum riuis debemus semper affluere, quàm continuo mœrori necesse fuerat iugiter insudare; & non alios in risum faceta quadam dicacis scurræ vrbanitate compellere, sed ipsi potius dimisso semper vultu lugubres apparere: quatenus perfectæ pœnitentiæ formam ipse quoque exterior cultus exprimeret, quæ in occulta cordis amaritudine principaliter æstuaret. Et non solùm nobis conferre curationis optatæ remedium, sed & aliis fructuosè pœnitendi præbere posset exemplum. Vnde rogo sanctitatem vestram, dilectissime Pater, & pedibus tuis me prostratus aduoluo, vt aduersus hoc ferale monstrum, scutum mihi sanctæ tuæ orationis obiicias, & serpentinum virus ex me sapienter incantando depellas: & non solùm pro hoc, sed & pro cunctis, quæ tibi suprà confessus sum, continuas Deo preces fundere, atque apud diuinas aures misericordiæ mihi locum studeas impetrare.

Act. 3. v. 19.

Matt. 25. v. 4.

EPIST. III. Ad P. Archipresbyterum.

ARGVMENTVM.

In huius Epistolæ fragmentis, duobus Hieremiæ prophetæ locis allatis, ostendit, quã sit futura luctuosa peccatoribus animæ à corpore egressio, quantique post mortem cruciatibus affligendi sint.

P. Archipresbytero . . . Petrus peccator Monachus.

ECce ego conuocabo omnes cognationes regnorum Aquilonis, ait Dominus; & venient, & ponent vnusquisque solium suum in introitu portarum Hierusalem, & super omnes muros eius in circuitu, & super vniuersas vrbes Iuda. Et loquar iudicia mea cum eis super omni malitia eorum, qui dereliquerunt me. Quæ profectò verba si præter illos terrenæ Hierusalem ciues ad alios non respicerent, nequaquàm hodie in sancta Ecclesia resonarent. Quæ sunt igitur illæ cognationes regnorum Aquilonis, nisi malignorum spirituum multitudines in frigidis adeò mentibus superbè regnantes? Hi solium suum vnusquisque in introitu portarum Hierusalem ponunt, cum egredientem de corpore infælicem animam circumposita, ne libera prodeat, obsidione custodiunt; vt eam secum nũc ad ignis supplicium pertrahant, in cuius antea frigida mente regnabant. O! quàm luctuosa, quàm lugubris est sera, & infructuosa illa pœnitentia, cum peccatrix anima iàm incipiens carnis carcere, quo inclusa tenebatur, absolui; respicit post se, dirigit oculos antè se. Videt post se velut angustissimum, atque breuissimum stadium vitæ mortalis emensum, videt antè se interminabilium longitudinem sæculorum. Perpendit quasi momentũ tẽporis celeriter aduolasse, quod vixit: contẽplatur infinitam prolixitatem temporum instare, quam incipit. Id enim breuissimum, quod est, velut in puncto, transcurrit: huic autem viæ, quam nũc ingreditur, nullus omnino finis occurrit. *Hier. 1. v. 15.* *Peccatoris animæ morientis miserabilis angustia.*

Ecce, ait Dominus, mittam in eos, in ciues videlicet Hierusalem, gladium, & famem, & pestem, & erunt in maledictionem, & stuporem, & in sibilum, & in opprobrium. Cur sit hoc factum, aperit, cum subiũgit: Eo quod nõ audierint, inquit, verba mea, quæ misi ad eos per seruos meos Prophetas, de nocte consurgens, & mittens. Quod autem dicit, de nocte consurgens, mittendi sollicitudinem indicat, & velocitatem; vt non in verbi prædicatoribus, sed in auditoribus potius torpor desidiæ valeat inueniri. Cum itaque Deus omnipotens humano more hominibus loquẽs, de nocte consurrexisse se, ac per hoc quasi somnum se interrupisse conqueritur; quod nobis opprobrium valet obiicere, si nobis in vltimo necessitatis periculo constitutis, velut hæc permeritò responderet? Ego propter vos cum essem Creator, factus sum creatura; ego propter vos irrisiones, & opprobria pertuli, Crucem subij: & cuncta, quæ vobis debebantur, tormenta percurri; vos tamen me non audistis, & legis meæ cerimonias, & mandata spreuistis. Porrò si illis improperabat seruos à se missos, quantò terribilius nobis improperabit semetipsum? si illis somnum improperabat interruptum, quantò magis nobis valet obiicere se pro nobis mortuum, ac sepultum? Non liberat Deus Iudæos vallantium hostium obsidione conclusos, quia destinatos ad se famulos contempserunt; & quomodò Christianos audiet, qui missa per Filium Euangelica præcepta spreuerunt? Nam qui non audit Deum, non auditur à Deo, Vnum est, quod mens cuiusque fidelis *Hier. 19 v. 17. Ibid. v. 19.* *Quid homo debeat anxiè perquirere, & intra se assiduè cogitare.*

debet assiduè, solerter attendere, & intrà semetipsum sollicita sẽper inquisitione versare: scilicet, vtrùm placeat Deo quod egit, an & in eius vita Deus, vel operibus delectetur. Quid enim prodest, quidquid faciat homo, si hoc nõ placeat Deo? Sic de Dauid dicitur: Quæsiuit sibi Deus virum iuxtà cor suum. Nam si nunc Conditor non delectatur in homine; homo postmodùm delectari non poterit in Conditore. Vnde legitur in vita Patrum, quia cum falsus quidam famosus, & magni nominis solitarius propinquaret ad exitum, tartareus ad eum spiritus venit, qui tridentem igneum in manibus attulit; & ecce vox ad eum facta est: sicut, inquit, anima ista vel vna hora me in se requiescere nõ permisit, sic neque tu miserearis euellens eam. Tunc nequam spiritus tridentem igneum cordi morientis infixit, & animã eius, sicut erat iussus, euulsit. . . .

1. Reg. 13 v. 14. & Act. 13. v. 22.

EPIST. III. Ad P. Archipresbyterum.

ARGVMENTVM.

In huius Epistolæ fragmento ex quodam loco Hieremiæ ostendit, quam sit detestabilis clericorum intemperantia.

P. Archipresbytero. . . . Petrus peccator Monachus. . . .

Hier 13. v. 1. VAde, inquit Dominus, ad Hieremiam, & posside tibi lumbar lineum, & pones illud super lumbos tuos: de quo & paulò post, surgens, inquit, vade ad Euphraten, & absconde illud ibi in foramine
Ibid. v. 4. petræ. Quod cum fecisset, & in Euphrate, sicut iussus fuerat, abscondisset, post plurimos dies ait Dominus ad eum: Surge, & vade ad Euphraten, & tolle inde lumbar. Et abij, inquit, ad Euphraten, & tuli lumbar de loco, vbi absconderam illud: & ecce computruerat, ita vt nulli vsui aptum esset. Et ait Dominus: sic putrescere
Ibid. v. 6. faciam superbiam Iuda, & superbiam Hierusalem multam, populum istum pessimum, qui nolunt audire verba mea, & ambulant in prauitate cordis sui; & erunt sicut lumbar istud, quod nulli vsui aptum est. Quid hic Hieremiæ persona, nisi Dominum? Quid lumbar,
Esa. 49. v. 18. nisi ordinem significat clericorum? Omnis Ecclesia vestis est Christi, de cuius sibi membris per Prophetam dicitur; Omnibus his velut ornamento vestieris. Sed sicut lumbar intimum est humano corpori, & arctius adhæret, quàm reliquæ vestes; ità clericalis ordo familiarius diuinis agglutinatur obsequiis, quã cæteri homines. Sicut illic de Israë-
Hier. 13. v. 11. litico populo diuina vox ait: Sicut enim adhæret lumbar ad lumbos vi-

Clerici magis intimè Deo sunt copulati quam cæteri homines.

ri, sic agglutinaui mihi omnem domum Israël, & omnem domum Iudâ, vt esset mihi in populum, & in nomen, & in laudem, & in gloriam, & non audierunt. Quibus, quæso, tàm aptè, tam expressè, sicut clericis, possunt ista congruere, qui nomen Dei, laudem, & gloriam specialiter constituti sunt prędicare? Sicut enim Israel, & Iuda peculiaris erat populus Deo inter omnes gentes terræ; ita nunc clerici specialiter adhærent Christo præ cunctis membris Ecclesiæ. Isti nempe sunt lumbar lineum arctiori diuino corpori familiaritate connexum. Linum siquidem laboriosè peruenit ad candorem, & clerici modò litterarum studijs insudando, modò per interualla temporum quibusdam gradibus ascendendo, difficilè promouentur ad sacri ordinis dignitatem: alioquin si quis contentiosus astruat, hoc iuxtà Scripturę seriem historialiter factum, nec spiritualiter intelligendum; quomodò Hieremias potuit inter innumerabiles Assyriorum, Chaldæorumque nationes vrbem Hierusalem constipatis agminibus obsidentes, lumbari præcinctus exire: idque in Euphrate, qui tàm longè decurrit, abscondere? Postmodùm quoque profligato diuturni temporis cursu, quo pacto quasi securus rediјt, illudque putrefactum, sicut Scriptura testatur, inuenit; cum Hierusalem videlicet fossâ, vallo, castellis, & tam crebrâ vndique esset munitione circundata? Nam cum aliquandò idem Propheta ad Anathoth viculum suum in tertio milliario ab vrbe situm conaretur exire, in portâ protinus capitur, ad Principes trahitur, grauiter verberatur & tamquam transfuga, siue patriæ proditor in carcerem truditur. Quia ergò non consequitur, vt intelligatur historialiter factum, constat proculdubiò typicæ figuræ non deesse mysterium. Benè ergò per lumbar lineum, iuxtà hæc, quæ superius dicta sunt, chorus exprimitur clericorum. Quod autem hoc lumbar in Euphrate, hoc est, in aquoso loco; & in foramine petræ, id est, in obscuritate, atque vmbrâ poni iubetur, quid per hoc exprimitur, nisi illa clericorum pars, quæ sub † voluntatis vmbrâ, & in fluxu luxurię commoratur? De quorum duce in libro Iob Dominus dicit, Sub vmbra dormit, in secreto calami, & locis humentibus. Protegunt vmbræ vmbram eius, circumdant eum salices torrentis; atque, vt ostendat quantum cum suis familiaribus in habitatione fluminis delectetur, protinus addidit: Ecce, absorbebit fluuium, & non mirabitur: habet enim fiduciam, quod influat Iordanis in os eius. Quod autem dicitur, fuisse positum in foramine petrę, potest non inconuenienter intelligi intra septa Ecclesiæ: quasi enim in foramine petræ clerici recluduntur, dum intrà Ecclesiæ limina suis excubare ministerijs sedula frequentatione iubentur. Lumbar ergò in humenti loco positum putruit, quia de his, qui in luxuriæ fluxibus immorantur, Propheta testatur: Computruerunt iumenta in stercore suo. Iumenta quippè in stercore suo computrescunt, dum quique carnales, ac sordidi vitam suam in luxuriæ fœtore concludunt. Nulli etiam vsui aptum repertum est, quia & Dominus ait: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò,

Hier. 37. v. 12.

† voluptatis f.

Iob. 40. v. 16.

Ioel. 1. v. 17.

Luc. 9. v. 62.

aptus est regno Dei. Ac si apertè dicat: Quisquis dictante sui ordinis regula pudicitiæ semel arripit stiuam, si postmodum per ardorem libidinis oculos reflectit ad Sodomam, quia iam mōtana desperat, regno Dei se prorsus inutilem factum esse demonstrat. Ad instar ergò lumbaris in humecto loco positi clerici computrescunt, dum humidos crapulâ, & ebrietate ventres ingurgitant, dum illuuie se libidinis & cœnosæ luxuriȩ fluentis inundant: sicque cunctis vsibus redduntur inutiles, quia quò magis videntur in carne virescere, eò deterius marcescentes obsolescunt in squalentis animæ fœditate. De quibus in Psalmo, Corrupti sunt, inquit, & abominabiles facti sunt in voluptatibus suis.

Psal. 13. v. 1.

EPIST. V. Ad Almericum Archidiaconum.

ARGVMENTVM.

Almericum Archidiaconum quantâ beneuolentiâ prosequatur, ostendit, dum eum plusquàm fratres à se amari dicit. Laudat eumdem, rogatque, vt suum librum ad se remittat: itemque pisces aliquot ad monasterij vsum necessarios ad se transmittat.

Domno Almerico Archidiacono, Petrus peccator Monachus fraternæ charitatis affectum.

QVantus ergà te, fili charissime, meæ mentis amor inferueat, quàm tenax, ac peruicax tui memoria de nostro pectore non recedat; is, qui charitatis Auctor est, sincerissimo cordi tuo sanctus Spiritus innotescat. Conscientia siquidem teste, non mentior, illos etiam apud me vis tuæ dilectionis excedit, quos mihi necessitudo germanæ consanguinitatis astringit. Et certè dignum est, vt dilectio spiritualis amorem superet carnis. Verumtamen doleo, quod aromatica virgula inter littorei sabuli glareas nuper ex orta, in eodem subsicicio cernitur altius radicata. Quæ nimirum si de sterilibus, in quibus vtcumque viuit arenis, transplantaretur in hortum militiæ spiritualis, illud proculdubiò germen afferret, cuius non dicam fructus, sed ne folium quidem, iuxtà Psalmi præcedentis oraculum deperiret. Semper enim sicut cedrus Libani, vel sicut palma viresceret, & sicut oliua fructifera in domo Domini perpetui decoris oleas germinaret. Sed hęc satis, superque. Tædet enim laborare scribentem, quod non libenter admittere cognouerit auditorem. Et vbi cor audientis materia stimulat, prolixæ scriptionis articulus non delectat. Cęterum si te cognoscerem talibus aurem libenter apponere, videretur mihi, quod Demosthenem, vel Tullium facilè possem in

Spiritualis dilectio carnalem amorem sæpe superat.

Psal. 91. v. 13.

Studiosus auditor dicentem reddit eloquentem.

affluentia sermonis æquare. Remitte mihi libellum nostrum. Et quia nos carnes in secunda feriâ non comedimus, aliquot nobis pisces dirigi pro Dominicæ natiuitatis gloria postulamus; vt quod fratribus mittitur in tuos vtrumque valeat redundare parentes, quatenus dum istos refectio terrena refrigerat, pro illis orationum vota persoluant. Dilectissimos, atque dulcissimos fratres meos Iulianum, atque Fuscardum, & egregium Filomelam, † Domini Corbulonem, qui me copiosi sumptus humanitate refecit, ex mea parte saluta, meque non frigidum in eorum charitate denuncia. † Dominũ f.

Pio lectori salutem.

Has duas Epistolas, quæ sequuntur sub Leonis, & Alexandri Romanorum Pontificum nomine ideo hic inseruimus, quoniam a S. Doctore illorum nomine scriptas, stilus docet, & MSS. Codices aperte testantur.

EPIST. VI. Ad Clerum, & populum Auximanum.

ARGVMENTVM.

Leo IX. scribit ad Auximanos, præcipiens sub anathematis pœna, vt pessimam consuetudinem, quæ in eorum præcipue ciuitate inualuerat, corrigerent, & abrogarent, defuncto scilicet Episcopo bona ecclesiastica concursu populari facto diripiendi.

Leo Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis in Christo filijs omnibus Auximanis Clero, & populo salutem, & Apostolicam benedictionem.

QVia auctore Deo, sic nobis vnius Ecclesiæ cura specialiter est commissa, vt per dignitatem Apostolicæ sedis etiam cæterarum ecclesiarum generalis sit prouisio delegata, nostro competere videtur officio non solum quæ hactenus aduersus easdem ecclesias temerarijs ausibus sunt vsurpata, corrigere: sed etiam ne rursus eadem præsumant in posterum prouidere. Peruersam autem, & prorsus execrabilem quorumdam Plebium consuetudinem, fama vulgante, cognouimus, vt videlicet suo defuncto Episcopo, domum Episcopij hostiliter irrumpentes inuadant, facultates eius, prædonum more, diripiant, prædiorum domos incendant, vites, insuper & arbusta bestiali immaniores feritate succidant. Quod nimirum nisi ecclesiastici vigoris fuerit censura correctum, haud dubium quin regionibus illis repentini

furoris immineat gladius. Si enim honorare parentes primum dicitur in repromissione mandatum; si maledicens patri, vel matri multari morte præcipitur: cuius animaduersionis sententiâ digni sunt, qui non carnales genitores persequi gestiunt, sed ipsam matrem suam Ecclesiam, in quâ ex aquâ, & Spiritu sancto regenerati sunt, viperinum genus dissipare contendunt? Et si enim sacerdos quilibet ex debito humanæ conditionis obijt; sed Christus, qui animarum nostrarum Episcopus est, ex virtute diuinitatis in æternum viuit. Sicut enim Paulus dicit: Plures facti sunt sacerdotes secundum legem, eo quod morte prohiberentur permanere, Iesus autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Deum ergo inhonorare conuincitur, qui mortali Episcopo † terrenâ pressus formidine, ab ecclesiæ se læsione cohibuit; defuncto autem eo, ad iniuriam Christi, qui immortalis Ecclesiæ sponsus est, fel odij, & virus malitiæ, quod eatenus occultabat, effudit. Et fortassis Episcopus in vita sua aliquem læsit: sed Christus, qui Ecclesiæ custos relictus est, quid peccauit? Si ergo illi, qui nocuit, malum pro malo non redditur, cur æterno Pontifici, qui nobis bona pro malis reddidit, reuerentia non habetur? Verumtamen si Ecclesiæ prædo Dei Filium immortalem proculdubio pontificem crederet, si eum vbique præsentem omnia nosse, ac posse consideraret, coram eius oculis admittere tam impium, tam sacrilegum facinus non auderet. Sed verè in illo completur, quod per Psalmistam dicitur: Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Porrò si ij, qui bona sua Ecclesię conferunt, proprij reatus absolutionem fælici commercio promerentur, consequenter etiam illi, qui ecclesiasticas facultates barbarica feritate deripiunt, in æternæ damnationis voraginem cadunt. Qui nimirum nouo, & incomparabili criminis genere sic Iudaicam perfidiam superant, vt non modò Gentilium errorem, sed & hæreticorum prauitatem detestabiliores excedant. A quibus videlicet Christus iterum crucifigitur, & corpus eius, quod est Ecclesia, crudeliter laceratur. Reprimatur ergo ausus illicitus, & nefarius diabolicæ instigationis cohibeatur excessus. Abstineat manus audax ecclesiastico patrimonio, ne victus pauperum pereat; ne quod ex oblatione fidelium iam Deo factum est sacrificium, præda raptorum fiat.

[Margin: Exod. 20. v. 12. & Deut. 5. v. 16. — Exod 21. v. 15. & Leuit. 20. v. 9. — Contra expilatores domus Episcoporum. — 1. Pet. 2. v. 25. — Hebr. 7. v. 23. — † viuente addid. — Psal. 13. v. 1.]

Quisquis autem huius nostri Decreti improbus temerator extiterit, ex parte Dei omnipotentis, & auctoritate beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, anathematizandum esse decernimus, & vt reuera putridum membrum excommunicationis ferro à sanctę Ecclesiæ corpore detruncamus. Sit igitur, nisi resipiscat, anathema Maranatha, omnesque maledictiones Hebal super caput suum descendisse cognoscat. Obseruatoribus autem gloriam, & honorem, & incorruptionem, quærentibus vitam æternam. Amen.

[Margin: Anathema contra bona ecclesiastica diripientes. — 1. Cor. 16. v. 23. — Deut. 27. v. 15.]

EPIST.

EPIST. VII. *Ad Clerum, & Populum Mediolanensem.*

ARGVMENTVM.

Alexander II. Mediolanensis patriâ, Romanus Pontifex creatus, scribit hanc Epistolam ad suos ciues, in quâ postquàm paternam, quam de eorum salute gerebat, sollicitudinem humanissimis verbis ostendit, hortatur, vt nihil humile, nihil terrenum cogitantes, ad cælestia toto animi impetu, & ardore se extollant.

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei, omnibus Mediolanensibus Clero, & Populo salutem, & Apostolicam benedictionem.

DIuini iudicij dispositione prouisum est, vt Mediolanensis Ecclesiæ filius, & Ambrosianis vberibus sublactatus, ad famulatum Apostolicæ Sedis indignus ascenderem, ac Matri omnium Ecclesiarum pastoralis curæ sollicitudine deseruirem. Vnde cum totius vniuersalis Ecclesiæ cura nobis non leuis incumbat, propensius circa vos ipsa natura nos prouocat esse peruigiles: vt vnde nos constat originis duxisse primordium, ibi etiam maioris ad æternam salutem habeamus sollicitudinis incrementum Nam & ignis ea prius ligna conflagrat, ex quibus oritur; & fons illas ante omnia terræ venas infundit, ex quibus profluens deriuatur. Vnde vos, dilectissimi, paternæ dilectionis studio cohortamur, vt ad cælum se vester spiritus erigat, deceptoria terrenarum rerum, & caduca lucra contemnat, ab amore cœnosi huius mundi se prudenter expediat, ad Creatoris sui desiderium medullitus inardescat. Estis enim, sicut beatus dicit Apostolus, Gens sancta, populus acquisitionis, vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum. Quibus ergo hęreditas incontaminata, immarcescibilis conseruatur in cęlis absit, vt eorum mens per amorem rebus sit inuoluta terrenis.

Clericorum conuersatio cælestis esse debet.

1. Petr. 2. v. 9.

Planè, quia etiam vulgaribus loquimus, vulgatum scripturæ testimonium libentius adhibemus. Mementote itaque, fratres mei, quod in oratione Dominica dicitis: Pater noster, qui es in cęlis. Quem itaque Patrem vocamus, ad eius hęreditatem totâ mentis concupiscentiâ festinare debemus. De terrenâ porrò hæreditate scriptum est: Hęreditas, ad quam in principio festinatur, in nouissimo benedictione carebit. Cur ergò cum dicimus, Pater noster, præsto subiungimus, qui es in cælis? & non potius, qui es in terris, videlicet quæ nobis notiores sunt? siue qui es in aquis, aut in abyssis, cum vbique Deus sit, nihilque ab eius omnipotentiâ vacuum sit? sed cum dicimus, Pater noster, iccircò

Matt. 6. v. 9. Luc. 11. v. 2. Prou. 20. v. 21. Quare dicamus Pater noster, qui es in cælis.

addimus, qui es in cælis, vt ad illam cælestem hæreditatem sese noster animus erigat: atque in tam sublime germen adscitus, vt sit hæres Dei, terrena quælibet ignobiliter non requirat. Enimuerò pater fidei Abraham plures habuit filios, sed solus ille nobilis, qui fuit vxoris: qui verò ex concubinarum sunt ignobilitate suscepti, paternæ hæreditatis successione leguntur exclusi. Porro autem dum eos aleret Abraham, omnes dicebantur filij Abrahę; at verò cum ad testamentum venitur, qui sit legitimus hæres, qui fieri debeant hæredes, patenter ostenditur. Nam,
Gen. 25. v. 5. Scripturâ testante, Dedit Abraham omnem hæreditatem filio suo Isaac: filijs autem concubinarum dedit munera, & segregauit eos à filio suo Isaac. Ecce itaque omnes dicebantur filij, sed non omnes hæreditatis paternæ sunt iura sortiti. Sic profectò, fratres, quam plures sunt hodie Christianæ professionis titulo decorati, qui videlicet in Christi hæreditate nequaquam merentur adscribi: & nunc quidem paterno vocabulo gloriantur, sed nequaquam ad hæreditanda paterna bona perueniunt, quia velut spurij non cælestia, sed terrena ignobiliter concupiscunt.

Vos autem, dilectissimi, membra mea, viscera animæ meæ sic satagite per viam mandati cælestis incedere, vt mens nostra merito semper debeat de sanctâ consanguineorum suorum conuersatione gaudere. Speramus autem in eo, qui de Virgine dignatus est nasci, quia nostri ministerij tempore sancta clericorum castitas exaltabitur, & incontinentium luxuria cum cęteris hæresibus confundetur.

Omnipotens Deus, dilectissimi fratres mei, ab omni vos prauitate custodiat, & per iustitiæ semitam ad cælestia vos regna perducat.

EPIST. VIII. Ad Clericos Florentinos.

ARGVMENTVM.

Eos, qui flagellis corpus sponte cædendi morem tamquam nouum, & sacris canonibus contrarium irridebant, vehementer hac Epistolâ redarguit.

Religiosis fratribus sanctæ Florentinæ Ecclesiæ Clericis, Petrus peccator Monachus sinceræ charitatis obsequium.

DIgnum est, vt & non poscentibus innocens satisfaciat, cum passim etiam audire nolentibus liuidus detractor accusat: nec otiosum est, si eisdem auribus, quibus mendacium falsiloquus ingerit, libera

conſcientia ordinem perſpicuæ veritatis exponit; quatenus & auditor vanitati fidem adhibendo non peccet, & accuſati fama ad aliorum perniciem non laboret. Quod igitur de Monachici ordinis exercitijs ſcripſi, & ſcoparum præcipuè diſciplinis monachus monacho ſpecialiter miſi, nec laicorum, ſiue etiam Clericorum notitiæ prodenda mandaui; vrbici autem Eremitæ, forenſes videlicet, ſolitarij, Monachi vniuerſales id ſolum machinati ſunt de medio ſtyli currentis excerpere, quod ſcandalum poſſet monachici feruoris arcana neſcientibus generare. Sed teſtes mihi ſunt fratres, qui ſub inſtitutione ſanctæ regulę regulariter viuunt, hoc me apicibus tradidiſſe, quod ipſi quotidie ſatagunt operibus exercere. Nec aliud relationis ſeries protulit, quam quod tritæ, & inolitæ operationis conſuetudo dictauit. † Quod autem ſub monachicę profeſſionis nomine Plebibus imperant, qui in angulis conſtituti, tanquam in tribunalibus, ſiue prætorijs pragmaticæ ſanctionis iura promulgant, qui alios lacerando, & mordendo, ſolis ſibimet rigidæ iuſtitiæ priuilegium arrogant, quid in humilitate Crucis Chriſti inter monachos agatur, ignorant: & hoc prodigium deputant, quod alij quotidiani vſus aſſiduitate frequentant. Ecce, inquiunt, peregrinando carina, ecce noua pœnitentia, & tranſactis tot ſæculis hactenus inaudita. Si hoc ſemel admittitur, ſi ratum ducitur, ſi tenetur, omnes profecto ſacri canones deſtruuntur, antiquorum Patrum præcepta depereunt: &, vt Iudæus dixerat, Paternæ traditiones ad nihilum rediguntur. Quæ profecto verba a charitate, quod eſt funditus aliena, ſed a bruta, ac beſtiali prob antur ebullire vecordia. Numquid enim Redemptor noſter verbera, Euangelio teſte, non protulit? Numquid non Paulus quinquies quadragenas vna minus accepit? Numquid non Apoſtoli omnes flagellis cæſi? Numquid non, & ſancti Martyres ludibria, & verbera ſunt experti? Numquid non Moyſes verberibus affici reos in lege præcepit? Numquid non beatus Hieronymus, & alij nonnulli flagellis mactati, Deo præſide, referuntur? An eamdem, quam & ab inuitis interdum Deus omnipotens exigit, ab vltro offerentibus ſuſcipere pœnitentiam recuſabit? Sed forte dicturus eſt oblocutor, quia qui ſanctos non a ſe, ſed ab alijs cæſos fuiſſe, Scriptura teſte, cognouimus, noſmetipſos extra eorum normam caſtigare proprijs manibus non debemus. Cui videlicet obiectioni facile, quod reſpondeatur, occurrit; quia cum nos Domini Crucem vltronea mortificatione deferimus, niſi ad exemplum eius in Crucis ſtipite a perſecutoribus configamur; & cum ſopito iam perſecutionis articulo crucifixores deſint, incaſſum de cætero Crux tollenda præcipitur, cum nullum dimicanti ſuppliciuma tortoribus irrogetur. Quod ſi væſanum, & abſurdum eſt credere, illud pœnitentiæ genus Dominum in afflictione noſtra deſpicere, quod in ſemetipſo dignatus eſt pro noſtra ſalute perferre; quid mirum, ſi puniendo

† Qui ſ. Religionem mentientes ſugillantur.

Act. 6. v. 14. & Gal. 1. v. 14. Mar 15. v. 16. & Ioan. 19. v. 1. 2. Cor. 11. v. 24. Act. 5. v. 40. Hebr. 11. v. 36. Deut. 25. v. 2. Hiero. epiſt. 22. ad.

Cur nos debeamus ſpõte flagellare.

commissa suimet se exhibeat homo tortorem, & ad euadendum iudi-
1. Cor. 11. v. 31. cium sibi se constituat iudicem? Dicente Apostolo: Si nosmetipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur. Sicut enim non temeritatis arguendus est, qui non modo sacerdotali præcepto, sed & sponte ieiunat;
3. Reg. 21. v. 27. ita quoque non frustra laborare censendus est, qui se non alienis dumtaxat, sed & proprijs manibus afficiendo castigat. Quod si Achab, reprobi videlicet Regis, cilicium diuina pietas non contempsit, quam benignè, quam misericorditer illum desuper aspectare credendus est, qui se velut in atrocissimo crimine deprehensum, nudum diuinis aspectibus obtulit, accusatorem, pariter & tortorem; reum simul & testem: censorem nihilominus, & carnificem fecit? Optime pœnitet qui dum carnem verberibus mactat, lucrum, quod delectatione carnis amiserat, afflictionibus recompensat: & salubrem illi nunc amaritudinem ingerit, cuius olim noxia delectatione peccauit. Nihil differt quibus pœnis caro pœnitentis addicitur, dummodo voluptas præcedentis illecebræ vicaria repressi corporis afflictione mutetur. Quod si non facientibus noua, ac proinde reprehensibilis videtur disciplina virgarum, & ad liuidæ persuasionis ineptiam iudicatur destructio canonum, abolitio decretorum? numquid venerabilis Beda redarguendus esse videbitur, qui post antiquorum sententiam canonum, quosdam pœnitentes ferreis asserit circulis astringendos? Numquid sanctorum Patrum vita iure conspuitur, quæ alios per ogdoadas, & pentadecas in vepribus stando, alios de sole in solem rigidas vlnas in aëra suspendendo, alios in defossis specubus iugiter latitando, reatu sui pœnitentiam peregisse testatur? Numquid & beatus ille Macharius digne ridebitur, qui dum se minimum quid admisisse pœnituit, acutissimis culicum rostris, quæ videlicet apros transfigerent, per sex menses membra sua nudus exposuit? Numquid & Niniuitarum pœnitentia contemnenda est, qui nec iumenta per triduum pascere permiserunt? Quia igitur hæc, & alia multa pœnitentiæ genera sacris non reperiuntur inserta canonibus, numquid penitus execranda sunt, & Patrum sanctionibus perhibenda sunt esse contraria? Erubescat ergo lingua frenetica, & quæ nescit esse facunda, discat esse vel muta: nescit vtiliter verba depromere, sciat saltem sine læsione tacere.

Spontanea flagellatio est optimũ pœnitentiæ genus.

Pœnitentiæ exempla ex sanctis Patribus petita.

Pallad. hist. SS. Patr. sect. 17.

Iona 3. v. 7.

Sed dicat mihi censor iste fratrum, & doctrinæ magister ignotæ; qui nimirum sic sibimet super discipulos intempestiuam arrogat ferulam, vt nec dum præceptori præbuerit clientelam, dicat, inquam, cum sacerdotes ecclesiæ annosam indicunt quibusdam peccatoribus pœnitentiam, nunquid non aliquando certam pecuniæ præfigunt pro annorum redemptione mensuram? vt nimirum facinora sua eleemosynis redimant, qui longa ieiunia perhorrescunt? Sed quia hæc pecuniæ redemptio in antiquis Patrum canonibus minime reperitur, absurdum esse, & friuolum iudicabitur? Quod si hoc laicis indulgetur, vt peccata sua eleemosynis redimant, ne surripiente mortis articulo, ex hac vita sine reatus sui

Pœnitentiæ laicis in eleemosynis commutantur.

Dan. 4. v. 24.

quod absit, absolutione recedant; quid monacho præcipiendum erit, qui & longam fortè pœnitentiam, peccatis exigentibus, accipit: & pecunias olim funditus, quibus redimatur, abiecit? Numquid si pro humanæ fragilitatis intuitu peccatum redimi nummorum summa præcipitur, pro peccato carnis afflictio merito respuetur? Quid enim mirum si caro, quæ nos in exilium læta deiecit, versa vice ad patriam afflicta reducit? Et per hoc idem, cui dudum noxiè consentiendo peccauimus, ad ipsum nunc castigando salubriter emendemus? Atque, vt ita loquar, eadem bestia iam humilis facta, curandum medico collisum hominem vehat, quem primitus infrunita, atque vesaniens impatienti calce percusserat? Immo quid nouum, si terra, quæ spinas antè, vel paliuros attulerat, eisdem tribulis putrescentibus exculta, postmodum & læta pinguescat? Obstruatur igitur os iniqua loquentium, & qui propria nesciunt errata corrigere, alienam saltem iustitiam verbis desinant mordacibus lacerare: & quæ ipsi nesciunt cum spiritualibus agere paueant obtrectatoriè cum sæcularibus irridere.

Vos autem, dilectissimi, quos & religiosa vita sanctificat, & cælestis sapientiæ fulgor illustrat, sibilantia serpentium ora reprimite, & pestiferum virus, ne ad multorum perniciem tanta libertate perefluat, vestris auctoritatibus obuiate: & quia, iuxta verbum Domini, vos estis sal terræ, quidquid amaritudinis imperitorum hominum rusticitas exhibet, totum prudentissimę grauitatis vestrę sapor obdulcet. Plura scripturus eram, sed dum manus ad iaciendos apices properat, finita schedula, nuncius etiam expedite præcinctus, equitare festinat. *Matt. 5. v. 13.*

EPIST. IX. *Ad Clericos Fanenses.*

ARGVMENTVM.

Orta dissentione inter Fanensis Ecclesiæ Canonicos, alijs in commune bonis Ecclesiæ collatis, alijs seorsim sibi viuere volentibus, scribit ad eos hanc Epistolam, in qua prolixè eosdem hortatur, vt deposita omni contentione, Apostolorum, & primitiuæ Ecclesiæ morem sequantur: Canonici non tam nomine, quam re esse velint. † Quod multis etiam rationibus eis persuadere conatur; non posse enim inter eos esse vnionem animorum, inter quos est facultatum: ac multa alia in eandem sententiam perscribit. † Diuisio f.

Sanctis in Christo fratribus Fanensis Ecclesiæ Clericis, Petrus peccator Monachus salutem.

Diu est, dilectissimi, quod in his partibus fama vulgauit, non paruæ simultatis inter vos emersisse discordiam, ob id videlicet, quia nonnulli vestrum aggrederentur in Canonica regulariter viuere, plerique autem non acquiescerent, volentes tantum apud se in suis proprietatibus habitare. Quod quidem non miramur, quia rarum non est; sed dolemus potius, quia inhonestum est. Satis enim videtur absurdum, vt Clerici quis prætendat in ordine speciem, & sæcularium teneat viuendo conuersationem: & quem à laïcorum turbis professionis conditio separat, turpè est si vel domestica conuersatio, vel peculij abominanda proprietas laicum esse conuincat. Quid enim illius poterit concupiscentiam satiare, cui non potest ipse Deus in possessione sufficere? Clericus quippè, sicut iuxta sui etymologiam vocabuli, ipse sors Dei est, ita nihilominus & Deus omnipotens eius esse portio perhibetur. Vnde & Hieremias ait: Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea expectabo eum. Et alibi Deus, opus, inquit, manuum mearum tu es, hæreditas mea Israël. Si igitur Clericus Dei est portio, & Deus portio eius; non leuem Creatori suo contumeliam videtur inferre, qui super hoc singulare talentum terrenam æstuat pecuniā cumulare. Nam & in libro Numeri de Leuitis Deus Moysi præcipit, dicēs: Tolles Leuitas mihi pro omni primogenito filiorū Israël. Ego sum Dominus: & pecora eorum pro vniuersis primogenitis pecoris filiorū Israël. Et iterū: Tolle Leuitas pro primogenitis filiorū Israël, & pecora Leuitarum pro pecoribus eorū: eruntque Leuitę mei. Ego sum Dominus; in præceptis meis ambulent. Ac si manifestius dicat: sicut eos mihi in proprium ius specialiter vindico, sic mihi iugiter deseruire absque omni terrenæ cōuersationis subiectione decerno: nec eos velut seruos iugo negotiorum sæculariū patior ignobiliter subiici, qui meis obsequiis dediti, libertatis ingenuæ sūt titulo decorati.

Nihil illi satis esse potest, cui Deus parum est.

Trem. 3. v. 14.
Esai. 19. v. 25.
Num. 3. v. 41.
Ibid. v. 45.

Et notandum, quod non solum Leuitas, sed Leuitarum etiam pecora Dominus sua esse testatur; vt perspicuè doceat, quod ij, qui Ecclesiasticis mancipantur obsequijs: Deo debent non modo suæ sedulitatis, & laboris impendium, sed etiam proprietatem quoque earum, quas possident, facultatum: Sciantque se, simul & sua iuris esse non proprij, sed diuini. Hoc autem tempore Clericis, quod de quibusdam loquor, parum videtur, si sua Deo, viuendo carnaliter, subtrahant: nisi etiam ab Ecclesiasticæ procurationis excubiis per angiportus, & nundinarum stationes habitando succedant. Nimirum suauius iudicantes, si cauponum tabernas olfaciant, quam si diuini sacrarij quotidie limen terant: magisque delectat eos textricum gynæcēa conspicere, quàm cælestis eloquij paginis incubare. Puer planè Samuel post ablactationē nequaquam domum cum parentibus remeat, sed circa templi ministerium iugiter perseuerat. Ioannes, vt innocentis vitę mundiciam teneat, ad squalentis eremi solitudinem tenera adhuc ætate festinat: illicque gratiam propheticæ prædicationis accepit, quam in turbis popularibus degens, promereri non potuit. Nunc autem è contra ij, qui diuinis sunt cerimo-

Clerici non habent proprietatem rerum, quas possident.

1. Reg. 1. v. 22. & v. 11. & 3. v. 1.
Matt. 3. v. 1.
Marc. 1. v. 4.
& Luc. 3. v. 3.

niis mancipati, Ecclesiæ sacraria remota contemnunt, habitare verò inter forensis strepitus murmura concupiscunt.

Sed audiamus, quid de metandis Leuitarum castris auctoritas diuina præcipiat, sicque possumus iure perpendere, vbi potissimum Clerici debeant habitare. Tribum, inquit, Leui noli numerare, neque pones summam eorum cum filiis Israël: sed constitue eos super tabernaculum testimonij, & cuncta vasa eius, & quidquid ad cerimonias pertinet: ipsi portabunt tabernaculum, & omnia vtensilia eius, & erit in ministerio, ac per gyrum tabernaculi metabuntur. Et paulò post, cum præmisisset, metabuntur autem castra filij Israël vnusquisque per turmas, & cuneos, atque exercitum suum; præstò subiunxit: Porrò Leuitæ per gyrum tabernaculi figant tentoria. Si igitur ex præcepto Domini Leuitæ castra sua iuxta tabernaculum figunt, nec secedere tabernaculo, vel inter turbas habere hospitium permittuntur, cur nunc Clerici iuxta diuinæ constitutionis edictum abhorreant apud Ecclesiam degere, vt tanto liberius, quanto quietius in sacri eloquij valeant meditatione vacare? & saltem hoc præstent Ecclesiæ, quam Euangelicæ gratiæ splendor illustrat, quod illi deferebant tabernaculo, quod sub ignorantiæ tenebris ænigmatum figuræ velabant. Et certè valdè præposterum est, si illa nunc denegetur reuerentia veritati, quæ tunc adumbratæ deferebatur imagini. Nam quod illud tabernaculum non ipsa veritas, sed potius fuerit veritatis exemplar, testatur Dominus, dum præcipit Moysi: Vide, inquit, omnia facito secundum quod tibi monstratum est in monte. Quod ergo Moyses vidit in monte, veritas nostra fuit; quod Israëlitis tabernaculum fecit, imago fuit tantummodo veritatis. Ministri tunc tabernaculi comedebant manna proculdubio morituri; in Ecclesia verò Christi sacramenta percipimus, in æternitate victuri. De qua videlicet Ecclesia dicit Paulus: Quia est tabernaculum verum, quod fixit Deus, & non homo. Porro autem templum Salomonis quam iuges, quamque sollicitas ministrorum habuisse legatur excubias, quia vos ignorare non credimus, scribere superfluũ iudicamus. Quis enim illud præsertim libri Paralipomenon perspicuè non aduertat; quia constituit Salomon iuxta dispositionem patris sui Dauid officia sacerdotum in ministeriis suis, & Leuitas in ordine suo; vt laudarent, & ministrarent coram sacerdotibus iuxta ritum vniuscuiusque diei, & ianitores in diuisionibus suis per portam, & portam. Si igitur illi, qui ex mandato legis coniugalibus erant copulis obligati, tantæ sedulitatis excubias suis sanctuariis exhibebant; quid nunc faciendum est Clericis, qui videlicet castitatis munditia prędíti, á cunctis sunt carnalis commercij vinculis absoluti? Planè quo pacto quis valeat dici canonicus, nisi sit regularis? quomodo monachus, nisi iuxta vim sui nominis sit etiam singularis? Volunt siquidem canonicum, hoc est, regulare nomen habere, sed non regulariter viuere. Ambiunt communia Ecclesię bona diuidere, aspernantur autem apud Ecclesiam communiter habere. Enimuerò non est hæc primitiuę Ecclesiæ forma, satis exorbitat ab institutionis Apostolicę disciplina: quibus nimirum erat cor vnum, & anima

Num. 1. v. 49.

Ibid. v. 52.

Ibid. v. 53.

Clericorũ habitatio, iuxta Ecclesias esse deberet.

Exod. 25. v. 40

Hebr. 8. v. 5.

Eccl. est tabernaculum Dei.

Hebr 8. v. 2.

2. *Paral.* 8. v. 14

Canonici, & Monachi significatio.

Act. 2. v. 44. & 4. v. 32.

vna; & vendebant agros, ponebantque pretia ad pedes Apostolorum, & diuidebant singulis prout cuique opus erat: nec quicquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. At contrà, filius prodiguus dixit patri: Da mihi portionem, quæ me contingit, & sic dissipauit omnia bona sua cum meretricibus. Hic profectò electorum, reproborumque lineæ discernuntur: quia nimirum isti quæ sibi sunt propria, gaudent cum aliis habere communia; illi autem sicut à charitatis glutino scindunt mentes, ita nihilominus cōmunes à fratribus diuidunt facultates. Vbi verò diuisio rerum, ibi proculdubio non est vnitas animorum. Charitas quippè communionem facit; auaritia diuisionem. Vnde & Lucas dicit: Ait quidam de turba ad Iesum (non de magnis scilicet, sed de turba erat, quia fœtentis auaritię squalore sordebat) magister, inquit, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem. Cumque respondisset: Homo, quis me constituit iudicem, & diuisorem inter vos? protinus intulit his, qui astabant: Videte, & cauete ab omni auaritia, quia non in abundantia cuiusquam vita eius est ex his, quæ possidet. Quibus profectò verbis patenter Veritas indicat, quia nonnulli iccircò diuidere communia gestiunt, quia cupiditatis, & auaritiæ facibus inardescunt. Ananias, & Saphira non quia communia diuidunt, sed quoniam retentum aliquid de propriis commune non faciunt, corporeæ mortis sententia percelluntur. Iudas quia non fuit denariorum cum cæteris communione contentus, in traditionis voraginem corruens, de communione cecidit Apostolatus. Loth dimittens Abrahæ dispertita possessione consortium, duris seruire compellitur vinculis barbarorum. Esau vænandi studio per saltuum lustra discurrens, primogenita perdidit. Iacob simpliciter in tabernaculis residens, plenitudinem paternæ benedictionis accepit.

Luc. 15. v. 12. — *Vbi diuisio rerum ibi nō est vnitas animorum.* — *Luc. 12. v. 13.* — *Act. 5. v. 5.* — *Mat. 26. v. 15. & Mar. 14. v. 12.* — *Luc. 22. v. 23.* — *Ioan. 13. v. 2. & 18. v. 3.* — *Gen. 13. v. 11.* — *Gen. 14. v. 12.* — *Gen. 25. v. 27.* — *Ibid. v. 28.*

In monachico sanè ordine, quos in claustris sub Abbatis imperio regulariter manere conspicimus, consequenter vtique monachos appellamus: quos autem proprium possidere, indifferenter huc illucque discurrere, solutos legibus iuxta propriæ voluntatis arbitrium diffluere cernimus, non monachorum, sed gyrouagorum potius, vel sarabaitarum dignos vocabulo iudicamus. Sunt itaque sarabaitæ monachorū, sunt etiam Clericorum. Dicit autem Dominus; Qui non est mecum, aduersum me est: & qui non colligit mecum, spargit. Isti nempè qui cum Deo in fraterna charitate non colligunt, dum marsupium mētium per discordiam scindunt, virtutum fruges, si quæ sunt, quasi per foramen spargentes, amittunt. Vnde & propheta de stulto viro dicit: Quia congregauit diuitias, & misit eas in sacculum pertusum.

Matt. 12. v. 30. — *Luc. 11. v. 23.* — *Aggæi 1. v. 6.*

Porrò non illi soli schismatici sunt dicendi, qui Fidei vnitatem diuidunt: sed ij etiam, qui se per elationis, vel auaritiæ vitium à fraterna charitate diuellunt. Nec enim maior est Fides, quam charitas. Nam cum Deus ipse sit charitas, & qui manet in charitate, in Deo manet, non

Schismatici sunt etiā, qui se à fraterna charitate diuellunt.

minus

minus improbandus est, qui excidit à charitate, quam qui errat à Fide. Si quis enim totam legem obseruauerit, offendat autem in vno, hoc est, in charitate, factus est omnium reus: ac per hoc etiam perfidiæ probatur obnoxius. Plane si, iuxtà Petri vocem, diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret; qui fraterni consortij caulas deserit, vltroneus se cruentæ belluæ morsibus tradat. Bucula namque in armento compascens, lupi non timet incursum: cum vero soliuaga præsumit siluarum lustra percurrere, ferarum compellitur ingluuiem satiare. Turmatim anseres volitantes accipitrem paruipendunt: aliquando qui defuerit, rostro perfossus, & vnguibus non euadit. Apes in aluearijs congregatæ mellificant, & quamdiu in vnū coëunt, ex eorum laboribus dulces faui Regibus apponuntur: at si dissiliunt, ac relicto duce vagabundæ peruolitant, famis, necesse est, inopia contabescant. Hostium vallatus insidijs, si cum eo, quo constipatur, abstiterit, hostilibus se iaculis præda factus exponit. Ecclesia nempe Christi, sicut prophetica testantur oracula, castra Dei sunt: in quæ videlicet hostilis impetus non erumpit, donec virtutum armis accincti, in compage charitatis, & in vnitate spiritus Christi milites conglobantur. A quibus nimirum quisquis infelicis Achan imitator, aureæ regulæ, vel argenti cupiditate diuiditur, veri Iosue, ac communi totius populi sententia lapidatur.

1. Ioan. 4. v. 16
Iacob. 2 v. 10
1. Pet. 5. v. 8.
Eccles. Christi castra Dei sunt.
Gen. 32. v. 2.
Iosu. 7. v. 1

Quapropter obsecro sanctitatem vestram, charissimi, expulso [a] Pharisæorum fermento, natiuitatis vestræ domos cum [b] Abraham patriarcha relinquite, in vno vos cœnaculo [c] cum Apostolis apud Ecclesiam congregate: propria quęque cum [d] Barnaba, & Stephano, veris scilicet abrenunciatoribus, in commune conferte, vt in fraterna vos vnanimitate viuentes, [e] Spiritus sanctus merito dignetur inuisere. Vos [f] enim sal terræ; sed sicut Veritas dicit: Si sal euanuerit, in quo condietur? Exiguo quippè salis multa dulcescunt, & paruo clericorum numero totius Christianæ plebis eruditur, & instruitur multitudo. Sicut enim Episcopi duodecim Apostolorum noscuntur obtinere primatum, ita & sacerdotes Ecclesię septuaginta Discipulorum ordinem repręsentant. Quod profectò mansio illa Israëlitici populi in Helim figuratè designat. Ibi nimirum duodecim profluebant Apostolici fontes, qui diuini verbi imbribus arentia hominum corda perfunderent. Ibi septuaginta virebant palmæ, totidem videlicet Discipuli, qui mundo diabolicæ tyrannidis seruitute depresso, victorię Christi palmas inferrent. Illi siquidem fontes palmarum arbores irrigant, qui * sacri pontifices verbis affluunt, vnde cæteri sacerdotes Ecclesiæ in spe cælestium præmiorum sine cessatione virescunt, qui nimirum decuplato septenario numero, hoc significare videntur, vt per septiformis gratiæ Spiritum legis decalogus impleatur. Istos itaque septuaginta Discipulos cum binos ante faciem suam Dominus mitteret, & eos, qui alios docturi erant, vt & ipsi irreprehensibiliter viuerent, admoneret, in ipso docendi principio tam-

[a] Matt. 16. v. 11
[b] Gen. 12. v. 4
[c] Act. 2. v. 13
[d] Act. 4. v. 17
[e] Act. 2. v. 2.
[f] Matt. 5. v. 13.
Exod. 15. v. 27
Num. 33 v. 6
Quid per Christi Apostolos, & Discipulos signetur.
*
Eorumdem signatura.

quam permaximè necessarium, ac principale præmisit, vt pecuniarum lucra contemnerent, auaritiæ sordes abijcerent, proprietatis peculium non haberent. Nolite, inquit, portare sacculum, neque peram, neque calceamenta: Per Marcum quoque prohibet, vt neque panem, neque æs in zonis haberent, neque duabus tunicis induti, sed sandalis calciati, virgam tantummodò gestantes, incederent. Cur autem hoc factum est? Numquid propter illos tantum? Sed esto, vt propter illos sit factum; quare autem scriptum, nisi propter nos? Quæcumque enim scripta sűt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Cur itaque hæc in Ecclesia legimus, nisi † hæc ipsa, quę leguntur, operibus impleamus? Præsertim ij, qui per succedentium vicissitudines temporum eorum funguntur officio, eorum proculdubio, necesse est, conuersentur exemplo. Possidere igitur terrenum aliquid prædicatoribus suis prohibet Deus, vt qui constituti sunt in auditorum cordibus concupiscentiarum æstus extinguere, ipsi sibimet caueant ad aliorum perniciem ambitionis, & auaritiæ fræna laxare. Huc accedit, quod sæpe ex occasione itineris, obuiante forma muliebri, libidinis flammam concipiat minister altaris. Nam dum a proprijs ad ecclesiam iter terit, repente malignus spiritus laqueos præparat, fœminę viscarium tendit, & vultum aspici lubricum, quem deceptus intuetur, opponit. Sed quisquis vel auaritiæ flamma, vel libidinis æstuat, qua fronte, qua conscientia diuinis altaribus appropinquat? Hinc est enim, quod filij Aaron diuino sunt igne consumpti, quia alienum ignem offerre Domino præsumpserunt. Scriptum quippe est: Arreptisque Nadab, & Abiu filij Aaron thuribulis suis posuerunt ignem, & incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat: egressusque ignis à Domino deuorauit eos, & mortui sunt coram Domino. Altaria quippe Domini non alienum, sed ignem dumtaxat diuini amoris accipiunt. De quo videlicet ipse dicit: Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt ardeat? Quisquis igitur terrenæ, vel carnalis concupiscentiæ flamma in thuribulo sui pectoris æstuat, & sacris assistere mysterijs non formidat; illo proculdubio diuinæ vltionis interim igne consumitur, de quo Scriptura testatur: Et nunc, inquit, ignis aduersarios consumit. Enimuero nimis impossibile est, fratres mei, vt is, qui rerum familiarium curis opprimitur, qui simul habitādo, & colloquendo turbis quotidie popularibus admiscetur, mundo corde sacris valeat interesse mysterijs. In quibus videlicet terribilibus sacramentis cælum aperitur, & virtutes Angelicæ simul cum hominibus diuersantur. Quātæ ergò munditiæ debent esse Clerici, quàm nitidi, quàm denique à cunctis negotiorum sæcularium fœtoribus alieni? Qui videlicet velut contubernales, & condomestici Angelorum consortio perfruuntur, & sacramentorum cælestium Deo cooperatores, & dispensatores existunt. Neque hoc nos de solis sacerdotibus loquimur, sed de omnibus clericis, qui sacris altaribus in quolibet gradu ministerij sui iura depen-

Luc. 10. v. 4
Mar. 6. v. 8
Rom. 15. v. 4
† vt.
Leuit. 10. v. 1
Luc. 12. v. 49
Hebr. 10. v. 27.
Difficile est, vt clerici curis sæcularibus oppressi, digne valeant sacris mysterijs assistere.

dunt. Nam etiam si mundus sit quis in se, malorum nonnumquam societate polluitur. Quod vtique si aliquibus non contingeret, nequaquã Propheta conquerens, gemuisset: Væh, inquit, mihi, quia vir pollutus labijs ego sum, quoniam in medio populi polluta labia habentis ego habito. Qui nimirum iccirco se pollutum labijs asserebat, quia inter eos, qui polluti erant labijs, habitabat. Id ipsum plane & Moyses in terra Madian pertulisse cognoscitur, si cur eum occidere voluerit Dominus, subtiliter indagetur. Scriptum quippe est: Cumque esset in itinere in diuersorio Moyses, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum. Mirum valde, cur eum repente Dominus occidere voluisse describitur, quem assecretem sibi iam, & symmisten familiariter fecerat: cui consilij sui, ac voluntatis arcana pandiderat, & nunc in excusatione suæ obedientię dirigebat. Sed proculdubio datur intelligi, quia quantamlibet contagij maculam ex diuturna Madianitarum cohabitatione contraxerat, atque iccircò terrore, ac negligentiæ correctione purgandus erat, qui corrigendis alijs cęlestium mandatorum baiulus accedebat. Quod scilicet vxor eius Sephora prudenter intellexit, de qua Scriptura protinus addidit: Tulit illico Sephora acutissimam petram, & circumcidit præputium filij sui. Absurdum quippe fuerat, si videretur Gentilis in filio, qui Israëlita erat in semetipso. Qui ergo alios ad rectitudinis viam debet instruere, valde cauendum est, ne ipse, quod absit, in aliquo videatur errare. Hinc est etiam, quod Israeliticus populus ad vlciscendum scelus * Belamin, zelo rectitudinis inflammatur: & tamen idem populus Belamin gladijs ante prosternitur. Quem enim non moueat, quod Dominus bis interrogatus, bis ad incundum contra Belamin prælium dedit assensum: & tamen in primio certamine viginti duo milia Israëlitis, in secundo vero decẽ, & octo millia ceciderunt? Quid igitur in his intelligendum est, quid sentiendum, nisi quia prius curãdi sunt à tumore proprij vulneris, qui auferre morbos alienæ gestiunt prauitatis: vt ipsi iam mundi per vltionem suimet veniant, qui aliorum percutere praua festinant; sicut in Euangelio dicitur: Qui sine peccato est vestrum, prius in illam lapidem mittat. Vnde recte cum illi Deum consulentes, dicerent: Quis in exercitu nostro Princeps certaminis contra filios † Belamin? Respondit: Iudas sit dux vester, quia enim Iudas confessio interpretatur, recte dux illius belli Iudas constituitur. Vt nimirum prius per confessionem propria studeant errata corrigere, qui alijs volunt errorem confitentibus subuenire.

*[Margin: Boni malorũ societate peruertuntur. — Isaye 6. v. 5 — Exod 4. v. 24 — Exod 4. v. 25. — Iudic. 20 v. 21. — * Beniamin. — Prius nos ipsos quã alios corrigere debemus. — Ioan. 8. v. 7. — Iudic. 20. v 18. — † Beniamin.]*

Quapropter, charissimi, si vultis in populo Dei, quibus ad exemplum præpositi estis, inter quos lucetis quasi luminaria in mundo, verbum vitæ continentes: si vultis, inquam, inter eos animarum lucra conquirere, si errantes ad religionis liber rectitudinem prouocare, in vobismetipsis prius, si qua sunt, obliqua dirigite, & ad scholam Christi simul conuenientes, in communione vitæ, & vnione spiritus concorditer permanete. Non inter vos diuisio sit domorum, non scissura mentium,

Exod 20. v. 25. non diuersitas facultatum. Mementote semper, quia de sectis lapidibus altare reprobat Deus. Si enim leuaueris, inquit, super eum cultrum tuum, polluetur. Secti quippe lapides sunt, qui fraternæ societatis consortium respuunt: qui viuere cum fratribus, & conuersari concorditer nolunt. Tales autem Christus suo non recipit corpore, quia a membrorum suorum sectos iudicat vnitate. De illis porro lapidibus altare est potius fabricandũ, quibus Petrus dicit Apostolus: & ipsi tanquam lapides viui superędificamini domus spirituales. Cui videlicet domui ille fundamentũ est, pręter quod nõ potest aliud poni: ille summitas, qui factus est in caput anguli. Pręterea nũquid otiose pręcipit Dominus: Nolite, inquit, thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo, & tinea demolitur: & vbi fures effodiũt, & furantur. Quis, quæso, huius mandati sententiam teneat, si hanc clericus non obseruat? Numquid coniugati, qui filios nutriunt, qui Deo decimas ex ipsius auctoritate persoluunt? Qui enim offert, vt Paulus ait, necesse est, eum aliquid habere, quod offerat. Deinde quomodo poterit in choro quis psallentium constitutus, cor fixum in oratione tenere, qui de loculis, & capsidilibus, ne audax aduolet manus, excogitat? de apothecis, & horreis, ne furibus famulentur, addubitat? ne non seræ minus fideles obsistant, atquę de furum semper obrepentium irruptione formidat? Ego autem forsitam mentior, sed numquid Veritas poterit mentiri, quæ dicit: Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum? Et forte tolerabilius censeretur, si in suis penetralibus officia diuina peragerent, ac non longius laborantes, ibi Deum quærerent, vbi peculia custodirent, vt cum illis diceretur: Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum; non incongruè subderetur: vbi est etiam Deus tuus. Sed quoniam res hæc non ridenda est, sed dolenda, obsecro vos, dilectissimi mihi fratres, & domini, nolite, quæ suggerimus, paruipendere, sed in schola vos Christi sub disciplina sancti Spiritus congregate; quatenus ipse nobiscum nunc, & vsque ad consummationem sæculi, sicut est pollicitus, maneat, & ad Patris sui gloriam felici postmodum vos remuneratione perducat. Quibusdam forte displiceam, quia dum alios intra regularis vitæ limitem compescere gestio, ipse post modum compendij epistolaris excedo. Sed optime compensatur, si arguitur imperitiæ scriptor, dummodo proficiat sapienter auditor.

Margin notes: 1. Pet. 2. v. 5 — 1. Cor. 3 v. 11. — Psal. 117. v. 22. — Matt. 6. v. 19. — Hebr. 8. v. 3 — Matt. 6. v. 21. & Luc. 12. v. 34. — Mat. vlt. v. 20

EPIST. X. Ad Clerum, & Populum Fauentinum.

ARGVMENTVM.

Vocatus à Fauentinis post ipsorum Episcopi mortem, excusat se, quod in præsentia præteritis languoribus, lassitudine valdè debilitatus, ad eos accedere non

posset. Interim illos hortatur, vt Episcopi electionem vsque ad Imperatoris aduentum, à quo illius Ecclesiæ status componendus esset, à Pontifice differri curent: ac presbyterum aliquem idoneum optent, qui episcopatus Vicariam administrationem gerat; se quoque affuturum in tempore pollicetur.

Sanctis, ac venerandis fratribus Fauentinæ Ecclesiæ filijs Clero, & Populo, Petrus peccator Monachus in Domino salutem.

CVM sanctæ memoriæ Domnum P. Episcopum vestrum obijsse cognouimus, mens nostra repente turbata contabuit: subiti casus nos stupor inuasit, & fraternæ compassionis mœror viscera nostra commouit. Venerabilis autem filius noster, Abbas scilicet, quem ad me direxistis, ita me reperit non modo præteritis languoribus, sed & qu[illegible] laboribus conquassatum, atque confractum, vt nunc tam [illegible] ad vos venire non possim. Quamobrem donec nos in seruitium vestrum venire contingat, quod iuxta modulum nostrum vobis faciendum esse conijcimus, per huius Epistolæ paginulam breuissimæ prolationis eloquia destinamus. In quantum vero deprehendere possumus, vnus spiritus fuit, qui & nostri cordis ingeniolum tetigit, & sanctam prudentiam vestram in id, quod inter vos pactum est atque conuentum, vnanimiter incitauit: videlicet, vt nō eligatis Episcopum vsque ad Regis aduentum. Qui scilicet & errorem tollat, & vos, atque Ecclesiam vestram, sedatis vndique iurgijs, in quietis, ac pacis tranquillitate componat. Vnde & Dominus noster Papa rogandus est, vt Episcopum vobis modo non ingerat, sed Ecclesiam vestram interim vacare, & vos sub suę benedictionis vmbraculo manere decernat. Quia vero per Dei misericordiam industrios inter vos clericos, ac prudentes, & litteratos habetis, si placet, vnus ex eis eligatur, qui ad exequendum hoc negotium vtilior inuenitur. Cui nimirum cura, ac sollicitudo totius episcopatus possit imponi, ac per eum omnia necessitatis ecclesiasticæ negotia debeant ministrari. Ego interim, si præcipitis, cum opportunum fuerit, in vestrum seruitium veniam: & vel in consignandis pueris, vel in alijs episcopalibus officijs pro charitate Dei, & vestra, forsitan aliquantulum laborabo.

Fauentina Eccl. bonis clericis referta.

EPIST. XI. Ad V. & P. Clericos Fauentinos.

ARGVMENTVM.

Totus est in confutandis quibusdam, qui asserere non erubescant, nuptias tempore quadragesimalis ieiunij contractas, dūmodo copula non intercedat, validas esse,

& ideo non debere dissolui. Ostendit igitur, nuptias consensu, non concubitu contrahi.

Domnis V. & P. religiosis Fauentinæ Ecclesiæ clericis, Petrus peccator Monachus fraternæ charitatis obsequium.

COnquesta est mihi vestra fraternitas, quod quidam ecclesiasticæ disciplinæ ordinem cōfundentes, & iuxta Prophetam, Deum ponentes post corpus suum, quadragesimali ieiunio matrimonium contrahunt, sed vt canonum sententiam subterfugiant, vxore ducta, & celebratis nuptijs solum concubitum defuisse contendunt. Accedit adhuc vestræ querelæ, quod grauius est, quia nonnulli, qui specietenus spirituales videntur, & scripturarum sibi scientiam vindicant, illos excusare nituntur. Nam cum canonum decernat a[illegible]as, vt quicumque à septuagesima vsque ad octauas Paschæ, tribu[illegible] hebdomadibus ante festiuitatem S. Ioannis; ab aduentu quoque Domini, vsque post Epiphanias nuptias celebrauerint, separentur; illi in solo nuptiali concubitu nuptialia iura constituunt, eosque perhibent diuidi non debere, qui dilato dumtaxat carnali commercio, prædictis temporibus fœderantur. Quod nimirum quàm absurdum, quamque sit friuolum, quisquis vtcumque sacri eloquij limen terit, facile deprehendit. Si enim iure in concubitu constare nuptiæ perhibentur, quid est, quod sacri Canones prohibent, vt absque publicis nuptijs numquam matrimonium copuletur? Numquid hoc volunt, vt vir vxori publice misceatur? Cūque hoc adeo sit inhonestum, & pudore plenissimum, vt in totius humani generis tam prolixis ætatibus nemo vnquam præter duos homines, id attentasse legatur, Paridem videlicet, & quemdam Philosophum; quomodò fieri canonica censura præcipit, quod effrenata quoque luxuria Gentilis populi turpissimum iudicauit? Porrò si nuptiarum celebritas in solo carnali commercio constituitur, quid est, quod secundas contrahere nuptias viduata quoque persona permittitur: à tertijs verò, vel quartis auctoritate canonica prohibetur? Numquid postquam vir vxori secunda vice coniungitur, iam redire ad torum suum vlterius, quod omnino ridiculum est, denegatur? Enimuero si concubitus nuptiæ sunt; quoties vir mulieri admiscetur, toties proculdubio nuptias celebrare conuincitur. Quapropter si carnale negotium quis centies iterauerit, non modo multinubi, contra canonicam regulam, sed & centinubi crimen incurrit. Quod qui præsumit astruere, sine dubio creditur insanire. Concubitus quippe, qui tamen iure permittitur, non nuptiæ, sed res est potius nuptiarum. Non enim, iuxta Leonis Papæ sententiam, omnis mulier viro iuncta, vxor est viri; quia nec omnis filius hæres est patris. Et paulo post: Non dubium est, inquit, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur

Ezech. 23. v. 35

Tempus celebrandi nuptias ex sacris Canonibus.

Diogenem Cynicum. Laert. in eius vita, & alij.

S. Leo Papa.

nuptiale non fuisse mysterium. In cuius vtique verbis liquido perpendere possumus, quia aliud nuptiale mysterium, aliud carnale est sacrilegium. Quod enim canonicè fit, sacramentum est: quod autem contra canones vsurpatum est, sacrilegium est. Ex ratione quippe temporis agitur, vt vna, eademq. res siue salubris siue noxia iudicetur. Quisquis enim inhorrescente hieme vites putat, vineam dissipat. Qui æstate seminat, frumenta profligat. Tunc denique suscipiendis seminibus apta tellus efficitur, si congruo tempore sarriatur. Qui sub niuali turbine cæmentarios conducit, ruinam construit. Qui succosa verni temporis ligna succidit, vt domatum parietes erigat, vt laquearium tabulata compingat, superuacui se laboris vexatione fatigat. Et, vt ad sacramenta veniamus, qui præter statuta tempora clericos ordinat, non eos vtique prouehit: sed offensionis obstaculum, ne de cętero prouehantur, opponit. Qui passim, nec certo tempore chrismatis, vel baptismi sacramenta celebrat, non tam opifex sacramenti, quàm reus dicitur sacrilegij. Cùm ergò ipsa ecclesiastica sacramenta suorum temporum vicissitudines quærunt, vigoremque suum ex deputati tẽporis congruitate concipiunt, quo pacto sola matrimonia vires habere poterunt, si temporum statuta confundunt? Etenim Salomon ait: Omnia tempus habent, & suis spatijs transeunt vniuersa sub cælo. Et paulò post: Tempus flendi, & tempus ridendi, tempus plangendi, & tempus saltandi, tempus amplexandi, & tempus longe fieri à complexibus. Qui ergò flendi tempore saltant, & rident: qui tunc amplexantur, quandò longe fieri à complexibus debent, sicut apud eos temporis ordo peruertitur, sic eis iure voluptas in amaritudinem, gaudium in mœrorem, in confusionem gloria, in prostibulum thalamus permutatur. Cùm enim legibus cautum sit, vt tempore messium, vel vindemiarum nequaquam causarum litigia ventilentur, ne forensia negotia dirimantur, & temporum ratio fert, vt quidquid tunc in tribunalibus iudicum definitur, irritum censeatur, quomodò quadragesimale tẽpus nuptias non euacuat, quas canonum auctoritas damnat? Numquid minorem vim canones sacri continent, quàm pragmaticæ sanctiones? Dicitur, nuptiarum summam esse concubitum, qui nimirum si desit, nuptiale dici non posse mysterium. Ergò & Beata Virgo Maria viro, secundum eos, carnaliter nupsit, quæ iuxtà Euangelij fidem, sponso suo Ioseph nuptiali fœderatione conuenit. Ante, inquit, quàm conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto. Sed quia nuptiarum vocabulum patenter Euangelista non exprimit, id eóq; nuptias celebrasse B. Virgo mihi perhibenti fortasse non creditur, expositorum aliquis, prout occurrit, in testimonium deducatur. Ait nempe Beda in expositione Matthęi: Notandum, inquit, in primis in eo, quod ait, antequam conuenirent: verba conueniendi non ipsum concubitum, sed nuptiarum, quæ præcedere solent, tempus insinuant, quando ea quæ prius sponsa fuerat, coniux esse incipit. Ergo antequam conuenirent,

Res varia exigũt tempora.

Eccl. 3. v. 1.
Ibidem v. 5.

Contra peruertẽtes tempora.

Inter B. Virginem, & Ioseph verum matrimoniũ intercessit.
Matt. 1. v. 18.

S. Beda.

dicit, antequam nuptiarum sollemnia rite celebrarent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto. Si quidem memorato ordine postea conuenerunt, quando Ioseph ad præceptum Angeli accepit coniugem suam. Ambrosius quoq;, non te, inquit, moueat, quod freque̅ter Scriptura coniugem dicit: non virginitatis ereptio, sed coniugij testificatio, nuptiarum celebratio declaratur. Cum ergo luce clarius constet, quia beata Dei Genitrix Virgo non nupsit; & tamen iuxta Scripturæ sententiam, absque dubio nuptias celebrauit, quomodo dicitur, vbi concubitus defuit, nuptias dici non posse? Nos autem è diuerso libere profitemur, & concubitum posse sine nuptijs fieri, & sine concubitu recte nuptias appellari. Sunt enim aliquando nuptiæ cælibes, sunt quę dignę dicantur nuptiæ virginales. In quibus videlicet sic vxor viro dotali fœdere iungitur, vt prælato cælestis thalami desiderio carnali nullatenus misceatur. Ex quarum scilicet genere nuptiarum B. Ioannes Euangelista subtractus à Domino traditur, qui nimirum cum virgo permanserit, nihilominus tamen nuptiæ vocatæ sunt, quas contempsit. Ad quod etiam nuptiarum genus beatus Apostolus auditores suos videtur inuitare, cum ait: De quibus scripsisti mihi, bonum est homini mulierem non tangere, propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquęque mulier suum virum habeat. Cum enim mulierem non tangere bonum esse primo perhibeat; deinde propter fornicationem vxorem habere vnu̅quemque decernat, ad cælibes proculdubio nuptias discretus Doctor inuitat; vt si laqueum fornicationis duntaxat euadere possumus, carnale commercium in nuptijs non quęramus. Nuptiarum plane societas ab initio propter gignendam sobolem, & propagandam posteritatem non ambigitur instituta. Quantum ergo ad antiquitatem sæculi, intentio nuptiarum est procreatio filiorum. Attamen sicut solo vomere terra proscinditur, sed, vt hoc fieri possit, cetera necessaria membra aratris attexuntur. Soli nerui in citharis, atque huiusmodi musicis vasis aptantur ad cantum, sed vt aptari possint, insunt & cętera in compagibus organorum, quæ à canentibus non percutiuntur. Ita & huic intentioni, propagandæ videlicet sobolis, adduntur & alia, cum propter coniugalis matrimonij sacramentum, cum propter speciem honestatis, conuentus videlicet pronuborum, conuiuij celebris apparatus, dona sponsalia, tabularum dotalium instrumenta, & si qua sunt alia. Quæ videlicet omnia simul iuncta nuptiæ vocantur. Et hæc antiquitus, vt prædictum est, ad propagandam tantummodo sobolem; nunc autem aduesperascente iam mundo, & illius coruscante doctrina, qui de Virgine Virgo est, ad euitandam spectat proculdubio fornicationē. Tunc enim, saluo altiori mysterio, dicebatur: Maledictus vir, qui non habuerit semen in Israël. Nunc autem dicitur: Viri diligite vxores vestras sicut Christus Ecclesiam. Et Apostolus, tempus est, inquit, vt qui habent vxores tamquam non habentes sint. Et iterum: Volo vos omnes

Marginalia: S. Ambrosius. — Nuptiæ cælibes quæ sunt. — B. Io. Euang, à nuptijs vocatus. — 1. Cor. 7. v. 1 — Nuptiæ ad quid institutæ. — Esai. . . — Ephes. 5. v. 25 — Coloss 3 v. 19 — 1. Cor 7. v 29. — Ibid. v. 7.

omnes esse sicut ergo. Enimuerò qui sicut superius diximus, vxorem ducendam prædicat, & non tangendam, non exculpere prolem, sed fornicationis videtur oppilare voraginem, nec tumescentem vterum, infantiumque balatum, sed immaculatum cubile, & coniugalis continentiæ desiderat cælibatum. Qui nimirum cum dicit: Si se non continent nubant; & alibi: Reuertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram; patenter ostendit, quia mutuæ inter coniuges castitatis est auidus; admixtionem verò carnis permittit inuitus. Constat ergò per hæc, quæ superius comprehensa sunt, quia quisquis sine concubitu fieri posse nuptias denegat, aduersus Apostolum, per quem Christus loquitur, contumaciter pugnat. Qui & omnes homines vult sicut semetipsum continenter viuere; & tamen admonet vnumquemque suam vxorem, ne in fornicationem labatur, habere. Erubescant ergo stulte sapientes, & sapiendo vecordes, qui peruicaciter asserunt virum à fœmina diuidi non debere, quam non interueniente concubitu quadragesimali tempore duxit vxorem. Qui videlicet ad tantam quandoque prorupere vesaniam, vt eam quoque, quæ ipso sancto die Parasceue, quo Dominus crucifixus est, à viro furata dignoscitur, abnegent relinquendam: & dum impudenter astruunt quasi legale cõnubium, sacrilegum roborant versutis allegationibus pellicatum. Quippè cum Dominus pateretur Crucis affixionem; ille versabat in mente † sordis luxuriæ voluptatem: Et cum Redemptori suo totus orbis, vt re vera capiti membra, commoritur; ille † subantis libidinis turpitudinem meditatur. Quid ætate mea hoc Dominicæ Crucis die contigerit, succinctè perstringam. Apud Rauennam sanè vrbem multa animalia in macello sunt à libripendibus cæsa, quæ communi Senatus consulto, & præcipuè Martini venerabilis Eremitæ decreto, omnia canibus sunt proiecta. Quid igitur facerent zelum Dei habentes, si nouam nuptam transire in sponsalitium cernerent? Si amicorum turbas, relicta Crucis adoratione, nuptiales choros ducere comperissent? Sed dicite mihi, ô nouæ assertionis auctores, si casu obrepserit homini, vt intra quadragesimalis obseruantiæ cursum vxori se carnaliter iungat, saluo coniugio, pœnitentiam illis imponitis, an eos ab inuicem solutis tabulis interueniente diuortio separatis? Sed ecce, canonica decernit auctoritas, vt quisquis eo tempore cum coniuge labitur, quadraginta dumtaxat dierum pœnitentia reformetur. Quo igitur pacto in solo concubitu consistere nuptias dicitis, & vtrumque idem esse contra totius sacri eloquij sententiam iudicatis? cum videlicet censura canonica nuptias illicitis temporibus institutas remoto omni scrupulo diuidat: concubitum verò sola paruæ pœnitudinis animaduersione percellat. Dicite, inquam, mihi, cum pace vestra loquor, si in solo concubitu nuptiæ constare dicendæ sunt, cur nuptiæ contra legum mandata contractæ, vsque ad diuortium condemnantur; con-

Ibid. v. 5.

†Sordidam.

†

Pœna celebrãtium nuptias quadragesimali tẽpore.

cubitui vero leuis tantummodo pœnitentiæ mẽsura præfigitur? Si enim vtraque vnum sunt, sicut non diuersa sunt in peccato, ita nec dispari debent subiacere iudicio: & quorum est eadem causa, vna vtriusque debet esse censura.

Porro autem, quid est hoc etiam, quod canonica sanctione præcipitur, vt virgines, quæ se non custodiunt, si eosdem, qui eas violauerint, maritos acceperint, eo quod solas violauerint nuptias, post vnius anni pœnitentiam reconcilientur? Si enim nihil aliud sunt nuptiæ, quàm concubitus, cur dicuntur nuptias violasse virgines prostitutæ, quæ profecto concubitum non violarunt, sed potius impleuerunt? Enimuerò si solo concubitu nuptialia iura complentur, iam non damnentur fœda prostibula, immo meritoria coronentur: & olidi fornices ædes sint nuptiales. Huccine tandem philosophorum nostrorum argumentatione peruentum est, vt eiusdem sint meriti & nuptiales tabulæ, & obscœnarum pellicum voluptates? Idem lupanaris videatur esse volutabrum, quod cubile immaculatum? Et, vt cum stomacho loquar, tantundem furtiuus videatur valere concubitus, quantum publica, ac per hoc honesta celebritas nuptiarum? Confundatur ergo versuta calliditas, nec quæ veritas segregat, multiplicitate verborum iungere se posse confidat. Reprimatur etiam plectenda præsumptio, ne quod temerariis ausibus nunc latenter inchoat, per conueniendi vitium passim postmodum inolescat. Dirimantur infausta coniugia, & in sui vigoris statu Ecclesiastica permaneat disciplina. Rescindatur quod contra legum scita contractum est, ne cancer, qui nunc oritur, malè serpendo pullulet, & ab vno se per Ecclesiastici corporis membra dilatet. Sic itaq; nunc temerariæ præsumptioni sacerdotalis auctoritas obuiet, vt Christiana religio non, quod absit, vento doctrinæ circumferatur, Ephes. 4. v. 14. & fluctuet, sed in Apostolicæ traditionis regula immobiliter perseueret.

EPIST. XII. Ad G. Thesaurarium Rauennatensis Ecclesiæ.

ARGVMENTVM.

B. Petrus Dam. in patriam à ciuibus, & Archiepiscopo vocatus, in qua tamen neque in honore habebatur, neque in animarum salute proficiebat, incertus quid ageret, hanc Epistolam scribit ad Thesaurarum Rauennatem in qua illum consulit, quid sibi faciendum censeat: vtrum in patria remanendum, an ad suum monasterium redeundum. Cupidus enim alienæ salutis, non poterat æquo animo Rauennæ esse, vbi suæ prædicationi nullus locus pateret. Ex altera verò parte si suum monasterium repeteret, verebatur vir modestissimus, ne in tanta omnium

in se obseruatione aliquid de sua humilitate periclitaretur. Videtur tamen in eā sententiam inclinare, vt animarum lucrum suo periculo præponat. Omnia tamē illius, ad quem scribit, consilio integra seruat.

Domno G. religioso presbytero, Aræque Seth in Cymiliarcho, Petrus vltimus monachorum seruus feruentissimæ deuotionis obsequium.

NOn ignoras, dilectissime, quia & olim à Gebehardo Archiepiscopo, & nuper ab hoc nouo, qui zelo diuini Spiritus constitutus est, necnon & à plerisque Rauennæ ciuibus sæpè multumque rogatus, tandem consensi: & eremum deserens, spe lucrandi animas, vrbem habitaturus adueni. Sed cum prædictum virum cernerem, non dicam ad quod missus, sed quod permissus fuerat, agere, populum quoque non in me charitatis zelum, non in se studium propriæ salutis habere, pœnituit, fateor, quia dum vanitatibus hominū credidi, à diuinæ voluntatis linea, licet sero, perspicuè tamen me aberrasse cognoui: & dum congestorum auiditate piscium viuarium petij, raros saltem, quos per diffusa marium fluenta claudere consueueram, frustratus amisi. Interea tamen quodam fruebar consolationis auxilio, quia videlicet etsi in lucrandis animabus me exercere non poteram, molestissimum tamen pondus popularis reuerentiæ non ferebam. Vtrumque nimirum in statera mentis meæ æqua penè lance pendebar, & sterilitatis infortunium cum negatæ venerationis lucro lætus recompensabam. Est enim reuera popularis fauor imperfectis non mediocriter noxius, quia vel in se delectatos in vanæ gloriæ voraginem deiicit, vel etiam resistentes receptæ mercedis terrore transfigit.

Popularis fauor imperfectis non mediocriter nocet.

Cuiusdam occasione festiuitatis nonnullis religiosis inuitantibus viris, vehiculumque mittentibus, cum ad Vrbinatem prouinciam repedassem, tantus me inundantium fratrum, monachorum videlicet atque sæcularium fluctus absorbuit, quod nequaquam me ad tutissimi portus sinum retorquere vela permisit: & velut in ipso marmore per circuitum arenatum mihi ager opponitur, dum ne aliò progrediar, importuna me tot fratrum charitas obtestatur. Sed, vt opinor, idcirco me omnipotens Deus illic permisit accedere, vbi non debueram permanere, quatenus dum prærupto saxorum scopulos cernerem, rarioris segetis aruum non omnino despicabile, ac per hoc insulcabile deputarem. Et dum petrosus ager attenditur, in comparatione eius trigesimi fructus terra, fœcundissimus noualis Africæ iudicetur. Anxiabar denique prius vbi possem vberiores animarum fructus acquirere, & zelo proximorum ductus, diuersas Italiæ regiones curioso

mentis lumine perlustrabã: dũq; reuocare alios ambiebã ad rectitudinis statũ, ipse paulòminus potui vagationis incurrere næuũ. Nunc autẽ, vt ita dixerim, quasi saburra quædam lembum mentis meæ præponderat, immò velut anchora affixa solo, triplici perseuerantiæ fune coarctat. Vnus solũmodo scrupulus mihi adhuc molestiá ingerit, qui me, charissime Pater, consilij tui manum flagitare compellit. Qui videlicet scrupulus si tuæ responsionis indice à mentis meæ pede succutitur, non ambigo per Dei misericordiam, quin postmodum recto firmus itinere gradiatur. Respondeat ergò mihi prudentia tua, quid mihi vtilius sit: vtrum illic habitare, vbi & animarum fructus acquiritur, & deuota mihi populi reuerentia exhibetur: an illic potius, vbi sine fructu, pariter & honore consistam? Quorum mihi vtrumlibet periculosum videtur: & dum alterum metuo, alterum quoque nihilominus è diuersa fronte formido. Nam si infructuosus vixero, Euangelicam mihi securim ad radicem arboris positam expauesco, de qua videlicet arbore Veritas terribiliter intonat, dicens: Succide, inquit, illam, vt quid etiam terram occupat? Si autem dum fructus acquiritur, mihi iam honor exhibetur, illam repulsionis sententiam vix effugio, qua dicitur: Amen dico vobis recepistis mercedem vestram. Hæc est igitur quæstio, quam à te solui desidero: hoc solum est, propter quod tibi scribere cuncta superius comprehensa disposui. Sed quia, iniuncto Ecclesiastici Prioratus officio, te occupatum noui, & rescribendi forsitan otium non facilè poteris reperire, super hoc capitulo egò ipse interim scribo, quod sentio: nimirum non vt magistrum discipulus doceam, sed vtrum mei intellectus sententia tenenda sit, discam: prudentiæ scilicet tuæ optione seruata, vt vel abnuendum proprio stylo coërceas, vel probandum grauissima tui iudicij auctoritate constituas.

Luc. 13. v. 7.

Matt. 6. v. 2.

Cuncta sanè diuinarum Scripturarum eloquia ad nil aliud, nisi ad animarum salutem crebris sunt voluminibus exarata. Quidquid enim in his præcipitur, quidquid prohibetur, totum proculdubio ad prouectum fit animarum; Paulo attestante, qui ait: Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus. Si ergò propter Scripturæ minas sic impensus honor aufugitur, vt animarum quoque vtilitas negligatur; patet profectò, quia intentio, pro qua Scriptura seruari debuit, non tenetur. Si enim ad hunc finem omnis sacra Scriptura refertur, vt per eam salus animæ requiratur, dum fugientes honorem, animarum lucra postponimus, id potissimum, propter quod Scriptura facta est, non seruamus. Et peruerso modò, dum obtemperare sacris voluminibus nitimur, contrà hæc eadem sacra volumina decertamus. Qui enim dicit: Ne recumbas in primo loco, ipse præcipit, dicens: Qui audit, dicat, veni. Et qui prohibet, ne vocemini magistri, ipse iubet discipulis: Ite, docete omnes Gentes. Oportet ergò, vt dum animarum

Sacri libri propter animarũ salutem sunt scripti.

Rom. 15. v. 4.

Luc. 14. v. 8.

Apoc. 22. v. 17

Matt. 23. v. 10.

Matt. vlt. v. 19.

fructus exquiritur, non humana laus, non popularis fauor, non aliqua honoris reuerentia mentis intentione quæratur. Quod si vltro oblatus honor nolentibus nobis ingeritur, necessarium est, vt in pauimento cordis sub districto disciplinæ pede calcetur, & velut venenatus serpens in ipso suggestionis capite ictum sentiat, ne nos, quod absit, in extremo bonę operationis calcaneum mordere præsumat. Nec tamen ob id est animarum vtilitas deserenda, sed vt reuera strenui bellatores, dum nosmetipsos humilitatis clypeo ab iniecto elationis telo protegimus, proximos nostros ad fortiter agendum sanctæ exhortationis vocibus excitemus. Verumtamen si proximos prudentiæ nostræ clypeus protegat, ne hostis post tergum latitans, occultum ex insidijs vulnus infligat. Sic contra nostrum dimicemus aduersarium, vt commilitonibus etiam nostris prouideamus auxilium. Sic circa commilitones fraterna charitas vigilet, ne proprium latus gladijs hostilibus nudet. Sic sic nimirum duplex nobis merces acquiritur, dum ex ipso charitatis officio, quod piè proximis nostris impendimus, bellicus labor oritur, quem repugnando vincamus.

Sic animarum salus curanda est vt popularis existimatio nō quæratur.

Sed ne argumentationi potius, quam solidæ veritati videamur insistere, hoc, quod proposuimus, per sacræ Scripturæ non pigeat exempla monstrare. Ioseph quippe vir sanctus, vt periculosam populi subleuaret esuriem, secundam post Regem suscipere non abnegat dignitatem: & qui prius angusti carceris fuerat cultor, iam totius Ægypti factus est dominator. Vnde & fratres eius ad Iacob alacres dicunt: Ioseph filius tuus viuit, & ipse dominatur in tota terra Ægypti. Moyses, qui dudum cognati gregem in deserto humiliter pauit, vt melioris postmodum gregis dux fieret, totius Israëlitici populi obsequium non refugit, qui nimirum ad tanti honoris culmen perductus est, vt omnis illa Hebræorum multitudo ad iussionis eius se verba suspenderet, eiusque legibus supplex obtemperaret. Vterque tamen quantę mansuetudinis in ipsa sublimitate persistiterit, indubitanter agnoscitur, & dum alter se agnoscendum peregrinis fratribus, cum latere potuisset, vltroneus offerat; alter suam humilitatem, velut alienam, humiliter pandat, Erat, inquit, Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra. Iosue quoque, qui Moysi minister extiterat, eo moriente suscipere regiminis officium non recusat. Qui nimirum si pro humilitate seruanda principatus iura contemneret, numerosis Regibus, quos peremit, perimendam populi multitudinem cunctorum reus exponeret: & dum sibi caueret iactantiæ casum, fratrum negligeret vitæ periculum. Quid dicam Samuel, qui quamdiu non est ab ipso populo ex principatus arce deiectus, & excelsus videbatur in publico, & humilis erat in occulto. Qui videlicet suscepti regiminis locum adeo inuitus deseruit, vt maioribus natu ex Israël sibi Regem petentibus, de eo protinus Scriptura dicat: Displicuit sermo in oculis Samuelis, eò quod dixissent, da nobis Regem, vt iudicet nos. Quid referam Eliam? quid Elisęum? qui vt proxi-

Ioseph.
Gen. 45. v. 26.
Moysis.
Exod. 3. v. 1.
Num 12 v. 3
Iosue.
Ios. 1. v. 2.
Samuelis.
1. Reg 8. v 6.
Elias, & Elisæi.

mis potuissent sua prædicatione proficere, nequaquam veriti sunt & multis coruscare miraculis, & ipsis Regibus, omnique populo venerabiles apparere. Et, vt iam prætermissis tot veteris testamenti Patribus ad Euangelium transeam, numquid Pręcursor Domini vitare penitus honoris reuerentiam potuit, qui se Christum non esse, turbis ipsum esse credentibus, vix negando suasit? Numquid Petro popularis reuerentiæ fauor defuit, qui tot languidos superfusa solummodo sui corporis vmbra sanauit? Numquid Paulo non est honor exhibitus, quandoquidem in Listris mox vt debilis pedibus, eo pręcipiente surrexit; protinus omnis turba in eius laudem stupefacta clamauit: Dij, inquiunt, similes facti hominibus descenderunt ad nos; vnde sicut paulopost subditur: Sacerdos Iouis, qui erat ante ciuitatem Tauros, & coronas ante ianuas offerens cum populis, volebat sacrificare. Sed quam inflexibilis ille in suæ humilitatis arce perstiterit, manifestat ipse: & Barnabas, cum, scissis præ tristitia tunicis, dicunt: Viri, quid hęc facitis? & nos mortales sumus similes vobis homines. An dilectus Domini Ioannes Euangelista penitus euadere honoris reuerentiam potuit, qui vniuersum populum virorum, ac mulierum cum hymnis, & laudibus occurrentem sibi, dum ab exilio reuerteretur, inuenit? Cui etiam illud singulare Christi præconium non præsumptionis vitio, sed nimio deuotionis desiderio cantabatur: Benedictus, aiunt, qui venit in nomine Domini. An & Andreas Apostolus populi obsequio caruisse credendus est, quem in Cruce pendentem dum Achaici tumultuarentur eripere, ipsum quoque prouinciæ Præsidem comminati sunt trucidare? Et vt ex ipso sanctorum omnium capite allegatio nostra firmius roboretur, Redemptorem nostrum Iudæi Regem voluerunt constituere, nisi ille montis aufugium petijsset.

Ioan. Baptistę. Ioan. 1. v. 10. Petri Apostoli. Act. 5. v. 15. Pauli Apostoli. Act. 14. v. 10. Ibid. v. 12. Ioan. Euang. Matt. v. 9. Andreæ Apo. Christi Iesu. Ioan. 6. v. 15.

Si ergo mediator Dei, & hominum ad exhibendum solius humilitatis exemplum sic hominum reuerentiam voluisset obijcere, vt nec miraculorum virtutes ostenderet, neque prædicationis verba proferret, humano generi in peccatis mortuo, quid, rogo, salutis, quid vtilitatis impenderet? Sed iccirco voluit reuerendus, & mirabilis apparere, vt mirantium ad se corda conuerteret, conuersos autem per viam, qua gradiebatur, ad patriam reuocaret. Cur ergo magnopere timemus hominum reuerentiam, qua & nostra se se virtus exerceat, & exhibentium deuotioni fructus accrescat? Quæ videlicet si quando ante mentis nostrę ianuam vanæ gloriæ vento submurmurat, scutum protinus humilitatis opponitur: & quo violentior ictus impingitur, eo nobis locupletius, peracta victoria, præmium cumulatur. Porro autem nisi aliquo modo venerabilis auditoribus persona prædicantis appareat, non admissus prædicationis sermo apud eorum animum non laborat. Nam si loquentis persona despicitur, restat vt ipsa locutio apud audientes despicabilis iudicetur. Neque enim laborare apud eos poterat Paulus, qui eum despiciebant, dicentes: Epistolę, inquiunt, graues sunt, &

Quo maiores nobis honores cumulátur eo gloriosior nostra humilitas est. Greg.

fortes, præsentia autem corporis infirma ,& sermo contemptibilis. Apud eos autem multum profecerat, quibus gratias referendo dicebat: Sicut Angelum Dei excepistis me, testimonium enim vobis perhibeo quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis,& dedissetis mihi. Numquid Apostolus despectui volebat haberi, vnde conqueritur? Numquid sedulitatis obsequium deuitabat, vnde gratificatur? Sed vtrumque non propter se. Non enim quærebat,quæ sua erant, sed quæ alterius. Iccirco nempe volebat a discipulis coli,vt attente etiam posset audiri:iccirco recusabat ab auditoribus despici, quia metuebat simul & sermonem contemni.Hinc est enim, quod Thessalonicensibus ait: Rogamus autem vos fratres, cum noueritis eos, qui laborant in vos,& præsunt vobis in Domino, & commonent vos, vt abundantius habeatis illos in charitate propter opus illorum.Hinc est,quod de Epaphrodito ad Philippenses dicit; Excipite,inquit; illum cum omni gaudio in Domino; & eiusmodi cum honore habetote. Si ergo Apostolus reuerentiam fugiendam omnino decerneret,dum auditoribus præcipit,vt doctori suo honorem exhibeant, suadet profecto vt eum de suis finibus honore prosequentes expellant. Sed hoc monere videtur prædicator egregius, vt discretus vir & honorem sibi delatum exterius pro fratrum vtilitate suscipiat,& eumdem honorem intrinsecus pro sua humilitate contemnat,quatenus vndique circumspectus sic illorum saluti prouideat, vt ipse tamen elationis vitio non succumbat. Neque enim, vt nos valeamus ab huiusmodi vitio cautiores existere, iccirco debemus fratribus nostris prædicationis auxilium denegare;cum Moyses dicat? Obsecro Domine,peccauit populus iste peccatum magnum, fecerunt sibi deos aureos;aut dimitte eis hanc noxam:aut si non facias,dele me de libro tuo, quem scripsisti. Qua ergo conscientia possumus priuato amori fratrum lucra postponere, cum iste non dubitet pro salute proximorum de libro diuinæ memoriæ funditus deperire? Dehinc etiam Paulus dicit: Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem,qui sunt Israelitæ. Cum igitur sancti viri,vt fratribus consulant, etiam animarum suarum periculum subire non metunt,quid aliud faciunt,quam exemplum sui capitis imitantur? Qui videlicet pro ouibus suis animam suam posuit: & , vt nos a morte redimeret,mortis perferre supplicia non expauit. Absit ergo, vt propter honorem,qui nobis impenditur, debeamus fratribus nostris ædificationis verba subtrahere: sed propter eorum salutem ipsum acquiescamus honorem æquanimiter tolerare.

2.Cor.10.v.10

Gal.4.v.15.

Cur Paulus Apost. nollet se ab auditoribus contemni.

1.Thess 5.v.12.

Philip.2.v.29.

Exod 32.v.31.

Rom 9.v.3.

Ioan.10.v.15.

Hæc autem, venerabilis Pater, dixerim;non vt pertinaciter proprij intellectus arbitrium sequar, aut hæc affirmare præsumam: sed vt tu secundum ingenium tibi diuinitus datum, vel si res aliter habet, insinues: vel quæ dicta sunt, grauissima tui iudicij auctoritate confirmes. Saluta, quæso, ex mea parte charissimum mihi patrem,&

magistrum meum Mainfredum presbyterum, & dilectissimum fratrem meum Gerardum de Blanca. Reddat illis omnipotens Deus omnina bona, quæ mihi fecerunt pro amore eius.

EPIST. XIII. Ad Capellanos Gothifredi Ducis.

ARGVMENTVM.

Defendit se a calumnia Capellanorum Gothifredi Ducis, qui illum auaritiæ taxabant, eorumdem quoque duas prauissimas opiniones redarguit. Affirmabant enim Clericos posse vxores ducere. Illos, qui Episcopatus, & sacerdotia mercarentur, dummodo impositionem manus gratis acciperent, simoniacos non esse. Quam vtramque hæresim esse, aperte ostendit.

Dilectis in Christo fratribus Capellanis Gothifredi Ducis, Petrus peccator Monachus salutem.

CVm seruandum aliquid, quod cordi sit, scribere soleo, multiplici diuersorum codicum bibliotheca vallatus, maiorum sententias recolo: atque vbi necessarium est, ad eorum semper exempla recurro: nunc autem in prærupti montis, atque niualis cacumine constitutus dum monasterialis ædificij fabricam construere gestio, non modo librorum paginis, quæ procul absunt, insistere nequeo: sed & cæmentariorum, ac latomorum perstrepentium clamore depressus, id ipsum pæne, quod intra me est, ignorare compellor: vnde vobis scribere timeo, ne dum styli rudis articulum inexpugnabilia, sicut talibus dignum est, non munierint testimonia scripturarum, mox vt elato supercilio, & rugata fronte legeritis, tamquam deliras somniorum nugas, & anilis
1 Reg. 21 v. 13. Mar. 3. v. 21. ineptiæ nænias conspuatis. Verumtamen ego malo cum Dauid saliuis in barbam defluentibus apud Achis Regem Geth furiosus dici, & cum Iesu, sicut Marcus asserit, apud Iudæos freneticus appellari, quam imperitiæ notam timens, in supernæ maiestatis examine de silentio condemnari, dicens cum Esaia: Vęh mihi quia tacui, quia vir pollutus la-
Esai. 6. v. 5. bijs ego sum. Porro quod stultum est Dei, sapientius est hominibus.
1. Cor. 1. v. 25. Ibidem v. 21. Et sicut idem dicit Apostolus, Quia non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Hoc etenim & Samson ille signauit, qui cum mandibula asini mille Philisthæos mirabiliter interfecit. Samson enim, qui inter-
Iudic. 15 v. 15. pretatur sol eorum, Christus est, qui in mandibula asini, bruti videlicet, & simplicis animalis, plurimos interemit: quando per ora piscatorum, atque simplicium genus humanum a superbiæ suæ rigore contriuit, vt qui

qui ad debellandas aëreas venerat potestates, non cum oratoribus, ac philosophis, sed cum mitibus triumpharet, & imperitis.

Tria plane dicitis, quibus salua charitate vestra, necesse est responderi. Dogmatizatis enim sacri ministros altaris iure posse mulieribus permisceri: illud insuper additis, & quibusdam allegationibus affirmare tentatis, quia non ille simoniacus esse dicendus est, qui sub præstatione pecuniæ regimen ecclesiæ suscipit; sed ille dumtaxat, qui ad impositionem manus, & consecrationem per commercium venalitatis irrepit. Postremo, quod minimum est, mihi notam cupiditatis inuritis, quod nimirum cur præsumatis, quia mihi pro minimo est, breuiter referam: & sic reliquis duabus obiectionibus, communibus videlicet ecclesiæ negotijs, proprio purgatus, occurram. Mihi enim pro minimo est, vt a vobis iudicer, aut ab humano die. Age igitur Missarum mihi mysteria celebranti, vxores principum, Ducis scilicet, & Marchionis, Bizanteos obtulerunt. Quos vtique monachus noster Paulus expletis mysterijs apud altare, nobiscum foras prodiens, dereliquit. Vnus autem ex vestris, vobis tamen non modo rem ignorantibus, sed etiam absentibus, cleptica fraude subripuit, & vobis nihil omnino peccantibus, quia tamen vester erat socius quodammodo næuum reatus induxit. Qui mox in crimine deprehensus, & minaci terrore Beatricis excellentissimæ Ducis, & animosæ viraginis violenter oppressus, aurum fratri nostro latenter attulit: atque vt pro se supplicaretur, orauit. Quam sane summam mox vt resciuimus, eidem Clerico reddi præcepimus: atque vt de restituenda sibi Dominæ suæ gratia non diffideret, exhortati sumus. Quam ille pecuniam dum vehementer insisteret, & nullis omnino precibus nobis ingerere potuisset, altero tamdem die fratri nostro clam dedit, sicque se mordacis conscientiæ pondere leuigauit. Cur ergo auaritiæ accusatis, quem pecuniæ quæstum tantopere contempsisse cognoscitis? Cur aduersum me linguas acuitis, & non repugnanti mordentis obloquij vulnus infligere festinatis? Nam & Salomon dicit: Iaculum & gladius, & sagitta acuta homo, qui loquitur contra proximum tuum testimonium falsum. Et Psalmista: Filij hominum, dentes eorum arma, & sagittæ, lingua eorum machæra acuta. Egone cupiditatis arguendus sum, qui recipere surrepta contempsi, crimen indulsi: ac pro malis bona restituens, herilem reo gratiam reformaui? Ego, inquam, auaritiæ notandus sum, qui iacturam æquanimiter pertuli; an ille, qui sacrum de sacro surripiens, sacerdotij, quo fungebatur, officium prophanauit? Aduersus quem videlicet, fratres, hoc ego sermone non inuehor: sed vestra prouocatus infamia, me tantum purificare compellor. Piscatorum sum plane discipulus, ideoque non mare Demosthenis, nec torrentem commoueo Ciceronis. Et quia delinquenti fratri compassionem debeo, ad referendam digni talionis

Cappellanorũ Gothifredi ducis hæreticæ assertiones.

1. Cor. 4. v. 3.

S. Doctoris inuictus animus in contemnenda pecunia.

Prou. 25. v. 18.

Psal. 56. v. 5.

iniuriam non anhelo. Hoc tantum mihi dicere liceat, quia si a contubernalibus, & familiaritate coniunctis, sicut oratores, ac rhetores perhibent, trahenda sunt argumenta, non merito nobis auaritiæ crimen impingitur, quorum frater pecuniam quasi paruipendens, atque despiciens, in Ecclesia dereliquit. Sed, si dicere liceat, vobis potius adscribendum est, quorum socius, quod alienum erat callida machinatione surripuit. Iam vero, quod impudenter asseritis, ministros altaris coniugio debere sociari, proprij sermonis aduersum vos euaginare mucronem superfluum ducimus, dum armatos contra vos totius Ecclesiæ cuneos, & constipatam omnium sanctorum Patrum aciem vobis resistere videamus. Et vbi tanta se cælestium bellatorum nubes opponit, mirum est, si non tantæ auctoritati quælibet nouæ præsumptionis temeritas acquiescit. Sed quamquam corpus canonum desit ad presens, quædam tamen Patrum testimonio non grauemur apponere, quæ vel ex repetita memoria, vel in quibusdam membranulis possumus inuenire.

Explicatio, & confutatio primi erroris.

Enimuero Beatus Clemens hæc in sua scribit Epistola: Ministri altaris presbyteri, siue diaconi ad Dominica tales eligantur officia, qui ante ordinationem coniugem suam reliquerunt. Quod si post ordinationem ministro contigerit propriæ nudare cubile vxoris, sacrarij non intret liminia, nec sacrarij portitor fiat, nec altare contingat, nec ab offerentibus holocausti oblationem suscipiat, nec ad Dominici corporis portionem accedat. Aquam sacerdotum porrigat manibus, ostia forinsecus claudat, minora gerat officia, vrceum sane ad salutarem calicem non suggerat. Et paulo post: Clericus vero solus ad fœminæ tabernaculum non accedat, nec properet sine maioris natu principis iussione: nec presbyter solus cum sola fœmina fabulas misceat, nec Archidiaconus, aut diaconus sub prætextu humilitatis, & officij frequentet domicilia matronarum: aut forte per clericos, aut per domesticos matronæ mandent secretum aliquid. Si agnitum fuerit, & ille deponatur, & illa a liminibus arceatur Ecclesiæ.

Testimoniũ Clem. PP. epist. 1. ad Iacobum fratrẽ Domini.

In Nicæno etiam Concilio dicitur: Innuptis autem, qui ad clerum prouecti sunt, præcipimus, vt si voluerint, vxores accipiant; sed lectores, cantoresque tantummodo. Ex Concilio quoque Carthaginensi: Præterea cum de quorumdam clericorum, quamuis lectorum, erga vxores proprias incontinentia referretur, placuit Episcopos, & presbyteros, & diaconos secundum propria statuta etiam ab vxoribus continere: quod nisi fecerint, ab ecclesiastico remoueantur officio. Item ex alio Concilio apud Carthaginem. Aurelius Episcopus inter cætera dixit: Placuit sacros antistites, ac Dei sacerdotes, nec non & leuitas, vel qui sacramentis diuinis inseruiunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter, quod a Deo postulant, impetrare; vt quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus. Ad hæc Faustinus Episcopus Ecclesiæ Pontianæ, prouinciæ Piceni, legatus Romanę Ecclesiæ dixit: Placet, vt

Conciliorum decreta de cõtinentia Clericorum.
Can. Apost 25
Carthag. 5. c. 3
Carthag 2. c. 2

Episcopus, presbyter, & diaconus, vel qui sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes ab vxoribus se abstineant. Ab vniuersis Episcopis dictũ est: placet, vt in omnibus, & ab omnibus pudicitia custodiatur, qui altari seruiunt. Ne verò de subdiaconis, quod abstinere coniugijs debeant vlla possit remanere dubietas; idem Aurelius post multa subiungit: placuit, quod & in diuersis Concilijs firmatum est, vt subdiaconi, qui sacra mysteria contrectant, & diaconi, & presbyteri, sed & Episcopi secundũ propria statuta, etiam ab vxoribus se abstineant, vt tamquam non habentes videantur esse: quod nisi fecerint, ab Ecclesiæ remoueantur officio. Papa quoque Gregorius Petro subdiacono inter cætera scribit, dicens, Ante triennium subdiacones omnium ecclesiarum Siciliæ prohibiti fuerant, vt more Romanę Ecclesię suis vxoribus nullatenus miscerentur. Quod mihi durum, atque incompetens videtur, vt qui vsum eiusdem continentiæ non inuenit, neque castitatem ante proposuit, compellatur a sua vxore separari: atque per hoc, quod absit, deterius cadat. Vnde videtur mihi, vt a præsenti die omnibus Episcopis dicatur, vt nullum facere subdiaconum præsumant, nisi qui se caste victurum promiserit; quatenus & præterita, quæ per propositum mentis appetita non sunt, violenter non exigantur, & futura cautè caueantur. Qui vero post eamdem prohibitionem, quæ ante triennium facta est, continenter cum suis coniungibus vixerunt, laudandi, atque remunerandi sunt: & vt in bono suo permaneant, exhortandi. Eos autem, qui post prohibitionem factam se a suis vxoribus continere noluerunt, peruenire ad sacrum ordinem nolumus; quia nullus debet ad ministerium altaris accedere, nisi cuius castitas ante susceptum ministerium fuerit probata. Item & decretum Leonis Papæ: Nam cum extra clericorum ordinem constitutis nuptiarum societati, & procreationi filiorum studere sit liberum, ad exhibendam tamen perfectę continentiæ puritatem, nec subdiaconis quidem connubium carnale conceditur; vt & qui habent sint tamquam non habentes; & qui non habent, permaneant singulares. Quod si in hoc ordine, qui quartus est a capite, dignum est custodiri, quanto magis a primo; vel secundo, tertióve seruandum est: ne aut leuitico, aut presbyterali honore, aut Episcopali excellentia quisque idoneus æstimetur, qui se a voluptate vxoria, nec dum frænasse detegitur? Item Papa Siluester: Nulli autem subdiaconorum ad nuptias transire permittentes pręcipimus, ne aliqua hoc præuaricatione præsumpserit. Quod si contemnenda tot Apostolicorum virorum decreta duxeritis, ac per eorum ora tamquam totidem organa loquentis Spiritus sancti statuta spreueritis, quam de vobis beatus Papa Damasus sententiam profert, dignum est, audiatis: Violatores, inquit, voluntarij canonum grauiter a sanctis Patribus iudicantur, & a sancto Spiritu, cuius instinctu, ac dono dictati sunt, damnantur; quoniam blasphemare Spiritum sanctum non incongruè videntur,

Greg. Reg. lib. 1. epist. 42. Dist. 31. Ante.

Leonis PP. epist. 82. c. 4. ad Anastas. Thessal.

1. Cor. 7. v. 29.

Siluestri Papæ syn. Rom. c. 8.

S. Damasi Papæ I.

qui contra eosdem sanctos canones non necessitate compulsi, sed libenter, vt præfixum est, aliquid aut proterue agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt. Talis enim præsumptio manifeste vnum genus est blasphemantium Spiritum sanctum, quoniam vt iam prælibatum est, contra eum agit, cuius iussu, & gratia ijdem sancti æditi sunt canones. Audiant ergo, qui nobis obsistunt, qui aduersus nos super hac quæstione confligunt: quia dum nobis sunt aduersarij, in Spiritum sanctum manifesta sunt rebellione blasphemi: & illum blasphemantes offendunt, cuius offensio non remittitur neque hic, neque in futuro. Sed iam plures sanctorum Pontificum subnectere sanctiones omittimus, ne epistolaris compendij metam excedere iudicemur. Parit enim prolixitas laciniosa fastidium. Et certe cui sanctorum testimonia non sufficient, vndecumque congesta fuerint, nec pluribus acquiescet. Id præterea quod obijcitis, cautum esse canonibus, vt quicumque coniugati sacerdotis officium spreuerint, debeant communione priuari; vt pace vestra loquar, dum litterarum superficiem negligenter attenditis, sobrietatem ecclesiasticę intelligentiæ non tenetis. Ille nimirum sacerdos coniugatus dicitur, non qui nunc habet vxorem, sed qui potius habuit ante perceptam sacerdotalis officij dignitatem. Quem profecto si spernimus, consequitur etiam, vt & beatum Petrum Apostolum, quod dictu nefas est, contemnere debeamus. Nihilominus & illud de beati Pauli Epistola ad Corinthios velut egregium, & insignem Goliath gladium versatis in manibus, eumque vibrantes Israëliticæ plebis aciem ventilare tentatis: Propter fornicationem inquit, vnusquisque suam vxorem habeat: vxori vir debitum reddat, & vxor viro. In quo nimirum verbo, quod dicitur, vnusquisque, cum laicis simul altaris ministros comprehensos esse conijcitis: & dum in Apostolica sententia litterarum paleas quasi iumentorum dente corroditis, medullas spiritualis intelligentiæ pietatis humanæ faucibus non gustatis: immo prorsus a granis quisquilias non secernitis, & discretionis regulam postponentes simul omnia permiscetis. Illis nempe dicebat Apostolus: Vnusquisque suam vxorem habeat, quibus loquebatur; quia vero non sacerdotibus, vel prædicatoribus, sed populo potius in hac loqueretur Epistola, in ipso eiusdem Epistolæ principio luce clarius manifestat: Significatum est, inquit, mihi de vobis, fratres mei, ab his, qui sunt Cloes, quia contentiones inter vos sunt. Hoc autem dico, quod vnusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli, Ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Christi. Diuisus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis? Quibus vtique verbis liquido claret, quia non sacerdotes, sed populum corripiebat Apostolus, qui sectas faciebat schismatum, dum diuersorum se discipulos assererent esse doctorum. Cum ergo diceret, vnusquisque suam vxorem habeat; ille quoque coniugium indulgebat, ad quos eloquium dirigebat.

Margin notes: Explicatio, & confutatio secundi erroris. — 1. Cor. 7. v. 2. — 1. Cor. 1. v. 11.

Huc accedit, quia non semper vnusquisque, vel omnis multitudinem vniuersitatis amplectitur: sed plerumque intra mensuram certæ quantitatis, prout ratio dictauerit, cohibetur. Sicut est illud quod Dominus ait: Ego cum exaltatus fuero à terra, vniuersa traham ad me ipsum. Non enim ad se Iudam proditorem traxit, non sibi latronem impium sociauit: sed omnia, id est, omnes dumtaxat electos ad proprij contubernij culmen euexit. Et Apostolus perhibet, quia Deus omnes vult saluos fieri, & neminem vult perire. Sed cum Propheta dicat: Quoniam omnia quæcũque voluit Dominus fecit; cur reprobos perire permittit? Scilicet cum & neminem perire velit, & omnia quæcumque vult, absque dubio possit. Vnde cum dicitur, Deus quod omnes fieri saluos velit, necesse est, vt de solis intelligatur electis. Iuxta quam regulam, & Apostolus cum dicit, vnusquisque suam vxorem habeat, non omnes amplectitur homines, sed illos tantum, quibus iuxta legitimæ sanctionis normam habere licet vxores. Alioquin quo pacto sibi matrimonij fœdera copulabunt, qui cubilia paterna commaculant, qui germanas, ah scelus! vterinas incestant? Eant ergo iam monachi, dotales tabulas publicè proferant, nuptias contrahant: & iuxta sanctionis vestræ sententiam, vagientes pueros teneris delinire complexibus nullatenus erubescant. Et re vera cum Monachos ac Leuitas, vel in peccando, vel in pœnitendo canonica frequenter æquet auctoritas, quo pacto potestis coniugales copulas inhibere monachis, quas vtique diaconis indulgetis? Nam quomodo in sola mulierum permixtione sunt dispares, qui in cæteris excessibus reperiũtur æquales? Decernendum est ergo, vt aut Monachi, quod dici sacrilegum est, nuptias ineant; aut diaconi se penitus ab huius ignominiosæ turpitudinis obscœnitate compescant. Quod nihilominus & de subdiaconis sciendum est, sicut diuersa sanctorum Patrum, vt superius ostensum est, decreta confirmant. Quos nimirum nonnulli Nathinæorum tenere opinantur officium, quod non procedit. Nathinæi siquidem, sicut Hieronymus in Hebraicis quæstionibus asserit, interpretantur donati. Sunt enim Gabaonitæ, eo quod ad seruiendum dati sint tabernaculo Domini ab Iosue. Inter hos igitur, & illos hæc probatur esse distantia, quoniam illi tabernaculo, vel templo Domini famulabantur, vt serui; isti quarto funguntur altaris officio, diaconorum scilicet suppares, ac ministri: atque ideo, sicut cum sacerdotibus, ac Leuitis sacris Missarum præcipiuntur interesse mysterijs, sic eorum quoque participes esse, necesse est, in custodienda perpetuæ munditia castitatis.

Nomen vniuersale quomodo in sacris litteris accipiatur.

Ioan. 12. v. 32.

1. Tim. 2. v. 4.

Psal. 134. v. 6.

Nathinæi qui nam fuerint, ex Hieronymo.

Iosue 9. v. 17.

Postremo, quod dicitis, ad simoniacæ hæreseos nequaquam pertinere piaculum, si quispiam Ecclesiæ regimen non sine vænalitate suscipiat, si tantummodo manus impositionem gratis acquirat, quantum in Ecclesia scandalum generet, quantum certè ab Ecclesiasticæ disciplinæ tramite procul aberret, quoniam omnibus est perspicuum,

Tertij erroris explicatio, & confutatio.

non indiget prolixitate verborũ. Quisquis enim Ecclesiam pretio redimit, simul & cõparationẽ comparare conuincitur, ad quã scilicet per acceptionem eiusdem Ecclesiæ promouetur. In Ecclesię quippè cõmercio & consecrationem proculdubio comparat, sine qua videlicet eidem Ecclesiæ præsidere se posse non sperat. E contra contenditis, quoniam inuestituram ille suscipit Ecclesiasticæ facultatis, non minus percipit gratiæ spiritualis. Acquirit Ecclesiæ prædium, non Ecclesiastici charismatis sacramentum. Quisquis planè per salsuginem huius tartareæ sapientiæ, immo venenatæ versutiæ Ecclesiam diuidit, cum per vænalitatem hæreticus sit, per diuisionem quoque schismatici crimen incurrit. Fuerunt sanè nonnulli sinceræ fidei, & Catholicæ confessionis ignari, qui sic inter humanam, atque diuinam diuisere naturam, vt duas assererent in mediatore Dei & hominum constare personas. Ij verò, quibus datum est perspicaci mentis intuitu incarnati Verbi penetrare mysterium, veraciter astruxerunt in tam inseparabilem vnionem vtramque concurrisse naturam, vt ne in morte quidem Christi diuinitas à carne potuisset abiungi: alioquin non esset verus Deus, si vel in ipso mortis articulo desineret esse Deus. Hinc est, quod ait B. Ambrosius: Caro quidem Christi gustauit mortem, sed impassibilis Dei virtus non exiuit de corpore. Magnus etiam Leo Papa non disparem huius rei protulit in suo sermone sententiam: Nisi verbum, inquit, caro fieret, & tam solida existeret vnitas in vtraque natura, vt à suscipiente susceptam nec ipsum breue mortis tempus abiungeret, numquam valeret ad æternitatem redire mortalitas. Idem quoque alibi: Deitas, quæ ab vtraque suscepti hominis substantia non recessit, quod potestate diuisit, potestate coniunxit. Porro autem vos Christum non diuiditis, sed Ecclesiam, quæ corpus eius est, diuidere non timetis. Ait enim Apostolus: Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia. Enimuero milites veriti sunt Domini scindere tunicam; vos discerpere non formidatis Ecclesiam: qui nimirum non iccirco Ecclesiarum lucra conquiritis, vt ad consecrationis gratiam conscendatis: sed necessitate compulsi, ideo patimini consecrationem, vt Ecclesiasticam vos non contingat amittere facultatem. Nec ad hoc anhelatis, vt efficiamini Ecclesiæ sacerdotes: sed ad hoc tantum, vt velut hæreditario quodam iure sitis sanctuarij possessores. Illos videlicet imitantes, qui iuxta Dauid vaticinantis oraculum, dixerunt: Hæreditate possideamus sanctuarium Dei. De quibus & in eodem Psalmo Deo dicitur: Quoniam cogitauerunt consensum in vnum, aduersum te testamentum disposuerunt. Vos enim hæc sententia percutit, qui consensum in vnum cogitatis, dum in eo quod contra sacros canones dicitis, non dispari studio inter vos vnanimiter concordatis: atque aduersus Deum testamentum disponitis, dum nouam legem, atque contrariam Ecclesiasticæ regulæ promulgatis. Qui vero sint illi, qui hæc contra-

Ebion & Cerinthus.

1. Ioan. 4. v. 3.

S. Ambrosius.

S. Leo Papa I.

Coloss. 1. v. 24.
Matt. 27. v. 35.
Mar. 15. v. 24.
Luc. 23. v. 34.
& Ioan. 19. v. 18.

Psal. 82. v. 13.

Ibid. v. 6.

Dominum faciant, Propheta subsequenter enumerans, manifestat: *Ibid.v.7.*
Tabernacula Idumæorum, & Ismaëlitę, Moab, & Agareni, Gebal, & Ammon, & Amalech, & alienigenæ cum habitantibus Tyrum. Etenim Assur simul venit cum illis. Facti sunt in susceptionem filiis Loth. Fac illis sicut Madian, & Sisare, sicut Iabin in torrente Cison. Disperierunt in Endor, & reliqua. Quorum scilicet nominum, si interpretationes exponimus, vestris hæc concordare moribus proculdubio reperimus. Idumæi namque dicuntur sanguinei, vel terreni. Quod vobis vtique congruit, qui dum ista contenditis, carnem & sanguinem vos esse, & omnino terrenos apertissimè demonstratis. Estis etiam Ismaëlitæ, id est, obedientes non Deo, sed mundo; non diuinæ legi, sed carni. Moab vero dicitur ex patre, per quod, quoniam paternus incestus intelligitur, vestra quoque luxuria cõdemnatur. Agareni, id est, proselyti, vel aduenæ, quo designantur nomine, qui per exteriorem quidem societatem Christiano populo se conciues simulant, sed legi Christi contrarij alieno, atque aduentitio inter eos animo perseuerant. Gebal dicitur vallis vana, per quod designantur ij, qui simulatè sunt mites, & fallaciter humiles. Amon interpretatur populus turbidus, vel populus mœroris, quibus scilicet illi debent intelligi, qui dum noua doctrina populum scilicet turbant, Ecclesiæ Dei mœrorem, atque tristitiam generant. Amalech dicitur populus lingens, per quos vtique Christi designantur inimici, de quibus in Psalmo dictum est: Et inimici eius terram lingent. Alienigenæ quamuis & ipso nomine Latino se indicent alienos, & ob hoc consequenter inimicos, tamen in Hebræo dicuntur Philistijm, quod interpretatur, cadentes potione. Per quos exprimuntur illi, quos luxuria carnis inebriat, & quasi præ nimia potatione cadentes, in ima præcipitat. Tyrus etiam, quæ Hebraicè sors dicitur, angustia siue tribulatio interpretatur: per quod illi videntur perspicuè designari, qui per impietatis opera perpetuæ tribulationi, vel angustiæ probantur obnoxij. Madian interpretatur declinans iudicium. Illi planè iudicium declinant, qui dogmatizando peruersa, diuinæ legis iustitiam violant. Sisara dicitur exclusio gaudij; & quicumque se lasciuiis, & carnalibus lenociniis petulanter immergunt, gaudium à se supernæ fælicitatis excludunt. Iabin dicitur Sapiens, quod per Antiphrasim de illis intelligendum est, de quibus dicit Apostolus: Vbi sapiens, vbi scriba, vbi conquisitor huius sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius sæculi? Oreb interpretatur siccitas; & qui æstu concupiscentiæ carnalis exuritur, imbre sancti Spiritus madefieri non meretur. Zeb dicitur lupus; Zebee victima. Reprobi namque, qui sunt rapaces in sæculo, & lupi sunt, & ipsi sunt victima; quia dum infirmiores quosque deuorare contendunt, & ipsi spiritualis lupi, hoc est, diaboli dentibus exponuntur. Sed vt huiusmodi nominum expositio ab huius disputationis ordine non dissentiat, quasi lupi sunt siluæ peruersi doctores Ecclesiæ. Qui ni-

Interpretationes aliquot nominum Hebr.

Psal. 71. v. 9.

1. Cor. 1. v. 20.

mirum & lupi sunt, simul & victimę: quia dum innocentes quosque velut oues cruentis prauæ prædicationis dentibus mactant, ipsi quoque rapina facti, & in diaboli deuorantis intestina traiecti, insatiabilem eius ingluuiem recreant. De quibus & per Psalmistam dicitur: Sicut oues in inferno positi sunt, & mors depascet eos. Diabolus enim mors dicitur; sicut in Apocalypsi scriptum est: Quia erat equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi mors. Cauendum ergo vobis, ne dum mortibus paruulorum vestram satiatis esuriem & ipsi occulti raptoris efficiamini victimæ, quos ille vorax, & insatiabilis homicida in sua transferat alimenta. Salmana dicitur vmbra commotionis; & carnalis quisque dum vmbraticam fælicitatem sequitur, veritate contempta, per varias mundi concupiscentias commouetur. Cison autem, in quo scilicet torrente omnes illi deuicti sunt, duritia eorum interpretatur. In duritia quippè sua depereunt, qui praua docentes, veritati pertinaciter, & obstinatè resistunt. Endor etiam, vbi perierunt, interpretatur fons generationis, sed vtique carnalis, cui nimirum delectabiliter dediti, funesta meruerunt cæde prosterni: non quærentes illic germinare, vbi neque nubent, neque vxores ducent, nec incipient mori. Sed illic potius, vbi quidquid gignitur, in mortem, necesse est, resoluatur. Vos igitur in Endor intima diuini gladij cæde corruitis, qui sacri ministros altaris incesti coniugij consciscere copulas, & spurios gignere filios edocetis. Postremo qui sanctuarium Dei non spirituali moderamine, & prouisione gerendum, sed velut hæreditario iure possidendum asseritis, omnibus his interpretationibus nominum, quæ succinctè superius sunt exposita, perspicuè subiacetis. Sed cum reuincendis thematibus illis, quibus breuiter, celeriterque respondimus, adhuc argumenta perplurima suppetant, manum tamen iam à scribendi libertate compescimus, vt vberius dictandi vires, sic tamen adhuc necesse fuerit, per respirantis spiritus otium reparemus. Parcite procacibus labiis, dilectissimi, & si quam asperioris in vos verbi salsuginem scaturire conspicitis, non me, sed vos potius redarguite, qui scribere compulistis.

Psal. 48. v. 15. *Apoc. 6. v. 8.* *Matt. 22. v. 30.* *Luc. 20. v. 36.*

EPIST. XIIII. *Ad Rodulphum, Vitalem, Arialdum, Erlembaldum, aliosque.*

ARGVMENTVM.

Gratulatur primum de eorum, ad quos scribit, fide, & fortitudine. Deinde de Mediolanensis Ecclesiæ discordijs, & scandalis conqueritur. Postremò constantiam in tuenda veritate, & cælestem falicitatem non modo precari, sed prædicere videtur. Nam pro Christi fide cum strenuè plerique eorum pugnassent, martyrio coronati, æterna Dei visione fruuntur.

Sanctis

Sanctis fratribus Rodulpho, Vitali, & Arialdo, atque Erlembaldo, & cæteris pro castris Christi inuicta fide certantibus, Petrus peccator Monachus salutem in Christo.

OMnipotenti Deo gratias agimus, dilectissimi, quia vos fama discurrente, frequenter audimus in eo, quem de spiritus sancti gratia concepistis, pio feruore persistere, & aduersus hostes ecclesiasticæ disciplinæ indeficientis animi viribus dimicare. Non enim cessat trapezita nequissimus officinam suæ peruersitatis intra Ecclesiæ septa construere, non desinit tartareæ monetæ nummos malleis cudentibus fabricare. Nicolaitarum quoque hæresis, quæ nobis vobiscum simul collaborantibus videbatur euulsa, rediuiuis adhuc germinibus pullulat, & segetem Christi maturo iam decore flauentem zizaniorum feraliter emergentium adumbratione suffocat. Vnde procidimus Domino querula lamentatione dicentes: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo, vnde ergo habet zizania? Adijcimus etiam: Vis imus, & colligimus ea? sed consolatoria protinus nobis voce respondet: finite vtraque crescere vsque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus, colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum. Nam cum omnia possit proculdubio Deus, possit vtique ab agro Mediolanensis ecclesiæ omnium hæreseôn pestes procul abijcere, & illæsa vernantis Fidei frumenta seruare: sed vult fidelium suorum probare constantiam, quàm violenter videlicet arma corripiant, quàm robuste manus manibus conserant, quàm denique infatigabili contrà diabolum, eiusque satellites animositate confligant. Poterat enim & istorum magistrum, videlicet Simonem olim suis Apostolis aduersantem, ne in aëra leuaretur obsistere: sed ad hoc permisit extolli, vt ad sui maiorem gloriam, & illius ignominiam compelleret in ima demergi. Quamobrem, dilectissimi, dimicantes aduersus geminam diabolicæ legionis aciem, nolite cessare, nolite degeneri pusillanimitate deficere: sed tamquam verè filij Beniamin, qui dexteræ filius dicitur, vtraque manu solito feruore confligite, & bicipitis monstri caput diuini verbi gladijs obtruncate. Ecce, nimirum Iesus, ex cuius ore gladius ex vtraque limatus, & acutus parte procedit: & obuia quęque metens, cruentam hostium barbariem sternit. Quod si fortassis ex aduerso multiplicata malignantium verba videntur ingruere, illud Elisæi verbum fiducialiter inclamate: Plures nobiscum sunt, quàm cum illis. Quid plura dicam? Illud Apostolicum infero: Licet Angelus de cælo euangelizet vobis præter quàm quod euangelizaui, anathema sit. Nam ecce, qui iàm prius Nicolaitarum, & Simoniacæ hæreseos

Apoc. 2. v. 15

Matt. 13. v. 27. & deinceps.

Deus finit aliquando hæreticos esse, vt probet fidelium constantiam.

B. Linus in actis B. Petri.

Gen. 35. v. 18
Iudic. 3. v. 15.

Apoc. 1. v. 16

4 Reg 6. v. 16
Galat. 1. v. 8

laqueis tenebantur astricti; nunc ad perditionis suæ cumulum etiam post violata iuris-iurandi sunt sacramenta periuri; vt in eis luce clarius impleatur, quod in Apocalypsi per Ioannem dicitur: Qui nocet, noceat adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc. In vobis autem è diuerso, quod sequitur: Qui iustus est, iustificetur adhuc; & qui sanctus est, sanctificetur adhuc. Familiare scilicet, & genuinum Mediolanensi fuit semper ecclesiæ, vt in eâ diuersi dogmatis homines, & Auxentius, simul & Ambrosius non deessent. Ille scilicet tamquam rabida canicula fidelibus oblatraret; iste veteris, & noui testamenti testimonijs eum cornuta quodammodo furca repelleret. Ille viperini fellis propinaret errorem; iste superni fontis irriguam influeret puritatem. Ille sequaces suos virulento lacte nutritos, & per astutiam fraudis illectos in tartarum mergeret; iste per Apostolicæ doctrinæ dulcedinem ad cælestis gloriæ præmia subleuaret. Ille sibi credentibus tenebras cæcitatis induceret; iste sacerdotalibus obedientes imperijs, ad splendorem veræ Fidei, & lumen æternæ gratiæ reuocaret. Quapropter libet in eius præconium quibus pro tempore valeo gaudere, laudibus exclamare. Deus omnipotens, dilectissimi, & per claues B. Petri Apostoli vobis ianuam Regni cælestis aperiat, & per orationem B. Ambrosij Pontificis vestri clementer à vobis omnia tenebrosi spiritus inquinamenta detergat. Det vobis in ea, quam semel cæpistis, inuiolata veritate persistere: & in Apostolicæ fidei petra fundatos, cunctis prauorum dogmatum erroribus insuperabiliter resultare. Annuat vobis in huius vitę transitu sic per omnia viuere, vt cum eo simul, qui auctor est vitæ, in illa cælesti Hierusalem mereamini sine fine gaudere. Amen.

Apoc. 22. v. 11. *Ibidem.* Precatio hæc S. Doctoris videtur prophetia.

EPIST. XV. Ad Eosdem.

ARGVMENTVM.

Eadem in hac Epistola, quæ in superiori breuius continentur.

Petrus Damiani, Rodulpho, Vitali, Arialdo, Erlembaldo fratribus salutem.

GRatias agimus Deo, quod constanti fama audimus, vos constanter aduersus hostes ecclesiasticæ disciplinæ certare. Nicolaitarum hæresis, quę vobis nobiscum laborantibus, videbatur euulsa, repullulat. Deus vult probare constantiam suorum. Ecce, qui prius Nicolaitarum, & Simoniacę hæreseos laqueis tenebantur, nunc ad perditionis suæ cumulum sunt etiam violato sacramento periuri. Quod tamen in Mediolanensi ecclesia non est nouum, quæ semper

diuersi dogmatis homines habuit, initio ab Auxentio, atque Ambrosio inchoato.

EPIST. XVI. Ad Landulphum Clericum Mediolanensem.

ARGVMENTVM.

Dum Mediolani S. Doctor ad corrigenda Clericorum illius Ecclesiæ vitia ab Apostolica Sede legatus versaretur, aderat ei præcipuus adiutor Landulphus quidam, vir & generis nobilitate, & litterarum cognitione non vulgari: quique ad eam rem ex sententia perficiendam non mediocre studium, auctoritatemque afferebat. Is concitata ab ijsdem Clericis populari seditione, cum vterque ad exitium furentibus plebis animis deposceretur, vouit se vbi primum ex tam atroci tempestate euasisset, rebus humanis valere iussis, ad religionis portum conuolaturum. Quod tamen dexteritate, & Damiani facundia, sedata populi seditione, voti compos effectus, præstare negligebat. Scribit igitur ad eum hanc Epistolam, in qua enumeratis multorum exemplis qui graues Deo non seruatæ fidei pœnas persoluerant, hortatur, vt fidem non hominis, sed Deo obstrictam fallere reformidet.

Landulpho Clerico, & Senatorij generis, & peritiæ litteralis nitore conspicuo, Petrus peccator Monachus salutem.

PRæstolatus sum, & certum tenui, vt iuxta condictum sacri ordinis arriperes institutum. Sed quia te Rex Aegypti luti & lateris seruitio non oppressit: quia à procinctu suę militiæ sattrapis insistentibus non abiecit; sed potius cum leuitâ illo de latere montis Ephraim blandiens socer Bethleemita retinuit, filięque suæ amore deuinctum, multis sermonum, atque refectionum suauitatibus deliniuit: quod non homini, sed Deo spoponderas, humana non persoluisti temeritate. Obsecro, mi frater, quid prudentia tua valet excusationis obtendere? quid argumentatur, vt ei liceat, quod Christo iudice, & Angelis testibus promiserat, non implere? cum Dominus per Moysen dicat: Si quis virorum vouerit Domino, aut se constrinxerit iuramento, non faciet irritum verbum; sed omne quod promisit, implebit. An fortè hoc purgat mendacium, idoneumque videtur in defensione perfugium, quod Mediolanensis ciuitas tunc in seditionem versa, repentinum vtique nostrum minabatur interitum? Et quod necessitas intulit, si voluntatis desit arbitrium, non manebit? Sed canonica decernit auctoritas, vt si vidua pietatis violentiam pertimescens, sacrum velamen quasi non † perseuerantiam suscipiat, ab eo, quod semel inijt, proposito non recedat. Absit ergo, vt virum timor absoluat, qui fœmi-

Exod.1.v.14. & 5 v.18.
1 Reg.29.v.6.
Iudic.16.v.1. & deinceps.

Nulla excusatione licet non implere votum.

Num.30. v.3

Votum etiam necessitate, vel metu mortis emissum obseruandū.

† perseueratura.

nas etiam in iudicio non excusat, præsertim cum, me denunciante, ne huiusmodi te voto pro timore mortis constringeres, nisi etiam consequenter per viui operis efficaciam promissa impleres; tu te diuinæ sententiæ deuotasti, si datæ sponsionis aliquando mysterium violares. Dicam, quod super non dissimili re nuper apud nos accidisse cognoscitur.

Arduinus damnatus, quod monasticum habitum, vt vouerat, non suscepisset.

Vir quidam, Arduinus nomine, famosę prudentiæ genere clarus, diuitijs opulentus, certa mihi deuotione spoponderat, quod si ante non posset, saltem expleto decennio, ad monasterium B. Vincentij, quod videlicet in Vrbinati constitutum est territorio, monachicum suscepturus habitum, declinaret. Tandem termino conditæ pactionis exacto, cum ego huic assiduus exactor insisterem; ille inde cedendo, blandiendo, verbis quidem bonum omne promitteret, ipsius autem conuersionis effectum quibusdam tergiuersationibus protelaret; Rector quoque iàm dicti monasterij illius fauebat votis, dissuadebatque conuerti, cuius nimirum pernecessarijs sustentabatur auxilijs. Interea languore corporis irruente decubuit, peccata confessus, judicio sacerdotis absoluitur, pauperibus, & ecclesijs multa largitur, in tantum, vt cunctis quasi bene compositis, assistentes sibi cognatos, & affines sub hac obtestatione constringeret: Obsecro, inquit, per charitatem, quæ Deus est, nemo me reddi huic mortali vitæ deposcat; ne quod absit, imparatum postmodum mors improuisa reperiat. Aliquanto autem post eius obitum tempore, prædicto Abbati vir ille per visum nocturnæ quietis apparuit. Videbatur autem, quod in spatiosa quadam campi planitie Imperator, si recte teneo, vel quælibet excelsa potestas, cum totius Regni primoribus, & copioso moraretur exercitu. Cumque ille stupefactus huc, illucque oculos deduceret; ecce Arduinus a quibusdam tanquam custodibus celeriter ducebatur: Heus, inquit, siste gradum, fige pedem, quiesce paulisper, mihi non loqueris Arduine? Age frater, quid tibi est? lætaris, an pateris? Adest pœna, vel glòria? Cui tristis, & flebilis, cur, ait, me de gloria consulis, qui iugibus pœnis afficior, & ne ad momentum quidem respirare permittor? Ad quem Abbas, quid tibi, inquit, B. Vincentius, num tibi nunc in necessitate non succurrit, qui ad collaborandum suæ domus administratoribus tam sedulo decertasti? Cui mox ille subiunxit: Sanctus, ait, Vincentius diu me suum fecit sperare colloquium: sed quia dudum fatigatus, hoc obtinere non merui, spem hanc, omnino iàm frustratus, amisi. Vbi solerter attendendum, quam recta sit linea diuinæ iustitiæ, immo quàm artifex apud Deum mensura vindictæ. Ille si quidem dum adhuc viueret, conuertendum se in monasterio B. Martyris & promittebat, & differebat; nunc autem ad eiusdem Martyris venire colloquium, & quasi ex promissione sperabat, & tamen nullatenus impetrabat. Dignumque fuit, vt Abbas potissimum hanc cerneret visionem, qui ne conuerteretur, illi obstiterat.

1. Ioan. 4.

Artificiosa diuinæ vindictę mensura.

Alius etiam æque notus mihi, atque ciuis in Rauennati Vrbe pollebat, & legis peritia strenuus, & Grammaticorum regulis competenter instructus. Hic mecum fide dictor instituit, vt si ego, simul & ipse relinqueret sæculum. Quid plura? Tandem ego ad conuersionem veniens, vt sponsio redderetur, exegi, sed obtinere non potui. Ille quippe me, gaudendo præmisit, suaque vestigia subsistens, artificiosè repressit. Non diebus verò multis postmodum, dùm hunc aduersus leuirum suum furentis animi liuor accenderet, gladio repente percussa manus eius obriguit: sicque stupefacta mansit, ac rigida deinceps, vt baiulo suo magis esset oneri, quàm virtuti. Iàm itaque inutilis factus, mundum, dùm abuteretur, abiecit: & non iàm manceps, sed cùm Beniamin totus dexter, in sancta vsque ad obitum conuersatione permansit. *Gen. 35. v. 18.*

Intereà Ioannes quóque Commiaclensis Episcopus ad memoriam redit, qui dùm conuersionem suam per longa temporum interualla differret, aliquandò contigit, vt in fundo suo, quem in saltus possidebat territorio, moraretur. Illic itaque constitutus, pauperculæ cuidam viduæ porcum, quem velut spem sui victus alebat, auferri, suisque ferculis profuturum, non segnius præparari. Emittit preces illa, fletus fundit, ac gemitus, sibique diligentiæ suæ reddi postulat nutrimentum. Sed suo ventri magis, quàm illi pius Episcopus dum proprijs prouidet mensis, mandatum paruipendit auctoris, qui per Prophetam dicit: Subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam. Sed qui absens credebatur instituendo præceptum, præsentem esse se docuit inferendo iudicium. Nam Episcopus dùm lacrymas viduæ, suæ facit delitias gulæ, mox percussus in gutture, vulnus incurrit, quod nullis medicorum studijs, donec vixit, euasit. Hoc itaque præpeditus incommodo, cùm iàm iuxtà Scripturam, sola vexatio intellectum daret auditui, tandem sanis consilijs acquieuit, & Episcopales infulas monachica professione mutauit: atque in Pomposiano cœnobio, quod in B. Mariæ semper Virginis est honore constructum, longis post temporibus vixit. Vsque tamen ad obitum tanta læsi gutturis laborauit molestia, vt nisi cum magna difficultate traijcere alimenta non posset: adeò vt ad geminam semper mensam succedentium sibi fratrum in refectione discumberet, vixque tantum cibi caperet, vnde recreare stomachum potuisset.

Episcopus percussus in gutture, quod pauperculæ porcum abstulisset, religioni se dedit.

Esai. 1. v. 17

Psal. 28. v. 19.

Sed dùm huius Episcopi reminiscimur, sub hac occasione quid etiam Clusino Episcopo contigerit, scribere prouocamur. In ipsa planè quarta feria, quæ initium Quadragesimę dicitur, fecit conuiuium sumptuosis opibus instrui, & balneum præparari. Accitisque militibus, & obsequentium turbis lautum diem deduxit, & velut aduenienti nuptæ, Quadragesimę cum nuptiali conuiuio gratulabundus occurrit. Vbi hoc tantùm dissonabat à regula, quia cum adhuc liuescerent in capitibus cineres, æstuabant ingurgitati mero, & distenti dapibus

Clusini Episcopi, Paralysis gulæ vitio inflicta.

ventres. Sed ô vigilans super nos diuina clementia! Incolumis tunc, atque vegeti vultum Episcopi paralysis repente corripuit, eiusque faciem inhonestam visu, atque ora distorsit: per plures etiam annos, quibus postmodum superuixit, hoc in se diuinæ animaduersionis insigne portauit.

Adamus Sempronienſis Episcop. inopinato moritur, quod religionis ingressum distulisset.

Num & Adam Simphroniensem Episcopum præteribo? qui se monachum fieri sæpe promiserat: sed semper excusationes quibusdam quasi rationibus coloratas, obtendere satagebat. Aliquando mitius febriens, me vocauit ad se; cui nimirum, vt monachus fieret, cùm ego violenter insisterem, velle se perhibebat; & tamen vt per quasdam verborum eius rimas erumpere videbatur, rem differre tentabat. Postremo quod apud me magis obtinuit, ait: Ego quidem, Pater, quidquid præcipis, incunctanter obtempero; veruntamen nolo te lateat, quia mox, vt ego factus fuero monachus, prædis quoque, atque rapinis hæc proculdubio patebit Ecclesia: insuper, & possessiones eius, & prædia scelesti homines radicitus extirpabunt. Hoc ergo audiens, dum delusus Ecclesiæ tam periclitanti, proh dolor! animæ non præuidi. Recedens igitur sibi, suisque mandatum dedi, vt si languor aliquatenus ingrauesceret, aut mihi per iudicem protinus innotescerent, aut illum ad monasterium non longe positum deferrent. Porro autem postquam ego recessi; frater eius hæc mihi per nuncium delegauit: Dominus quidem meus, vt speramus, per diuinam clementiam conualescet: verumtamen, hortor, vt reuertaris ad eum, hoc scilicet ordine; vt videlicet Dominico die propius accedendo ad cœnobium B. Vincentij, quod ab Episcopatu vix quinque lapidibus distat requiescas. Secunda vero feria maturius surgens, ac matutinas laudes suauiter equitando persoluens, ad nos diluculo nondum plenius diescente, pertingas: & post hæc, venire te, quæso, non pigeat. Nam si veneris, tui labor itineris compensatione congrua non priuabitur. Hoc vltimum ego audiens, illico nauseatus exhorrui, & tanquam mihi spes daretur munerum, pro pecuniæ quæstu ire me funditus abnegaui: conscientia teste non mentior, ipsum quoque non leuiter conuitiatus sum, velut inhonestæ legationis auctorem. Rursus tamen me in memetipso recolligens, timere cæpi, ne si hic homo ex hac vita transiret, me postmodum conscientia negligentiæ redarguens cruciaret. Quid verbis immoror? Tandem parui, cunctaque sicut ille mandauerat per ordinem seruans, cum vix dum aurora prorumperet, Ecclesiæ † lumen accedendi. Sed ecce, cum omnes hinc inde perstreperent, fletus, & eiulatus emitterent, vix duobus assistentibus pueris, intra cubiculum cadauer Episcopi iacebat exanime. In quo nimirum casu, ac summo studio perpendendum, quanta aduersus incautos huius vitæ dilectores callida machinatoris insidietur astutia. Accuratè scilicet, & argutè illud mihi temporis punctum per ora mittentium constituit, vt venirem, quod Episcopi mors inopinata præcederet: vt & illius mo

† limen accessit. f.

Dæmonis astutiæ contra huius vitæ amantes.

præueniret occasus, & meos frustraretur aduentus. Quid ergo prodest, quod dum ad conuersionis gratiam prouocamur, clypeum nobis excusationis semper opponimus; & tanquam Deus internè non videat, necessitatum non vrgentium fabricam compilamus? Nam cum paruas quaslibet res nobis iniustè sublatas districtè dijudicet; credendum est, quod hominem sibimet subtrahi, pretiosam scilicet substantiam, æquanimiter ferret?

Dicam, quod mihi Guarimpotus senex, vir videlicet honestissimus, apprimè litteris eruditus, ac medicus retulit: Quidam, inquit, alienum suem furtiuè surripuit, & caueæ clandestinus inclusit. Vir tamen ille pietatis operibus intentus consueuerat esse, & pręcipuè humanitatem peregrinis, & hospitibus sedulus exhibeat. Interea adest diues Iesus in effigie pauperis, & tamquam prolixo iam crine deformis egebat arte tonsoris. Ille protinus reuerenter assurgens, inter cætera officiosæ humanitatis impendia cœpit illum forcipibus attondere: sed dum tornat ac satagit, ecce reperit duos in occipitio sub crinibus oculos latitantes. Expauit homo, stupensque contremuit: & quid vellet esse, quod cerneret, pauidus inquisiuit; cui mox ille, Ego, inquit, Iesus vocor, qui vndique cuncta contemplor: & isti sunt oculi, quibus etiam suem vidi, quam nuper in cauea conclusisti, moxque disparuit. Ille protinus ad cor rediens, & diuinam circà se clementiam recognouit: & quod iniquè præsumpserat, satisfactione purgauit. Sed qui tibi, tàm vnanimi fraternæ gratiæ familiaritate coniungor, obsecro, non te pigeat minimum quid audire, quod loquor. In hoc enim copiosior gratia puræ, ac non susceptæ charitatis ostenditur, si quidquid venit in mentem, non tàm vrbanè, quàm simpliciter proferam.

Christi prouidentia erga eleemosinarum furem.

Certè vir quidam, nomine Pambo, clarus quidem genere, sed tenuis facultate, Romæ constitutus, in vno mecum versabatur hospitio, cum Heinricus piæ memoriæ Rex, coronam suscepit Imperij. In ipsis autem vigilijs Dominicę Natiuitatis, propinquæ iam nocti imminentibus tenebris, non paruus porcorum grex per longam nundinarum porticum ducebatur. Tunc præfatus Pambo inter opaca vænalium vnum è porcis irruens arpaxauit, fauces, ne grunniret, obstrinxit; sicque gratulabundus, ad socios, vt in crastinum pararetur, abduxit. Illucescente itaque sacrosancta sollemnitate, suo fruitur scelere, & satiatus exultat de sui criminis impunitate. Putabat enim fortasse, quod hoc non attenderet Deus, sed subsequente proxima nocte, didicit, quia super eum diuina retributio vigilauit. Nam dum equum suum male custodiens, obdormiret, subito fur habenam, quam ille suis innexuerat manibus astutè subduxit, equumque cum fræno sumit, & sellam transposuit. Euigilans itaque subtili se sensit multatum iudicio, quia ex eadem manu, qua porcum rapuerat, aucto fœno

Pambonis Romani furtum furto diuinitus punitum.

re caballum sibi surreptum esse cognouit. Sed quamuis in hoc homine è vestigio sit vltio secuta post culpam, non mirum, quod a quibusdam reprobis aliquando pœna differtur, suisque sceleribus diutius perfruuntur. Sicut enim Scriptura testatur: Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.

Iob 21. v. 13

Memini plane, quia cum apud Parmense oppidum liberalium artiū studijs docendus insisterem, dùm adhuc videlicet in ipso adolescentiæ flore, & noua pubertas indueret faciem, & æstus libidinis accenderet carnem; clericus quidam, Zeuzolinus nomine, pellicem suam iuxta meum habebat hospitium, vt aiunt, aspectu lubricam, & inhonesto satis decore venustam. Hic itaque nitidulus, & semper ornatus, atque conspicuus incedebat, ita vt caput eius numquam nisi gibellinica pellis obtegeret, indumenta carbasina, atque niuentia siligio per artem fullonis inficeret, calceus postrema ad aquilini rostri speciem non falleret. Erat illi præterea vox gracilis, suauis, ac tinnula, adeò vt in ecclesia modulans audientium corda mulceret, & astantium in se plebis ora conuerteret. Affluebat vterque delitijs, rubebant ora flammantia; quotidie cachinnis inuicem, atque ludibrijs, oculorum nubibus, & scurrilitatis illecebris festiuis applaudebant. His ergo furijs, ac perditis moribus, quia corpore contiguus aderam, mente longinquus esse non poteram. Quid dicam? quia dùm hæc cernerem titillantis luxuriæ molestias pertuli, cum etiam postquam ad Eremum veni, eiusdem lenocinij memoria me sæpius colaphizare non destitit; sæpè fateor, mihi malignus hostis hoc schema proposuit; & illos esse fælices, ac beatissimos, qui tam iucundè viuerent, persuadere tentauit. Sed huius beatitudinis initium diximus; consequenter etiam quo fine concluserint, attexamus. Nam dùm per quinque fere annorum lustra in hac luxuriosa voluptate vixissent, ante annum, cum commune ipsius Vrbis flagraret incendium, in vna domo reperti, vterque simul igne consumpti sunt. Sic, sic nimirum flamma libidinis ignem meruit combustionis: & quid dulcis vita contulerit, amarus, proh dolor! exitus demonstrauit.

Clericus luxuriosus cum pellice incendio perijt.

Sed, vt ad eos redeam, qui conuersionem suam & pollicentur, & fallunt; Presbyter quidam, Maurus nomine, ante annos paucos, se mihi deuotè commisit, meque certum, quia monachus in Eremo fieret, reddidit; paulò post mutatum est cor eius, ac fœdus, quod † pro me cùm Deo pepigerat, violauit. Sed vt cæcitas mentis erumperet in superficiem carnis, & caligo, quæ latebat, liquido pingeretur in fronte, in eius oculo repente vulnus oboritur, quod eum, donec aduixit, inhonesta deformitate fœdauit. Postmodum verò dùm orationis studio Romam pergeret, amnemque tenuis admodum gurgitis transuaderet, cū cęteri omnes vadum illęsi transmearent, solus equus illius subitò sine sessore repertus est. Requirentes igitur eum dum per alueum fluminis huc illucque discurrunt, vndis hunc obrutum exanime cadauer inueniunt

Presbyter apostata & peregrinationis meritum amisit, & amne mersus interijt.

† per.

ueniunt. Hoc itaque modo dum sancto proposito vagationis suæ quisquilias prætulit, vtriusque laboris meritum delusus amisit.

Verum ego dum dulcedine tuæ charitatis illectus, sermonem diutius protraho, non clam me est, quod modum iam compendij epistolaris excedo. Porro autem non ego te peritum rudis admoneo, non de scripturis exempla propono, sed tamquam rusticus res tantum domesticas retuli; vt quotidianis stomachum dapibus, hebetem vilibus ad edendum siliquis, vel herbis virentibus excitarem. Ad tuæ igitur te remitto mentis armarium, vbi certè plurimæ conduntur paginæ scripturarum. Illic prudentia tua solerter inquirat, quid melius sit, an, vt persoluto conuersionis tuæ debito, in soliis iudicantium sedeas: vel *Matt.19.v.28* non soluto, ante tribunal æquissimi Iudicis rationem redditurus assistas. Vnum scio, quia si à mundi vanitatibus vlla posses ratione conuerti, fieres proculdubio os Dei, præco Christi, tuba cælestis eloquij, destructor diaboli, ædificij fundator æterni; esses postremò lumen Ecclesiæ, ac murus inexpugnabilis militiæ Christianæ.

EPIST. XVII. Ad S. Presbyterum.

ARGVMENTVM.

Quendam Presbyterum consulit, quonam pacto cognationum gradus numerari debeant: non enim adeo tutum sibi videri communem morem (eo scilicet modo numerandi vt prima persona semper abundet) vt ab eo recedere nefas sit, præsertim cum nonnulla Scripturæ loca videantur obstare. Petit igitur, vt in hac dubitatione suam sententiam patefaciat.

Domno S. religioso presbytero, Petrus peccator Monachus indissolubile glutinum charitatis.

Eccli.,7.v.12. *Ibid.v.15.*

ADmonet vir Sapiens: Cum viro, inquit, religioso tracta de sanctitate, & cum iusto de iustitia. Qui etiam postmodum dicit: Cum viro sancto assiduus esto, quemcumque cognoueris obseruantem timorem Dei. Quapropter ego te, venerabilis frater, agnoscens, congruum duxi, non consilia tecum terrena conferre, sed de spirituali potius, & Ecclesiastica quæstione tractare. In opusculo siquidem, vbi de parentelę gradibus disputaui, inter cætera dixisse me memini: In cognationum, inquam, generationibus numerandis vna semper debet abũdare persona. Quod etiam approbans addidi: neque enim ex vna persona potest generatio fieri. Adhibitis etiam testimoniis Scripturarum

Contrarius videtur sensus huius loci, cũ in textu habeatur cum viro irreligioso tracta de sãctitate, &c.

Opusc. de parentelæ gradibus hab. to 3. S. Doctoris.

quibus hoc disputatio definiuit; vt cum propinquorum generationes fuerint supputatæ, vna semper persona reperiatur excedere. Verbi gratia: vbi quinque sunt generationes, sex necessario debeant esse personæ. Sic & in cæteris numerum graduum multitudo superet personarum. Sed per accessum temporis, legenti mihi aliquid, & in scripturis occurrit, quod mutari posse hanc enumeratæ cognationis regulam persuasit; præsertim cum plerique sæculares huic definitioni feram, atque inhumanam conquerantur inesse duritiam: se seque perhibeant nobis obtemperare non posse, nisi vel minimum quid acquieuerimus ex huius legis rigore laxare. Hoc quotidie bellum, hoc sine fœdere toleramus obloquium. Videtur itaque nobis infirmitatibus imbecillium sine culpa nos posse † conscendere, vt decernamus cognationum, simul ac personarum numerum inuicem conuenire; quatenus quot sunt personæ, totidem quoque dicantur esse generationes. Vt autem hoc non nostra temeritas, sed sanctorum Patrum videatur auctoritas, B. Hieronymus dum soluere nititur quæstionem Genesis, vbi dicitur: Qui occiderit Cain, septem vindictas exoluet, septem perhibet esse generationes ab Adam vsque Lamech: cum tamen nó reperiantur nisi totidem, hoc est, septem esse personæ. Et, vt ipsa potissimum tanti Doctoris verba ponamus, Maiorum, inquit, nostrorum ista sententia est, quod putant in septima generatione Lamech interfectum Cain; moxque subiungit: Adam quippè genuit Caim, Caim genuit Henoch, Henoch genuit Cainan, Cainan genuit Malalehel, Malalehel genuit Mathusalem, Mathusalem genuit Lamech, qui septimus est ab Adam. Et paulo post, hic quidem, inquit, Cain, quod in septima generatione interfectus sit, & iuxta aliam editionem pœnam sui sceleris dederit: vbi nihil obscuri arbitror remansisse. In quibus vtique doctissimi viri verbis patenter ostenditur, quia cum ab Adam vsque Lamech septem tantummodo sunt personæ, septem nihilominus faciunt generationes. A qua generationum dinumeratione beatus quoque Gregorius non discordat. Nam in expositione B. Iob, Enoch septimam perhibet esse generationem, cum sex tantummodo Patrum ante illum reperiantur esse personæ. Hæc nimirum beati viri verba suut: Electis, ait, Henoch in septima generatione nascitur, quia sui dedicationem gaudij in extremæ retributionis gloria requirunt. Et certè, sicut sacra Geneseos liquido testatur historia, Adam genuit Seth, Seth genuit Enos, Enos genuit Cainan, Cainan genuit Malalehel, Malalehel genuit Tareth, Tareth genuit Henoch. Sicut ergo per lineam Cain septem solummodo succedentium sibi reperiuntur esse personæ ab Adam vsque Lamech; ita quoque per electorum seriem septem dumtaxat personæ numerantur ab eodem Adam vsque Henoch. Sed sicut in genealogia Cain à Beato Hieronymo Lamech septimus est ab Adam, ita B. Gregorius septimam generationem esse testatur. Si ergo tantorum vi-

† condescendere. f.

In generationibus supputandis quæ regula seruāda.

Gen. 4. v. 15.

S. Gregorius *Moral. l. 16. c. 6*

Gen. 5. v. 4.

torum sequi non abhorreamus exemplum, restat, vt tot debeant generationes dici, quot personæ valent in cuiuslibet generis successionibus supputari.

Addamus adhuc, quod grauioris est ponderis, & inuiolabile tenet robur auctoritatis. Matthæus enim Euangelista postquam generationis Christi lineam texuit, hoc in conclusione subiunxit: Omnes ergo generationes ab Abraham vsque ad Dauid generationes sunt quatuordecim, & à Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis generationes quatuordecim, & à transmigratione Babylonis vsque ad Christum generationes quatuordecim. Cum videlicet nulla trium ordinum, qui digesti sunt tessera, plusquam quatuordecim genitorum, siue gignentium inueniatur enumerare personas. Immo si diligenter attenditur, non nisi tredecim continere personas ordo tertius, qui est & vltimus, inuenitur. Super quo nimirum nonnulli Doctorum diuersa à se inuicem sentientes, lōgis argumentationibus disputant, vt quatuordecim & in hoc, sicut in cæteris habentur ordinibus, esse generationes ostendant. Sanctus quippè Hieronymus duos esse perhibet Iechonias, patrem scilicet, & filium; & patrem quidem in fine secundi ordinis, filium asserit positum in capite tertij. At beatus dicit Augustinus, quia vnus Iechonias bis numeratur. Quod si credendum sit, nescio quo pacto sancti Euangelistæ vera videri possit assertio, qua dicit, quoniam à transmigratione Babylonis vsque ad Christum generationes sunt quatuordecim. Sanè siue bis, siue quoties-libet, id, quod vnum est, numeretur, vnum nihilominus permanere cognoscitur. Nam etsi sæpenumero quid dicitur, rei tamen essentia non augetur, nec multiplicatur numerus, licet sermo fuerit iteratus. Timeo planè super vtriusque Doctoris sententia, quæ mihi dubietas oboriatur, exprimere; ne tam illustribus Ecclesiæ magistris, & assertoribus veritatis videar, quod absit, aliquatenus succensere. De illorum itaque venerandis definitionibus ego disputare non audeo, simpliciter tantum quid mihi videatur, expono. Ab eo sanè, quod dicitur, post transmigrationem Babylonis Iechonias genuit Salathiel, vsq; ad illud, Iacob autem genuit Ioseph virū Mariæ, tredecim sunt generationes. In Ioseph si quidē duodecima, in Maria intelligitur tertiadecima. Si enim Maria Ioseph, sicut vxor viro, carnali commercio iungeretur, iure vna dumtaxat in vtroque generatio videretur. Sed cum Maria Ioseph nullatenus sit coniuncta, generationis vero linea vsque ad Ioseph per pręcedentium seriem sit perducta, repentè generatio in Mariam altrinsecus positam prosilit: & dum à sua reflectitur linea, & in aliam transit, quendam quasi angulum facit. Ille nimirum ex ea natus est, qui &, iuxta Apostolum, lapis est angularis; & sicut Psalmista canit: Factus est in caput anguli. Nec inconuenienter vna in Maria generatio constituitur, quæ generatio illius origo est, cui videlicet à cunctis præcedentibus generationibus militatur. Porro cum Ioseph hinc ex recta propagatæ cogna-

Matt.1.v.17.

Quomodo à transmigratione Babylonis ad Christum fuerint generationes 14.

Opinio S. Hieronymi.

S. Augustini.

Qua modestia à sanctis Patribus discedat B. Doctor

Ephes.2.v.20.

Psal.117.v.22.

tionis linea pendeat, illinc ex altera eiusdem cognationis linea Mariæ descendat; ipse de linea in lineam transitus generationis est mysticæ sacramentum. Nam quia Maria Ioseph carne non iungitur, non vtraque vna est generatio: sed vnam Ioseph, alteram Maria generationem facit. Planè cum scripturarum consuetudo non teneat, vt per mulieres cognationis lineam texat, per viros Christi genealogia producitur: in eius tamen ortu virilis materia non miscetur, ideoque cum ad Ioseph peruentum est, successionis ordo non vlterius in inferiora deducitur: sed per transuersum protinus, & ex latere in Virginem deriuatur. Sic post carnales generationes fit generatio spiritualis, vt mox sequatur res inaudita prorsus, & singularis. Spiritualis siquidem generatio fit de Ioseph in Mariam, singularis de Maria in Christum. Sed dicis mihi quisquis es, quomodo inter Ioseph, & Mariam potest generatio dici, quam videlicet ipse non genuit? Et tu mihi reciproca consultus inquisitione responde: cur idem beatus Euangelista Matthæus, de cuius nunc sententia disputamus, ait inter cætera: Ioram genuit Oziam; cum nequaquam sit pater Oziæ, sed potius Ochoziæ? Quisquis enim quarti libri Regum percurrit historiam, indubitanter agnoscit, quia Ioram genuit Ochoziam, Ochozias genuit Ioas, Ioas genuit Amasiam, Amasias genuit Oziam, qui & alio nomine dicitur Azarias. Cur igitur Ioram non Ochoziam dicitur genuisse, quem genuit; sed potius Oziam, qui iam procul ab illo quintus absistit? Si ergo inter Ioram, & Oziam esse generatio dicitur, non quod Ozias ab Ioram sit genitus, sed quod ab illo per longam continui generis traducem sit productus; quid prohibet inter Mariam, & Ioseph, qui proculdubio consanguinei sunt, generationem dici per quamdam scilicet vim, & mysterium sacramenti? Et si comprehendi non potest, quomodo Christus ex Virgine nascitur; quid mirum si inter parentes eius stupenda quædam, & admirabilis generatio videatur, cuius videlicet & generatio singularis, & conceptio noua, & natiuitas deprehenditur inaudita? Hæc tamen dicimus salua auctoritate sanctorum Doctorum, quos superius memorauimus.

Matt 1. v. 8. 4. Reg. 8. v. 25. & deinceps.

Quomodo Ozias genitus à Ioram dicatur.

Vt igitur ad ea, quæ cœpimus, post diuerticulum reuertamur, in hac generatione Dominica non illa conspicitur regula fuisse seruata, quam videlicet alibi præfiximus, vt in supputandis generationibus vna prouideatur superesse persona: quæ scilicet si illic seruaretur, vna adhuc addenda persona necessario videretur. In illa quippe cognationum linea trifaria dinumeratione digesta, vnius cuiusque tesseræ quatuordecim tantummodo sunt personæ, sicut & generationes. Nec generationum numerum personarum multitudo videtur excedere, dum nil aliud ibi generationes, quàm simplices sint personæ. Consideranti itaque, & rem diligentius perpendenti patenter occurrit, quod beatus Euangelista dinumerando cognationis regulam, quam prædiximus, non modo non tenuit, sed & cautè vitauit, studiose contempsit,

prudenter exclusit. Nam cum in genealogia Domini certi causa mysterij trifario dispositionis ordine quatuordecim decreuisset generationes attexere, vt vnamquamque personam generationem esse monstraret, tres quos superius diximus, Ochoziam videlicet, Ioas, & Amasiam, de narrationis ordine Reges abiecit: & tot personas apponere, quot generationes enumerare contentus fuit. Plane cum sibi personarum multitudo suppeteret, noluit, vt persona generationibus superesset; sed vt generationum, ac personarum sibi inuicem numerus æqualiter conueniret. Hæc itaque, venerande frater, & ipse peruigil meditare, & cum sapientibus tuis stude conferre, vt aliorum mihi fultus auxilio, certum quid valeas respondere. Rescribe igitur, si in supputandis parentelæ gradibus, vel in eo perseuerare debeam, quod ante descripsi: vel vsurpare potius quod nuper inueni; vt dum a te mihi multis onerosa dubietas tollitur, a multis tibi per me digna gratiarum actio referatur.

EPIST. XVIII. Ad Vbertum Presbyterum.

ARGVMENTVM.

Ad quæstiones Vberti presbyteri de Baptismate, & Missæ sacrificio hac Epistola respondet.

Domno Vberto religioso presbytero, Petrus peccator Monachus indiuiduæ glutinum charitatis in Domino.

QVæstiunculas tuas, venerabilis frater, de spiritualis studij, quod in te nobiliter æstuat, non ambigo feruore procedere: quibus latore præsentium reditum festinante, necesse est me breuiter respondere: præsertim cum earum solutio prolixo sermone non egeat, dum sic aperta sint omnia, vt in his omnino non hæreat quisquis Ecclesiastici ordinis regulam non ignorat. Nos enim nouum morem Ecclesiæ non inducimus: sed ea, quæ sunt a Patribus instituta, seruamus. Et quoniam ab Apostolis Fidem, ab Apostolicis autem viris conuersandi in Ecclesia percepimus ordinem, ita propemodum non mutamus disciplinæ modum a maioribus traditum, sicut illibatum tenemus ipsum quoque Fidei fundamentum. Vnde ad Timotheum dicit Apostolus: Vt scias, quomodo oporteat in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis. Non enim iam licet vltimis Ecclesiæ membris, quod sibi potissimum videtur, eligere, sed necesse est antiquitus ordinata, maximè prout Romana tenet Ecclesia, conseruare.

1. Tim. 3. v. 15. Ecclesiæ ritus non sunt mutandi.

Hæresis enim electio dicitur. Et illi merito notantur hæretici, qui præsumunt, quod sibi melius videtur, eligere: dedignantur autem in his, quæ a sanctis sunt instituta Doctoribus, permanere. Ego autem quia non modo veterum sanctorum, sed & præsentium me discipulum esse profiteor, & Doctoris mihi cathedram non vsurpo, non tibi nouam super his, quæ consulis, regulam condo, non legis iura promulgo: sed quod, vel ipse in Romana Ecclesia ipsis Apostolicæ Sedis æditius me docentibus consueui, vel in alijs ecclesijs didici, ac sæpius frequentaui, simpliciter innotesco. Sacrosancto itaque Baptismatis lauacro ego iuxta morem Romanæ Ecclesię solum Chrisma semper immiscui; vinum vero permisceri, vel oleum numquam vidi. Nam & illa Scriptura, quæ in die Cœnæ Domini legitur, quæ etiam sic attitulatur: Sermo generalis de confectione Chrismatis; hoc videtur exprimere, vt nil præter sanctum Chrisma debeamus fonti Baptismatis admiscere. Ait enim inter cętera: Oleo vero sacri Chrismatis conficitur aqua Baptismatis, & efficitur fons gratiæ cælestis. Nam cum ille sermonis istius auctor de oleo sanctificato sufficienter superius eloquatur, quando vero ad Baptisma descendit, tacito oleo, solo illud perhibet Chrismate confici; patet proculdubio, quia quod nominauit, id solum voluit permisceri. Nam si vinum, vel oleum fundendum esse decerneret, nominato Chrismate; hoc etiam non taceret.

Hæreticus quis dicatur.

An Baptismatis lauacro, vinum, aut oleũ possit admisceri.

De celebrandis vero Missarum sollemnijs nos hanc consuetudinis regulam in disciplinatis Ecclesijs & didicimus, & tenemus, vt calicem differamus in Missarum fine perfundere, si nosmetipsos eodem die sacrificium denuo speramus offerre: alioquin quandocumque sacras hostias immolamus, in fine calicem semper ex more perfundimus. Porro siue ieiunamus, siue reficimur, hanc perfundendi regulam non mutamus. Quod autem perhibes, quosdam dicere, quia postquam perfundit quispiam calicem, non est dicendus esse ieiunus: & per has friuolas conantur ineptias quasi quæstionum mouere litigium: hic illud tibi cauendum est, quod dicit Apostolus: Stultas autem, & sine disciplina quęstiones deuita, sciens quia generant lites; seruum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes. Sufficiat itaque tibi succinctè digestam audire, quam nunc tenet Ecclesia, consuetudinem, nec tibi reddi consequenter exigas rationem, quoniam negotium hoc pluribus indiget verbis, & facilius fit confabulatione communis eloquij, quàm vt dictantis articulo possit expleri. Nec mireris, si cum tanta celeritate decursa scriptiuncula tibi ista non sufficit, vel etiam vitio rusticitatis offendit. Interroga Gerulum litterarum, quia cum pænè mediante iam die nostri montis cacumen ascenderit, hanc chartulam ante occasum solis accepit. Adhuc tamen inquire de Baptismo, si quid mihi fortassis excidit, quid in Romana teneatur Ecclesia. Diuinam quæso clementiam, venerabilis frater, vt tui pectoris sacrarium visitet, & radijs illud suæ claritatis illustret: quatenus clauis ille Dauid, qui librum

Consuetudo in celebratione Missæ.

2. Tim. 2. v. 23.

signatum septem sigillis aperuit, tibi quoque, quæ adhuc clauduntur, aperiat: & quæ ligata sunt, potenter absoluat. *Apoc.5.v.7.* *Apoc.5.v.1.*

EPIST. XIX. Ad Clericos, & Canonicos.

ARGVMENTVM.

Querũtur Monachi, quod a cœtu totius Ecclesiæ per Canonicos exclusi fuerint, cum ipsi ab Apostolis, immo a Prophetis suam traxerint originem. Seuere quemdam arguunt, qui ausus est dicere: a Monachis Ecclesiæ Sacramenta nullo pacto esse ministranda. Denique exemplo sanctorum Augustini, Hieronymi, Athanasij, & decreto Bonifacij Papæ IV. probant, ligandi, & soluendi potestatem Monachos habere.

Cunctis amantissimis Clericis, ac Canonicis, omnes vnanimiter Monachi.

MVltum, fratres charissimi, si digni estis audire, miramur, quomodo, vel ob quam causam conamini nos a consortio, & vnitate vniuersalis Ecclesiæ separare: cum constet a Monachis, non a Canonicis vniuersalem Ecclesiam fundatam, & gubernatam, & a diuerso errore cribratam. Apostoli nempe fundatores, & rectores Ecclesiarum nostro, non vestro more viuebant, vt Lucas Euangelista in Actibus Apostolorum refert: & Philo disertissimus Iudæorum in libris, quos in laudem nostrorum conscripsit, primitiuos Christianos Monachos, non Canonicos vocat: & habitacula eorum monasteria nuncupat: ac quam plurima dicit, eos laudabilia egisse, & conscripsisse. Certe nostri, non vestri ordinis Moyses, & Elias fuere, eremum qui incoluere: nostri auctores greges Prophetarum, cum quibus reprobus Saul sæpe cantauit. Longum est paginas veteris testamenti reuoluere, veniamus ad nouum quem supra reliquimus. Apostolos certe, & successores eorum, si irreuerberatis oculis paginas noui instrumenti percipitis, monachico, non canonico more viuere inuenietis: eisque potestatem ligandi, atque soluendi concessam a Domino proculdubio reperietis. Quod si ita est, immo quia ita est, cur nos ab hoc priuilegio separare conamini? Nescitis, quia quibus dixit Apostolus: Mortui enim estis, scilicet mundo: eisdem dixit in alia Epistola: Nescitis, quia Angelos iudicabimus, quanto magis sæcularia? Ergo si, sicut vos dicitis, mundo mortui sumus, scilicet vitijs, & peccatis, non erubescimus, quia idem Apostolus dicit: Si commorimur, & conregnabimus: Et iterum: Si autem mortui sumus cum Christo credimus, quia

Marginalia: Ecclesia a Monachis non a Canonicis fundata est. — *Act.1.& deinceps.* — Philo Iud. — *Exod.3.v.1.* — *3.Reg.17.v.3.* — *3.Reg.19.v.20* — *Matt.18.v.18.* — *Coloss.3.v.3.* — *1.Cor.6.v.3.* — *2.Tim.2.v.11.* — *Rom.6.v.8.*

Philip. 1. v. 21. simul resurgemus cum ipso. Itemque: Mihi viuere Christus est, & mori
Galat. 2. v. 20. lucrum, & in alio loco: Viuo autem non iam ego, viuit vero in me Christus. Sed ne turbarentur, qui se toties mortuos audissent, ait: Nescitis,
1. Cor 6. v. 3. quia Angelos iudicabimus, quanto magis sæcularia? Ecce nostra liber-
2. Cor. 3. v. 17. tas. Quare? quia idem Apostolus dicit. Vbi spiritus Domini, ibi libertas. Væh ergo nobis, & vobis si mortui non fuerimus mundo. Si igitur mortui sumus mundo, & viuimus Deo, probabimus vos per omnia esse mentitos; quia dicitis: Nos ob hoc, quod mortui sumus, mundo non posse dispensare Ecclesiastica. Sed quid vos extollitis? Recolite principia, nostra, & vestra; & ex auctoritate Patrum, cui plus competat, coliyriato lumine periudicet.

Contra vos itaque multum conquerimur, quia quidam vestrorum ausus fuit temerario ore dicere: A Monachis nullo modo communionem esse recipiendam; insuper etiam suscipientes excommunicauit, & in opprobrium nostrum, immo in condemnationem suam, & illorum, recommunicare præcepit. Sed quid contra illum? Scimus, quia

Conquestio Monachorum de Canonicis.

Prou. 26. v. 4. pæne idiota est, & multorum criminum reus; ideoque iuxta Salomonem, vitamus stulto respondere iuxta stultitiam suam, ne similes ei
Ibidem. v. 5. efficiamur. Sed, ne videamur succubuisse, respondere volumus stulto, vt idem Salomon admonet, iuxta stultitiam suam, ne sapiens sibi esse videatur: & patenter ostendimus, cum in rebaptizatorum sectam miserabiliter corruisse. Sed non mirum, si odium fraternum hoc promeruit; cum Ioannes Apostolus intonet, dicens: Qui odit fratrem suum in te-
1. Ioan. 2. v. 11. nebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat; quoniam tenebræ obcæcauerunt oculos eius. Sed ne longius toxica illius veneni serpant, manifestè ostendimus, antecessoribus nostris præ omnibus Clericis, hæc Sacramenta licita fuisse contingere, & dispensare; sicut in vita B. Martini legitur, quod de vino a quodam Anachorita consecrato, a maximis & venerabilibus viris pro benedictione expectabatur: ante cuius fores sæpe & Episcopi, & Comites benedictionis gratia pernoctarunt. Telesphorus denique Apostolicus ex Anachoritis fuisse comprobatur: Dionysius etiam, & Adeodatus, ac Stephanus nuper defunctus, ex Monachis fuisse leguntur, qui tamen Apostolicam Sedem gloriosissimè gubernarunt. Gregorius ex monasterio raptus, ac violenter infulatus, non solum suas protulit, sed etiam dispositiones aliorum meliorare studuit. Num etiam Martinum Turonensem omittendum putatis, cui astanti Sacramento diuino globus igneus apparuit? Forsan ex istorum manibus quia Monachi fuerant, percipere Sacramenta diuina quisquam insanus prohibuit? Absit. Facessat ergo insana, & proterua doctrina, & Sanctorum Patrum sequatur auctoritas, quæ etiam ex cuiuscumque sacerdotis manibus Sacramenta diuina, non solum percipere, sed etiam dedignantes suscipere, ab Ecclesia separat: si tamen sacerdotes rectæ Fidei fuerint. Sufficiant ista contradicentibus. Sed quia nimis periculosum est obmutescere velle, introducimus & alios testes, Basilium scilicet,

Probatur sanctorum Monachorum exemplis.

Athanasium,

Athanasium, & B. Augustinum, necnon & Hieronymum sacrę legis interpretem, Marinianum quoque Rauennatem Episcopum, & Augustinum Anglorum Præsulem, quos nulli dubium est, Monachos fuisse. Numquid nam Romani Præsules, quos prędiximus, vel isti, quos nunc retulimus quia Monachi fuerunt, minus laudabiles habiti sunt? Non vtique. Forsitan Episcopos, Presbyteros, Diacones non ordinarunt, quis insanus audeat dicere? An forsitan pœnitentiam criminosis non imposuerunt, & absolutionem, vt competebat, benignissimè non addidere? Vtique facere potuerunt. Nunc igitur requirite sancta octo Concilia, & maximè sextum, & septimum Concilium; ibique inuenietis, Monachis licitum fuisse disputare, absque vllo scrupulo in conspectu Concilij super omnes, qui aderant. Sed iam sufficiant.

Sanctorum Monachorum auctoritate confirmatur.

Item ex sacris Concilijs.

Veniamus ad consecrationem, quam, dispensante Deo, per Episcopos accepimus. Numquid nos aliter, quàm Canonici consecramur, quis insipiens audeat dicere? Nemo. Nam vtrisque in commune benedictionem a Domino infundi, Episcopus obnixè deposcit: Et dum consecrat sigillatim, obnixè deposcit cunctis sacerdotibus, dicens: Consecrentur, Domine manus istæ, vt quidquid benedixerint, benedicta sint: & quidquid consecrauerint, consecrata sint. Ecce communis benedictio. Vnde ergo diuortium? Longum est, ista prosequi.

Ex modo cōsecrandi.

Verba consecrationis sacerdotalis.

Videamus nostrorum, vestrorumque vestimentorum figuram. Agite vtrumque. Prophetæ, & Apostoli nostro, an vestro vestitu vsi sunt? Forsitan dicetis, nostro. Et vbi est illud, quod de Elia legitur: Vir pilosus, & zona pellicea accinctus renibus; & de ipso, & similibus Paulus dicit: Circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis: & de Ioanne Baptista, Ioannes Euangelista, zona, inquit, pellicina circa lumbos eius; Petro quoque Angelus imperat: [a] Præcinge te, & calcea te caligas tuas: de Pauli quoque zona Agabus dixit: [b] Virum, cuius hæc zona est, Iudæi in Hierusalem alligabunt, & tradent in manus Gentium. Horum ergo Patrum indumenta nullatenus nominatim Scriptura poneret, nisi eis priuatim vsi fuissent. Quod si vobis dubium videtur, saltem vestrorum partium testimonio aurem accommodate. Legite collationes Patrum, quas Eucherius Lugdunensis Episcopus elimato sermone abbreuiare studuit: & si nobis credere non vultis, saltem illius litteræ credite. Nam nos, eo Doctore, hanc paginam exarauimus. Igitur non solum prædictos Patres in vestitu sequimur, sed insuper sublimissimā cælorum curiam, quod vobis durum est audire, Seraphim scilicet, quis dubitet, sex alas habere? Dicente Scriptura: Sex alæ vni, & sex alæ alteri. Enimvero & nos sex alis velamur, videlicet duabus in capite; & duabus dextera, læuaque, & duabus ante, & retro. Si autem hæc incredibilia vobis videntur, perquirite, quod Bonifacius in nostrorum tuitione composuit; & si adhuc contraire vultis, morum vestrorum, ac vestimentorum auctores ex auctoritate Patrum edicite: & quod nobis opponitis, testi-

Ex modo vestimentorum.

4. Reg. 1. v. 8.

Hebr. 11 v. 37.

Matt. 3 v 11.

& Mar. 1. v. 6.

a *Act. 12. v. 8.*

b *Act. 21. v. 11.*

Eucherius Lugdunen. Ep.

Monachorū vestimenta sunt ad imitationem Seraphim cælestiū instituta.

Esai. 6. v. 2.

monijs probate: & si vita comes fuerit, altiora, quam diximus, iuuante Deo, dicenda sperate.

Ab auctoritate Bonifacij, IIII. Pont. Max. 16. q. 1. ap. Decr. Grat.

Decretum Bonifacij Papæ, quod Monachi presbyterij honore decorati, potestatem habent ligandi, & soluendi.

SVnt nonnulli nullo dogmate fulti, audacissimè quidem, zelo magis amaritudinis, quàm dilectionis inflammati, asserentes Monachos, quia mundo mortui sunt, & Deo viuunt, sacerdotalis officij potentia indignos; neque pœnitentiam, neque Christianitatem largiri, neque absoluere posse per sacerdotalis officij diuinitus sibi iniunctam potestatem sed omnino labuntur. Nam si ex hac causa veteres æmuli vera prædicarent, Apostolicæ compar Sedis Beatissimus Gregorius monachico cultu pollens, ad summum nullatenus apicem conscenderet, cui quidem hæc ligandi, soluendique potestas a Deo summa conceditur: Augustinus quoque eiusdem sanctissimi Gregorij discipulus, Anglorum prędicator egregius: & Pannoniensis Martinus beatissimus, cuius sanctitatis famam longe, lateque diffusam totus personat mūdus; alij quoque quamplurimi viri Sanctissimi, pretiosissimo Monachorum habitu fulgentes, nequaquam annulo Pontificali subarrarentur. Sed quia Monachi fuerunt, prædictis vti prohibentur. Neque enim B. Benedictus Monachorum præceptor almificus, huius rei aliquo modo fuit interdictor; sed eos sæcularium negotiorum edixit expertes fore tantummodo. Quod quidem Apostolicis documentis, & omnium sanctorum Patrum institutis non solum Monachis, sed etiam Canonicis maximoperè imperatur. Nemo enim militans Deo, implicat se negotijs sæcularibus. Nos vero tantorum Patrum instituti exemplis, quibus est periculosissimum refragari, credimus a sacerdotibus Monachis ligandi, soluendique officium, Deo operante, digne administrari, si eos dignè contigerit hoc ministerio sublimari. Quod incunctanter affirmat quisquis statum Monachorum, & habitum, potestatemque euidenter considerat. Verbi gratia, Angelus Græcè, Latinè nūcius sonat. Sacerdotes igitur Monachi, atque Canonici, qui quotidie Dei præcepta populo nunciant, Angeli vocantur, ratione non incongrua. Sed vnusquisque Angelicus ordo, quanto claritatem Dei vicinius contemplatur, tanto maiori virtute eius diuinitati adhærens, sine dubio roboratur: eorum Cherubin ordo eximius prędicatur, quorum figuram Monachorum cultus competenter habere comprobatur. Nam vti Cherubim, ita Monachi sex alis velantur. Duabus quidem in capucio, quo caput tegitur: alijs vero duabus, quibus pedes teguntur: verisimilibus demonstratur assertionibus. Illud vero cucullæ, quod brachijs ostenditur, alias duas alas esse dicimus; & id tandem, quod dicitur, sex alarum numerum certissimè impleri asseritur. Decertantes igitur monasticæ professionis presbyteros Sacerdotalis potentiæ arceri officio, omnī modo pręcipimus, vt ab huiuscemodi nefan-

Magnus Gregorius ex Monacho Pont. Max.

S. Benedictus Monachorū præceptor. S. Ben. reg. c. 4. 2. Tim. 2. v. 4.

Sacerdotes vocantur Angeli.

Cherubim, figuram habēt Monachorū indumenta.

dis ausibus reprimantur in posterum; omni modo præcipimus, vt ab huiusmodi nefandis ausibus reprimantur in posterum, quia quanto quisque est celsior, tanto est & in his potentior.

Episcopus debet canere Missam in ordinatione Presbyteri, similiter & Abbas in ordinatione Monachi, quia remissio peccatorum est. Propter hoc relinquet Rex Regnum, & summus Pontifex Pontificatum, Episcopus Episcopatum, Comes Comitatum, & multi diuites vtriusque sexus suas possessiones in sæculo, & venient in monasterio ad seruiendum Deo. Absit, vt Monachus viuens sub regula, vel Abbate, subijciatur alijs hominibus. Nefas est dicere: Monachus non habet potestatem ligandi, atque soluendi, vt quidam dicunt, quia mortui sunt. Verè mortui sunt huic sęculo, sicut sancti Apostoli fuerunt. Numquid sancti Apostoli non habuerunt potestatem ligandi & soluendi, ex quibus vnus dicebat: Si enim mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul viuemus cum eo? Quis melius potest dicere, soluere, vel ligare peccantem, quàm qui solutus est à Deo à peccatis? Quis melius valet animas dare Deo, quàm ille, qui proximus est ei? Qui dentes huiusmodi strident circa Monachos, infęlices sunt, & verba eorum vana. Sed audite, cur talia dicunt. Lex enim dicit: Si quis clericus in adulterio, vel in aliquo crimine fuerit deprehensus, aut ipse confessus, aut ab alijs reuictus, iuxtà Concilia trecentorum, decem, & octo Patrum, ad honorem non potest redire, nisi per dignam pœnitentiam. Ex qua re multi ira, & inuidia inflammati circà Monachos, vel circà catholicos viros die, noctuq; optant insidias inuenire, qualiter possint eos iniustè illaqueare. Quod enim sua peccata nullatenus valent purgare, quomodo possunt aliena dimittere? Numquid potest cæcus cæcum ducere? Itaque qui res, vel honores Ecclesiæ subtrahere voluerit, Anathema sit. Quid vltrà dicam? Conuertimini, & videte, quia nil melius est, quàm relinquere sæculum, & sequi Deum, qui dicit: Venite ad me omnes, & ego vos requiescere faciam.

Rom. 6. v. 8.

Verba decreti in clericos criminales.

Causæ odij Canonicorũ in Monachos.

Luc. 6. v. 39.

Matt. 11. v. 28.

Finis quinti Libri.



BEATI PETRI DAMIANI MONACHI BENEDICTINI, S.R.E. Cardinalis, Episcopi Ostiensis.

Epistolarum Liber VI.

Ad Abbates, & Monachos.

EPIST. I. Ad Monachos sacri Monasterij S. Benedicti Montis Casini.

ARGVMENTVM.

Intermissam à cœnobij Casinensis Monachis singulis diebus, qui sabbatum praecedunt, verberibus in conspectu omnium corpus affligendi consuetudinem, reuocandam esse, multis rationibus conatur ostendere.

Sanctis fratribus in Casini Montis cælesti schola degentibus, Petrus peccator Monachus seruitutem.



OBSERVATIO sextæ feriæ, dilectissimi, cui vestra sancta deuotio dedicauit, & ieiunij salutaris inediam, & Apostolicorum verberum disciplinam, quot hominum multitudines ad exemplum salutis attraxerit, & tamquam nouella diuinę plantationis oliua in exuberantium germinum propagines pullauerit, testes sunt non modo monasteria vestra, hoc est, quæ suorum gaudent imitari vestigia magistrorum, sed & multitudines vrbium, atque villarum, quæ se communiter ingerentes, atque lætantes idipsum plausabiliter arripiunt institutum. Adeo vt

plerique præ deuotionis ardore concepto, nisi quantocyus huius obseruantiæ suscipiant regulam, non leuem se reputēt propriæ salutis perferre iacturam: nullatenus ambigentes, quia dum die Crucis per corporalem alimentorum se continentiam mactant, passioni Redemptoris in veritate communicant: atque ad Dominicæ resurrectionis gloriam se peruenire non inaniter credunt; dum, Cristo in Cruce pendente, ipsi quoque suę carnis illecebras per abnegatæ refectionis patibulum crucifigunt. Hinc est, quod ait Apostolus, Si compatimur, & conregnabimus: si commorimur, & conuiuemus. Et iterum: Si complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Et paulo post: Si autem mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul etiam viuemus cum ipso. Vide vitam S. Doctoris. 2. Tim. 2. v. 11. Rom. 6. v. 5. Rom. 6. v. 8.

Sed sciendum est, quod humani generis inimicus, dum totum sacrificium non valet de manibus offerentium rapere, more quasi rapacis Harpyæ, partem saltem quamlibet conatur auferre. Hinc est, quod cum Abraham Deo sacrificium ex diuersis animalibus obtulisset, scriptum est: Quoniam descenderunt volucres super cadauera, & abigebat eas Abraham. Super mactata quippè cadauera descēdunt volucres, dum ad rapiendum sacrificium afflictorum corporum nostrorum, aëreæ se præcipitant potestates; vt vel totum de manibus litantium rapiant, vel partem † præraptam quasi de manubiis sibi victoriæ triumphalis applaudant. Hinc est, quòd auctor antiquæ superbiæ spiritus per ora quorumdam, tamquam per vasorum suorum organa, vobis concrepat, dicens: ieiunio quidem non penitus improbandum est corpus atterere, sed turpè nimis, & inhonestum est antè tot fratrum intuentium oculos membra nudare. Et vnde vox ista procedit, nisi ab illo, qui parentes generis nostri nuditatem erubescere compulit? Ante vocem quippè serpentis, ait Scriptura: Erat itaque nudus, Adam scilicet, & vxor eius, & non erubescebant. At postquam eis venenata consilia callidi draconis instillauit astutia, protinus scriptum est: Cumque cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. Audenter dicam, dilectissimi fratres mei, quia quisquis, vt compatiatur Christo, nudari vestibus erubescit, hic proculdubio serpentis verba audiuit: & quia de sua nuditate confunditur, instar primi parentis, à diuinis, vt ita loquar, aspectibus occultatur: Vocem, inquit, tuam audiui in paradiso, & timui, eo quod essem nudus, & abscondi me. Et reuera sine dubio celatur à facie Dei, qui portare dedignatur improperium Christi; cum Apostolus dicat: Exeamus igitur extra castra ad eum, improperium eius portantes. Humilis ergo frater extra castra cum Paulo simul egreditur, & portare Saluatoris improperium non veretur; superbus autem, & arrogans quisque petit cum primo parente latibulum, vt omnia cernentis Dei vitet aspectum; nimirum ex illis est, quibus dicitur: Discedite à me operarij iniquitatis, quia nescio vos. Nescio, inquit, quia vos fugientes à me non vidi, hoc Demonis astutia. Gen. 15. v. 11. † Præreptā. s. Gen. 2. v. 25. Gen. 3. v. 7. Ibidem. v. 10. Qui dicantur celari à facie Dei. Hebr. 13. v. 13. Luc. 13. v. 27.

decore conspicuum, Angelicis agminibus vndique constipatum, incomparabilis splendoris immensitate circumdatum, & super omnia visibilia, & inuisibilia ineffabiliter gloriosum? Quid inquam, facies, cum eum, cuius nunc ignominiam despicis, aspexeris in igneo tribunalis excelsi solio præsidentem, & omne genus humanum recto æquitatis examine terribiliter iudicantem? Tunc sol obscurabitur, luna tenebris inuoluetur, stellæ de cælo cadent, fundamenta montium contremiscent, cæli tristibus radiis coruscabunt, terra, simul & aër flammis in excelsa furentibus cremabuntur, & elementa pariter omnia confundentur; & tu ornate, tu molliter, & decenter indute, intra ista quid facies? Qua fronte, qua præsumptionis audacia illius gloriam participare sperabis, cuius portare contumeliam, & ignominiam despexisti? Quis te delicatum atque tenellum aggregabit collegio Martyrum, in quorum corporibus videbuntur in gloria vniuersæ, non modo virgarum vibices, sed & innumerabilium vulnerum cicatrices. Christus Crucis non erubuit turpitudinem; & tu putridæ carnis tuæ vermibus deuorande confunderis nuditate? Ille nudatur, cæditur, nectitur vinculis, oblinitur sputis, quinque-partito vulnere illius caro perfoditur, vt nos à vitiorum, quæ in nos per quinque sensus ingrediuntur, irruptione curemur; & tu lasciuus, tu vnctus, tu petulculus, ac tenellus, non vis thesaurum carnis tuæ hominibus detegi, ne mortalis, vel terrena, quod absit, sed magnum quid debeat æstimari. Paulus Apostolus ter virgis in publico cæditur, nec veretur: quinquies quadragenas vna minus in iudicio accipit, & lætatur: præterea gaudere se dicit in frigore, & nuditate. Petrus cum coapostolis omnibus flagellatur, atteritur in concilio Pharisæorum: & omnes gloriantur, atque tripudiant, quia dignatus est eos Iesus pro suo nomine contumelias pati. Dauid propriis indumentis exutus, & Ephod lineo præcinctus ante aram Domini totis viribus saltat; & nõ suam, sed Dei gloriam quærens, atque à regalis genij grauitate declinans, in Dei omnipotentis honore coniubilat. Cui Michol, Quàm gloriosus, inquit, hodie fuit Rex Israël, discooperiens se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus est, quasi si nudetur vnus de scurris. Superbi scilicet Regis filia humilitatem viri portare non potuit, atque iccirco nuditatis, quæ Domino ministrabat, gloriam non cognouit. Talem ergo merentur habere magistram, qui carnem suam coram fratribus perhibent non esse nudandam. Et quoniam isti arescentes in radice superbiæ, numquam spiritalem germinant fructum, his merito congruit, quod de illa quoque Scriptura testatur, dicens: Igitur Michol filiæ Saul non est natus filius vsque in diem mortis suæ. Nam & isti merito deberent à vobis cum austeritate repelli, sicut illam Dauid suis responsionibus fregit: Viuit Dominus, ait, quia ludam ante Dominum, & vilis fiam plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis. Cui scilicet Michol simul cum suis discipulis delitiosè viuentibus quodam

Terribilis iudicij comminatio.
Matt. 24. v. 29.

Martyrum gloriosa vulnera.

Christi vulnera sunt sensuũ nostrorum medicamẽta
2. Cor. 11. v. 24.

Act. 5. v. 41.

2. Reg. 6. v. 20.

Ibid. v. 23.

Ibid. v. 22.

dammodo per Esaiam Dominus dicit: Et nunc audi hęc delicata, & habitans confidenter, quæ dicis in corde tuo: ego sum, & non est præter me amplius, non sedebo vidua, & non videbo sterilitatem, venient tibi hęc duo subito in vna die, sterilitas, & viduitas. Dauid planè, vt nudus incederet, sanctus, qui in eo erat Spiritus impulit, Michol verò paternus ille possessor, vt eum insolenter argueret, incitauit. De quo videlicet possessore dicitur: Quia insiluit spiritus Domini malus in Saul. Idóque sine vlla dubitatione credendum est, quia diuinus eum Spiritus prouocat, qui ad honorem Crucis Christi se humiliter nudat, & ille superbi Saul spiritu in arrogantiam tumoris attollitur, qui se vt crucifixo Christo participet, exuere dedignatur. Quæ profectò superbia sic eum ab ipso humilitatis auctore diuisit, vt ne Samuel quidem sibi veniam impetrare potuerit.

Esai. 47. v. 8

1. Reg. 16. v. 14

Saul superbi pœna.

Egregium Prophetarum Esaiam publicè coram omni populo nudum incedere Dominus imperat, & Monachus, qui, vt ita loquar, vnius stateris impar est, nudari coram paucis fratribus erubescit: Vade, inquit, solue saccum de lumbis tuis, & calceamenta tolle de pedibus tuis, moxquè subiunctum est: Et fecit sic, vadens nudus, & discalceatus. Et notandũ, quia non molle carbasinum, non stamineũ delicatum: sed, ait, solue saccũ de lumbis tuis. Vt ex vestis mollitie colligas, quam delicate, quam molliter vixerint, quoscumq; etiam sub lege veteri Spiritus veritatis impleuit. Reges igitur, ac Prophetæ: immò Saluator, pariter & Apostoli nequaquam veriti sunt nudari, cum id ordo persecutionis expetijt, & tu quasi dominicus delicatus, times nudus aspici, ne te contingat oculis videntium fascinari. Et reuera fratres tui pulli sunt coruorum, qui Domini sui portare gloriantur opprobrium, tu, sicut dicitur, filius gallinæ albæ, gaudes ornatus, ac nitidulus apparere. Sed dum coruorum contemnis superbiendo nigredinem, lepræ, quam lex antiqua denuntiat, incurris alborem. Age, frater, quid est caro ista, quam videlicet tàm diligenti cura vestibus contegis, & tamquàm regiam sobolem molliter nutris? Nonne massa putredinis? Nonne vermis, puluis, ac cinis? Nec iste, qui nunc est, à sapiente viro attenditur: sed potius dignum est, vt sanies, virus, fœtor, & obscœnæ corruptionis illuuies, quę postmodum futura est, perpendatur. Quas ergo gratias tibi referent vermes, qui voraturi sunt carnes, quas molliter, ac suauiter enutristi? Age, inquam, cur passus est Christus? An vt proprios reatus ablueret, & excessus sui commissa deleret? Sed audi Petrum de illo dicentem: Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. Ad quid ergo passus est? Adhuc Petrus ipse respondeat: Christus, ait, passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius. Christus ergo primo passus est, quem protinus Apostoli sunt secuti, quorum & nos vestigia pręcipimur imitari, sicut vnus eorum dicit: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Ad quid ergo Christum legimus passum, nisi vt eius è vestigio prosequamur exemplum?

Esai. 20. v. 2.

Corporis nostri vilitas, ac fœtor.

1. Pet. 2. v. 22.

Ibid v 21.

Christus passus est, vt eius exemplum sequeremur.

1. Cor 11. v. 1

Hæresis enim electio dicitur. Et illi merito notantur hæretici, qui præsumunt, quod sibi melius videtur, eligere: dedignantur autem in his, quæ a sanctis sunt instituta Doctoribus, permanere. Ego autem quia non modo veterum sanctorum, sed & præsentium me discipulum esse profiteor, & Doctoris mihi cathedram non vsurpo, non tibi nouam super his, quæ consulis, regulam condo, non legis iura promulgo: sed quod, vel ipse in Romana Ecclesia ipsis Apostolicæ Sedis æditius me docentibus consueui, vel in alijs ecclesijs didici, ac sæpius frequentaui, simpliciter innotesco. Sacrosancto itaque Baptismatis lauacro ego iuxta morem Romanæ Ecclesię solum Chrisma semper immiscui; vinum vero permisceri, vel oleum numquam vidi. Nam & illa Scriptura, quæ in die Cœnæ Domini legitur, quæ etiam sic attitulatur: Sermo generalis de confectione Chrismatis, hoc videtur exprimere, vt nil præter sanctum Chrisma debeamus fonti Baptismatis admiscere. Ait enim inter cętera: Oleo vero sacri Chrismatis conficitur aqua Baptismatis, & efficitur fons gratiæ cælestis. Nam cum ille sermonis istius auctor de oleo sanctificato sufficienter superius eloquatur, quando vero ad Baptisma descendit, tacito oleo, solo illud perhibet Chrismate confici; patet proculdubio, quia quod nominauit, id solum voluit permisceri. Nam si vinum, vel oleum fundendum esse decerneret, nominato Chrismate; hoc etiam non taceret.

Hæreticus quis dicatur.

An Baptismatis lauacro, vinum, aut oleũ possit admisceri.

De celebrandis vero Missarum sollemnijs nos hanc consuetudinis regulam in disciplinatis Ecclesijs & didicimus, & tenemus, vt calicem differamus in Missarum fine perfundere, si nosmetipsos eodem die sacrificium denuo speramus offerre: alioquin quandocumque sacras hostias immolamus, in fine calicem semper ex more perfundimus. Porro siue ieiunamus, siue reficimur, hanc perfundendi regulam non mutamus. Quod autem perhibes, quosdam dicere, quia postquam perfundit quispiam calicem, non est dicendus esse ieiunus: & per has friuolas conantur ineptias quasi quæstionum mouere litigium: hic illud tibi cauendum est, quod dicit Apostolus: Stultas autem, & sine disciplina quęstiones deuita, sciens quia generant lites; seruum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes. Sufficiat itaque tibi succinctè digestam audire, quam nunc tenet Ecclesia, consuetudinem, nec tibi reddi consequenter exigas rationem, quoniam negotium hoc pluribus indiget verbis, & facilius fit confabulatione communis eloquij, quàm vt dictantis articulo possit expleri. Nec mireris, si cum tanta celeritate decursa scriptiuncula tibi ista non sufficit, vel etiam vitio rusticitatis offendit. Interroga Gerulum litterarum, quia cum pænè mediante iam die nostri montis cacumen ascenderit, hanc chartulam ante occasum solis accepit. Adhuc tamen inquire de Baptismo, si quid mihi fortassis excidit, quid in Romana teneatur Ecclesia. Diuinam quæso clementiam, venerabilis frater, vt tui pectoris sacrarium visitet, & radijs illud suæ claritatis illustret: quatenus clauis ille Dauid, qui librum

Consuetudo in celebratione Missæ.

2. Tim. 2. v. 23.

ſignatum ſeptem ſigillis aperuit, tibi quoque, quæ adhuc clauduntur, aperiat: & quæ ligata ſunt, potenter abſoluat. *Apoc.5.v.7.* *Apoc.5.v.1.*

EPIST. XIX. Ad Clericos, & Canonicos.

ARGVMENTVM.

Querũtur Monachi, quod a cœtu totius Eccleſiæ per Canonicos excluſi fuerint, cum ipſi ab Apoſtolis, immo a Prophetis ſuam traxerint originem. Seuere quemdam arguunt, qui auſus eſt dicere: a Monachis Eccleſiæ Sacramenta nullo pacto eſſe miniſtranda. Denique exemplo ſanctorum Auguſtini, Hieronymi, Athanaſij, & decreto Bonifacij Papæ IV. probant, ligandi, & ſoluendi poteſtatem Monachos habere.

Cunctis amantiſſimis Clericis, ac Canonicis, omnes vnanimiter Monachi.

MVltum, fratres chariſſimi, ſi digni eſtis audire, miramur, quomodo, vel ob quam cauſam conamini nos a conſortio, & vnitate vniuerſalis Eccleſiæ ſeparare: cum conſtet a Monachis, non a Canonicis vniuerſalem Eccleſiam fundatam, & gubernatam, & a diuerſo errore cribratam. Apoſtoli nempe fundatores, & rectores Eccleſiarum noſtro, non veſtro more viuebant, vt Lucas Euangeliſta in Actibus Apoſtolorum refert: & Philo diſſertimus Iudæorum in libris, quos in laudem noſtrorum conſcripſit, primitiuos Chriſtianos Monachos, non Canonicos vocat: & habitacula eorum monaſteria nuncupat: ac quam plurima dicit, eos laudabilia egiſſe, & conſcripſiſſe. Certe noſtri, non veſtri ordinis Moyſes, & Elias fuere, eremum qui incoluere: noſtri auctores greges Prophetarum, cum quibus reprobus Saul ſæpe cantauit. Longum eſt paginas veteris teſtamenti reuoluere, veniamus ad nouum quem ſupra reliquimus. Apoſtolos certe, & ſucceſſores eorum, ſi irreuerberatis oculis paginas noui inſtrumenti percipitis, monachico, non canonico more viuere inuenietis: eiſque poteſtatem ligandi, atque ſoluendi conceſſam a Domino proculdubio reperietis. Quod ſi ita eſt, immo quia ita eſt, cur nos ab hoc priuilegio ſeparare conamini? Neſcitis, quia quibus dixit Apoſtolus: Mortui enim eſtis, ſcilicet mundo: eiſdem dixit in alia Epiſtola: Neſcitis, quia Angelos iudicabimus, quanto magis ſæcularia? Ergo ſi, ſicut vos dicitis, mundo mortui ſumus, ſcilicet vitijs, & peccatis, non erubeſcimus, quia idem Apoſtolus dicit: Si commorimur, & conregnabimus: Et iterum: Si autem mortui ſumus cum Chriſto credimus, quia

Eccleſia a Monachis non a Canonicis fundata eſt.

Act.1.& deinceps.

Philo Iud.

Exod.3.v.1. *3.Reg.17.v.3.* *3.Reg.19.v.10*

Matt.18.v.18.

Coloſſ.3.v.3. *1.Cor.6.v.3.* *2.Tim.2.v.11.* *Rom.6.v.8.*

Philip. 1. v. 21. Galat. 2. v. 20. simul resurgemus cum ipso. Itemque: Mihi viuere Christus est, & mori lucrum, & in alio loco: Viuo autem non iam ego, viuit vero in me Christus. Sed ne turbarentur, qui se toties mortuos audissent, ait: Nescitis, 1. Cor 6. v. 3. quia Angelos iudicabimus, quanto magis sæcularia? Ecce nostra liber- 2. Cor. 3. v. 17. tas. Quare? quia idem Apostolus dicit, Vbi spiritus Domini, ibi libertas. Væ ergo nobis, & vobis si mortui non fuerimus mundo. Si igitur mortui sumus mundo, & viuimus Deo, probabimus vos per omnia esse mentitos; quia dicitis: Nos ob hoc, quod mortui sumus, mundo non posse dispensare Ecclesiastica. Sed quid vos extollitis? Recolite principia, nostra, & vestra; & ex auctoritate Patrum, cui plus competat, collyriato lumine periudicet.

Conquestio Monachorum de Canonicis. Contra vos itaque multum conquerimur, quia quidam vestrorum ausus fuit temerario ore dicere: A Monachis nullo modo communionem esse recipiendam; insuper etiam suscipientes excommunicauit, & in opprobrium nostrum, immo in condemnationem suam, & illorum, recommunicare præcepit. Sed quid contra illum? Scimus, quia Prou. 26. v. 4. pæne idiota est, & multorum criminum reus; ideoque iuxta Salomonem, vitamus stulto respondere iuxta stultitiam suam, ne similes ei Ibidem. v. 5. efficiamur. Sed, ne videamur succubuisse, respondere volumus stulto, vt idem Salomon admonet, iuxta stultitiam suam, ne sapiens sibi esse videatur: & patenter ostendimus, eum in rebaptizatorum sectam miserabiliter corruisse. Sed non mirum, si odium fraternum hoc promeruit; 1. Ioan. 2. v. 11. cum Ioannes Apostolus intonet, dicens: Qui odit fratrem suum in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat; quoniam tenebræ obcæcauerunt oculos eius. Sed ne longius toxica illius veneni serpant, manifestè ostendimus, antecessoribus nostris præ omnibus Clericis, hæc Sacramenta licita fuisse contingere, & dispensare; sicut in vita B. Martini legitur, quod de vino a quodam Anachorita consecrato, a maximis & venerabilibus viris pro benedictione expectabatur: ante cuius Probatur sanctorum Monachorum exemplis. fores sępe & Episcopi, & Comites benedictionis gratia pernoctarunt. Telesphorus denique Apostolicus ex Anachoritis fuisse comprobatur: Dionysius etiam, & Adeodatus, ac Stephanus nuper defunctus, ex Monachis fuisse leguntur, qui tamen Apostolicam Sedem gloriosissimè gubernarunt. Gregorius ex monasterio raptus, ac violenter infulatus, non solum suas protulit, sed etiam dispositiones aliorum meliorare studuit. Num etiam Martinum Turonensem omittendum putatis, cui astanti Sacramento diuino globus igneus apparuit: Forsan ex istorum manibus quia Monachi fuerant, percipere Sacramenta diuina quisquam insanus prohibuit? Absit. Facessat ergo insana, & proterua doctrina, & Sanctorum Patrum sequatur auctoritas, quæ etiam ex cuiuscumque sacerdotis manibus Sacramenta diuina, non solum percipere, sed etiam dedignantes suscipere, ab Ecclesia separat: si tamen sacerdotes rectæ Fidei fuerint. Sufficiant ista contradicentibus. Sed quia nimis periculosum est obmutescere velle, introducimus & alios testes, Basilium scilicet,

Athanasium,

Athanasium, & B. Augustinum, necnon & Hieronymum sacrę legis interpretem, Marinianum quoque Rauennatem Episcopum, & Augustinum Anglorum Præsulem, quos nulli dubium est, Monachos fuisse. Numquid nam Romani Præsules, quos prędiximus, vel isti, quos nunc retulimus quia Monachi fuerunt, minus laudabiles habiti sunt? Non vtique. Forsitan Episcopos, Presbyteros, Diacones non ordinarunt, quis insanus audeat dicere? An forsitan pœnitentiam criminosis non imposuerunt, & absolutionem, vt competebat, benignissimè non addidere? Vtique facere potuerunt. Nunc igitur requirite sancta octo Concilia, & maximè sextum, & septimum Concilium; ibique inuenietis, Monachis licitum fuisse disputare, absque vllo scrupulo in conspectu Concilij super omnes, qui aderant. Sed iam sufficiant.

Sanctorum Monachorum auctoritate confirmatur.

Item ex sacris Concilijs.

Veniamus ad consecrationem, quam, dispensante Deo, per Episcopos accepimus. Numquid nos aliter, quàm Canonici consecramur, quis insipiens audeat dicere? Nemo. Nam vtrisque in commune benedictionem a Domino infundi, Episcopus obnixè deposcit: Et dum consecrat sigillatim, obnixè deposcit cunctis sacerdotibus, dicens: Consecrentur, Domine manus istæ, vt quidquid benedixerint, benedicta sint: & quidquid consecrauerint, consecrata sint. Ecce communis benedictio. Vnde ergo diuortium? Longum est, ista prosequi.

Ex modo cōsecrandi.

Verba consecrationis sacerdotalis.

Videamus nostrorum, vestrorumque vestimentorum figuram. Agite vtrumque. Prophetæ, & Apostoli nostro, an vestro vestitu vsi sunt? Forsitan dicetis, nostro. Et vbi est illud, quod de Elia legitur: Vir pilosus, & zona pellicea accinctus renibus; & de ipso, & similibus Paulus dicit: Circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis: & de Ioanne Baptista, Ioannes Euangelista, zona, inquit, pellicina circa lumbos eius; Petro quoque Angelus imperat: [a] Præcinge te, & calcea te caligas tuas: de Pauli quoque zona Agabus dixit: [b] Virum, cuius hæc zona est, Iudæi in Hierusalem alligabunt, & tradent in manus Gentium. Horum ergo Patrum indumenta nullatenus nominatim Scriptura poneret, nisi eis priuatim vsi fuissent. Quod si vobis dubium videtur, saltem vestrorum partium testimonio aurem accommodate. Legite collationes Patrum, quas Eucherius Lugdunensis Episcopus elimato sermone abbreuiare studuit: & si nobis credere non vultis, saltem illius litteræ credite. Nam nos, eo Doctore, hanc paginam exarauimus. Igitur non solum prædictos Patres in vestitu sequimur, sed insuper sublimissimā cælorum curiam, quod vobis durum est audire, Seraphim scilicet, quis dubitet, sex alas habere? Dicente Scriptura: Sex alæ vni, & sex alæ alteri. Enimuero & nos sex alis velamur, videlicet duabus in capite; & duabus dextera, læuaque, & duabus ante, & retro. Si autem hæc incredibilia vobis videntur, perquirite, quod Bonifacius in nostrorum tuitione composuit; & si adhuc contraire vultis, morum vestrorum, ac vestimentorum auctores ex auctoritate Patrum edicite: & quod nobis opponitis, testi-

Ex modo vestimentorum.

4. Reg. 1. v. 8.

Hebr. 11 v. 37.

Matt. 3 v 11.

& Mar. 1. v. 6.

a *Act. 12. v. 8.*

b *Act. 21. v. 11.*

Eucherius Lugdunen. Ep.

Monachorū vestimenta sunt ad imitationem Seraphim cælestiū instituta.

Esai. 6. v. 2.

monijs probate: & si vita comes fuerit, altiora, quam diximus, iuuante Deo, dicenda sperate.

Ab auctoritate Bonifacij, IIII. Pont. Max. 16.q.1.ap. Decr. Grat.

Decretum Bonifacij Papa, quod Monachi presbyterij honore decorati, potestatem habent ligandi, & soluendi.

SVnt nonnulli nullo dogmate fulti, audacissimè quidem, zelo magis amaritudinis, quàm dilectionis inflammati, asserentes Monachos, quia mundo mortui sunt, & Deo viuunt, sacerdotalis officij potentia indignos; neque pœnitentiam, neque Christianitatem largiri, neque absoluere posse per sacerdotalis officij diuinitus sibi iniunctam potestatem sed omnino labuntur. Nam si ex hac causa veteres æmuli vera prædicarent, Apostolicæ compar Sedis Beatissimus Gregorius monachico cultu pollens, ad summum nullatenus apicem conscenderet, cui quidem hæc ligandi, soluendique potestas a Deo summa conceditur: Augustinus quoque eiusdem sanctissimi Gregorij discipulus, Anglorum prędicator egregius: & Pannoniensis Martinus beatissimus, cuius sanctitatis famam longe, lateque diffusam totus personat mũdus; alij quoque quamplurimi viri Sanctissimi, pretiosissimo Monachorum habitu fulgentes, nequaquam annulo Pontificali subarrarentur. Sed quia Monachi fuerunt, prædictis vti prohibentur. Neque enim B. Benedictus Monachorum præceptor almificus, huius rei aliquo modo fuit interdictor; sed eos sæcularium negotiorum edixit expertes fore tantummodo. Quod quidem Apostolicis documentis, & omnium sanctorum Patrum institutis non solum Monachis, sed etiam Canonicis maximoperè imperatur. Nemo enim militans Deo, implicat se negotijs sæcularibus. Nos vero tantorum Patrum instituti exemplis, quibus est periculosissimum refragari, credimus a sacerdotibus Monachis ligandi, soluendique officium, Deo operante, digne administrari, si eos dignè contigerit hoc ministerio sublimari. Quod incunctanter affirmat quisquis statum Monachorum, & habitum, potestatemque euidenter considerat. Verbi gratia, Angelus Græcè, Latinè nũcius sonat. Sacerdotes igitur Monachi, atque Canonici, qui quotidie Dei præcepta populo nunciant, Angeli vocantur, ratione non incongrua. Sed vnusquisque Angelicus ordo, quanto claritatem Dei vicinius contemplatur, tanto maiori virtute eius diuinitati adhærens, sine dubio roboratur: eorum Cherubin ordo eximius prędicatur, quorum figuram Monachorum cultus competenter habere comprobatur. Nam vti Cherubim, ita Monachi sex alis velantur. Duabus quidem in capucio, quo caput tegitur: alijs vero duabus, quibus pedes teguntur: verisimilibus demonstratur assertionibus. Illud vero cucullæ, quod brachijs ostenditur, alias duas alas esse dicimus, & id tandem, quod dicitur, sex alarum numerum certissimè impleri asseritur. Decertantes igitur monasticæ professionis presbyteros Sacerdotalis potentiæ arceri officio, omnĩ modo pręcipimus, vt ab huiuscemodi nefan-

Magnus Gregorius ex Monacho Pont. Max.

S. Benedictus Monachorũ præceptor. S.Ben.reg.c.4 2.Tim.2.v.4.

Sacerdotes vocantur Angeli.

Cherubim, figuram habẽt Monachorũ indumenta.

dis ausibus reprimantur in posterum; omni modo præcipimus, vt ab huiusmodi nefandis ausibus reprimantur in posterum, quia quanto quisque est celsior, tanto est & in his potentior.

Episcopus debet canere Missam in ordinatione Presbyteri, similiter & Abbas in ordinatione Monachi, quia remissio peccatorum est. Propter hoc relinquet Rex Regnum, & summus Pontifex Pontificatum, Episcopus Episcopatum, Comes Comitatum, & multi diuites vtriusque sexus suas possessiones in sæculo, & venient in monasterio ad seruiendum Deo. Absit, vt Monachus viuens sub regula, vel Abbate, subijciatur alijs hominibus. Nefas est dicere: Monachus non habet potestatem ligandi, atque soluendi, vt quidam dicunt, quia mortui sunt. Verè mortui sunt huic sęculo, sicut sancti Apostoli fuerunt. Numquid sancti Apostoli non habuerunt potestatem ligandi & soluendi, ex quibus vnus dicebat: Si enim mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul viuemus cum eo? Quis melius potest dicere, soluere, vel ligare peccantem, quàm qui solutus est à Deo à peccatis? Quis melius valet animas dare Deo, quàm ille, qui proximus est ei? Qui dentes huiusmodi strident circa Monachos, infęlices sunt, & verba eorum vana. Sed audite, cur talia dicunt. Lex enim dicit: Si quis clericus in adulterio, vel in aliquo crimine fuerit deprehensus, aut ipse confessus, aut ab alijs reuictus, iuxtà Concilia trecentorum, decem, & octo Patrum, ad honorem non potest redire, nisi per dignam pœnitentiam. Ex qua re multi ira, & inuidia inflammati circà Monachos, vel circà catholicos viros die, noctuq; optant insidias inuenire, qualiter possint eos iniustè illaqueare. Quod enim sua peccata nullatenus valent purgare, quomodo possunt aliena dimittere? Numquid potest cæcus cæcum ducere? Itaque qui res, vel honores Ecclesiæ subtrahere voluerit, Anathema sit. Quid vltrà dicam? Conuertimini, & videte, quia nil melius est, quàm relinquere sæculum, & sequi Deum, qui dicit: Venite ad me omnes, & ego vos requiescere faciam.

Rom. 6. v. 8

Verba decreti in clericos criminales.

Causæ odij Canonicorũ in Monachos.

Luc. 6. v. 39

Matt. 11. v. 28

Finis quinti Libri.



BEATI PETRI DAMIANI MONACHI BENEDICTINI, S.R.E. Cardinalis, Episcopi Ostiensis.

Epistolarum Liber VI.

Ad Abbates, & Monachos.

EPIST. I. Ad Monachos sacri Monasterij S. Benedicti Montis Casini.

ARGVMENTVM.

Intermissam à cœnobij Casinensis Monachis singulis diebus, qui sabbatum praecedunt, verberibus in conspectu omnium corpus affligendi consuetudinem, reuocandam esse, multis rationibus conatur ostendere.

Sanctis fratribus in Casini Montis cælesti schola degentibus, Petrus peccator Monachus seruitutem.



OBSERVATIO sextæ feriæ, dilectissimi, cui vestra sancta deuotio dedicauit, & ieiunij salutaris inediam, & Apostolicorum verberum disciplinam, quot hominum multitudines ad exemplum salutis attraxerit, & tamquam nouella diuinę plantationis oliua in exuberantium germinum propagines pullauerit, testes sunt non modo monasteria vestra, hoc est, quæ suorum gaudent imitari vestigia magistrorum, sed & multitudines vrbium, atque villarum, quæ se communiter ingerentes, atque lætantes idipsum plausabiliter arripiunt institutum. Adeo vt

plerique præ deuotionis ardore concepto, nisi quantocyus huius obseruantiæ suscipiant regulam, non leuem se reputẽt propriæ salutis perferre iacturam: nullatenus ambigentes, quia dum die Crucis per corporalem alimentorum se continentiam mactant, passioni Redemptoris in veritate communicant: atque ad Dominicæ resurrectionis gloriam se peruenire non inaniter credunt; dum, Cristo in Cruce pendente, ipsi quoque suę carnis illecebras per abnegatæ refectionis patibulum crucifigunt. Hinc est, quod ait Apostolus, Si compatimur, & conregnabimus: si commorimur, & conuiuemus. Et iterum: Si complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Et paulo post: Si autem mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul etiam viuemus cum ipso.

Vide vitam S. Dominici Loricati scriptam à S. Doctore. *2. Tim. 2. v. 12.* *Rom. 6. v. 5.* *Rom. 6. v. 8.*

Sed sciendum est, quod humani generis inimicus, dum totum sacrificium non valet de manibus offerentium rapere, more quasi rapacis Harpyæ, partem saltem quamlibet conatur auferre. Hinc est, quod cum Abraham Deo sacrificium ex diuersis animalibus obtulisset, scriptum est: Quoniam descenderunt volucres super cadauera, & abigebat eas Abraham. Super mactata quippè cadauera descẽdunt volucres, dum ad rapiendum sacrificium afflictorum corporum nostrorum, aëreæ se præcipitant potestates; vt vel totum de manibus litantium rapiant, vel partem † præraptam quasi de manubiis sibi victoriæ triumphalis applaudant. Hinc est, quòd auctor antiquæ superbiæ spiritus per ora quorumdam, tamquam per vasorum suorum organa, vobis concrepat, dicens: ieiunio quidem non penitus improbandum est corpus atterere, sed turpè nimis, & inhonestum est antè tot fratrum intuentium oculos membra nudare. Et vnde vox ista procedit, nisi ab illo, qui parentes generis nostri nuditatem erubescere compulit? Ante vocem quippè serpentis, ait Scriptura: Erat itaque nudus, Adam scilicet, & vxor eius, & non erubescebant. At postquam eis venenata consilia callidi draconis instillauit astutia, protinus scriptum est: Cumque cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. Audenter dicam, dilectissimi fratres mei, quia quisquis, vt compatiatur Christo, nudari vestibus erubescit, hic proculdubio serpentis verba audiuit: & quia de sua nuditate confunditur, instar primi parentis, à diuinis, vt ita loquar, aspectibus occultatur: Vocem, inquit, tuam audiui in paradiso, & timui, eo quod essem nudus, & abscondi me. Et reuera sine dubio celatur à facie Dei, qui portare dedignatur improperium Christi; cum Apostolus dicat: Exeamus igitur extra castra ad eum, improperium eius portantes. Humilis ergo frater extra castra cum Paulo simul egreditur, & portare Saluatoris improperium non veretur; superbus autem, & arrogans quisque petit cum primo parente latibulum, vt omnia cernentis Dei vitet aspectum; nimirum ex illis est, quibus dicitur: Discedite à me operarij iniquitatis, quia nescio vos. Nescio, inquit, quia vos fugientes à me non vidi, hoc

Dæmonis astutia. *Gen. 15. v. 11.* *† Præreptā. S.* *Gen. 2. v. 25.* *Gen. 3. v. 7.* *Ibidem. v. 10.* *Qui dicantur celari à facie Dei.* *Hebr. 13. v. 13.* *Luc. 13. v. 27.*

decore conspicuum, Angelicis agminibus vndique constipatum, incomparabilis splendoris immensitate circumdatum, & super omnia visibilia, & inuisibilia ineffabiliter gloriosum? Quid inquam, facies, cum eum, cuius nunc ignominiam despicis, aspexeris in igneo tribunalis excelsi solio præsidentem, & omne genus humanum recto æquitatis examine terribiliter iudicantem? Tunc sol obscurabitur, luna tenebris inuoluetur, stellæ de cælo cadent, fundamenta montium contremiscent, cæli tristibus radiis coruscabunt, terra, simul & aër flammis in excelsa furentibus cremabuntur, & elementa pariter omnia confundentur; & tu ornate, tu molliter, & decenter indute, intra ista quid facies? Qua fronte, qua præsumptionis audacia illius gloriam participare sperabis, cuius portare contumeliam, & ignominiam despexisti? Quis te delicatum atque tenellum aggregabit collegio Martyrum, in quorum corporibus videbuntur in gloria vniuersæ, non modo virgarum vibices, sed & innumerabilium vulnerum cicatrices. Christus Crucis non erubuit turpitudinem; & tu putridæ carnis tuæ vermibus deuorande confunderis nuditate? Ille nudatur, cæditur, nectitur vinculis, oblinitur sputis, quinque partito vulnere illius caro perfoditur, vt nos à vitiorum, quæ in nos per quinque sensus ingrediuntur, irruptione curemur; & tu lasciuus, tu vnctus, tu petulculus, ac tenellus, non vis thesaurum carnis tuæ hominibus detegi, ne mortalis, vel terrena, quod absit, sed magnum quid debeat æstimari. Paulus Apostolus ter virgis in publico cæditur, nec veretur: quinquies quadragenas vna minus in iudicio accipit, & lætatur: præterea gaudere se dicit in frigore, & nuditate. Petrus cum coapostolis omnibus flagellatur, atteritur in concilio Pharisæorum: & omnes gloriantur, atque tripudiant, quia dignatus est eos Iesus pro suo nomine contumelias pati. Dauid propriis indumentis exutus, & Ephod lineo præcinctus ante aram Domini totis viribus saltat; & nō suam, sed Dei gloriam quærens, atque à regalis genij grauitate declinans, in Dei omnipotentis honore coniubilat. Cui Michol, Quàm gloriosus, inquit, hodie fuit Rex Israël, discooperiens se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus est, quasi si nudetur vnus de scurris. Superbi scilicet Regis filia humilitatem viri portare non potuit, atque iccirco nuditatis, quæ Domino ministrabat, gloriam non cognouit. Talem ergo merentur habere magistram, qui carnem suam coram fratribus perhibent non esse nudandam. Et quoniam isti arescentes in radice superbiæ, numquam spiritalem germinant fructum, his merito congruit, quod de illa quoque Scriptura testatur, dicens: Igitur Michol filiæ Saul non est natus filius vsque in diem mortis suæ. Nam & isti merito deberent à vobis cum austeritate repelli, sicut illam Dauid suis responsionibus fregit: Viuit Dominus, ait, quia ludam ante Dominum, & vilis fiam plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis. Cui scilicet Michol simul cum suis discipulis delitiosè viuētibus quodam

Terribilis iudicij comminatio.
Matt. 24. v. 29.
Martyrum gloriosa vulnera.
Christi vulnera sunt sensuū nostrorum medicamēta.
2. Cor. 11. v. 24.
Act. 5. v. 41.
2. Reg. 6. v. 20.
Ibid. v. 23.
Ibid. v. 22.

dammodo per Esaiam Dominus dicit: Et nunc audi hęc delicata, & habitans confidenter, quæ dicis in corde tuo: ego sum, & non est præter me amplius, non sedebo vidua, & non videbo sterilitatem, venient tibi hęc duo subito in vna die, sterilitas, & viduitas. Dauid planè, vt nudus incederet, sanctus, qui in eo erat Spiritus impulit, Michol verò paternus ille possessor, vt eum insolenter argueret, incitauit. De quo videlicet possessore dicitur: Quia insiluit spiritus Domini malus in Saul. Idóque sine vlla dubitatione credendum est, quia diuinus eum Spiritus prouocat, qui ad honorem Crucis Christi se humiliter nudat, & ille superbi Saul spiritu in arrogantiam tumoris attollitur, qui se vt crucifixo Christo participet, exuere dedignatur. Quæ profectò superbia sic eum ab ipso humilitatis auctore diuisit, vt ne Samuel quidem sibi veniam impetrare potuerit.

Esai. 47. v. 8

1. Reg. 16. v. 14

Saul superbi pœna.

Egregium Prophetarum Esaiam publicè coram omni populo nudum incedere Dominus imperat, & Monachus, qui, vt ita loquar, vnius stateris impar est, nudari coram paucis fratribus erubescit: Vade, inquit, solue saccum de lumbis tuis, & calceamenta tolle de pedibus tuis, moxquè subiunctum est: Et fecit sic, vadens nudus, & discalceatus. Et notandū, quia non molle carbasinum, non stamineū delicatum: sed, ait, solue saccū de lumbis tuis. Vt ex vestis mollitie colligas, quam delicate, quam molliter vixerint, quoscumq; etiam sub lege veteri Spiritus veritatis impleuit. Reges igitur, ac Prophetæ: immò Saluator, pariter & Apostoli nequaquam veriti sunt nudari, cum id ordo persecutionis expetijt, & tu quasi dominicus delicatus, times nudus aspici, ne te contingat oculis videntium fascinari. Et reuera fratres tui pulli sunt coruorum, qui Domini sui portare gloriantur opprobrium, tu, sicut dicitur, filius gallinæ albæ, gaudes ornatus, ac nitidulus apparere. Sed dum coruorum contemnis superbiendo nigredinem, lepræ, quam lex antiqua denuntiat, incurris alborem. Age, frater, quid est caro ista, quam videlicet tàm diligenti cura vestibus contegis, & tamquàm regiam sobolem molliter nutris? Nonne massa putredinis? Nonne vermis, puluis, ac cinis? Nec iste, qui nunc est, à sapiente viro attenditur: sed potius dignum est, vt sanies, virus, fœtor, & obscœnæ corruptionis illuuies, quę postmodum futura est, perpendatur. Quas ergo gratias tibi referent vermes, qui voraturi sunt carnes, quas molliter, ac suauiter enutristi? Age, inquam, cur passus est Christus? An vt proprios reatus ablueret, & excessus sui commissa deleret? Sed audi Petrum de illo dicentem: Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. Ad quid ergo passus est? Adhuc Petrus ipse respondeat: Christus, ait, passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius. Christus ergo primo passus est, quem protinus Apostoli sunt secuti, quorum & nos vestigia pręcipimur imitari, sicut vnus eorum dicit: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Ad quid ergo Christum legimus passum, nisi vt eius è vestigio prosequamur exemplum?

Esai. 20. v. 2.

Corporis nostri vilitas, ac fœtor.

1. Pet. 2. v. 21.

Ibid v 21.

Christus passus est, vt eius exemplum sequeremur.

1. Cor. 11. v. 1

Hæresis enim electio dicitur. Et illi merito notantur hæretici, qui præsumunt, quod sibi melius videtur, eligere: dedignantur autem in his, quæ a sanctis sunt instituta Doctoribus, permanere. Ego autem quia non modo veterum sanctorum, sed & præsentium me discipulum esse profiteor, & Doctoris mihi cathedram non vsurpo, non tibi nouam super his, quæ consulis, regulam condo, non legis iura promulgo: sed quod, vel ipse in Romana Ecclesia ipsis Apostolicæ Sedis æditiuis me docentibus consueui, vel in alijs ecclesijs didici, ac sæpius frequentaui, simpliciter innotesco. Sacrosancto itaque Baptismatis lauacro ego iuxta morem Romanæ Ecclesię solum Chrisma semper immiscui; vinum vero permisceri, vel oleum numquam vidi. Nam & illa Scriptura, quæ in die Cœnæ Domini legitur, quæ etiam sic attitulatur: Sermo generalis de confectione Chrismatis, hoc videtur exprimere, vt nil præter sanctum Chrisma debeamus fonti Baptismatis admiscere. Ait enim inter cętera: Oleo vero sacri Chrismatis conficitur aqua Baptismatis, & efficitur fons gratiæ cælestis. Nam cum ille sermonis istius auctor de oleo sanctificato sufficienter superius eloquatur, quando vero ad Baptisma descendit, tacito oleo, solo illud perhibet Chrismate confici; patet proculdubio, quia quod nominauit, id solum voluit permisceri. Nam si vinum, vel oleum fundendum esse decerneret, nominato Chrismate; hoc etiam non taceret.

Hæreticus quis dicatur.

An Baptismatis lauacro, vinum, aut oleũ possit admisceri.

De celebrandis vero Missarum sollemnijs nos hanc consuetudinis regulam in disciplinatis Ecclesijs & didicimus, & tenemus, vt calicem differamus in Missarum fine perfundere, si nosmetipsos eodem die sacrificium denuo speramus offerre: alioquin quandocumque sacras hostias immolamus, in fine calicem semper ex more perfundimus. Porro siue ieiunamus, siue reficimur, hanc perfundendi regulam non mutamus. Quod autem perhibes, quosdam dicere, quia postquam perfundit quispiam calicem, non est dicendus esse ieiunus: & per has friuolas conantur ineptias quasi quæstionum mouere litigium: hic illud tibi cauendum est, quod dicit Apostolus: Stultas autem, & sine disciplina quęstiones deuita, sciens quia generant lites; seruum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes. Sufficiat itaque tibi succinctè digestam audire, quam nunc tenet Ecclesia, consuetudinem, nec tibi reddi consequenter exigas rationem, quoniam negotium hoc pluribus indiget verbis, & facilius fit confabulatione communis eloquij, quàm vt dictantis articulo possit expleri. Nec mireris, si cum tanta celeritate decursa scriptiuncula tibi ista non sufficit, vel etiam vitio rusticitatis offendit. Interroga Gerulum litterarum, quia cum pænè mediante iam die nostri montis cacumen ascenderit, hanc chartulam ante occasum solis accepit. Adhuc tamen inquire de Baptismo, si quid mihi fortassis excidit, quid in Romana teneatur Ecclesia. Diuinam quæso clementiam, venerabilis frater, vt tui pectoris sacrarium visitet, & radijs illud suæ claritatis illustret: quatenus clauis ille Dauid, qui librum

Consuetudo in celebratione Missæ.

2. Tim. 2. v. 23.

signatum septem sigillis aperuit, tibi quoque, quæ adhuc clauduntur, aperiat: & quæ ligata sunt, potenter absoluat. *Apoc.5.v.9. Apoc.5.v.1.*

EPIST. XIX. Ad Clericos, & Canonicos.

ARGVMENTVM.

Querũtur Monachi, quod a cœtu totius Ecclesiæ per Canonicos exclusi fuerint, cum ipsi ab Apostolis, immo a Prophetis suam traxerint originem. Seuere quemdam arguunt, qui ausus est dicere: a Monachis Ecclesiæ Sacramenta nullo pacto esse ministranda. Denique exemplo sanctorum Augustini, Hieronymi, Athanasij, & decreto Bonifacij Papæ IV. probant, ligandi, & soluendi potestatem Monachos habere.

Cunctis amantissimis Clericis, ac Canonicis, omnes vnanimiter Monachi.

MVltum, fratres charissimi, si digni estis audire, miramur, quomodo, vel ob quam causam conamini nos a consortio, & vnitate vniuersalis Ecclesiæ separare: cum constet a Monachis, non a Canonicis vniuersalem Ecclesiam fundatam, & gubernatam, & a diuerso errore cribratam. Apostoli nempe fundatores, & rectores Ecclesiarum nostro, non vestro more viuebant, vt Lucas Euangelista in Actibus Apostolorum refert: & Philo disertimus Iudæorum in libris, quos in laudem nostrorum conscripsit, primitiuos Christianos Monachos, non Canonicos vocat: & habitacula eorum monasteria nuncupat: ac quam plurima dicit, eos laudabilia egisse, & conscripsisse. Certe nostri, non vestri ordinis Moyses, & Elias fuere, eremum qui incoluere: nostri auctores greges Prophetarum, cum quibus reprobus Saul sæpe cantauit. Longum est paginas veteris testamenti reuoluere, veniamus ad nouum quem supra reliquimus. Apostolos certe, & successores eorum, si irreuerberatis oculis paginas noui instrumenti percipitis, monachico, non canonico more viuere inuenietis: eisque potestatem ligandi, atque soluendi concessam a Domino proculdubio reperietis. Quod si ita est, immo quia ita est, cur nos ab hoc priuilegio separare conamini? Nescitis, quia quibus dixit Apostolus: Mortui enim estis, scilicet mundo: eisdem dixit in alia Epistola: Nescitis, quia Angelos iudicabimus, quanto magis sæcularia? Ergo si, sicut vos dicitis, mundo mortui sumus, scilicet vitijs, & peccatis, non erubescimus, quia idem Apostolus dicit: Si commorimur, & conregnabimus: Et iterum: Si autem mortui sumus cum Christo credimus, quia

Ecclesia a Monachis non a Canonicis fundata est.
Act.1. & deinceps.
Philo Iud.
Exod.3.v.1. 3.Reg.17.v.3. 3.Reg.19.v.10
Matt.18.v.18.
Coloss.3.v.3. 1.Cor.6.v.3. 2.Tim.2.v.11. Rom.6.v.8.

Philip. 1. v. 21. simul resurgemus cum ipso: Itemque: Mihi viuere Christus est, & mori
Galat. 2. v. 20. lucrum, & in alio loco: Viuo autem non iam ego, viuit vero in me Christus, Sed ne turbarentur, qui se toties mortuos audissent, ait: Nescitis,
1. Cor 6. v. 3. quia Angelos iudicabimus, quanto magis sæcularia? Ecce nostra liber-
2. Cor. 3. v. 17. tas. Quare? quia idem Apostolus dicit. Vbi spiritus Domini, ibi libertas. Væ ergo nobis, & vobis si mortui non fuerimus mundo. Si igitur mortui sumus mundo, & viuimus Deo, probabimus vos per omnia esse mentitos; quia dicitis: Nos ob hoc, quod mortui sumus, mundo non posse dispensare Ecclesiastica. Sed quid vos extollitis? Recolite principia, nostra, & vestra; & ex auctoritate Patrum, cui plus competat, collyriato lumine periudicet.

Conquestio Monachorum de Canonicis.

Contra vos itaque multum conquerimur, quia quidam vestrorum ausus fuit temerario ore dicere: A Monachis nullo modo communionem esse recipiendam; insuper etiam suscipientes excommunicauit, & in opprobrium nostrum, immo in condemnationem suam, & illorum, recommunicare præcepit. Sed quid contra illum? Scimus, quia
Prou. 26. v. 4. pæne idiota est, & multorum criminum reus; ideoque iuxta Salomonem, vitamus stulto respondere iuxta stultitiam suam, ne similes ei
Ibidem. v. 5. efficiamur. Sed, ne videamur succubuisse, respondere volumus stulto, vt idem Salomon admonet, iuxta stultitiam suam, ne sapiens sibi esse videatur: & patenter ostendimus, cum in rebaptizatorum sectam miserabiliter corruisse. Sed non mirum, si odium fraternum hoc promeruit;
1. Ioan. 2. v. 11. cum Ioannes Apostolus intonet, dicens: Qui odit fratrem suum in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat; quoniam tenebræ obcæcauerunt oculos eius. Sed ne longius toxica illius veneni serpant, manifestè ostendimus, antecessoribus nostris præ omnibus Clericis, hæc Sacramenta licita fuisse contingere, & dispensare; sicut in vita B. Martini legitur, quod de vino a quodam Anachorita consecrato, a maximis & venerabilibus viris pro benedictione expectabatur: ante cuius fores sæpe & Episcopi, & Comites benedictionis gratia pernoctarunt. Telesphorus denique Apostolicus ex Anachoritis fuisse comprobatur; Dionysius etiam, & Adeodatus, ac Stephanus nuper defunctus, ex Monachis fuisse leguntur, qui tamen Apostolicam Sedem gloriosissimè gubernarunt. Gregorius ex monasterio raptus, ac violenter infulatus, non solum suas protulit, sed etiam dispositiones aliorum meliorare studuit. Num etiam Martinum Turonensem ostendum putatis, cui astanti Sacramento diuino globus igneus apparuit: Forsan ex istorum manibus quia Monachi fuerant, percipere Sacramenta diuina quisquam insanus prohibuit? Absit. Facessat ergo insana, & proterua doctrina, & Sanctorum Patrum sequatur auctoritas, quæ etiam ex cuiuscumque sacerdotis manibus Sacramenta diuina, non solum percipere, sed etiam dedignantes suscipere, ab Ecclesia separat: si tamen sacerdotes rectæ Fidei fuerint. Sufficient ista contradicentibus. Sed quia nimis periculosum est obmutescere velle, introducimus & alios testes, Basilium scilicet,

Probatur sanctorum Monachorum exemplis.

Athanasium,

Athanasium, & B. Augustinum, nec non & Hieronymum sacrę legis interpretem, Marinianum quoque Rauennatem Episcopum, & Augustinum Anglorum Præsulem, quos nulli dubium est, Monachos fuisse. Numquid nam Romani Præsules, quos prędiximus, vel isti, quos nunc retulimus quia Monachi fuerunt, minus laudabiles habiti sunt? Non vtique. Forsitan Episcopos, Presbyteros, Diacones non ordinarunt, quis insanus audeat dicere? An forsitan pœnitentiam criminosis non imposuerunt, & absolutionem, vt competebat, benignissimè non addidere? Vtique facere potuerunt. Nunc igitur requirite sancta octo Concilia, & maximè sextum, & septimum Concilium; ibique inuenietis, Monachis licitum fuisse disputare, absque vllo scrupulo in conspectu Concilij super omnes, qui aderant. Sed iam sufficiant.

Sanctorum Monachorum auctoritate confirmatur.

Item ex sacris Concilijs.

Veniamus ad consecrationem, quam, dispensante Deo, per Episcopos accepimus. Numquid nos aliter, quàm Canonici consecramur, quis insipiens audeat dicere? Nemo. Nam vtrisque in commune benedictionem a Domino infundi, Episcopus obnixè deposcit: Et dum consecrat sigillatim, obnixè deposcit cunctis sacerdotibus, dicens: Consecrentur, Domine manus istæ, vt quidquid benedixerint, benedicta sint: & quidquid consecrauerint, consecrata sint. Ecce communis benedictio. Vnde ergo diuortium? Longum est, ista prosequi.

Ex modo cōsecrandi.

Verba consecrationis sacerdotalis.

Videamus nostrorum, vestrorumque vestimentorum figuram. Agite vtrumque. Prophetæ, & Apostoli nostro, an vestro vestitu vsi sunt? Forsitan dicetis, nostro. Et vbi est illud, quod de Elia legitur: Vir pilosus, & zona pellicea accinctus renibus; & de ipso, & similibus Paulus dicit: Circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis: & de Ioanne Baptista, Ioannes Euangelista, zona, inquit, pellicina circa lumbos eius; Petro quoque Angelus imperat: [a] Præcinge te, & calcea te caligas tuas: de Pauli quoque zona Agabus dixit: [b] Virum, cuius hæc zona est, Iudæi in Hierusalem alligabunt, & tradent in manus Gentium. Horum ergo Patrum indumenta nullatenus nominatim Scriptura poneret, nisi eis priuatim vsi fuissent. Quod si vobis dubium videtur, saltem vestrorum partium testimonio aurem accommodate. Legite collationes Patrum, quas Eucherius Lugdunensis Episcopus climato sermone abbreuiare studuit: & si nobis credere non vultis, saltem illius litteræ credite. Nam nos, eo Doctore, hanc paginam exarauimus. Igitur non solum prædictos Patres in vestitu sequimur, sed insuper sublimissimā cælorum curiam, quod vobis durum est audire, Seraphim scilicet, quis dubitet, sex alas habere? Dicente Scriptura: Sex alæ vni, & sex alæ alteri. Enimvero & nos sex alis velamur, videlicet duabus in capite; & duabus dextera, læuaque, & duabus ante, & retro. Si autem hæc incredibilia vobis videntur, perquirite, quod Bonifacius in nostrorum tuitione composuit; & si adhuc contraire vultis, morum vestrorum, ac vestimentorum auctores ex auctoritate Patrum edicite: & quod nobis opponitis, testi-

Ex modo vestimentorum.
4. Reg. 1. v. 8.
Hebr. 11 v. 37.
Matt. 3 v 11. & Mar. 1. v. 6.
a *Act. 12. v. 8.*
b *Act. 21. v. 11.*

Eucherius Lugdunen. Ep.

Monachorū vestimenta sunt ad imitationem Seraphim cælestiū instituta.
Esai. 6. v. 2.

monijs probate: & si vita comes fuerit, altiora, quam diximus, iuuante Deo, dicenda sperate.

Ab auctoritate Bonifacij IIII. Pont. Max. 16. q. 1. ap. Decr. Grat.

Decretum Bonifacij Papæ, quod Monachi presbyterij honore decorati, potestatem habent ligandi, & soluendi.

SVnt nonnulli nullo dogmate fulti, audacissimè quidem, zelo magis amaritudinis, quàm dilectionis inflammati, asserentes Monachos, quia mundo mortui sunt, & Deo viuunt, sacerdotalis officij potentia indignos; neque pœnitentiam, neque Christianitatem largiri, neque absoluere posse per sacerdotalis officij diuinitus sibi iniunctam potestatem sed omnino labuntur. Nam si ex hac causa veteres æmuli vera prædicarent, Apostolicæ compar Sedis Beatissimus Gregorius monachico cultu pollens, ad summum nullatenus apicem conscenderet, cui quidem hæc ligandi, soluendique potestas a Deo summa conceditur: Augustinus quoque eiusdem sanctissimi Gregorij discipulus, Anglorum prędicator egregius: & Pannoniensis Martinus beatissimus, cuius sanctitatis famam longe, lateque diffusam totus personat mūdus; alij quoque quamplurimi viri Sanctissimi, pretiosissimo Monachorum habitu fulgentes, nequaquam annulo Pontificali subarrarentur. Sed quia Monachi fuerunt, prædictis vti prohibentur. Neque enim B. Benedictus Monachorum præceptor almificus, huius rei aliquo modo fuit interdictor; sed eos sæcularium negotiorum edixit expertes fore tantummodo. Quod quidem Apostolicis documentis, & omnium sanctorum Patrum institutis non solum Monachis, sed etiam Canonicis maximoperè imperatur. Nemo enim militans Deo, implicat se negotijs sæcularibus. Nos vero tantorum Patrum instituti exemplis, quibus est periculosissimum refragari, credimus a sacerdotibus Monachis ligandi, soluendique officium, Deo operante, digne administrari, si eos dignè contigerit hoc ministerio sublimari. Quod incunctanter affirmat quisquis statum Monachorum, & habitum, potestatemque euidenter considerat. Verbi gratia, Angelus Græcè, Latinè nūcius sonat. Sacerdotes igitur Monachi, atque Canonici, qui quotidie Dei præcepta populo nunciant, Angeli vocantur, ratione non incongrua. Sed vnusquisque Angelicus ordo, quanto claritatem Dei vicinius contemplatur, tanto maiori virtute eius diuinitati adhærens, sine dubio roboratur: eorum Cherubin ordo eximius prędicatur, quorum figuram Monachorum cultus competenter habere comprobatur. Nam vti Cherubim, ita Monachi sex alis velantur. Duabus quidem in capucio, quo caput tegitur: alijs vero duabus, quibus pedes teguntur: verisimilibus demonstratur assertionibus. Illud vero cucullæ, quod brachijs ostenditur, alias duas alas esse dicimus, & id tandem, quod dicitur, sex alarum numerum certissimè impleri asseritur. Decertantes igitur monasticæ professionis presbyteros Sacerdotalis potentiæ arceri officio, omnī modo pręcipimus, vt ab huiuscemodi nefan-

Magnus Gregorius ex Monacho Pont. Max.

S. Benedictus Monachorū præceptor. S. Ben. reg. c. 4. 2. Tim. 2. v. 4.

Sacerdotes vocantur Angeli.

Cherubim, figuram habēt Monachorū indumenta.

dis ausibus reprimantur in posterum; omni modo præcipimus, vt ab huiusmodi nefandis ausibus reprimantur in posterum, quia quanto quisque est celsior, tanto est & in his potentior.

Episcopus debet canere Missam in ordinatione Presbyteri, similiter & Abbas in ordinatione Monachi, quia remissio peccatorum est. Propter hoc relinquet Rex Regnum, & summus Pontifex Pontificatum, Episcopus Episcopatum, Comes Comitatum, & multi diuites vtriusque sexus suas possessiones in sæculo, & venient in monasterio ad seruiendum Deo. Absit, vt Monachus viuens sub regula, vel Abbate, subijciatur alijs hominibus. Nefas est dicere: Monachus non habet potestatem ligandi, atque soluendi, vt quidam dicunt, quia mortui sunt. Verè mortui sunt huic sęculo, sicut sancti Apostoli fuerunt. Numquid sancti Apostoli non habuerunt potestatem ligandi & soluendi, ex quibus vnus dicebat: Si enim mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul viuemus cum eo? Quis melius potest dicere, soluere, vel ligare peccantem, quàm qui solutus est à Deo à peccatis? Quis melius valet animas dare Deo, quàm ille, qui proximus est ei? Qui dentes huiusmodi stridunt circa Monachos, infęlices sunt, & verba eorum vana. Sed audite, cur talia dicunt. Lex enim dicit: Si quis clericus in adulterio, vel in aliquo crimine fuerit deprehensus, aut ipse confessus, aut ab alijs reuictus, iuxtà Concilia trecentorum, decem, & octo Patrum, ad honorem non potest redire, nisi per dignam pœnitentiam. Ex qua re multi ira, & inuidia inflammati circà Monachos, vel circà catholicos viros die, noctuq; optant insidias inuenire, qualiter possint eos iniustè illaquéare. Quod enim sua peccata nullatenus valent purgare, quomodo possunt aliena dimittere? Numquid potest cæcus cæcum ducere? Itaque qui res, vel honores Ecclesiæ subtrahere voluerit, Anathema sit. Quid vltrà dicam? Conuertimini, & videte, quia nil melius est, quàm relinquere sæculum, & sequi Deum, qui dicit: Venite ad me omnes, & ego vos requiescere faciam.

Rom. 6. v. 8

Verba decreti in clericos criminales.

Causæ odij Canonicorũ in Monachos.

Luc. 6. v. 39

Matt. 11. v. 28

Finis quinti Libri.



BEATI PETRI DAMIANI MONACHI BENEDICTINI, S.R.E. Cardinalis, Episcopi Ostiensis.

Epistolarum Liber VI.

Ad Abbates, & Monachos.

EPIST. I. Ad Monachos sacri Monasterij S. Benedicti Montis Casini.

ARGVMENTVM.

Intermissam à cœnobij Casinensis Monachis singulis diebus, qui sabbatum praecedunt, verberibus in conspectu omnium corpus affligendi consuetudinem, reuocandam esse, multis rationibus conatur ostendere.

Sanctis fratribus in Casini Montis cælesti schola degentibus, Petrus peccator Monachus seruitutem.



OBSERVATIO sextæ feriæ, dilectissimi, cui vestra sancta deuotio dedicauit, & ieiunij salutaris inediam, & Apostolicorum verberum disciplinam, quot hominum multitudines ad exemplum salutis attraxerit, & tamquam nouella diuinę plantationis oliua in exuberantium germinum propagines pullauerit, testes sunt non modo monasteria vestra, hoc est, quæ suorum gaudent imitari vestigia magistrorum, sed & multitudines vrbium, atque villarum, quæ se communiter ingerentes, atque lætantes idipsum plausabiliter arripiunt institutum. Adeo vt

plerique præ deuotionis ardore concepto, nisi quantocyus huius obseruantiæ suscipiant regulam, non leuem se reputét propriæ salutis perferre iacturam: nullatenus ambigentes, quia dum die Crucis per corporalem alimentorum se continentiam mactant, passioni Redemptoris in veritate communicant: atque ad Dominicæ resurrectionis gloriam se peruenire non inaniter credunt; dum, Cristo in Cruce pendente, ipsi quoque suę carnis illecebras per abnegatæ refectionis patibulum crucifigunt. Hinc est, quod ait Apostolus, Si compatimur, & conregnabimus: si commorimur, & conuiuemus. Et iterum: Si complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Et paulo post: Si autem mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul etiam viuemus cum ipso.

Vide vitam S. Doctoris.

2. Tim. 2. v. 11.

Rom. 6. v. 5.

Rom. 6. v. 8.

Sed sciendum est, quod humani generis inimicus, dum totum sacrificium non valet de manibus offerentium rapere, more quasi rapacis Harpyæ, partem saltem quamlibet conatur auferre. Hinc est, quod cum Abraham Deo sacrificium ex diuersis animalibus obtulisset, scriptum est: Quoniam descenderunt volucres super cadauera, & abigebat eas Abraham. Super mactata quippè cadauera descédunt volucres, dum ad rapiendum sacrificium afflictorum corporum nostrorum, aëreæ se præcipitant potestates; vt vel totum de manibus litantium rapiant, vel partem † præraptam quasi de manubiis sibi victoriæ triumphalis applaudant. Hinc est, quòd auctor antiquæ superbiæ spiritus per ora quorumdam, tamquam per vasorum suorum organa, vobis conerepat, dicens: ieiunio quidem non penitus improbandum est corpus atterere, sed turpè nimis, & inhonestum est antè tot fratrum intuentium oculos membra nudare. Et vnde vox ista procedit, nisi ab illo, qui parentes generis nostri nuditatem erubescere compulit? Ante vocem quippè serpentis, ait Scriptura: Erat itaque nudus, Adam scilicet, & vxor eius, & non erubescebant. At postquam eis venenata consilia callidi draconis instillauit astutia, protinus scriptum est: Cumque cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. Audenter dicam, dilectissimi fratres mei, quia quisquis, vt compatiatur Christo, nudari vestibus erubescit, hic proculdubio serpentis verba audiuit: & quia de sua nuditate confunditur, instar primi parentis, à diuinis, vt ita loquar, aspectibus occultatur: Vocem, inquit, tuam audiui in paradiso, & timui, eo quod essem nudus, & abscondi me. Et reuera sine dubio celatur à facie Dei, qui portare dedignatur improperium Christi; cum Apostolus dicat: Exeamus igitur extra castra ad eum, improperium eius portantes. Humilis ergo frater extra castra cum Paulo simul egreditur, & portare Saluatoris improperium non veretur; superbus autem, & arrogans quisque petit cum primo parente latibulum, vt omnia cernentis Dei vitet aspectum; nimirum ex illis est, quibus dicitur: Discedite à me operarij iniquitatis, quia nescio vos. Nescio, inquit, quia vos fugientes à me non vidi, hoc

Demonis astutia.

Gen. 15. v. 11.

† Præreptā. S.

Gen. 2. v. 25.

Gen. 3. v. 7.

Ibidem. v. 10.

Qui dicantur celari à facie Dei.

Hebr. 13. v. 13.

Luc. 13. v. 27.

est, elationis vestræ superbiam reprobaui.

Porro cum in initio salutaris huius obseruantiæ vnusquisque vestrum & disciplinam nudus acciperet, & nuditatis ignominiam non timeret; quis vos postmodum fascinauit, & Christi passionem, quæ mundi decus, & salus est hominum, erubescere docuit? Absit autem, vt vobis, Dominis videlicet meis, illud inferre præsumam, quod Galatis Apostolus ait: Sic, inquit, stulti estis, vt cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini. Illud tamen audacter dicam, quod Corinthiis exprobrans, dicit: Quia libenter sustertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes; Sustinetis enim si quis vos in seruitutem redigit, si quis deuorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit. Quæ nimirum omnia ad doctrinam peruersa dogmatizantium pertinere, quis ambigat? Porro autem, sicut dixit Deus ad Adam: Quis enim indicauit tibi; quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo tibi præceperam, ne comederes, comedisti? Ita vobis non immeritò valeat cum iurgio seueritatis intendi: quis ad hoc vos induxit, vt Crucis Christi portare contumeliam timeretis, nisi quia verba cuiuspiam malè suadentis audistis? Hinc est etiam, quod à me sollicitè perquisiti, quod erat in causa, simpliciter mihi respondistis: quia videlicet piæ memoriæ Stephanus Cardinalis hoc insugillando derisit, ac velut indignam rem conspuens, & execrando despiciens, ne vlterius fieret, penitus interdixit. Nec mirum, cùm Apostolus dicat: Verbum Crucis pereuntibus quidem stultitia est: his autem, qui salui fiunt, id est nobis, virtus Dei est. Domnum planè Stephanum cum credam per Christi gratiam nonnullis floruisse virtutibus, morbo tamen elationis laborasse, prout feruor iuuentutis impelleret, dicebatur: & fortè iusto Dei omnipotentis exigente iudicio, factum est, vt propter huius verbi piaculum obitum incurreret repentinum. Breui quippè temporis spatio, postquam hæc vobis verba locutus est, accepit antidotum: Festiuitate vero B. Scholasticæ Virginis inuitante, quasi vegetus, & iam incolumis ad nocturnum surrexit officium; eodemque die prior ipse, deinde germanus eius iunior repentè defuncti, atque altera die pariter sunt sepulti. Et credi forsitan dignè potest, hoc diuina fuisse moderatione dispositum, vt Venerabilis ille frater in eius potissimum Virginis die iudicium improuisæ mortis incurreret, contra cuius monasterium incauti sermonis arrogantiam protulisset; quatenus ob hanc culpam animam illius læsio nulla contingeret, pro qua momentaneæ mortis pœnam caro eius, tam subito corruens, pertulisset. Sæpè namque sic diuinæ iustitiæ misericordia permiscetur, vt in hac vita peccator dignam perpetrati sceleris recipiat vicem; quatenus illic æternæ damnationis fugiat vltionem: & hic eum finiendi supplicij pœna percellat, vt illic vltionem, quæ numquam finitur, euadat.

Galat. 3. v. 3.

2. Cor. 11. v. 19.

Gen. 3. v. 11.

Stephanus monachus Casinensis S. R. E. Cardi.

1. Cor. 1. v. 18.

Repentina morte cur sublatus.

Hic planè ad memoriam redit, quod mihi nuper Petrus de Burgo, vir videlicet clarissimus retulit: Faber est, inquit, in regione, quæ Pilonicum dicitur, artis malleatorum apprimè peritus, & in fabricandis maximè lanceis, atque sagittis circumquaque notissimus, spretis scilicet ferramentis, & vtensilibus, quæ congrua sunt necessitatibus hominum, illa delectabatur acuere, quæ infigendis sunt apta vulneribus, & cædibus bellatorum; ita vt non iam paruus eorum numerus esset, qui per eius ineuasibiles gladios in certamine corruissent. Hic cum aliquando non grauiter sauciatus in pectore cecidisset, quoniam procul erat à propriis, in aliena receptus domo decubuit: vbi tamdiu vulnusculum medicinalis industriæ sedulitate curauit, donec resumptis aliquantulum viribus, in melius de languore conualuit. Misso itaque ab vxore sua vehiculo, vt rediret ad propria, lætus quidem præsto surrexit; sed dignum stupore miraculum, totum cum armo brachium in lectulo dereliquit: atque, vt rem audias inauditam, nullam tunc doloris molestiam sensit; sed sic sua tamquam aliena miratus, & se repente debilem reperit, & conuulsum à se brachium eminus iacere conspexit. Iusto nimirum Dei iudicio factum est, vt repente brachium perderet, quo videlicet repentinæ mortis ministra tela crudeliter fabricasset: & vbi vulnus non pertulit, ibi se vulneratum inuenit, qui sæpè quamplurimos per feralis artis ingenium improuiso vulnere sauciauit.

Fabri dignè supplicium diuino iudicio constitutum.

Vt ergo ad id, quod exorsus est sermo, recurrat; quisquis disciplinam suscipere pro nuditate sui corporis erubescit, proculdubio cum Adam Dei deambulantis in paradiso fugit aspectum, & crucifixi Christi cõuincitur † videre supplicium: nec eum sequitur, qui vt nos liberaret à maledicto, ipse factus est maledictum, sed illum potius imitatur, qui omnes de sublime videt, & ipse princeps est super omnes filios superbiæ. Ille nimirum indutus est gloria, de quo per Prophetam dicitur: Omnis lapis pretiosus indumentum tuum; sed propter elati tumoris arrogantiam in confusionem corruit sempiternam. Iste vero est, cuius & persecutores, & sectatores vnum concorditer profitentur opprobrium. Illi siquidem insidiantes dicunt: Morte turpissima condemnemus eum; isti vero pœnitentes clamant: Nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum. Quibus vtique verbis supra iam Propheta præmiserat: Non erat ei neque species, neque decor; & vidimus eum, & non erat aspectus: & desiderauimus eum despectum, & nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem, & quasi absconditus est vultus eius, & despectus; vnde nec reputauimus eum. Dic ergo quisquis es, qui Christi passionem superbus irrides, qui cum eo nudari, flagellarique despiciens, nuditatem eius, & cuncta supplicia tamquam nugas, ac nænias, & quædam somniorum deliramenta subsannas, quid facies cum eum, qui publicè nudatus est, & in Cruce suspensus, videris in maiestatis suæ

† irridere f.
Galat. 3. v. 13.
Iob 41 v. 25.
Ezech. 28. v. 13.
Sap. 2. v. 20.
Esa. 53. v. 4.
Ibid. v. 2.

decore conspicuum, Angelicis agminibus vndique constipatum, incomparabilis splendoris immensitate circumdatum, & super omnia visibilia, & inuisibilia ineffabiliter gloriosum? Quid inquam, facies, cum eum, cuius nunc ignominiam despicis, aspexeris in igneo tribunalis excelsi solio præsidentem, & omne genus humanum recto æquitatis examine terribiliter iudicantem? Tunc sol obscurabitur, luna tenebris inuoluetur, stellæ de cælo cadent, fundamenta montium contremiscent, cæli tristibus radiis coruscabunt, terra, simul & aër flammis in excelsa furentibus cremabuntur, & elementa pariter omnia confundentur; & tu ornate, tu molliter, & decenter indute, intra ista quid facies? Qua fronte, qua præsumptionis audacia illius gloriam participare sperabis, cuius portare contumeliam, & ignominiam despexisti? Quis te delicatum atque tenellum aggregabit collegio Martyrum, in quorum corporibus videbuntur in gloria vniuersæ, non modo virgarum vibices, sed & innumerabilium vulnerum cicatrices. Christus Crucis non erubuit turpitudinem; & tu putridæ carnis tuæ vermibus deuorande confunderis nuditate? Ille nudatur, cæditur, nectitur vinculis, oblinitur sputis, quinque partito vulnere illius caro perfoditur, vt nos à vitiorum, quæ in nos per quinque sensus ingrediuntur, irruptione curemur; & tu lasciuus, tu vnctus, tu petulculus, ac tenellus, non vis thesaurum carnis tuæ hominibus detegi, ne mortalis, vel terrena, quod absit, sed magnum quid debeat æstimari. Paulus Apostolus ter virgis in publico cæditur, nec veretur: quinquies quadragenas vna minus in iudicio accipit, & lætatur: præterea gaudere se dicit in frigore, & nuditate. Petrus cum coapostolis omnibus flagellatur, atteritur in concilio Pharisæorum: & omnes gloriantur, atque tripudiant, quia dignatus est eos Iesus pro suo nomine contumelias pati. Dauid propriis indumentis exutus, & Ephod lineo præcinctus ante aram Domini totis viribus saltat; & nō suam, sed Dei gloriam quærens, atque à regalis genij grauitate declinans, in Dei omnipotentis honore coniubilat. Cui Michol, Quàm gloriosus, inquit, hodie fuit Rex Israël, discooperiens se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus est, quasi si nudetur vnus de scurris. Superbi scilicet Regis filia humilitatem viri portare non potuit, atque idcirco nuditatis, quæ Domino ministrabat, gloriam non cognouit. Talem ergo merentur habere magistram, qui carnem suam coram fratribus perhibent non esse nudandam. Et quoniam isti arescentes in radice superbiæ, numquam spiritalem germinant fructum, his merito congruit, quod de illa quoque Scriptura testatur, dicens: Igitur Michol filiæ Saul non est natus filius vsque in diem mortis suæ. Nam & isti merito deberent à vobis cum austeritate repelli, sicut illam Dauid suis responsionibus fregit: Viuit Dominus, ait, quia ludam ante Dominum, & vilis fiam plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis. Cui scilicet Michol simul cum suis discipulis delitiosè viuētibus quodam

Terribilis iudicij comminatio.
Matt. 24. v. 29.
Martyrum gloriosa vulnera.
Christi vulnera sunt sensuū nostrorum medicamēta
2. Cor. 11. v. 24.
Act. 5. v. 41.
2. Reg. 6. v. 20.
Ibid. v. 23.
Ibid. v. 22.

dammodo per Esaiam Dominus dicit: Et nunc audi hęc delicata, & habitans confidenter, quæ dicis in corde tuo: ego sum, & non est præter me amplius, non sedebo vidua, & non videbo sterilitatem, venient tibi hęc duo subito in vna die, sterilitas, & viduitas. Dauid planè, vt nudus incederet, sanctus, qui in eo erat Spiritus impulit, Michol verò paternus ille possessor, vt eum insolenter argueret, incitauit. De quo videlicet possessore dicitur: Quia insiluit spiritus Domini malus in Saul. Idóque sine vlla dubitatione credendum est, quia diuinus eum Spiritus prouocat, qui ad honorem Crucis Christi se humiliter nudat, & ille superbi Saul spiritu in arrogantiam tumoris attollitur, qui se vt crucifixo Christo participet, exuere dedignatur. Quæ profectò superbia sic eum ab ipso humilitatis auctore diuisit, vt ne Samuel quidem sibi veniam impetrare potuerit.

Esai. 47. v. 8

1. Reg. 16. v. 14

Saul superbi pœna.

Egregium Prophetarum Esaiam publicè coram omni populo nudum incedere Dominus imperat, & Monachus, qui, vt ita loquar, vnius stateris impar est, nudari coram paucis fratribus erubescit: Vade, inquit, solue saccum de lumbis tuis, & calceamenta tolle de pedibus tuis, moxque subiunctum est: Et fecit sic, vadens nudus, & discalceatus. Et notandũ, quia non molle carbasinum, non stamineũ delicatum: sed, ait, solue saccũ de lumbis tuis. Vt ex vestis mollitie colligas, quam delicate, quam molliter vixerint, quoscumq; etiam sub lege veteri Spiritus veritatis impleuit. Reges igitur, ac Prophetæ: immò Saluator, pariter & Apostoli nequaquam veriti sunt nudari, cum id ordo persecutionis expetijt, & tu quasi dominicus delicatus, times nudus aspici, ne te contingat oculis videntium fascinari. Et reuera fratres tui pulli sunt coruorum, qui Domini sui portare gloriantur opprobrium, tu, sicut dicitur, filius gallinæ albæ, gaudes ornatus, ac nitidulus apparere. Sed dum coruorum contemnis superbiendo nigredinem, lepræ, quam lex antiqua denuntiat, incurris alborem. Age, frater, quid est caro ista, quam videlicet tàm diligenti cura vestibus contegis, & tamquàm regiam sobolem molliter nutris? Nonne massa putredinis? Nonne vermis, puluis, ac cinis? Nec iste, qui nunc est, à sapiente viro attenditur: sed potius dignum est, vt sanies, virus, fœtor, & obscœnæ corruptionis illuuies, quę postmodum futura est, perpendatur. Quas ergo gratias tibi referent vermes, qui voraturi sunt carnes, quas molliter, ac suauiter enutristi? Age, inquam, cur passus est Christus? An vt proprios reatus ablueret, & excessus sui commissa deleret? Sed audi Petrum de illo dicentem: Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. Ad quid ergo passus est? Adhuc Petrus ipse respondeat: Christus, ait, passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius. Christus ergo primo passus est, quem protinus Apostoli sunt secuti, quorum & nos vestigia pręcipimur imitari, sicut vnus eorum dicit: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Ad quid ergo Christum legimus passum, nisi vt eius è vestigio prosequamur exemplum?

Esai. 20. v. 2.

Corporis nostri vilitas, ac fœtor.

1. Pet. 2. v. 21.

Ibid v 21.

Christus passus est, vt eius exemplum sequeremur.

1. Cor 11. v. 1

Obsecro itaque vos, dilectissimi, aures vestras à serpentinis peruersa loquentium sibilis claudite, easque in simplicitate pauperis, & crucifixi Christi Iesu virgines custodite: aureum Babylonis poculum, & calicem iræ Dei, qui vobis blande porrigitur, ab ore vestro repellite: pestifera superborum, & adulterantium verbum Dei, venena vitate. De quibus ad Timotheum Apostolus dicit: Profana, & vaniloquia deuita: multum enim proficiunt ad impietatem: & sermo eorum vt cancer serpit. Ne vobis, & mihi, quod absit, gemina illa formido contingat, quam Apostolus diuersis ponit in locis: Vobis quidem timeo, ne sicut serpēs Euam seduxit astutia sua, ità corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo Iesu; mihi autem illud timeo, ne sine causa laborauerim in vobis. De illis etiam dicit: Nam eiusmodi pseudoapostoli sunt operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi, quorum finis erit secundum opera eorum. Non ergo mens sancta participare Crucem Christi in verberibus metuat, non eius contumeliam in nuditate corporis erubescat; cum ipse dicat; Qui me erubuerit, & meos sermones; hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum. Numquam planè de sui corporis nuditate confunditur, qui clara mentis acie futuræ præmia retributionis contemplatur: nec perhorrescit plagarum sub momento volantem asperitatem, qui prouidè considerat eam, quæ sibi compensanda est suauitatis æternæ dulcedinem. O quam iucundum! ô quam insigne spectaculum! cum supernus Iudex de cęlo prospectat, & homo semetipsum in inferioribus pro suis delictis † mettat! Vbi reus ipse in pectoris sui tribunalibus præsidens, trifarium tenet officium: in corde se constituit iudicem, reum in corpore, manibus se gaudet exhibere tortorem; ac si Deo sanctus pœnitens dicat: Non opus est, Domine, vt officio tuo me punire præcipias: non expedit, vt ipse me iusti examinis vltione percellas; ipse mihi manus inijcio, ipse de me vindictam capio, vicemque meis peccatis reddo. Et hoc est profectò, quod Petrus Apostolus admonet, dicens: Nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor: si autem, vt Christianus, non erubescat. Enimuerò vbi hoc fit, dæmones fugiunt: & quod ad Christi gloriam, eorumque fit ignominiam, cernere perhorrescunt. Huic è contrà spectaculo assistunt Angeli, qui gaudent de peccatore conuerso: & hoc Deo gaudentes annunciant: cum iàm inuisibilis Iudex id ipsum per se delectabiliter cernat. Hæc est hostia, quę viua mactatur, ad Deum per Angelos oblata defertur: & sic humani corporis victima illi vnico sacrificio, quod in ara Crucis oblatum est, inuisibiliter permiscetur: & sic in vno thesauro sacrificium omne reconditur, videlicet & quod vnumquodque membrum, & quod caput omnium obtulit electorum.

Apoc. 17. v. 4.
Solus Christus crucifixus audiendus.
2. Tim. 2. v. 16.
2. Cor. 11. v. 3.
Gen. 3. v. 4
Galat. 4. v. 11.
2. Cor. 11. v. 13.
Luc. 9. v. 26.
Iucundum Deo spectaculum.
†.
1. Pet. 4. v. 15.
Luc. 15. v. 7.

EPIST. II. Ad Vgonem Abbatem monasterij Cluniacensis.

ARGVMENTVM.

Cluniacenses Monachi maximis à S. Doctore beneficijs affecti, cum pro eorum causa in sua senectute Alpes transcendere, & in Galliam ire non recusasset; eidem concesserant, vt in perpetuum eius mortis dies in suo monasterio & fusis ad Deum precibus, & funebri sollemnitate singulis annis celebraretur. Idipsum nunc Vgoni Cluniacensi Abbati in memoriam reuocat: &, vt in reliquis etiam cœnobijs Cluniacensi subiectis idem fieri curet, deprecatur.

Domno V. venerandæ sanctitatis Abbati, Petrus peccator Monachus quidquid seruus.

DVM vnum quid quæritur, & aliud inuenitur, nequaquam votum petentis impletur. Paulus nempè conqueritur: Quia dum auferri sibi Satanæ angelum postulat, non sibi stimulus carnis, vt petebat, aufertur: sed quia gratia sibi diuina sufficiat, admonetur. Moyses quoque petijt, vt ei faciem suam Dominus, qui secum loquebatur, ostenderet, & non obtinuit. Alibi verò, quia Dominus eum in gentem magnam faceret, si ipse vellet, audiuit: Dimitte me, inquit, vt irascatur furor meus contra populum istum, & deleam eos faciamque te in gentem magnam. Ad quod Moyses libera voce respondit: Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis dele me de libro tuo, quem scripsisti. Hic itaque, quod Moyses nolebat, gratis illud diuina liberalitas obtulit: illic, quod anxie flagitauerat, nulla ratione consensit. Salomon autem in petitione sua dumtaxat vtroque fælicior extitit, qui & cor docile, quod volebat; & gloriam, atque diuitias, quas non petierat, impetrauit. Cui nimirum diuina vox ait: Ecce feci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens, & intelligens, in tantùm vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. Sed & hæc, quæ non postulasti, dedi tibi, diuitias scilicet, & gloriam; vt nemo fuerit similis tui in Regibus cunctis retro diebus. Cur autem ista præmiserim, paucis aperio. Non excidit sanctæ prudentiæ tuæ, venerabilis Pater, quia cum iàm me senectus incurua deprimeret, & effœto viribus corpore, nutabunda gradientis vestigia sub incertis gressibus vacillarent; ego ad tuæ iussionis imperium animam meam, vt ità loquar, in manibus meis posui, æstiuis adoperta niuibus Alpium præ-

2. Cor. 12. v. 8.
Exod. 33. v. 23.
Exod. 32. v. 10.
Ibidem v. 32.
3 Reg. 3. v. 12.
Sap. 7. v. 11.
Matt. 6. v. 29.

rupta conscendi, & pro vtilitate venerabilis Monasterij tui propinqua satis Oceano Galliarum intima penetraui. Pro cuius impensatione laboris hoc potissimum petij, quatenus incomparabilis ille tuus, sanctusque Conuentus tecum simul per litteralium astipulationum mihi rata promitteret, quod per omnes succedentium vicissitudines temporum anniuersarium mei obitus rediuiua semper memoria coleret, meque tremendo Iudici pijs precum exequijs commendaret. Cui tunc sponsioni & hoc additum est, vt vnum sine intermissione pro me pauperem & alimentis, simul & indumentis iugiter sustentaret. Hic mei laboris est fructus, hæc merces operis, hæc redhibitio talionis. Sed dum tot copiosis, ac pretiosis muneribus liberalitas me vestra prosequitur, non sine causa timeo; ne dum peracto labori, quasi præfixa terrenæ mercedis quantitas redditur, salutare mihi orationis vestræ beneficium subtrahatur. Nam vbi diurno operi diarium redditur, nil restat, quod spei operantis de cętero relinquatur; nisi forte cum Salomone me sors illa contingat, qua nimirum & id, quod optabat, obtinuit; & hoc insuper, quod non petebat, accepit. Verum ego contentus vno, nequaquam delector in altero: & dum sanctę orationis vestræ munus efflagito, totisque desiderijs auidissimè concupisco, quantumuis arduum, quantumlibet sumptuosum terrenæ facultatis commodum paruipendo. Quamuis enim charitas vestra tam plena sit, atque perfecta, vt his, qui tibi familiares esse merentur, vtrumque munus libens affluenter impertiat; mihi tamen tanti est vnum, vt alterum non requiram. Sinistra quippe suspicio pauidæ mentis arcana conturbat, ne dùm terrena mihi facultas offertur, spirituale munus in aliquo minuatur. Nã in æstimationis meæ lancibus grauius pensat sanctæ orationis obolus, quàm auri talentum, vel copiosa micantium multitudo gemmarum. Illud scilicet aurum quæro, illud mihi dari desiderabiliter concupisco, de quo scriptum est: Quia seniores habebant phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. Hoc aurum cunctis, quæ desiderari possunt, acquisitionibus præfero, hoc inhianter amplector, in huius comparatione cuncta terreni quæstus cõmoda floccipẽdo. Vnde sanctæ charitatis tuæ, venerabilis Pater, imploro clemẽtiam, vt illud vestræ spõsionis indiculũ, sicut in sancto Cluniacẽsi monasterio scriptũ est, ità nihilominus & in reliquis, quæ disciplinæ vestræ subijciuntur imperio, conscribatur. Adhuc pietati tuæ humiliter prodo, vestigia tua sancta fusis lacrymis prouolutus, amplector, vt quod mihi per seriem memorialis articuli dignatus es polliceri, iubeas etiam per reliqua monasteria, quę tuis sunt legibus subiecta transcribi: Quod si petitionis huius effectum rusticus sermo non impetrat, Spiritus sanctus, qui tui pectoris sacrarium possidet, precibus te meis annuere clementer inspiret. Vt sicut ego pro vobis non dubitaui corpus meum crudelibus offerre periculis; ità per vos superna clementia dignetur animam meam ab infernalibus liberare tormentis: &

Quanti faciebat cælestia S. Doctor.

Apoc. 5. v. 8.

per vestræ scriptionis articulum conscribi merear in sorte iustorum.

EPIST. III. *Ad eumdem Vgonem Abbatem.*

ARGVMENTVM.

Vgonem, vt facile conijci potest, Abbatem Cluniacensem quanto amore prosequatur, ostendit: simulque eidem Damianum suum ex sorore nepotem, quem in Galliam ad liberales artes perdiscendas miserat, commendat; vt eius in omnibus, tàm quæ ad corporis, quam quæ ad animi cultum pertinent, curam gerat.

. . . . . . Sanctitas intulit, quàm prorsus oblitterata: quàm ex intimis, vt ita loquar, ceris mei pectoris abolita: immò in quanta benedictione nomen tuum sit in ore meo, quantis etiam angelicus tuus ille conuentus apud me præconijs celebretur, testes sunt & qui mihi in Christi seruitute cohabitant, & qui me pro eius amore frequentant. Rogo prætereà sanctitatis vestræ clementiam super adolescentulo isto, vterinæ videlicet meæ sororis filio, vt illi magistrum, simul & victum paterna pietate prouideat: Et rudem, imperitumque suscipiens, ac velut Iacob baculo simpliciter innitentem, ad propria postmodum cum gemina triuij, vel quadriuij vxore remittat. In hoc igitur puero imaginem meam respice, in hoc speciem mei vultus attende: & quidquid illi pietatis impensum fuerit, non sibi, sed mihi prorsus adscribe. O vtinam mittere tibi possem, quę sanctis Cluniacensibus scripsi: vel alia multa, quæ post Galliæ reditum ex diuersis thematibus exaraui. Omnipotens Deus te, venerabilis Pater, ad seruorum suorum custodiam diutius seruet incolumem, & angelicam vultus tui speciem me faciat videre præsentem.

Principium desid. in MSS.

Gen. 32. v. 10

EPIST. IV. *Ad eundem Vgonem Abbatem, eiusque monasterij Monachos.*

ARGVMENTVM.

Doctor sanctiss. cum in Gallia sedis Apostolicæ legatus versaretur, multa in monasterium, & Cluniacenses monachos beneficia contulerat. Pro quibus, vt aliquam ei gratiam referrent, vno omnium consensu polliciti fuerant, sibi, posterisque suis eius obitus diem, precibus apud Deum fusis, sollemnem fo-

re. Huius promissi (quia supremum sibi diem instare præsenserat) nunc eos admonet: & , vt fidem præstare non negligant, vehementer obtestatur. Hæc Epistola potissimum in commemorandis eorumdem monachorum laudibus, & loci illius sanctitate versatur.

Domno V. Archangelo monachorum, sanctoque conuentui, Petrus peccator Monach. quidquid seruus.

POstquam feram semel vænator illaqueat, si nexum eius pedibus inijcit, iàm sine perdendi formidine longius eam euagari sub quadam libertate permittit. Is etiam, qui aucupio delectatur, dùm iniecto funiculo pedibus tenet volucrem, securus auolandi datam simulat facultatem: & illa quidem fugam tentat, alarum librat ex more remigium: sed dùm exilire conatur, aucupe funiculum stringente, retrahitur. Vos etiam me tuto ad propria remisistis, quem videlicet glutino vestræ charitatis astrictum insolubiliter retinetis. Nam recedere quidem corpore potui, sed mente de vestris manibus non exiui. Ita nempè mirandę conuersationis vestrę me viscus obstrinxit, angelicæ vitæ coagulus agglutinauit, sinceræ charitatis laqueus irretiuit, vt facilius suimet obliuisci, quàm à vestra memoria mens mea possit auelli. Vidi siquidem paradisum quatuor Euangeliorum fluentis irriguum, immò totidem spiritualium riuis exuberare virtutum: vidi hortum delitiarum diuersas rosarum, ac liliorum gratias germinantem, & mellifluas aromatum, ac pigmentorum fragrantias suauiter redolentem, vt de illo verè valeat Deus omnipotens dicere: Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Et quid aliud Cluniacense monasterium, nisi agrum Domini plenum dixerim, vbi velut aceruus est cælestium segetum, chorus tot in charitate degentium monachorum? Ager ille quotidiano sanctæ prædicationis ligone pręscinditur, & in eo cælestis eloquij semina consperguntur. Illic spiritualium frugum prouentus aggeritur, vt horreis postmodum cælestibus inferatur. Vnde cum te, fælix Cluniace, considero, hoc tibi nomen impositum, non sine diuini præsagij dispositione perpendo. Hoc quippè vocabulum ex clunibus, & acu componitur, per quod videlicet arantium boum exercitium designatur. Bos enim in clunibus aculeo pungitur vt aratrum trahat, & arua proscindat. Illic enim humani cordis ager excolitur, vnde seges illa colligitur, quæ promptuarij cęlestis ædibus infercitur. Illic aculeus ille bobus infligitur, de quo superbienti adhuc Saulo dictum est: Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Ille siquidem tamquam superbus, & ferox adhuc taurus aream Domini, quæ est Ecclesia, superbiæ cornibus, ventilabat, sed iugo Fidei diuinitus subditur, vt aratrum in agro Domini trahere compellatur. Vnde postmodum de Euangelizantibus, tam-

Cluniacensis monasterij laudes.

Gen. 27. v. 27

Cluniaci nominis origo, & explicatio.

Act. 9. v. 5.

quam de arantibus dicit: Debet enim in spe, qui arat, arare; & qui triturat, in spe fructus percipiendi. De hoc aratro Dominus, Nemo, inquit, mittens manum suam in aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. Legis aratrum trahebat Israëliticus populus per desertum, cum hinc eum Pharao durissimæ seruitutis aculeo pungeret, illinc autem Moyses præceptis cælestibus, quasi quibusdam funibus prouocaret. Ille construendo luto, atque lateribus vrbes, eum quasi post terga cædebat; iste promittendo terram lactis ac mellis, præuius attrahebat. Nos autem, qui in agro Ecclesiæ, quasi Dominici boues aramus, tunc in posterioribus aculeo pungimur, cum vltima postremi iudicij discussione terremur. In posterioribus nos aculeus terroris exagitat, vt ceruix nostra iugo diuinæ leges † attrita, in laboribus non lassescat. Conuenienter itaque Cluniacum agrum dixerim, in quo videlicet Dominici boues infatigabiliter arant, dùm eos diuini terroris aculeus stimulat: & velut acu clunium pars postrema transpungitur, cum vltimi terrore iudicij mens humana terretur. In posterioribus pungitur, vt in anteriora contendat, quia transacta cor nostrum vita terrificat, vt discussionem vltimi examinis paueścat. Hoc Paulus aculeo pungebatur, vt in anteriora contenderet, cum dicebat: Ego me non arbitror comprehendisse: vnum autem, quę retro † oblitus sequor ad brauium supernę vocationis: sequor, si comprehendam. Datus enim illi fuerat stimulus carnis, vt non in labore succumberet, sed in agro Dominicæ segetis indefessus araret. Hic bos insignis, atque mirabilis duo gerebat in capite cornua, quia duo ventilabat per prædicationis officium testamenta; qui cum ad Galatas diceret: Vnum Abrahæ filium ex ancilla natum, alterum ex nobili legitimi coniugij libertate progenitum; protinus addidit: Hæc enim sunt duo testamenta. Hic etiam more bouis ligatus arabat, qui vincula sua sæpè commemorat. Numquid enim tunc in vinculis non arabat, cum ad Philemonem catena constrictus aiebat: Obsecro te pro filio meo, quem genui in vinculis, Onesimo. Qui etiam tamquam bos egregius ad victimam ducebatur, cum dicebat: Ego enim iam immolor, & tempus meæ resolutionis instat. Meritò ergò venerabilis locus sortitus est vocabulum, vbi nunc & spiritualium bonum trahitur aratrum, & cælestium segetum vsque ad vnum granum, quod est Christus Iesus, † accuminatur aceruus. Qui de semetipso dicit: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, nullum fructum affert.

[Margin: *1. Cor. 9 v. 10* — *Luc. 9. v. 62* — † astricta. — Timor Domini quasi aculeus. — † sunt. — *Phil 3. v. 13.* — *2. Cor. 12. v. 7* — S. Paulus cur boui similis. — *Galat. 4. v. 24.* — *Phil. 1. v. 10.* — *Tim. 2. v. 9.* — *Phil. 1. v. 13* — *2. Tim 4. v. 6.* — † accumulatur — *Ioan. 12. v. 25.*]

Cluniacus prętereà spiritualis quidam campus est, vbi cęlum, & terra congreditur, ac velut arena certaminis, vbi spiritualis more palestræ caro fragilis aduersus potestates aëreas colluctatur. Non est enim nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem; sed aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spirituales nequitias in cælestibus. Illic Iosue non ille * Benun, sed cælestis ductor exercitus, & qui spi-

[Margin: *Ephes. 6. v. 12.* — *Iosue 10. v. 24.*]

ritualium instructor est bellatorum, suos edocet milites, superbas quinque Regum calcare ceruices: super quos nimirum triumphalem noscuntur obtinere victoriam, qui totidem sensus corporum per districtæ custodiæ cohibent disciplinam. Illic mœnia Iericho tubarum clangoribus corruunt, & habitatores eius Israëlitarum gladijs perimuntur. Illic Iosue terribiliter imprecatur: Maledictus, inquit, vir coram Domino, qui suscitauerit, & ædificauerit ciuitatem Iericho. In primogenito suo fundamenta illius iaceant, & in nouissimo liberorum ponat portas eius. Ille scilicet Iericho in primogenito suo suscitator ædificat, qui mundum hunc Apostolicæ tubæ clangore collapsum, principaliter amat. Ille verò portas eius ponit in nouissimo liberorum eius, qui mundum despiciens, paruipendit; qui eum omnibus, quę verè sunt amanda, postponit. Qui scilicet hoc sæculum ad vsum habet, in amore non habet: & dùm amorem cęlestis regni tamquàm primogenitum sibi nutrit hęredem, mundum despicit velut sordentem puerum in cunabulis vagientem. Primum, ait Dominus, Quærite regnum Dei, & hęc omnia adijcientur vobis. Vt regnum Dei in corde nostro sit primogenitum, mundus habeatur quadam extremitatis adjectione nouissimus. Illic etiam Adonibezech manuum, ac pedum summitate præciditur; dum malignus inter Sanctos viros spiritus, & incedendi, & operandi virtute priuatur. Qui nimirum dùm sua vulnera patitur, hęc eadem sese alijs intulisse gloriatur: Septuaginta, inquit, Reges amputatis manuum, ac pedum summitatibus, colligebát sub mensa mea ciborum reliquias; sicut feci, ita reddidit mihi Dominus. Septuaginta scilicet Reges septuaginta sunt linguarum discrepantium nationes, quibus vsque ad Saluatoris aduentum antiquus hostis & rectè gradiendi, & bona faciendi protsus abstulerat facultatem. Cui nimirum vtrique gemino vulneri medetur animarum medicus Paulus, cum dicit: Remissas manus, & dissoluta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris; ne claudicans quis erret, magis autem sanetur. Adonibezech quippè Dominus fulminis, vel Dominus contentus vani interpretatur. Fulmen mox vt micare incipit, subitò deficit. Per quod Iudaicus potest intelligi populus, qui nimirum quodam quasi fulgore micant, cùm dicerent: Omnia, quæ pręcepit nobis Dominus, & audiemus, & faciemus; sed mox deficiens lux ista cadebat, cum ceruices suas tenebrosis dęmonibus inclinabant. Per id verò, quod dicitur contentus vani, Gentilitas designatur, quę contenta visibilibus idolis, non curabant reuerti ad misericordiam Creatoris: & dum veritatis ignorabant cultum, vanis insistebant cerimonijs idolorum. De quibus dicit Apostolus: Quia Deum non glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis. Horũ igitur duorum populorũ ex maxima parte dominatus est Adonibezech, idest, reprobus nequitiæ spiritus; quia & iste quasi fulmen micare cœpit, & desijt; & ille dùm vanitate dæmonum contentus extitit, proprij Creatoris auxilium non

Margin notes: Iosu. 6. v. 20 — Ibid. v. 26. — Quid per quinque reges à Iosue deuictos. — Mundus in ciuitate Iericho designatur. — Matt. 6. v. 33 — Adonibezech allegoria declaratur. — Iudic. 1. v. 7. — Hebr. 12. v. 12 — Adonibezech etymon. — Deut. 5. v. 27 — Rom. 1. v. 21

non quæsiuit. Et, vt ad propositum redeam, illic Eglon in typo luxuriæ, fortis Aoth infixa ventri sica perfoditur: illic clauo tabernaculi superbi Sisare cerebrum perforatur; Illic in auaritiæ signum, Achar filium Charmi lapides obruunt, omniumque vitiorum pestes, tamquam rebelles hostium acies, fortium Israëlitarum gladios non euadunt; illic verus Dauid, velut in arcis Sion culmine constitutus, bicipiti gladio, qui ex eius ore procedit, vndique sibi reluctantes aduersarios iugulat, omnium sibi resistentium ceruices obtruncat; in his Galgalis quæ † reuelatio dicitur, à nouis Israëlitis Ægypti opprobrium tollitur, dum per lapideos cultros secunda circumcisio celebratur; illic paschalis solennitas colitur, & à velamine Moysi ad reuelationis speculum, Iesu duce, transitur. Iudic. 3. v. 21. Iudic. 4. v. 21. Iosu. 7. v. 25. 2. Reg. 5. v. 9. Apoc. 1. v. 16. Iosu. 5. v. 2. † Reuolutio. Exod. 34. v. 33.

Nostis præterea, dilectissimi, pro tuenda salute vestra quantus me labor attriuerit, quod in vltima senectute mea tot prærupia montium, tot inhorrescentium Alpium iuga transcenderim: &, vt breui cuncta complectar, ego mortis acredinem pertuli, vt vos suauiter viueretis; vitam meam in manibus meis posui, & vos per eius, cui seruitis auxilium, de persequentium manibus liberaui. Quamobrem omnes in capitulo residentes communi iudicio statuistis, & schedulis inseri per rescriptionis articulum decreuistis: vt & vos, & posteri vestri semper in anniuersario mei obitus insigne aliquid ageretis: quatenus & tubæ omnes festiuius clangerent, & fratres pro fratre solemnes orationum, atque sacrificiorum exequias celebrarent. Hoc astipulationis vestræ decretum, ne quandolibet intercipere possit obliuio, in vestri cordis margine reperitur insertum. Vnde sanctæ charitatis vestræ dulcedinem lacrymabiliter obsecro, meque vestris prono corde vestigiis prostratus aduoluo: vt quod seruo vestro promisistis, mox vt vocationem meam pro certo noueritis, efficaciter impletatis. Dominus etiam meus, ac venerabilis Pater Abbas vester Vgo, sicut mihi pollicitus est, hunc eundem suæ sponsionis indiculum viuo sermone per propria faciat monasteria prædicari, & in eorum codices stylo iubeat currente transcribi; vt veritatis omnino discipulus teneat fidem, nec stipulati fœderis violet cautionem. Rogo per Iesum, qui sub Pontio Pilato testimonium reddit: per terribile iudicium eius, quo viuos, ac mortuos iudicabit; per Angelos, & Archangelos, per Petrum, & Paulum, & omnes Apostolos, ac martyres deprecor: per sanctæ omousion Trinitatis nomen obtestor: vt & vos, & posteri vestri mei memoriam in vestris sanctis orationibus habeatis: & quod à vobis mihi per intentationem Anathematis scriptum est, veraciter impleatis, quod, vt faciatis, huius quidem vobis obtestationis adiutium pono: si verò non feceritis; cum per auctoritatem Apostolicæ Sedis competenter id possem, tamen super Angelicæ militiæ chorum tam terribilis sententiæ iaculum non intento. Sit tantum, qui mihi in hac petitione Cõsule schol. S. Vgo Abbas Cluniacensis. 1. Tim. 6. v. 13. S. Doctor. Apostolicæ Sedis Legatus.

mea fauere contempserit: sit, inquam, reus mendacij, sit debitor violatæ sponsionis in vltimo iudicio veritatis. Titillat, vt addam, deleatur de libro: sed dum reuerentiam vestram præ oculis habeo, proferre, quod mens suggerit, non præsumo. Quod si petitioni meæ non denegatis effectum, & post obitum meum per anniuersarium semper, sicut condictum est, atque præscriptum, sanctæ orationis vestræ mihi præbueritis auxilium, omnipotentis Dei custodia super hoc monasterium, semper inuigilet, quæ & vos ab inuisibilium hostium defendat insidiis, & bona vestra ab exterioribus tueatur aduersis. Omnipotens Spiritus corda vestra possideat, & feruore continuo suæ dilectionis accendat: templum sibi nunc in vestris pectoribus construat, & postmodum vos supernæ Hierusalem mœnibus introducat. Amen.

EPIST. V. Ad Monachos monasterij Cluniacensis.

ARGVMENTVM.

Cluniacenses monachos, quibus cum magna erat beneuolentia coniunctus, propterea quod illos à Sede Apostolica in Galliã legatus, à cupiditate cuiusdam Episcopi iurisdictionem in eos vsurpare conantis, liberasset, sanctitatis, & pietatis nomine in hac Epistola collaudat: ordinemque & disciplinam, quam in eorum monasterio seruari præsens ipse aspexerat, in cælum effert, tanquam vtilissimam, sanctorumque Patrum, & sacræ Scripturæ præceptis consentaneam. Ad extremum eosdem obsecrat, vt sui memores sint, & se precibus, ac si esset ex ipsorum numero, apud Deum adiuuare non cessent.

Vere Sanctis, & Angelica veneratione colendis Cluniacensis monasterij Fratribus, Petrus peccator Monachus iugem in Domino seruitutem.

NOlo vos lateat, dilectissimi, quia reuertentem à vobis, grauis me tædij mœror absorbuit: ac multa cogitationum caligo pusillanimitate deiectum, cor impatiens tabefecit. Planè dum me recolerem velut puerum ouo seductum, & ita delenificis verbis tamquam blattinis, vel delicati hyacinthi mollibus institis obligatum, aliud denique sermone promissum, aliud omnino rebus exhibitum, fluctuabam animo; & oberrantes quilibet à veritatis linea tunc, fateor, plus solito displicebant. Nam, vt vnum dumtaxat annotare suf-

ficiat, quo cætera colligantur, promissum mihi est, quod in Kalendis Augusti forem regressus ad propria, sed profligato postmodum trimestri fere curriculo, & quanta potui celeritate cucurri, & tamen vix quinto ante Kalendas Nouembris die, fontis Auellani, vnde processeram, cacumen ascendi. Vnde noster animus dum per tot intumescentium vada torrentium, per tot niualium Alpium scopulosa præripia, per tot etiam, quod peius erat, Cadaloici furoris conglobatas insidias, suspectus incederet, densam, vt ita loquar, intestini certaminis grandinem pertulit. Et quamquam in hoc rigidus semper, & inflexibilis permaneret; & quod nimirũ decreuerat, malum pro malo non reddere; obliuionem tamen iniuriæ quantumlibet niteretur, non potuit funditus obtinere. At postquam ad cellulam peruentum est, immo postquam in me ipse, qui fueram exclusus, intraui, mox æstuantis animi feruor extinguitur; contentiosi litigij querela sopitur; tumor, clamor, & indignatio præsto deponitur, & omne, quod in meis visceribus amarum fuerat, diuinitus obdulcatur. Nam velut ad tribunal Iudicis contentiosus litigator adductus, querelam inutilem non sum ausus exponere ante districtæ cellulæ maiestatem. Et tanquam si languidus quilibet aromaticam ingrediens officinam, antequam antidoti medicamenta percipiat, deposita languoris ægritudine, conualescat, ita ego protinus, vt cellulæ meæ limen attigi, nec dum librum quemlibet aperueram: & ô benefactum! tanquam virtute loci, sanum me, atque incolumem, compositis animæ meæ vulneribus, reperi: sicque ad diuinorum librorum, qui adhuc clausi tenebantur, aspectum, velut ante medicinæ poculum, salutem hausi, spiritantibus dumtaxat odoribus fragrantium pigmentorum. Quapropter sancto Rectori vestro, qui mihi tantæ calamitatis pondus inuexit, non modo vicem læsionis, sed eum quoque in ius veteris amicitiæ pro vestra charitate reduco. Qui enim non absolute, sed sicut ipsi dimittimus, ita nobis a Deo dimitti peccata rogamus, dum nos cum relaxatione peccati, Dei quoque gratiam quærimus, dignum est, vt nos etiam inimicos nostros post offensionis veniam, in pristinæ prorsus amicitiæ plenitudinem referamus. Sicut enim obliuio mandatorum Dei proculdubio vitium est, sic illatæ calamitatis obliuio non parua virtus est. Præterea illi, qui me pressura tanti laboris attriuit, etiam gratiæ referendæ sunt, quia illo disponente, qui nostris bene vtitur malis, per eius offensam in sanctitatis vestræ me contigit deuenire notitiam: & in hoc propensius gaudeo, quia meus labor otium vobis amœnæ securitatis impertijt, mea vexatio laboriosæ quieti vestræ dulces ferias procurauit. Hoc itaque modo me pijs operibus vestris inserui, quorum & si sanctè viuendi vestigia non eripui, vt tamen viuere sanctè possetis, auxilium tuli. Sic ille domus Achab dispensator Abdias, dum a gladiis Iezabel fugientes Prophetas in specubus quinquagenos abscondit, ipse postmodum gloriosa vicissitudine prophetici spiritus gratiam meruit. Et nunc Ecclesiam spi-

Cellæ atque internæ inquisitionis commoda.

S. Vgonem Abbatem dicit.

Matt.6. v.12.

Luc.11. v.4.

Obliuio iniuriarum magna virtus est.

3. Reg.18. v.4.

ritalis edulij dapibus reficit, qui tunc panem, & aquam esurientibus
4. Reg. 2. v. 9. ministrauit. Sic Elisæus dum magistro suo deuotæ sedulitatis exhiberet obsequium, duplicem consecutus est gratiam in virtute signorum. Sic Raab, quoniam exploratores Israël à facie tyranni furentis occuluit, gladios Ierechontinæ cædis euasit: & gentile prostibulum in Israëlitarum est translata consortium, dum eorum nunciis vitalis aufugij præbuit argumentum. Ego etiam, vt spero, meritis me vestrę sanctitatis ingessi, dum Maticensis Ecclesiæ iugum, quod vobis imponi tentabatur abegi: tuendumque me credo per vos à versutiis dæmonum, qui vibratam in vos clauam Herculis rapui de manibus clericorum: & tamquam Iesbidenob in Dauid insurgentem, perculi, ac ne lucerna Israël extingueretur, occurri.

Ios. 2. v. 15. & 6. v. 25.

2. Reg. 21. v. 17

Porro autem, dum tam districtum, tamque frequentem sanctæ vestrę conuersationis ordinem recolo, non adinuentionis humanæ studium, sed sancti Spiritus magisterium inesse perpendo. Nam tanta erat in seruandi ordinis continua iugitate prolixitas: tanta præsertim in Ecclesiasticis officiis protelabatur instantia: vt in ipso cancri, siue leonis æstu, cum longiores sunt dies, vix per totum diem vnius saltem vacaret horæ dimidium, quo fratribus in claustro licuisset miscere colloquium. Hoc autem tam continui laboris exercitium ad hoc est, vt reor, solerti satis, ac prouida magisterij arte prouisum: vt leuium, atque infirmorum fratrum fragilitatē reprimat, & delinquendi propemodū occasionē tollat, quatenus etiam si velint, præter cogitationem, peccare vix possint. Fragilium igitur imbecillitati consulitur, dum in persoluendo cōtinui ordinis penso totum, non modo diurni, sed & nocturni temporis spatium profligatur. Nam & ipse omnipotens Deus hoc humanæ salutis vti dignatus est argumento, cum populo per deserta gradienti tot mandata proposuit: operosum videlicet, atque inexplicabile tabernaculum fabricari, diuersa sibi sacrificia per tot cerimonias, ac ritus offerri, ipsum castrorum ordinem siue residentium, siue commeantium tam artificiosa; quam mystica varietate distingui, quatenus dum sese in his iugiter exerceret, resolui carnalis plebs ad idola colenda non posset. Sanè dum populus ille non operibus textrinis insisteret, non contrariæ atti operam daret, non denique studium agriculturæ dependeret, non vllis prospiciendæ necessitatis laboribus insudaret, multiplicibus occupandus erat, Deo legem promulgante, mandatis: vt dum hæc cum labore persolueret, nequaquam otio resolutus, in sacrilegium declinaret. Nec mirum, id ipsum etiam Pharao tentabat vsurpare, cum diceret: Vacatis otio, & iccirco dicitis, eamus, & sacrificemus Domino. Nam, quod non indigebat terrenū quid agere, nisi indictæ tantummodo legis præcepta seruare, testatur Moyses, qui eum alloquitur, dicens: Dedit tibi Dominus cibum manna, quod ignorabas tu, & patres tui, vt ostenderet tibi, quod non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod egreditur ex ore Domini:

Cluniacensis monasterij obseruantia.

Exod. 26. per totum.

Cur Deus Hebræos tot legibus, ac sacrificiis obligauit.

Exod. 5. v. 17.

Deut. 8. v. 3. Mat 4. v. 4. & Luc. 4. v. 4.

vbi & præsto subiungit: Vestimentum tuum, quo operiebaris, noquaquam vetustate defecit, & pes tuus non est subtritus. En quadragesimus annus est, vt recogites in corde tuo, quia sicut erudit homo filium suum, sic Dominus Deus tuus erudiuit te; vt custodias mandata Domini Dei tui, & ambules in vijs eius, & timeas eum. In quibus verbis illud est solertius attendendum, quod ait: Dedit tibi manna, vt ostenderet, quod non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod egreditur ex ore Dei. Vbi luce clarius constat, quia illud manna, quo illi carnaliter alebantur, hoc diuini verbi significabat pabulum, quo nunc in anima recreamur. Et notandum, quod de hoc manna in libro Exodi legitur: Quod cum vidissent, inquit, filij Israel, dixerunt ad inuicem: Manhu? quod significat, quid est hoc? Illi ergo manna, id est, quid est hoc, veraciter comedunt, qui dum legunt, vel audiunt, diuini verbi mysterium solerter inquirunt. Qui nimirum intra litteralis paleæ thecam, dulcem intelligentiæ spiritalis ambiunt enucleare medullam. Hic certe, quid est hoc, veraciter vescitur, qui in assidua Scripturæ sacræ solerter inquisitione versatur. Quasi enim quæstionem quamdam, & quid est hoc auido cordis ore comedimus, cum ad penetranda mysteria Scripturarum vigilanter insistimus, cum epulas cælestis eloquij subtiliter ruminamus. Et quam bene Israëlitico illi populo monachica † possessio congruit, quia vnde illi tunc alebantur in deserto, modo nos epulamur in claustro? Quid enim desertum, nisi ab humana sonat habitatione discretum? Quid etiam claustrum, nisi ab omni negotij secularis actione conclusum? Et sicut per deserta gradientibus lux ignea inter nocturnas tenebras infulgebat, sic etiam commorantes in spiritualibus claustris supernæ lucis sæpe radijs illustrantur, qui & carnalium passionum tenebras abigant, eosque contemplationis intimæ nitore perfundant. Fugiendus est ergo mundus, qui tenebras parturit, petenda remotio, vbi tamquam in deserto verum lumen erumpit. Prorsus a nostra repellendus est amicitia, qui nimirum dum tenebrarum in quibus semper est, caligines inserit, consentientibus sibi, atque obedientibus lumen extinguit, immo debemus ei semper infœderabile bellum, † qui suorum oculos obruit amicorum. Hinc est, quod sacra Regum historia narrante didicimus, quia cum Naas Ammonites ascenderet, vt Iabes Galaad cum suis agminibus expugnaret, omnes viri Iabes ad Naas vna voce dixerunt: Habeto nos fœderatos, & seruiemus tibi. Quibus ille respondit: In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium vniuerso Israeli. Dixeruntque ad eum seniores Iabes: Concede nobis septem dies, vt mittamus nuncios in vniuersos terminos Israel, & si non fuerit, qui defendat nos egrediemur ad te. Audiens hæc Saul, exercitus multitudinem congregauit, arma corripuit, & ex Ammonitis, graui admodum cæde percussis, cum gloria triumphauit. Quid itaque per Naas Ammonitem, superbum videlicet Regem, nisi vel mundum Creatori

Deut. 8. v. 4.

Verbum diuinum per mãna significatũ. *Exod. 16. v. 15.*

Scripturæ diuinæ studium quã dulce sit.

† professio.

Exod. 13, v. 21.

Mundus amatores suos obcæcat.

† Deest induere vel aliud eiusmodi verbum.

1. Reg. 11. v. 2.

Nas Ammonites mũdum

ac diabolum significat: & quomodo vincatur.

Iob. 41. v. 5.

Iabes etymon & allegoria.

suo rebellem, vel diabolum eius intelligimus principem? De quo nimirum dicitur, Quia ipse est Rex super omnes filios superbiæ. Et quia Naas serpens interpretatur, recte per hunc venenosus ille, & lubricus sanguis exprimitur. Quid vero per Iabes, quæ ciuitas erat Israëlitica, nisi anima innuitur Christiana ad videndum Deum per studium contemplationis intenta? Et quia Iabes interpretatur exsiccata, vel siccitas, congruè per Iabes illa intelligitur anima, quæ supernæ gratiæ pinguedinem deserit, & in æstu concupiscentiæ carnalis arescit. Recedens quippe ab inhiando diuini muneris rore fit sicca, quem antea dum perciperet, vigebat salubriter irrigata, Domino per Esaiam dicente: Effundam aquam super sitientem, & fluenta super aridam. Sed Naas cum Iabes fœdus aliter dedignatur inire, nisi oculum dextrum paciscatur eruere; quia quisquis vel antiquo hosti in peruersa suggestione substernitur, vel mundi huius inquietis actionibus implicatur, dum se tamquam superbo Regi turpiter fœderat, necesse est, vt dextrum oculum, hoc est, lumen contemplationis, amittat: & sic opprobrium in Israël ponitur: quia dum a contemplationis arce ad terrena, vel immunda quælibet exequenda deuoluitur, consequens est, vt in Ecclesia probrosæ derisionis obtrectationibus mordeatur. Petunt autem illi septem dies inducias, & quia Deus septimo die requieuisse a conditis operibus legitur, quid per septenarium numerum, nisi requies designatur? Istum numerum Saul inobediens ignorauit, cum per eum se Samuel præstolandum esse præcepit: Septem, inquit, diebus expectabis, donec veniam ad te, & ostendam tibi, quæ facias. Sed quia spiritalem requiem vir reprobus spreuit, exagitandum eum spiritus malus arripuit. Per septenarium ergo dierum numerum ab iniquo Rege Iabes ciuitas liberatur: quia quælibet anima, quam suadente diabolo mundus ad se conatur attrahere, ac negotiorum sæcularium tenebris excæcare, illæsum contemplationis oculum seruat, si omnino resistens, in suæ quietis proposito perseuerat: eamque Redemptor noster de tentatione, quam patitur, eripit, cum eam in remotionis suę censura quiescere deprehendit. Vnde illic scriptum est: Cum venisset, inquit, dies crastinus, constituit Saul populum in tres partes, & ingressus est media castra in vigilia matutina, & percussit Ammon vsque dum incalesceret dies. Quid enim per Saul, qui Christus Domini dicebatur, nisi is, qui verus Rex est Israel, Dei, hominumque mediator innuitur? Quid est, quod populum in tres constituit partes, nisi quia tres sunt principales animæ virtutes, Fides scilicet, Spes, & Charitas? In trifarijs itaque bellatorum partibus victoria certaminis obtinetur, quia tribus his virtutibus, duce Christo, omnis diabolica tentatio vincitur. Porro nec ipse à mysterio vacat pugnatorum numerus, quem Scriptura pronunciat: Fuerunt, ait, filiorum Israel trecenta millia: virorum autem Iuda triginta millia. Millenarius autem, atque denarius, quia perfecti sunt numeri Sanctorum perfectionem, trecenti

Esai. 44. v. 3.

Qui negotijs se sæcularibus implicat, lumē cōtemplationis amittit.

Gen. 2. v. 2.

Septenarius numerus quid significet.

1. Reg. 10. v. 8.

1. Reg. 16. v. 14

Per contemplationis quietem tentationes vincimus.

1. Reg. 11. v. 1.

Tres principales animæ virtutes.

Ibid. v. 8.

vero vel triginta, quia a tribus oriuntur, diuinam significant Trinitatem. Quid itaque per trecenta millia, vel triginta millia bellatorum, nisi sancti Doctores intelliguntur Ecclesiæ, qui & fide sunt orthodoxi, & religiosis operibus consummati? Cum his ergo Saul hostiles Regis Naas acies superat, quia cum Doctoribus Ecclesiæ suę Christus de veternosi serpentis versuta machinatione triumphat. Nam cum eorum præcepta, vel exempla subtiliter attenduntur, mox corda torpentia, quæ iam noxius tepor inuaserat, recalescunt: & ad obtruncandas impugnantium vitiorum acies velut elato mucrone spiritus inflammatur. Vnde & ipsi bellatores Israel, & Iuda nuncijs, qui ad se venerant, dicunt: Sic dicetis viris, qui sunt in Iabes Galaad, Cras erit vobis salus, cum incaluerit sol. Nam cum mens per desidiam primitus tabefacta, & iam in se reuersa ad Conditoris sui desiderium recalescit: cum torporem negligentiæ deserit, & frigus insensibilitatis pristinæ flamma sancti amoris accendit, tunc velut incalescente sole; victoria de hostibus sumitur, & obsessa ciuitas de superbi Regis manibus liberatur. Hinc est, quod de Abraham scriptum est: Quia apparuit ei Dominus in conualle Mambre in ipso feruore diei. Hinc est, quod de Loth: Sol, inquit, ortus est super terram, & Loth ingressus est Segor. Recte igitur siue mundi, siue Principis eius amicitias dedignamur, & cum eis simul societatis fœdus habere contemnimus: ne dum tenebris iungimur, luce priuemur. Et notandum, quod iniquus Rex non duos inimicis eruere, sed vnum dumtaxat oculum flagitat, vt eos in Israel opprobrium ponat: quia sæpe malignus hostis consentienti sibi cuilibet reprobo homini potiorem partem sanctitatis, ac lucidi operis adimit, minorem vero artificiosa quadam suæ calliditatis industria derelinquit; vt in eo, quod tollitur, sit occasio damnationis, vt pereat: in eo vero, quod remanet, de spe fiduciæ præsumatur: vt peccator ad pœnitentiam non recurrat, sed ex ipsis sanctitatis amissę reliquijs, quibus tamquam baculo transgressor innititur, ab his, qui eum cecidisse nouerunt, infamia laceratur: sicque pij operis detrimentum dignę fit irrisionis opprobrium. Huic etiam illud non dissimile est, quod Dauid nunciis contigit, cum eidem Naas mortuo, filius eius ad obtinenda Regni sceptra successit: Faciam, inquit, misericordiam cum Annon filio Naas, sicut fecit pater eius mecum misericordiam. Misit ergo Dauid consolans eum per seruos super patris interitu, vtque historiam compendiosa relatione succingam, tulit Annon seruos Dauid, rasitque mediam partem barbæ eorum, & præcidit vestes eorum medias vsque ad nates, & dimisit eos. Quid enim per Annon, nisi nequitiæ spiritus? quid per barbam, quæ virorum est propria, nisi sanctarum fortitudo virtutum? quid etiam per vestes, nisi sanctitatis intelligitur indumentum? Psalmista perhibente, qui ait, Sacerdotes tui induantur iustitiam. Annon ergo fœdus amicitiæ reposcentibus mediam barbæ partem radit, quia hostis antiquus aliquando fortiter operantis

Per sanctos Ecclesiæ Doctores Christus triumphat.

Ibidem.v.9.

Gen.18.v.1.

Gen.19.v.23.

Diabolus interiorem sanctitatem prius adimit, exteriore relicta.

2.Reg.10.v.4.

Psal.131.v.9.

robur imminuit; sed postquàm barbam rasit etiam vestimenta pręcidit, quia mox vt malignus spiritus interiorem adimit fortitudinem, consequenter etiam exteriorem conspicuæ conuersationis exuit honestatem. Quid est enim vestes hominum ad nates vsque præcidere, nisi eos a superducto velamento iustitiæ vsque ad obscœni, & inuerecundi operis turpitudinem denudare? Audiat hoc Andreas, qui nuper de contubernio vestræ sanctitatis egrediens, cum Ammonitarum Rege fœdus amicitiæ contulit, & nunc per Romana mœnia tamquam rasus barba,& detruncatus habitu,non sine Dauid pudore discurrit. Audiant & ij, qui prodire fortassis adhuc in publicum concupiscunt, ne dum inania cernere liberis obtutibus inhiant,dextrum oculum,hoc est, vim intimæ contemplationis extinguant. Nec pruriat eorum gula cum illo carnali Israel,porros,cepas,& allia;quarum videlicet herbarum vehemens acrimonia oculos turbat,& ad lacrymas prouocat: quia nimirum sęcularis actio dum multis pressurarum angustijs cingitur, dum laborum ingruentium crebra perturbatione vexatur,quibus gaudere promisit, sæpe flere compellit. Plane si laboris delectat exercitium, habet sancta quies laborem suum. Vnde Dominus ad Moysen: Vade, inquit, & dic eis,reuertimini in tentoria vestra; tu vero hic sta mecum, & loquar tibi omnia mandata,cerimonias,atque iudicia. Cæteris quippe in carnis suæ tentorio delectabiliter quiescentibus, seruus Dei non residere iubetur, sed stare cum Domino, vt quò remotius a mundi laboribus cessat,eo vigilantius in diuinis obsequijs ipse se sanctæ quietis feruor exerceat.

Num.11.v.5.

Effectus huius sæculi.

Deut.5.v.30.

Serui Dei sollicitudo quæ debet esse.

Sed iam ad me redeo,me vestigijs vestrę sanctitatis aduoluo, vt sicut in os mihi vnanimiter promisistis, inhiantem peccatorum voraginem merso sedulæ orationis brachium porrigatis. Nam etsi vobis cohabitare non potui,habitationi tamen vestræ quietudinem procuraui. Berzellai sane Galaadites descendens de Rogelim,præbuit alimenta Dauid, dum fugeret a facie Absalon. Quem cum peracta victoria, Rex inuitare, vt ad quiescendum cum eo in Hierusalem ille transiret,acquiescere noluit, sed filium suum illi sua vice commisit: Obsecro, inquit, vt reuertar seruus tuus,& moriar in ciuitate mea, & sepeliar iuxta sepulchrum patris mei,& matris meæ. Est autem seruus tuus Chamaan :ipse vadat tecum, Domine mi Rex, & fac ei quod tibi bonum videtur. Ego etiam Berzellai non sum impar exemplo; in hostili vobis persecutione succurri, sed Deo largiente triumphum,ad propria repedaui;hoc Cluniacensibus inquiens, quod Colossensibus Paulus dicebat: Nam etsi corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum, gaudens , & videns ordinem vestrum. Sicut ergo ille Regi tradidit filium , ita & ego propriam animam vestris manibus trado;atque,vt ad mensam vestræ orationis alatur, imploro. Enim vero cum bona pro malis iubeat lex diuina restitui,quanto magis bona bonis pręcepit redhiberi? Quid enim mirum, si hoc humana ratio ex indicta sibi lege persoluat , cum idipsum aliquando etiam

2.Re.17.v.28.

2.Reg.19.v.37

Coloss.2.v.5.

Gratitudo bestiis etiam nō ignota.

etiam bruta animalia nullis obnoxia legibus impleant? Nam, sicut fraterna mihi constat relatione vulgatum, Veneti quidam institores marina discrimina remigij labore sulcabant: cumque applicuissent, formidolosum, stupendumque conspiciunt non procul ab ipsa litoreæ crepidinis arena portentum; Leonem scilicet trabalis, vt videbatur, draconis spiris obeuntibus inuolutum. Cumque illinc draco captum ad speluncam suam violenter attraheret, hinc miserabilis leo, quibus valebat nisibus, reluctaret; tandem, quo leo cœpit desperata reluctatione deficere, tanto magis draco inextricabilibus eum nodis innectens animabatur victoriā obtinere. Sed Pandoces, qui repente huic spectaculo superuenerant, miserantes infælicem leonis vicem, audenter arma corripiunt, draconem perimunt, leonem de faucibus mortis ereptum abire permittunt. Sed leo, vt ita iam dicam nobilissimus bestiarum, gratus vitæ suæ auctoribus extitit, & per aliquos dies, quibus illic remorati sunt, vnam illic quotidie pellem capti a se animalis aduexit. Quid ergo mirum, si sancti homines, & diuinis legibus eruditi, percepto charitatis officio, grata vice respondeant; cum idipsum & brutum animal videatur implesse? Et hoc fortassis exemplum quadam vobis valeat ratione congruere. Vos enim leo non sine causa significat, qui sic dormitis a sęculo, vt peruigiles semper oculos habeatis in Deo; illud cum Sponsa cantantes: Ego dormio, & cor meum vigilat. Qui super aspidem, & Basiliscum ambulatis & conculcatis leonem, & draconem; qui denique vt leo sine terrore confiditis, & occursum aduersantis nequitiæ non pauetis. Pellem autē Michol ad caput Dauid posuit, per quā ille gladios Saul Regis euasit; pelliceis quoque tunicis primos parentes nostros Deus omnipotens induit, quibus vtique mortales effectos, reatu transgressionis exigente, signauit. Vos itaque draconæis per me nexibus expediti, pellem pro beneficio reddite, vitalemque mihi mortificationem vestris orationibus impetrate; ne mihi de cætero mundus aduiuat, sed si quid adhuc huius mihi reliquum est, in acquirenda salutis æternæ lucra proficiat. Sed quamquam Apostolus dicat: Quia absque vlla contradictione, qui minus est, a meliore benedicitur: tamen quia charitate compellor benedictionem prohibere non valeo. Omnipotens Deus a cunctis improbi Satanæ vos infestationibus protegat, & omnia carnis, ac spiritus a vobis inquinamenta detergat. Amen. Extinguat in vobis æstuantium fomites vitiorum, & florere vos faciat vernantium decore virtutum. Amen. Per intercessionem Apostolorum suorum Petri, & Pauli ab omnibus vos peccatis absoluat, & electorum suorum secum sine fine regnantium conciues efficiat. Amen. Benedictio Dei Patris omnipotentis, & Filij & Spiritus sancti descendat, & maneat super vos. Amen.

Prou. 30. v. 30.
Leonis gratitudo.
Cant. 5. v. 2.
Psal. 90. v. 13.
Prou. 30. v. 30.
1. Reg. 19. v. 13.
Gen 3. v. 21.
Hebr. 7. v. 7.
S. Doctoris oratio super Cluniacenses.

EPIST. V. Ad Monachos monasterij Pomposiani.

ARGVMENTVM.

Pomposiani monasterij Monachis, nescio quod munus mittit, suamque erga eos beneuolentiam declarat: eosdem etiam obsecrat, vt sui memoriam post mortem faciant, preces pro eo fundentes, sicut pro suis Monachis consueuerant.

Religiosissimis, & sanctis viris omnibus, qui Pomposiæ Deo deseruiunt, Petrus deuotissimæ seruitutis obsequium.

Pomposianũ cœnobium quanto affectu prosecutus fuerit S. Doctor:

DIlectissimi Patres, & Domini, qualiter cor meum vestræ charitatis incendio feruеat, quibus circa Pomposiæ monasterium amoris facibus inardescat, nolo scribere, ne fortasse videar adulationibus deseruire. Cuius rei testis est ipsa conscientia: illis etiam non est prorsus occultum, qui mecum possunt frequenter habere colloquium. Vos etiam, dilectissimi, licet corporis habitatione semotum, nolite me extraneum esse decernere: nolite me etiam amicum quemlibet, vel qualemcumque socium deputare, sed & nos, & totum nostrum conuentum quasi proprij vestri iuris possessionem esse indubitanter agnoscite: & quidquid vobis placuerit, tamquam vestris subiectis, atque domesticis, absque vlla cunctatione iubete. Vnde vos, dilectissimi, lacrymabiliter obsecro, & ad sancta vestigia vestra me prostratus aduoluo, vt pro me seruo vestro semper orare dignemini: & præcipuè cum mortuus fuero, quidquid de vestræ Congregationis monacho facitis, hoc etiam de me misero facere studeatis. Rogo autem Domini mei paruulam benedictionem de manu † vestri benignè suscipite: & non quid, sed a quo; non quantum, sed ex quanto proferatur, attendite.

† serui, vel quid simile addid.

EPIST. VI. Ad Alsizonem Abbatem.

ARGVMENTVM.

Alsizoni Abbati scribit se magno dolore affectum esse, quod illi equo indigenti

confestim non fuerit largitus: eique se, equos, ac bona omnia monasterij liberaliter offert.

Domno A. Domino suo, Petrus peccator Monachus quidquid seruus.

CHarissime, melius mihi videtur nullam charitatem habere, quàm fingere: & tolerabilius puto charitate quemlibet vacuum esse, quam eius plenitudinem simulare. Vbi enim nulla charitas est, potest per diuinam gratiam nasci: vbi vero ficta est, quo veritatem sub figmenti colore mentitur, eo aut nunquam, aut difficilius emendatur. Nouerit ergo dulcissima sanctitas vestra, quia multum me pœnituit, quoniam cum vos conqueri caballorum indigentiam audiui, de meo protinus non descendi, non vltroneus ambos obtuli: & velle, nolle, te suscipere, non coëgi. Sed inter hæc illud quoque non sine causa considero, quia dudum nunc cor meum ex hac culpa tanto pœnitentiæ ardore decoquitur, & non implesse charitatis officium suspirando, & conscientia remordente, tamquam verme rodente, grauissimè lamentatur. Post transitum huius vitæ quid faciet, qui tempus impendendæ charitatis effluxisse deflebit, & tamen negligentiam suam emendare non potuit; quia tempus acceptabile, & diem salutis amisit? *2.Cor.6.v.2.* Si enim tam graue, & amarum menti nostræ videtur hic peccasse, vbi possumus adhuc peccata corrigere; quid illic agendum erit, vbi reatum suum nemo poterit emendare? Sed hæc alias. Nunc autem, dilectissime, si equum habes inuentum Deo gratias: alioquin si adhuc deest, mitte ad nos cum tuis litteris monachum, qui omnes nostros & equos, & mulos solerter aspiciat; & qualem sibi placuerit, tollat. Pallium etiam optimum habemus, quod per eumdem nuncium vobis allatum loco pignoris ponite, & equum vobis alterum prouidete. Neque enim decet, vt qui spiritu Deo seruimus, propter rei temporalis inopiam donis prauorum hominum nostras animas inquinemus. *Qui Deo seruiunt, non debent munera prauorum hominum suscipere.* Vt autem, quæ dicimus, simulata non credas, si aliunde non habes: &, quæ libenter offerimus, nostra non tollis: vt de te ipso quoque debeamus absque vlla dubietate præsumere, fiduciam subtrahis. Absit enim, vt cum quo mihi mens est vna, terrena substantia sit diuisa; & illi exteriora quælibet denegem, pro quo etiam mori merito non ambigerem, si necessitas immineret. Quæso autem, vt breuiculus iste non pereat, sed in libro quolibet transcribatur, vt deuotionis meæ circa vos memoria conseruetur.

EPIST. VII. Ad B. Abbatem.

ARGVMENTVM.

Monachum quemdam, quod Abbatis se dignitate abdicasset, vt prudentem vehementer commendat: grauissimasque molestias, curas, sollicitudines, negotiorum moles, & pericula, quibus eorum, qui monasterijs præsunt, vita referta est, sic ei ante oculos ponit, vt huiusmodi dignitates non modo non appetendas, sed etiam quam maxime fugiendas esse, apertissime, & verissime concludat. Superesse tamen eidem monacho non minoris negotij prouinciam scribit, vt tentationes sibi a dæmone infligendas (qui, vt eum in pulcherrimi facti pœnitentiã adducat, omnia conaturus esset) propulsare posset, & superare. Proinde illum monet, vt fortiter se accingat ad hostis impetus excipiendos, ne si contra fecerit, in ambitionis fluctus rursus relabi necesse sit.

Domno B. religiosissimo Abbati, Petrus peccator Monachus debitæ seruitutis obsequium.

CHarissime Pater, dignas auctori bonorum Deo gratias refero, qui te per suum spiritum docuit periculoso hoc tempore aridam virgam vanæ prælationis abijcere, & ad priuatam animæ tuę custodiam expeditis gressibus festinare. Nunc verè meus Abbas esse cœpisti, cum præesse alijs desijsti. Ecce, de iugo multigenæ seruitutis ereptus, ingenuæ libertati es per Dei misericordiam restitutus. Seruum enim te sæcularium, seruum te esse, necesse fuerat, etiam monachorum. Illorum siquidem, ne monasterium læderent; istorum vero, ne tibi conspiratæ factionis scandalum generarent. Illos nempe verebaris, ne domus Dei bona diriperent, istos autem, ne domesticæ seditionis aduersum te machinas concinnarent. Et dum vnum caput tot dominis subditur, infælix anima multiplici quodammodo catena constringitur, ne Creatoris sui vestigia prosequatur. Dic Pater, dic, inquam, videlicet vt expertus: quis potest hoc ferreo sæculo monasterium sine sui capitis periculo regere: immo quis potest cum Abbate, simul & monachum possidere? Mox enim, vt quis Abbas fieri incipit, monachus esse desistit: & quicumque abbatizandi culmen efflagitat, nihil est aliud, nisi quod monachũ velut importabile põdus quærit abijcere: & ne apostata videatur, sub fucato seuult colore regiminis palliare. Videlicet vt possit latere peccatũ, prælationis quæritur argumentum: & vitiosa cutis pastoralis officij superducitur, vt peruersæ mẽtis plaga cũ virosi puris fœtoribus occulte-

Moderatorũ misera cõditio.

Quibus nimirum aptè congruit illud Euangelicum, Væh vobis, inquit, hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ foris quidem apparent hominibus speciosa; intus autem plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. *Matt.23.v.27.*

Præcipitur Monacho, vt moriatur mũdo, sed qua ratione hoc Abbas adimplet, qui tot curarũ tumultibus premitur, tot negotiorũ sæculariũ perplexionibus innodatur? Qui diẽ loquendo, & diuersa tractãdo cõtinuat, noctem consiliando dimidiat? Qui cum aliis cõplere non curat, atque ad explẽdum primæ synaxis officium, solis ortum semper anticipat: & cum conuentus fratrum silentium communiter soluit: ille inter eos numquam saliuam virginem portat? Nec ad proferendum iam cælestem sermonem idoneo suppetit lingua, quæ prius est tam prolixis terrenæ locutionis ambagibus dissoluta. Porro cum Monachus iubeatur in hoc mundo nihil appetere, nil prorsus ambire; quid de Monacho ille Abbas habet, quem videmus velut æthneis eructãtem flammis, auaritiæ facibus inardescere, prædiorũ confinia dilatare, pecunias hinc inde cũ tanta auiditate colligere, ad aliena conquirenda totis desideriis anhelare? Cui quidquid est, nihil est, nisi & hoc studuerit inuenire, quod deest. Cui monasterium fit hospitium, equinum vero dorsum quotidianum est habitaculum; chirotecæ: calcaria, scutica, pidrisigulæ, etsi quæ alia equitandi sunt vtensilia, numquam otioso situ neglecta marcescunt, cum sacerdotalia ornamenta, quibus sacris altaribus deseruitur, sępè à tineis comesta reperiantur. Quæ enim fora, quæ tribunalia inueniri possunt Abbatibus vacua? quæ curia, quę cubilia Principum ferratis Abbatum virgis non aspiciuntur effossa? Aulicum limen iugiter Abbatum vestigiis teritur, & eorum querelæ vel iurgia importunè Regum auribus ingeruntur. Non eos effugiunt castra bellantium, sed sub sequestræ pacis specie, inter ipsos galeatorum cuneos discerpi, & comprimi sępè videas cucullatos. Qui vult nosse, quid actum sit apud forense negotium, non prętoria iudicum, sed diuersoria potius perquirat Abbatum: quidquid in sęculo agitur, ab eis velut à magistris negotiorum sęcularium requiratur. Sed cum Dominus dicat: Cauete, inquit, ne grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius sęculi. Et iterum: Nemo potest duobus Dominis seruire. Apostolus etiam concorditer clamat: Nemo militans Deo, implicat se sæcularibus negotijs; vt ei placeat, cui se probauit. Quisquis tot terrenis actionibus plenum monasterij regimen vltroneus appetit, quid aliud creditur agere, nisi quod velut iam lassus Christi militiam execratur vlterius baiulare? & dum iugum Christi, quod vtique suaue est, tenera ceruice portare detrectat, ad refectionis eius cõuiuiũ non aspirat. Quæ nimirum refectio his ab ipso Veritatis ore promittitur, qui sub eius leui onere non lassantur. Venite, inquit, ad me, qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam. Cæterum qui ante missionem militare vult soluere cingulum, ad supernæ *Luc.21.v.34.* *Matt.6.v.24.* *& Luc.16.v.13.* *1.Tim.2.v.4.* *Matt.11 v.30.* *Ibid.v.28.*

patriæ non meretur pertingere municipatum; & cui grauis est pugna, numquam illi victoriæ poterit prouenire corona. Ille præcipuè, qui, vt laborem militię fugiat, ad eiusdem militiæ ducatum inhianter anhelat; dumque dux belli esse humanis oculis cernitur, in conspectu occulti arbitri malefidus transfuga iudicatur. Fugit enim qui vt reuera pugnandi valeat vitare periculum, simulat se antesignani vice specietenus portare vexillum: & qui inter cateruas militum non poterat ire vel vltimus, principandi desiderio iam in præcedenti cornu cernitur primipilus. Infælix non illud ad memoriam reuocans, quod per os B. Benedicti Spiritus sanctus terribiliter clamat: Qui suscipit animas regendas, præparet se ad rationem reddendam. Et iterum sciat, inquit, Abbas de omnibus iudiciis suis æquissimo Iudici Deo se rationem redditurum. Qui etiam alibi dicit: Sciat Abbas culpæ pastoris incumbere, quidquid minus vtilitatis in ouibus pater familias poterit inuenire. Qui enim iudex fieri vult animarum, nescit quàm durum, quàm districtum cogatur expectare iudicium. Vt enim Scriptura dicit: Durissimum iudicium his, qui præsunt, fiet. Vnum autem in istis nouellis Abbatibus video, quod vehemẽter admiror. Qui enim per decem annos, vel eo amplius sub alterius regimine constitutus, numquam ad hanc potuit peruenire scientiam, vt perfectè Monachus videretur: nunc ipso die, quo in prælatione constituitur, ita præsidentis induit speciem, ita dominantis exprimit maiestatem; vt non nuper electum, sed natum dicas Abbatem. Fit repẽtè seuerus in vultu, imperiosus in voce, ad corripiendum acer, ad iudicandum prõptus. Ipse si offenderit, iam omnino satisfactionis ignarus: dedignatur accũbere, nisi in octogona sella, ita præparata, ac si senatoria curulis in curia. Pro suæ voluntatis arbitrio hæc præcipit fieri, illa contestatoriè interdicit, ligat, soluit, admouet, remouet: & in his omnibus nequaquam à nobis † iunioribus consilium quærit; sed sibi ipsi sufficiens, velut propriæ potestatis iura disponit. Deuotis quidem, & subditis pollicetur gratiam, repugnantibus autem Phalarica spirat animaduersione vindictam; vt potius videatur in præfectoriis fascibus agere, quam Ecclesiasticæ humilitatis officio deseruire. Nauseant fauces eius communia nobiscum alimenta percipere, necesse est coquis plura atq; diuersa vni cuidam ventri edulia præparare. Nam grossus cibus, qui ex communi fratrum lebete depromitur, indignum pituitæ teneri, & delicatissimi hominis iudicatur. Nuper egressus dormitorium, quiescere non potest, nisi secretum habeat, & singulare cubiculum. Licet iuuenculus, licet validus, corpore nescit incedere, si desit baculus, quo se debeat sustentare. In his itaque, & aliis pluribus, quæ persequi longum est, ita subito magister efficitur, vt in tota præsidendi regula, velut antiquus quidam Pater, nihil offendere videatur. Quàm doctè, quàm imperiosè nouit cuncta velut quadam maiestatis auctoritate pręcipere, qui diutissimè subditus numquam sapuit suis præceptoribus obedire. Præsidendi siquidem artem docibilem dixerim, quæ tam fa-

S. Ben. reg. c. 2
Iudiciũ, quod de animarum Rectoribus fiet.

Sap. v. 6.

Vitia nouorũ Moderatorũ.

† senioribus f.

cilè discitur; vt quilibet etiam ad alia vecors, hanc mox vt incœperit, magistet in ea peritissimus approbetur: & , vt arctius teneatur, non solum sui notitiam quantocyus præstat; sed etiam obediendi artem, quæ à se diuersa est, ex alumni sui memoria prorsus oblitterat. Quamplurima itaque monasteriorum Rectoribus imminent, per quæ, vel lenocinante ipsa immunitatis licentia, sponte corruunt: vel mundanæ perturbationis necessitate coacti, etiam nolentes offendunt.

Præsidendi ars facillima est ad discédum.

Sed esto, vt eos nulla sæcularium molestia feriat, omnis vndique mundani fluctus procella quiescat, quis valeat intestinæ seditionis mala perferre, & sola Monachorum tædia substinere? Quis tot, & tam varijs voluntatibus satisfaciat? Quis semetipsum per tam diuersa formarum monstra componat? Decernunt siquidem suum Præpositum debere spiritualiter viuere, cogunt tamen per totum diem causarum sæcularium negotijs insudare; ne videlicet Ecclesiastica bona depereant, ne domum Dei, quod absit, ab incolumitatis suæ statu declinare contingat: & tolerabilius ferunt, si per Abbatis absentiam cuncta regularis institutionis disciplina dilabatur, quàm vt Ecclesiasticæ vtilitatis commodum dispendia patiatur. Si delinquentium vitia districtæ animaduersionis iudicio corrigit, impius; si circa eos remissius agit, zelo Dei creditur alienus; si silentij se aliquando censura constringit, dicitur, quia, cum pastor obmutescit, gregem lupus inuadit. Paulo liberius loquar. Qua fronte aliis silere præcipiat, cuius garrula lingua continua verbositate declamat? Cum ieiunat, laudis humanæ fauorem captare dicitur; cum comedit suo pater, alieno ventri esse vitricus perhibetur. Lautiori veste contectus, vanam gloriam quærere; extremitate, & vilitate contentus, fertur monasterium deturpare. Prædicationis sermo si in longum protrahitur, conspuitur, fastiditur: & magis somnum dicitur prouocare, quàm ædificationi posse congruere. Si autem locutio breuis fiat; quod in suo, inquiunt, non studuit vase recondere, non valet alijs propinare; & fons, qui in occulti meatus sui venis arescit, vberes riuos per fistulas non effundit. Vnum est, quod super Abbate suo Monachi magni pendunt, & summis præconiorum laudibus efferunt; videlicet, si apud potentes sęculi valeat: si nocendi, & adiuuandi liberam facultatem habeat: si loqui in turba, & proprias causas agere non erubescat. Hinc est, quòd hoc nostro tempore Monachi neminem sibi præesse volunt, nisi & validi corporis statura procerum, & claris proauorum titulis insignitum. Sit licet sanctus, sit omnium virtutum nitore conspicuus; illis tamen naturæ muneribus carens, si Antonius deducatur, consona omnium voce indignus electione decernitur. Adde etiam, quia nullum sibi Rectorem dari, nisi de propriæ congregationis numero patiuntur: alias etiam si prodigiorum virtutibus enitescat, illis obsistentibus ad capescendæ prælationis officium non aspirat. Metuunt enim, ne alios sibi aliquando præ-

Subditorum diuersæ volũtates.

Iudicia de Moderatoribus.

ferat: pauescunt, ne de consuetudine, in qua iàm inueterati sunt, iste aliquid emendare prçsumat: ne, quod absit mortificationem doceat, ne vana superstitione eos ieiunare compellat, ne extremitatem diligat, ne noua præcipiat, ne eos, quod cunctis intolerabilius est, à propria fortassis voluntate compescat. Sic, sic videlicet malint de sui quempiam suini gregis custodia dignum, quam extrinsecus venientem in omni religiosæ vitæ, & sanctitatis consummatione perfectum. Ille, ille nimirum nunc Abbas extollitur, ille dignus percepti honoris infula iudicatur, qui nouit agrorum fundos extendere, turrita domorum culmina fabricare, copiam terrenæ facultatis acquirere, sibi commissis non tam necessaria, quàm & superflua ministrare. Porrò si curando talia, animarum cura postponitur: dicitur, quia inter præcipua multa bona, leuis quælibet culpa misericorditer indulgetur. Omnes siquidem possunt animæ suæ vtilitati consulere: non omnibus datum est, tàm ardua, tàm necessaria prouidere. Facile locus tribuitur veniæ, vbi hoc intuitu minora negligimus, vt ad maiora studiosius accingamur. Quod si Abbas ab exterioribus temperans, spiritualibus se studijs mancipauerit, gemitur, suspiratur, & vnusquisque ex domesticæ facultatis iactura conqueritur. Ecce, inquiunt, domus sancta destruitur, possessio nostra minuitur: & per vnius incuriam tot virorum commoda ad nihilum rediguntur. Fiat ratiocinium, ponamus calculum, postquam ille super nos infausto auspicio ius indignæ potestatis accepit; quot, & qualia ornamenta Ecclesiæ superaddidit? Quot prædiorum mansos acquisiuit? Vbi denique possessionis nostræ terminos ampliauit? Planè si res diligenter inquiritur, locus hic suo tempore, non modo non auctus, sed in multis potius cernitur imminutus. His itaque, & huiusmodi calamitatum stimulis Abbates sæpè perculsi, & subiectorum malitia conturbati, nec quietam præualent vitam agere, nec lucrandis animabus, prout eorum dictat officium, desudare. Sed dum nos talia de quorumdam Abbatum, siue Monachorum prauitatibus loquimur, nemo nos simul cũ eis etiam religiosos, atque honestos carpere suspicetur. Quippè quorum vestigia humiliter osculantes amplectimur, & in eis Christum, prout dignum est, adoramus. Illos etiam ipsos nequaquam liuido detractionis dente corrodimus, sed eorum potius fraterna compassione plectendis moribus condolemus, qui nimirum per dissolutæ conuersationis incuriam, non solum nobis scandalum generant, sed ipsis etiam sæcularibus detrahendi, & detestandi sacrum ordinem, materiam subministrant. Quapropter, dilectissime, satis laudabiliter, & prudenter egisti; videlicet vt infœcundi laboris grauissimum pondus abiiceres, & leuigatis ceruicibus ad fructuosæ quietis otium conuolares. Hoc tibi consilium nõ caro, vel sanguis attribuit, sed diuina potius miseratio cælitus inspirauit. Quandoquidem nunc vacat, & de propria salute propensiori fieri cura sollicitum, & de tot animarum non reddenda multiplici

ratione

ratione securum. Verumtamen quoniam veternosus, humani generis inimicus, qui mille artes nocendi mouet, mentes seruorum Dei pulsare non desinit, & illatis diuersis tentationibus quiescere non permittit; expedit te tanto sollicitius circa propriam custodiam vigilare, quanto licet ab alienæ prouisionis cura desistere. Locum quippe mutasti, sed non hostem: & quocumque pergas, corruptionis tuæ tecum, velis, nolis, sarcinam portas, ex qua necesse est spinas, & tribulos incessanter emergere, in quibus extirpandis expediat te infatigabiliter exercere. Desunt homines, qui tibi machinentur linguarum suarum sagittas infligere; adsunt inuisibiles inimici, qui aduersum te numquam desinant ferociter dimicare. Illi sane poterant tecum sopitis querelis facili reconciliatione cōponi, isti nesciunt quandoque homini pace composita fœderari. Illi aduersum te nulla norunt, nisi exteriora arma corripere: isti in ipsis mentis tuæ mœnibus impiè sæuiunt, in ipsa tui pectoris vrbe confligunt. Et, vt ista congressio periculosior videatur, in ipsa carne tua quędam quasi perfidos tibi commilitones inueniunt, quos in augmentum suæ partis adsciscunt. In tuis laribus viuit, vnde hostibus tuis robur accrescit: & vitiorum monstra, cum inimicorum aduersum nos spirituum bella consurgunt, illi sociata constipatis nos cuneis feraliter premunt.

Hominum insidias fugere possumus, non autem dæmonum.

Stude ergo, dilectissime, per sanctę conuersationis instantiam sic in anteriora contendere, vt nesciat mens tua post tergum oculos reuocare. Illud Apostolicum semper in memoria teneatur, quod dicitur: Quæ retro oblitus in ea, quæ anteriora sunt, extendens me, sequor ad brauium supernæ vocationis. Sint pedes tui, sicut per Ezechielem de sacris animalibus dicitur, pedes recti. Nimirum qui sic nouerint angustum iter, quod semel arreptum est, carpere: vt ad eam, quæ relicta est, retrogradis gressibus dedignentur se latitudinem retorquere. Nonnulli enim post depositum sui Prioratus officium, tantis tentationum fluctibus æstuant: vt violentissima pugna se capere in eorum corde vix possit. Proponunt namque sibi maligni spiritus qualia, & quam multiplicia animarum lucra Deo potuissent acquirere, si patienter in eo, quo fuerant, voluissent ordine permanere. Quam plures enim, inquiunt, ex sęculari habitu ad seruitutem Christi tua exhortatione concurrerent: ipsi etiam, qui relicti sunt, facile se a suis prauitatibus cohiberent. Sed hæc bona vagitas abstulit, vitium instabilitatis exclusit. Numquid tibi soli natus es? Vt nullum de te proximi tui solatium sentiant: nulli ex te, velut ex sterili arbore, ac per hoc ignibus debita, fructus erumpant? Seruus ille, qui in sudario talentum herile reposuit, districtæ animaduersionis sententiam non euasit: & ex eo incautus in damnationis periculum cecidit, vnde quasi cautus sibi prouidere putauit. Alij dedisti mercedem tuam, proiecisti a te perpetuæ remunerationis acquirendæ materiam. Inter hæc etiam ad memoriam reuocant huius mundi bona, quibus erat ante circumfluus: exaggerant pau

Phil. 3 v. 13

Ezech. 1. v. 7.

Quibus artibus dæmon impugnet eos, qui se à prælaturis abdicarunt.

Matt. 15. v. 28.

Luc. 19. v. 20.

pertatis inopiam, in qua nunc cernitur infeliciter constitutus: &, vt murum mentis impactus tentationis aries acrius feriat, additur: perpende ergo, quanto melius sit cum Deo omnibus etiam temporalibus bonis affluere, quam contra Deum non subsidio substentatoriæ necessitatis egere: quia Deum non timuisti, temetipsum deijciendo, & dehonestando, contemnere, proprijs saltem vsibus debueras temporalia huius vitæ stipendia procurare. Modo etiam falsus amor eorum fratrum quorum deuoto fuerat vsus obsequio, latenter immittitur: modo liuor in eos, qui aduersati fuerunt, non modicus excitatur. Istos dolet, quia se conqueruntur ab eo, in quem sperauerant, remansisse deceptos; illos autem, qui se gloriantur de suæ præsumptionis excessibus impunitos. Istos putat de sua dejectione tabescere; illos velut inimicos suis casibus insultare. Istos opinatur à suis æmulis cōprimi: illos mœret in superbię cornibus arroganter extolli. Hæc, & alia multa cogitationū fantasmata nequissimi spiritus humanis mentibus ingerunt: his nimirum, quæ nequaquam se forti prospectionis custodia circúcludunt. Hinc est, quod nonnullos cernimus Præpositura cum magno prius feruore † deledere, postmodum verò ad eumdem vomitum importunę ambitionis instantia festinare: & multiplicium tentationum vallati densitate, vel ad concupita deueniunt, vel à sancti operis, quo incanduerunt, feruore tepescunt.

† decedere.

Tu autem, dilectissime, iuxtà prudentiam tuam virtutum armis fortis prœliator accingere, contrà hostis versuti insidias semper in acie paratus assiste, vanam huius mundi gloriam despice, terrenę fęlicitatis blandimenta contemne, quidquid in sæculo arridet, tamquam ludificatoriæ imaginationis somnium deputa, ad veram illam cælestis patriæ beatitudinem cor erectum totis visceribus inardescat. Cum pugna crescit, cū tentationum strepitus ingruit, protinus ad hunc portum mens læta cōfugiat, & velut in quadam munitionis arce delectabiliter requiescat; vt fiat, quod per Psalmistam dicitur: Abscondes eos in abdito vultus tui à conturbatione hominum, proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum. Proposita igitur inerti torporis ignauia, omnium virtutum studijs prudenter inuigila: in eo, quod cœpisti, immobiliter perseuera. Nec monasterium reliquisse pœniteat, sed sero te potius experrectum conscientia reprehendat; quatenus qui nunc pauper esse cū Christo temporaliter eligis, cum eo simul immortalibus diuitijs in æterni regni gloria perfruaris: & inter electos Abbates te iubeat in resurrectione constitui, pro cuius amore in hac vita de Abbatum te ordine dejecisti. Ecce, dilectissime Pater, amoris tui dulcedine prouocatus, dum plura tibi scribere studui, epistolaris modum breuitatis excessi; sed rogo omnipotentem Dominum, vt & hęc tibi rustica, & imperita verba proficiant, & in eorum recompensatione, tua pro seruo tuo orare sanctitas non desistat.

Psal. 30. v. 21.

EPIST. IX. Ad Gebizonem Abbatem.

ARGVMENTVM.

Gebizonem monachum, superbia arguit: quippè qui Eremitarum curam à S. Doctore traditam reliquisset, vt alteri Monasterio recenter à suo fratre constructo praeesset; ambiens scilicet monachorum institutor appellari. Detegit eius fictam humilitatem, atque grauitatem criminis ostendit. Ad extremum imperat, vt aut depositum Eremi regimen resumat, aut in Monasterio sub alterius disciplina viuat.

Fratri Gebizoni, Petrus peccator monachus salutem.

PRodigium, atque portentum, frater, videtur esse, quod agis: immeabile est iter, quod nouus nunc viator ingrederis. A me planè iussus, immò rogatus, & à fratribus indiferenter electus, Eremi regimen suscepisti: ac postmodum tamquam æger, & languidus, tantisque te laboribus imparem asserens, super-impositi oneris sarcinam abjecisti. Nunc autem alibi Rector effectus, euidenter ostendis, quia sub aliena censura tenere regimen dedignaris; ne videlicet sub alieno nomine sobolem procrees, & dum propriæ familiæ nomen extendere niteris, defuncto fratri semen suscitare contemnis: O nam scilicet Iudę filium imitatus, qui iuxta sacræ historię seriem, introiens ad vxorem fratris sui semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur. Sed nota, quod sequitur: iccirco, inquit, percussit eum Dominus, eo quod rem detestabilem faceret. Horres enim, atque fastidis, vt qui sunt Gebizonis, Petri dicantur esse discipuli: & qui singularem gloriam quæris, famam tui nominis cum alio participare, cæteros despiciens, erubescis. Enim verò sacris Canonibus cautum est, vt quisquis frigidus cum vxore coire non præualet, hac spreta repudio, ad secundas nuptias non transmigret. Figmentum quippè fuit cum prima non potuisse concumbere, si valet cum altera conuenire. Tu etiam si illic sufficis congregationẽ regere, hic etiam potuisti: sed hanc cum gerere potuisses, adulterino perfugio ad alienæ te congregationis regimen transtulisti. Vndè non debes tenere, quam habes, qui legitima vxore contempta, meretrici copulatus adhęres; præsertim cum canonica rursus decernat auctoritas, vt qui de vna ecclesia transmigrat ad adteram, & illa careat, quam contempsit: & eam nullatenus teneat, quam nouiter acquisiuit. Ambis planè priuatum propriæ gloriæ nomen acquirere, dedignaris alieno nomini sobolem procreare. Sic

Gen. 38. v. 9
Ibidem v. 10.
Ca. Requisisti 33. q. 1.
Tex in c. Quanto de translat. Episcopi.

Ruth. 4. v. 6. & ille, cui iure propinquitatis accipere Ruth competebat vxorem: Cedo, inquit, ad Booz, iure propinquitatis. Neque enim posteritatem familiæ meę delere debeo. Ille quippè vanus, & gloriæ cupidus proprio nomini posteritatem familię conabatur extendere; Booz autem vir bonus, & iustus, famam proprij nominis paruipendens, diuinæ tantummodò legis contentus est mandata seruare. Sed ecce illius, qui suam post se memoriam anhelabat in posteritate relinquere: ne nomen quidem agnoscitur; hic autem non solum in Patrum, sed in Patriarcharum catalogo cum gloria numeratur. Ille posteritatis famam, cui prouidit, amisit, iste paternum nomen, quod pro sacræ legis obseruatione spreuit, accepit. Ille nescitur parens esse saltem quorumlibet hominum; iste præpotentium frater factus est Regum. Ille dum posteritatis memoriam concupiscit, de memoria corruit; iste, qui propagando sub suo nomine generi non consuluit, per Dauidicę stirpis traducem totius mundi genuit Saluatorem. Desine, frater, desine ceruicem cordis arroganter attollere, teque tam euidenter in supebię cornibus exaltare. In cuius enim corde radicem superbia fixerit, licet quibusdam superductæ humilitatis aliquando bracteolis coloretur, nequaquam tamen ne vel tenuiter effluat, ac latenter erumpat, vndique cohibetur. Memento, frater, quia dum in capitulo nuper fratribus consideres, in hanc vocem velut consulens, erupisti: Est ne, Pater, retributio, si solatiamur monasterio construendo? Et hoc non vt scirpi nodum, quo liber erat, absolueres, sed vt viam verbis sequentibus aperires. Quis enim hoc nesciat, nisi qui pietatis cultum prorsus ignorat? Sed vt effluerет quod scatebat, protinus intulisti: Frater enim meus, S. Laurentij monasterium a se constructum nuper, vt dedicaretur, effecit: & duodecim ibi pallia munificus obtulit. Quid enim ad nos in tam terribili loco, vel quid tuus obtulerit frater, audire: vel ipsum oblationis calculum supputare; nisi tantum vt tu generosus, atque sublimis in fratre; & frater tuus videretur opulentus, ac liberalis in munere? Eiusdem quoque monetæ fuit & illud, quod paulò post fabricans addidisti: frater meus talis Vassi vnicam filiam sibimet in matrimonio copulauit; atque illico subdidisti: vnicam, inquam; aliam quippè Vassus ille sobolem non habebat; vt nisi pudor ora suffunderet, deprehendique timeres, consequenter adijceres, si spiritum, quo mens turgebat, efflares: neque enim ille dotali sibi eam iure coniungeret, si in successione parentum cohæredes haberet. Hoc porrò verbis non expressisti, sed accuratè nobis, vt subintelligeremus, perspicuum reliquisti. Quidquid autem homo per oris organum promat, scrutator renium Deus, mentis dumtaxat arcana considerat; & auribus occulti Iudicis non tam strepitus vocis, quam clamor insonat cordis. Hinc est, quod per Prophetam dicitur: Desideria cordis eorum exaudiuit auris tua. Hinc est, quod de superbo Nabuchodonosor Rege Daniel ait; Respondensque Rex ait: Nonne hæc est Babylon ma-

Humiles exaltantur, superbi humiliantur.

Superbia latere non potest.

Monasterium S. Laurentij.

Psal. 7. v. 10

Psal. 9. v. 38.

Dan. 4. v. 27

gna, quam ego ædificaui in domum Regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Cui, rogo, ventosus, & arrogans iste respondit per verba prolatæ superbiæ, nisi tumidæ cogitationi, quæ antè iàm vociferabatur in mente? Nam & perditionis ille spiritus, qui dixisse legitur: In cælum conscendam, super astra cæli *Isaye 14. v.13.* exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, & similis ero Altissimo, nequaquam hæc labijs protulit, nimirum qui carne non tegitur, sed in cogitationem sacrilegam tyrannus erupit. Si ergò sublimis ille Angelus iccircò irrecuperabiliter perijt, non quia contra vniuersitatis auctorem protulit quælibet praua, vel fecit, sed tantùm quia per nequitiam cogitationis intumuit; quid nobis prodest in vestimento, vel verbo nos velut humiles deijci, intus verò de Proauorum titulis, vel fastu sapientiæ singularis super cęteros arroganter extolli? Nitimur humiliter loqui, humiles videri. Euellatur ex corde radix infixa superbię, & mox etiam si nostra desit industria, videbitur humilitas in sermone. Sed vbi liquor acescit in vegete, suaue vinum in poculo nullus valet haurire. Quis enim de furfure conficiat pollinem? Quis de vena ferri, argenti fabricet claritatem? Immò, vt ad Euangelicum recurramus exemplum: Numquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Non enim, vt illic sequitur, potest arbor mala fructus bonos facere. Arbor sane voluntas intelligenda est, non persona. Nam eadem persona hominis & bona operari valet, & mala: sicut ex eadem terra & ficus profertur, & spina. Sed sicut mala arbor numquam bona germinat poma: ità de superba voluntate, quæ proculdubiò mala est, numquam mera, vel incontaminata procedit humilitas. Et sicut radice læsa, totius arboris rami consequenter arescunt; sic ex mente superba si quid boni operis ad tempus virescere cernitur, velut humore conuallis exhausto, in prærupti saxi ariditate siccatur. Reuersi sunt autem, vt Lucas Euangelista testatur, Septuaginta duo cum gaudio, *Luc. 10. v. 17.* dicentes: Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo. Quid ad hæc ille, qui cordis attendit arcana, respondit? Videbam, inquit, Satanam sicut fulgur de cælo cadentem. Ac si dicat: Videte, ne dùm nequitiæ spiritus vestris subduntur imperijs, mentes vestrę iugo premantur elationis. Quia si Satanas per superbiam cęlum perdidit, quod tenebat: homo superbiens nequaquam valet inuenire, quod sperat.

Vbi ex corde superbia euellitur, etiam sine studio humilitas apparet in verbis.

Matt. 7. v. 16.

Ibid. v. 17.

De superba voluntate nūquam mera procedit humilitas.

Certè cùm Ioab contrà Raboath Regem Ammon robustè confligeret, vrbemque regiam obsidione vallaret, nuncios ad Dauid ordinat; eumque, vt veniens victoriam in suum transferat nomen, inuitat: *2. Reg. 12. v. 27.* Dimicaui, inquit, aduersum Raboath, & capienda est vrbs aquarum; nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obside ciuitatem, & cape eam; ne cum à me vastata fuerit vrbs, nomini meo adscriba-

tur victoria. Militaris homo ad regalis gloriæ famam gaudet sui laboris transferre victoriam; & seruus Dei in regendis fratribus præceptori suo dedignatur impendere clientelam? Herodes, & Philippus vrbes proprio labore constructas, ad honorem alter Augusti, alter Tiberi, Cesareas appellarunt: & nos, qui vitæ huius pompam adjecimus, immò qui mundo nos mortuos fore iurauimus, vani nominis gloriolas concupiscimus, & de rumusculis friuolæ laudis inflamur. Caue, frater, ne quæ dicimus, mens tua grauiter ferat, ne sub correptionis malleo puluefacta dissiliat: & hoc esse, quod reprehenditur, per hoc etiam clarius innotescat. Humanam quippè mentem superbia vitream reddit, vt correptionis ictum per impatientiam ferre non possit. Vitrum nempe dicitur, quia visu penetratur: atque ideo si robur haberet soliditatis, cæteris potuerat eminere metallis: sed quia citius rumpitur, vili pretio taxatur. Ita, qui ad correptionis ictus per impatientiam frangitur, etiam si cæteris virtutibus polleat, soliditatem virium se non habere demonstrat. Hinc est, quod de superba Israëlitica plebe, & impatientiæ morbo laborante, per prophetam Dominus dicit: Versa est mihi domus Israël in scoriam. Scoria planè metalli cuiuslibet si malleo tundente feritur, protinus in puluerem contrita redigitur. Mens igitur tua ne se coram Domino in scoriam vertat, amicæ redargutionis ictus æquanimiter ferat. Vt autem Epistolam sententiæ promulgatione concludam, aut ad id, quod spreuisti, te regimen redige: aut propria salute contentus, sub Priore monachus viue: quatenus aut casti Prioratus labor legitima te spiritualium filiorum educatione fœcundet, aut veræ humilitatis abjectio coram obtutibus humiliati pro te Redemptoris exaltet.

[Margin notes: Iosephus lib. 1. c 16 de bello Iud, & lib. 18 c 3. antiq. — Effectus superbiæ in humana mente. — Qui correptionem non sustinet, perfectum se non esse demonstrat. — Ezech. 22. v. 18.]

EPIST. X. Ad Gebizonem, Theobaldum, & Ioannem Abbates.

ARGVMENTVM.

Humilis magister iniungit suis discipulis, vt quæ falsò de S. Ioannis Baptistæ concepti die dixerat: siue quæ in alijs opusculis inuenerint errata, corrigant.

Sanctis Abbatibus Gebizoni, & Theobaldo, Ioanni quoque Laudensi, immo Laudabili in Christo fratri, Petrus peccator Monachus seruitutem.

[Margin note: Somnium B. Petri Dam.]

NOuerit sancta charitas vestra, dilectissimi, quoniam hesterna die, dum meridiano sopore deprimerer, videbatur mihi, quod in na-

uigio constitutus, partem libri, quem ipse dictaueram, præ manibus haberem: eisdemque paginis non minus, quàm mihi, procellę furentis impetum formidarem. Cumque nimis attonitus, imminentisque discriminis horrore constrictus, concussis pauore visceribus, minacis fluctus naufragium pertimescerem, repentinus vndarum æstus vehementer intumuit: meque librum manu tenentem cum ipsa, cui tunc ineram, rate demersit. Mox experrectus recogitare cœpi, & solerter in mente reuoluere, quid mysterij res haberet, quid denique visio ista portenderet. Hodie vero ipsum mihi sollicite meditanti, Epistola illa, in qua de octo veteris testamenti festiuitatibus, & de B. Ioannis Baptistę generatione loquebar, occurrit: Et mox tamquam marini fluctus innundatio, vorago me subiti mœroris absorbuit. Ibi me nimirum, fateor errasse comperi, & insipienter locutum, atque à sanæ intelligentiæ regula declinasse, liquido deprehendi. Dixeram enim B. Ioannem occiduo scenophegię die, qui videlicet præ cæteris est celeberrimus, fuisse conceptum. Quod si diligenti consideratione perpenditur, à veritate dissonum reperitur. Dies enim conceptionis Beati Ioannis, qui octauus est à Kalendis Octobris, post octauum diem scenophegiæ, est tertius, ac per hoc ab illa festiuitate proculdubio probatur alienus. Cum igitur festiuitas scenophegiæ decimo Kalendarum Octobris desinat, conceptio verò S. Ioannis eiusdem mensis octauo contingat, liquido constat procul iam extra scenophegiæ limitem de senili complexu conceptum beatum fuisse Ioannem. Ecce, quod incautè scribendo deliqui, Deo me misericorditer ad pœnitentiam reuocante, correxi.

Eiusdem animaduersio in Epist 16. lib. 4

Quo die S. Iannes Bapt. fuerit conceptus

Nunc itaque, dilectissimi, sanctæ prudentiæ vestræ studijs hoc obedientiæ munus iniungo: immò tamquam seruus, atque discipulus humiliter obsecro; quatenus & hanc Epistolam ad fidem qua apud nos correcta est, redigatis: & cætera quoque nostrę dictationis opuscula sollicitè perlegentes, si quid reperiatur absurdum, vel funditus amputare, vel elimatiori stylo digerere festinetis. Non enim timendum est, ne si manus corrigentis accedat, scriptoris articulus decorem genuinæ venustatis amittat: sed hoc potius adnitendum, vt dum styli currentis vrbanitati non parcitur, sobrij intellectus regula inuiolabiliter conseruetur. Cum igitur in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum, vobis tribus quos spirituali pollere prudentia non ignoro, hoc meditationis studium mea voce delego: vt si quid adhuc in illis reperitur opusculis, quod à tramite veritatis exorbitet, per vos ad normam rectitudinis redeat, & ad plenam editionem, ac legendi auctoritatem, liber ille per examinationis vestræ diligentiam conualescat.

S. Doctoris humilitas.

Deut. 19. v. 15
2. Cor. 13. v. 1.

EPIST. XI. Ad Ioannem Laudensem discipulum suum.

ARGVMENTVM.

Perniciosa quædam, & teterrima vitia, quæ ab omnibus, & præcipuè ab ijs, qui arctius vitæ institutum arripuerunt, euitanda esse, per Ægypti plagas indicari, ijs tamquam antidota, quæ in decalogo continentur, præcepta singula, singulis ex diametro apponi docet.

Dilectissimo fratri Ioanni iam non Laudensi, ideoque laudabili viro, Petrus peccator Monachus paternæ dilectionis affectum.

Pro his, quæ hic innuit S. Doctor, librū Exodi cōsule.

CONtempsisti nuper, fili, Pharaonem, & superbi Regis, ac opprimentis Ægypti simul abominatus es seruitutem, necesse est ergo nunc, vt gradiens per desertum, multa tentationum genera subeas: sitis, ac famis inopiam perferas, & sic per ęrumnosa pericula, diuersæque calamitatis angustias ad terram repromissionis attingas. Oportet ergò te ad montem Sinai cum Hebraico populo festinare, & illic diuinæ legis mandata percipere: vt his tamquàm telis, ac lorica munitus, & insurgentium hostium iacula respuas, & ingruentibus quibuslibet aduersitatum casibus non succumbas. Sed hæc lex data est populo quinquagesimo die, postquam egressi sunt ex Aegypto. Quinquagesimus autem mumerus pœnitentiæ dedicatur, sicut per multa scripturarum argumenta colligitur. Quod & Iubileus significat annus, & quinquagesimus ille Psalmus, quem Dauid pœnitendo descripsit. Et si illi in Euangelio debitores, quorum alter quingentos, alter debebat quinquaginta denarios. Ille quoque, qui debebat centum cados olei, quinquaginta scribere iussus est. Quæ videlicet omnia pœnitentiæ odoramenta salubriter spirant, si non desint nares intelligentiæ, quę mysterij fragrantiam sagaciter attrahant. Vt ergò dignus sis diuinæ legis edicta suscipere, te per pœnitentiā corrige, præteriti reatus nequitiā confitere: & sic intra pœnitentiæ numerum currens, ex confessione peccati peruenies ad montem Dei. Et hoc aptissimè congruit, quod mons ille Sinai dicitur, quod rubus interpretatur. Per rubum sanè, qui spinis vndique cingitur, peccatorum nostrorum, quæ Dominum pungunt, asperitas designatur. Vnde per Hieremiam dicitur: Spinis peccatorum suorum circumdedit me populus hic. Et in Apocalypsi legitur: Quia videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt: & plangent se super se omnes tribus terræ. Hic itaq; mons sanctam pręfigurat Ecclesiam, in qua fit & confessio, simul, & remissio peccatorum. Nam Moyses in rubo Dominum vidit, qui videlicet

Luc. 7. v. 41
Luc. 16. v. 6.
Thren. 3.
Apoc. 1. v. 7.
§. Ecclesia.

videlicet rubus Ecclesiã, in qua Dominus videtur, expressit. Vnde & idẽ Moyses cum peteret, dicens: Si inueni gratiam ante te, ostende mihi temetipsum manifestè, vt videã te. Cui responsum est, vt suprà petram staret, & inde Domini posteriora conspiceret. Petra nimirũ illa Fides est, super quã Ecclesia catholica cõstruitur; vnde Dominus videtur. Ab hoc ergo monte necessariũ est te medicamenta suscipere, quæ te valeant ab eo, quem in Ægypto contraxeras, languore sanare. Quid enim plagæ, quæ in Ægypto factę sunt, nisi vulnera? & quid lex illa cælestis, nisi eorumdem fuit vulnerum medicina? Debet enim per confessionem peccator eluuiem sui reatus euomere, & sic pœnitentię poculum de vasculo diuinæ legis haurire. Hic enim sorbetur antidotus, vt animæ languentis ægritudo sanetur. Porro autem animæ carnalibus illecebris dissolutæ, per voluptatum suarum campos, & prata discurrunt: & tanquam effrænes equi per lenocinantis petulantiæ blandimenta lasciuiunt. Cohortantur enim se vicissim, sicut liber Sapientiæ testatur, & dicunt: Venite, & fruamur bonis, quæ sunt, & vtamur creatura tãquam in iuuentute celeriter; vino pretioso, & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis; coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra, nemo nostrum sit exors luxuriæ nostræ: vbique relinquamus signa lætitiæ. Isti nimirum lasciuientes, & hinnientes equi quanto pinguioris aruinę sunt robore validi, tanto intrinsecus deterioris morbi noscuntur ægritudine dissoluti: & cum illis frænum diuinæ legis adhibetur: quid aliud quàm nexus, ac vinculum putrescentibus membris apponitur: vt quod dehiscere prorsus, ac fluere cœperat, præceptorum cælestium retinaculis astringatur? Hinc est, quod Euangelicus ille Samaritanus appropians illi, qui vulneratus à latronibus fuerat, alligauit vulnera eius, infundens oleum, & vinum. Hinc est, quod per Ezechielem pollicetur, dicens: Quod perierat, requiram: & quod abiectum fuerat, reducam: & quod confractum fuerat, alligabo: & quod infirmum fuerat, cõsolidabo. Plagę igitur factę sunt in Ægypto, quia humanę animę vulnera infliguntur in mundo. Necesse est ergo, vt vulnerati quique ad montem Sinai, hoc est, ad Ecclesiam veniant, vt eorum vulnera præceptorũ cælestium nexus astringant. Nam quot plagæ fuerant, tot præcepta sũt diuinitus promulgata: vt quot sunt vulnera cordis ægroti, totidem sint medicamenta, quę illis valeant adhiberi.

Exod. 33. v. 13. — Diuina lex medicamẽtũ plagarum. — *Sap. 2. v. 6.* — *Luc. 10. v. 34.* — *Ezech. 34. v. 16.*

Sed antequam de plagarum, ac legalium mandatorum concordi numero disputemus, dicendum est: quia sicut quinquagesimo die postquam Paschalis Agnus occisus est, Hebraicus populus legitur accepisse Decalogum: ita nihilominus à resurrectione Domini quinquagesimo similiter die Spiritus sanctus super Apostolos visus est in varietate linguarum. Illic digito Dei lex perhibetur fuisse descripta: & Spiritus sanctus, qui die Pentecostes Discipulis datus est, digitus Dei dicitur. Sicut ipse Dominus ait: Si in digito Dei eiicio dęmonia, profe-

Exod. 12. 19. & 20. — *Act. 2. v. 3.* — Diuinæ legis promulgatio, & aduentus sancti Spiritus in die Pentecostes. — *Luc. 11. v. 20.*

cto peruenit in vos regnum Dei. Audit illic populus voces, atque tonitrua, clangoremque buccinæ perstrepentem: aspicit lampadas, & fulgura, montemque fumantem. In vocibus nempè, & tonitruis, ac tubæ clangoribus vehemés clamor est prædicantium; in lampadibus autem, atque fulguribus claritas miraculorum. Quæ scilicet omnia sancti Spiritus sunt virtute completa. Quo flagrantes Apostoli in varietatibus intonuere linguarum, & radiatût splendore virtutum. Quod autem Dominus in igne, simul ac fumo descédit, mysticè docet, quia sicut fideles radio suæ cognitionis illuminat, sic infidelium oculos quasi per fumigantes tenebras erroris obscurat. Hinc est, quod Dominus in Euangelio dicit: Ego in hunc mundum veni; vt qui non vident, videant: & qui vident, cęci fiant. Et per Esaiam dicitur: Succensa est quasi ignis impietas, veprem, & spinam vorabit: & succendetur in densitate saltus, & conuoluetur superbia fumi. Sed quoniam Epistolari compendio hæc sacramenta non congruunt, quæ prolixis etiam voluminibus explicari vix possunt, redeamus ad plagas Ægypti, & mandata legis: & videamus hinc nostra vulnera, illinc medicamenta cælestia sub eodem numero contineri; vt quot sunt morbi, totidem apponantur antidoti; quatenus dum suum quique vulneri malagma salutis apponitur, rationalis anima mox ad statum incolumitatis pristinæ per omnia reformetur. Porro auté cum per lasciuiæ fluxum resoluitur anima, diuinæ legis indiget ligatura. Et cum mandatorum cælestium vinculis alligatur, ad robur optatæ salutis per obiecta vulneribus fomenta reducitur.

Ioan. 9. v. 39. *Esa. 9. v. 18.*

Decem Ægypti plagæ decem animæ vulnera significantia, per decem Dei præcepta sanã tur.

Prima plaga. *Exod. 7. v. 20.*

Age igitur, prima plaga est, cum aquę vertuntur in sanguinem. Porro autem istæ plagæ non fiunt, nisi in Ægypto, id est, in corde tenebroso, & caligine cæcitatis oppresso. Cui scilicet aquæ vertuntur in sanguinem, cum cæca mens, quantum ad se, confundit, ac violat rectæ Fidei puritatem. Sicut enim per aquam omnes de visceribus terræ segetes prodeunt, sic ex Fide spiritualia proferuntur alimenta virtutum. Tunc igitur aqua in sanguinem vertitur, cum cæcitate perfidiæ cor insipiens obscuratur. Sicut de quibusdam dicit Apostolus: Quia cum cognouissent Dominum, non sicut Dominum glorificauerunt, aut gratias egerunt; sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Cui primæ plagæ, hoc est, pestilentissimo vulneri, mox adhibetur primi medicina præcepti: Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus vnus est. Hoc est enim medicinale vinculum, quo perfidiæ vulnus debeat alligari; vt hoc audiens, vnum solummodo Deum colas, & in plures deos marcescentis perfidiæ putredinem non effundas. Et iusto Dei iudicio, iuxta litteram factum est, vt illius fluuij sanguine potarentur Ægyptij, in quo primitus pueri necabantur Hebræi.

Rom. 1. v. 21. *Deut. 6. v. 4.*

Secunda plaga. *Exod. 8. v. 6.*

Secunda verò plaga ranarum est abundantia. Rana clamosum est animal, & in limosis vociferatur ex more paludibus. Cui similes iudican-

tur hęretici, ac Philosophi, qui velut super paludes limosas, hoc est, inter turbas squalore perfidiæ sordidas, vanis aduersus Christum vociferantur obloquijs: & dum per argumenta fallaciæ non desinunt importunis garrire clamoribus, inane quidem in auribus tædium, sed nullum mentibus viuendi afferunt cibum. Cui morbo, qui videlicet in anima lethaliter sæuit, secundum præceptum tamquam poculum salutis occurrit. Secundũ autem præceptũ est: Non assumas nomen Domini Dei tui in vanũ. In vanum namq; Christi nomen assumit, qui eũ non Creatorem, sed tantummodo creaturam credit. Vanitati enim creatura subiecta est. Et ideo tales homines sunt proculdubio vani, quia veritatem Dei commutantes in mendacium, fidem adhibent vanitati.

Exod. 20. v. 7.

Rom. 8. v. 20.

Tertia verò plaga ciniphes sunt. Hoc autem animal tam minutum est, ac perexiguum, vt dum se per aërem librat, & huc, illucque vagabundis anfractibus instabiliter volat, visum cernere volentis effugiat. In corpore tamen nostro cum sederit, pungit; adeo vt cum eas nequeas videre, dum volant, compellaris sentire, cum stimulant: & dum circumuolantes, seseque importunius ingerentes, vultus nostros infestare non desinunt, volentes quiescere non permittunt. Quamobrem hæc plaga vagationis, & inquietudinis vitium manifestè designat. Quo videlicet morbo quidam laborantes inutiliter huc, illucque discurrunt: & velut malis Vertumnis obnoxij, per impatientiam non quiescunt. Sed quoniam ciniphes istæ perexiguæ sunt, & noxiæ; vt non tam pondus videantur habere, quàm morsus, qui vitio vagationis inseruiunt, quod per ciniphes designatur, leue quidem arbitrantur esse peccatum, sed non leui reatus perfodiuntur aculeo. Non aggrauat pondus, sed penetrat morsus; quia quanto vitium hoc leuius deputant, tanto maior, necesse est, vt peccati stimulus animæ languentis inferiora transfigat. Huic itaque languori tertij præcepti obuiat medicina, cum dicitur: Memento, vt diem sabbati sanctifices. Sabbatum, id est, requies. Vbi est sanctificatio sabbati, ibi proculdubio spiritus Dei. Vnde scriptum est: Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem, & quietum, & trementem sermones meos? Pensenda sunt verba, quia si Spiritus sanctus requiescit tantummodo super quietum, ergo deserit inquietum. Enimuerò sicut secundum præceptum refertur ad Filium, ita hoc tertium pertinet ad Spiritum sanctum, qui nihilominus tertia est in sancta Trinitate persona. Nam & illã tertiam plagam Spiritui sancto incantatores adscribunt, cum & ipsi ciniphes excitare non possunt. Dicentes ad Pharaonem: Digitus Dei est hoc. Ad colendum hoc sabbatum discipulum suum prouocabat Apostolus, cum dicebat: Attende lectioni, & doctrinæ. Et alibi: Orate sine intermissione. Ad huius sabbati cultum Dominus nos prouocat per Prophetam cum dicit: Vacate, & videte, quoniam ego sum Dominus. Ac si dicat: Spirituale sabbatum colite, vagationis inquietudinem deuitate: vt per Spiritus

Tertia plaga.

Exod. 8. v. 17.

Vertũnus Deus erat apud Gẽtiles.

Exod. 20. v. 8. & Deut. 5. v. 13

Esa vlt. v. 2.

Exod. 8. v. 19.

1. Tim. 4. v. 13.

1. Thess. 5. v. 17

Psal. 45. v. 11.

sancti gratiam fixos, non vos ciniphes inquietent, sed spiritualis sabbati cultura sanctificet. Notandum præterea, quoniam tria dumtaxat ista præcepta in vna descripta sunt tabula, alia verò septem continebantur in altera. Ista siquidem ad charitatem Dei, illa verò ad amorem pertinent proximi. Et iccirco non amplius, quàm duæ sunt tabulæ, quia geminæ sunt charitatis impressiones distinctæ. Tria planè præcepta in vna tabula, septem verò descripta fuisse in alia, ex hoc maximè colligitur, quod beatus Apostolus ad Ephesios ait: Filij obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim iustum est: honora patrem, & matrem, quod est mandatum primum in promissione; vt bene sit tibi, & sis longæuus super terram. Cur autem primum hoc mandatum dicitur, nisi quod in principio secundæ tabulæ positum est? Quod etiam in promissione dicitur, quia quod in alijs præceptis non inuenitur, hoc præceptum longæuitatis promissio sequitur. Præmisso nimirum hoc, quod dicitur: Honora patrem, & matrem; vt bene sit tibi, & sis longæuus super terram. Hoc ergo præceptum, quod quartum est in generali numero, mandatorum in secunda tabula ponitur primum.

Ephes. vlt v. 1
Parentū obedientia cur primum mandatum.

Quarta plaga.
Exod. 8, v. 24.

Cui contraria est quarta plaga, hoc est, cynomia, quæ dicitur musca canina. Nihil enim tam caninum est, quàm ignorare parentes: & illis, qui nos genuerunt, reuerentiam non deferre. Eos etiam tamquam muscæ circumuolantes canini mores exagitant, qui dum deferre parētibus nesciunt, per leuitatis inconstantiam à naturali grauitate recedunt; eosque tamquam caninę muscę dilacerant, dum se contra genitores suos quasi ringentes, & oblatrantes per impatientiam vexant. Vt hęc ergo plaga curetur, digna parentibus reuerentia deferatur.

Quinta plaga.
Exod. 9. v. 6.

Quinta plaga mors pecorum est. Omnes enim, qui spreto coniugali toro, alienarum se mulierum fœditatibus polluunt, & per obscœnæ libidinis passim fluxa resoluunt, quid aliud, quàm bruta dicenda sunt pecora, atque à ratione spiritualis intelligentiæ penitus aliena? Facti sunt enim, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus. Et per Hieremiam dicitur: Satiaui eos, & mœchati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur; equi amatores in fœminas emissarij facti sunt, vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat. Hæc ergo pecora, necesse est, vt funditus extincta depereant, nisi diuinæ legis medicamen accurrat. Dicitur ergo: Non mœchaberis. Hoc itaque quintum præceptum quintæ plagæ tanquam medicinalis nexus opponitur: vt dum proprio toro quisque contentus esse compellitur, nequaquam in extraneo carnis amplexus intemperantia diffręnatę libidinis extendatur.

Psal. 31. v. 9.
Hier. v. 58.
Exod. 20. v. 14

Sexta plaga.
Exod. 9. v. 10.

Sexta plaga sunt vulnera, & vesicæ turgentes, atque feruentes. In vulneribus scilicet arguitur dolosa odientium, ac purulenta malitia: in vesicis tumens & inflata superbia: in feruore æstuans ira, & inflammati furoris insania. Sunt enim animę quędam homicidales, in qui-

bus hæ pestes oriuntur, & acerrimè sæuiunt: easque nisi humanum sanguinem fundant, quiescere non permittunt. Huic itaque furenti morbo, & immaniter sæuienti, sextum præceptum tamquam medicina cęlestis occurrit, quo dicitur: Nō occides. Vt hoc quilibet audiens, exortam malæ voluntatis in semetipso perniciem reprimat, nec extrinsecus ad effundendi cruoris effectum conceptum malitiosæ conscientiæ virus erumpat. *Exod. 20. v. 13.*

Post hæc plaga grandinis ponitur: vbi scilicet grando, & ignis pariter ferebantur. Porro autem duo hęc contraria sunt, frigus in grandine, calor in igne: sic qui aliena furantur, & a fraterna charitate sunt frigidi, & ardore cupiditatis accensi. Vbi etiam fulgura, atque tonitrua mixta fuisse cum grandine perhibentur. Quid autem per fulgura, & tonitrua, nisi pauor intolerabilis designatur? Et hoc furibus familiare est, vt primo capi, deinde puniri, tremefactis visceribus, paueant: nec tamen a semel conceptæ nequitiæ perpetratione quiescant. Istæ nimirum pestes, hoc est, grando, ignis, fulgura, simul atque tonitrua eorum corda, qui clam aliena diripiunt, tamquam quædam arua deuastant: &, si qua sunt, omnia bonæ voluntatis fruges, & germina dissipant. Huic itaque pessimo vulneri septimi succurrit medicina mandati, cum dicitur: Non furaberis. Vt hoc quisque cognoscens, cordis sui segetes hac multiplici peste non perdat, sed bonorum operum frugibus animæ suæ cellarium repleat. Implens illud Apostolicum: Qui furabatur iam non furetur: sed laboret manibus suis, vt habeat, vnde tribuat necessitatem patientibus. *Septima plaga. Exod. 9. v. 25. Exod. 20. v. 15. Ephes. 4. v. 28.*

Octaua autem plaga locustæ sunt. Per hęc animalia, quæ segetum germina destruunt, & pestifero fruges ore corrodunt, qui possunt melius designari, quàm ij, qui fratribus detrahunt, & falsum illis crimen † opponunt? Nam quasi alienæ segetis germina deuorant, dum fratrum suorum non modo bona supprimunt, quæ prædicare debuerant: sed vltro etiam nota eos falsi reatus infamant. Rodunt itaque, quia non modo eorum vera bona per inuidentiam contegunt, sed eis etiam stigma fictę prauitatis inurunt. An isti tamquam locustæ non rodunt, quibus per Apostolum dicitur: Si mordetis & comeditis inuicem: videte, ne ab inuicem consumamini? Huic itaque plagę mādatum illud competenter opponitur, quo dictum est: Non falsum testimonium dices. Vt videlicet falsus quisque testis, qui non erit impunitus, ab alienæ vitæ morsu se reprimat, locustinos dentes abijciat, & virentia segetis alienæ germina non abrodat. *Octaua plaga. Exod 10. v. 13. † Imponunt. Galat. 5. v. 15. Exod. 20. v. 16*

Iam nona plaga est densitas tenebrarum. Nemo magis in interiores tenebras labitur, quàm is, qui coniugalis thalami violat fidem, & alienam inuadere quęrit vxorem. Sed has tenebras, quas vtique cor luxuriæ deditum tolerat, diuinę legis splendor illustrat, cum dicitur: Non concupisces vxorem proximi tui. Vbi notandum, quia non dicit, non tolles, siue non pollues: sed, quod plus est, non concupisces vxorem *Nona plaga. Exod. 10. v. 22. Exod. 20. v. 17*

proximi tui. Superius certè dictum est, non mœchaberis: hic dicitur, non concupisces vxorem proximi tui. Ergo de re vna duo videntur esse mandata. Illic enim mœchiæ alienum torum violantis effectus; hic etiã violare volentis prohibetur affectus. Illic spurcus, & illicitus condemnatur adulterij coitus; hic etiam adulterinæ concupiscentiæ compescitur appetitus. Et reuera ipsa concupiscentia violandi alieni matrimonij adulterium est, sicut Dominus ait: Qui viderit vxorem alterius ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Non ergo quispiam alienam concupiscat vxorem, ne palpabilium tenebrarum patiatur in corde caliginem. Quam etsi forte iam patitur, coruscantem radium mandati legalis admittat, & sic tenebras conscientiæ cæcutientis obijciat.

Matt 5. v. 28.

Postremo decima plaga est mors primogenitorum. Duos filios habet homo, nimirum cum facit opus, quod ad hanc pertinet vitam: & cum spirituale quid operatur, quod ad vitam tendit æternam. Sed spiritualis fructus, quasi primogenitus noster, in nostris operibus debet obtinere primatum. Vnde & Dominus, Primum, inquit, quærite regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis. Ac si dicat: gignite spiritualem fructum, qui vester sit vtique primogenitus: qui verò ad huius vitæ pertinet necessaria, sit in hæreditate secundus. Huic enim primogenito cum Iacob debetur benedictio: de Esau vero, eiusque similibus Scriptura dicit: Hæreditas, ad quam in principio festinatur, in nouissimo benedictione carebit. De his duobus liberis in Deuteronomio per figuram dicitur: Si habuerit homo vxores duas, vnam dilectam, & alteram odiosam, genueritque ex eis liberos, & fuerit filius odiosæ primogenitus, volueritque substãtiam inter filios suos diuidere: non poterit filium dilectę facere primogenitum, & præferre filio odiosæ, sed filium odiosæ agnoscet primogenitum, dabitque ei de his, quæ habuerit, cuncta duplicia: iste est enim principium liberorum eius, & huic debentur primogenita. De quibus omnibus verbum illud hic dumtaxat ducimus exponendum, quod vxor dilecta sit vita mollis, deliciosa, carnalis; odiosa autem vxor est vita spiritualis, vt pote rigida, districta, & omnino carnalium delectationum illecebris inimica. Huius ergo filio primogenita debentur, quia spiritualis vitæ fructus illum habere meretur in præmium, qui est, iuxta Ioannem, Primogenitus mortuorum, & Princeps Regum terræ: qui dilexit nos, & lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Sed hic primogenitus, id est, spiritualis fructus illi proculdubio moritur, qui suis non contentus, alienis rebus intendit: quod fraterni iuris est, appetit: & bona proximi succensus auaritiæ facibus, concupiscit. Sed decimum legis præceptum est: Non concupisces rem proximi tui. Hoc igitur ille mandatum diligenter audiat, ne primogenitum perdat; vt de primogenito suo gaudeat, nequaquam quod alienum est, concupiscat.

Decima plaga.
Exod. 12. v. 29
Matt. 6. v. 33. & Luc. 12. v. 31.
Gen. 27. v. 28. & deinceps.
Prov. 20. v. 21.
Deut. 21. v. 15.
Quid per vxorem dilectam, vel odiosam in sacris litteris innuatur.
Apoc. 1. v. 5.
Exod. 20. v. 17

Hæc sunt, fili charissime, diuinæ legis edicta, ab his omnia Scripturæ

sacræ prodeunt instrumenta, his omnibus sanctæ religionis innititur disciplina. Hæc certè fluentium vulnerum vincula, hæc salubris est animarum languentium medicina. His plane omnes plagas, quas in Ægypto pertulimus, immo cunctos interiorum ægritudinum morbos, quos in planitie sæcularis vitæ concepimus, apud montem Sinai, hoc est, in sublimitate sacri propositi curare debemus. In his itaque semper esto, hæc sedulus meditare: &, vt ita loquar, hęc pigmenta, vel species in pistanario mentis tuæ iugiter tere. Ex hac igitur aromatum cella non exeas; sed hic omnes animę tuæ latebras curiosius inspice: cuncta viscerum tuorum arcana scrutare: medicamenta vulneribus, prout cuique apta perspexeris, adhibe: & incolumitatem postquam semel adeptus fueris, peruigili satage solertia custodire. Nam peior est recidiua, quàm febris; &, sicut medici perhibent, diæta non minus est obseruanda, quàm cura videlicet, vt alimenta, quæ sunt contraria, caueas, & quidquid noxium, quidquid acceptis antidotis probatur aduersum, tamquam virus lethale contemnas. Hoc est plane dechacordum illud Psalterium, quod crebra plectri iubemur impulsione percutere, hoc est, sanctis operibus quasi tot cordas quot sunt mandata, crispare. His itaque bene compositis, cum Moyse montana conscende, districtioris vitæ fastigium arripe, vt cum eo simul merearis audire: Vade, & dic eis: reuertimini in tentoria vestra, tu vero sta hic, & loquar tibi omnia mandata, & cerimonias, atque iudicia. Tu quoque dans mundo repudium, cum Domino iugiter permane, & in eius conspectu promptus assiste. Neque enim dicit: sede hic, vel recumbe mecum, sed sta hic mecum. Vt intelligas, ipsum spiritale otium in laboris exercitio constitutum. Sta igitur in monte cum Domino, vt infœderabile bellum cum spiritibus nequitiæ iugiter conseras; vt illices passionum carnalium petulantias non eneruiter frangas. Sic itaque aduersus ingruentium vitiorum barbariem dimica, vt rebelles cum Iosue victor obtineas Reges; ipseq; te iubeat victricibus plantis eorum calcare ceruices, quatenus hostium manubijs opulentus, & victoriarum titulis insignitus, terram repromissionis triumphator attingas: immo cum veris Israelitis terram viuentium hæreditario semper munere possideas.

Diuinorum præceptorum emolumenta, & præconia.

Exod. 19. v. 13.

Deut. 5. v. 30.

Iosu. 10. v. 24.

EPIST. XII. Ad I. Abbatem.

ARGVMENTVM.

Tuetur se ab Abbatis cuiusdam impugnatione, qui conquestus erat, quòd monachum ex suo Monasterio egressum, contra S. Benedicti regulam recepisset. Ostendit igitur a S. Benedicto non prohiberi monachum ex Monasterio ad eremum transire, sed potius ex vno cœnobio egressum in alio recipi:

immo eremiticam vitam tamquam perfectiorem ab eodem plurimum commendari, & monachis (si qui tamen capaces sunt) consuli probat.

Domno I. venerabili Abbati, Petrus peccator Monachus sincerissimæ charitatis affectum.

SAnctitatis vestræ litteras, colende Pater, digna deuotione suscepimus, quibus etiam prout causa dictauerit, breuiter respondemus. Succensetis enim ac nos conquerentes arguitis; quia non debuimus vestros monachos in eremo contra B. P. nostri Benedicti præcepta suscipere: dum ille decernat, de noto monasterio venientibus apud extraneos habitationis aditum non patere, cuius sugillationis obstaculum, pace vestra, nos facile propulsabimus, quia nimirum Sanctus ille vir monasteria quidem doctrinæ suæ mandatis instituit: super eremitas vero nullum sibi magisterium arrogauit. Enumeratis si quidem quatuor generibus monachorum, præsto subiunxit: His ergo omissis, ad cœnobitarum fortissimum genus disponendum, adiuuante Domino, veniamus. Qui ergo ad solum cœnobitarum genus se contulit disponendum, patenter innotuit, quod eremitarum sibi non applicuit institutum. Sed ipsa Beati viri hîc verba ponamus, & vtrum cœnobitis, an eremitis scripserit, perspicuè discernamus: Caueat, inquit Abbas, ne aliquando de noto monasterio monachum ad habitandum suscipiat sine consensu Abbatis sui. Qui ergo Abbatem monasterij, non Priorem alloquitur eremi, euidenter tunc ostẽdit, quia quidquid scripsit, non eremitis, sed cœnobitis potius, vt sequerentur, iniunxit. Porro autem, quia iam manifestè docuimus, quòd S. Benedictus alienum in eremo suscipi non prohibuit; ostendamus nunc qualiter, vt hoc fieret, hoc est, vt monachus de monasterio festinaret ad eremum, etiam prouocauit. Hæc itaque nostra non sunt, sed eiusdem Patris nostri verba: Secundum, inquit, genus est anachoritarum, idest, eremitarum. Horum, qui non conuersionis feruore nouitio, sed monasterij probationẽ diuturna didicerunt contra diabolum, multorum solatio iam docti, pugnare: & bene instructi fraterna ex acie, ad singularem pugnam eremi, securi iam sine consolatione alterius, sola manu, vel brachio, contra vitia carnis, vel cogitationum, Deo auxiliante, sufficiunt pugnare. Ex quibus vtique manifestè colligitur, quia Doctor almificus de monasterio fratrem quemlibet ad eremum conscendere non modo prohibuit, verum insuper monuit, & docuit: insuper etiam quibusdam persuasionibus incitauit. Auctoritatem quippe dat, vt diuturna prius probatione frater in monasterio discat, qualiter in eremo contra callidi tentatoris argumenta confligat. Hic enim pugnare multorum solatio fretus inchoat, vt illic postmodum sola manu, vel brachio infatigabiliter se, & indesinenter exercens, carnis ingruentibus vitijs, vel

S. Ben. Reg. c. 61.

S. Benedictus cœnobitas tãtum instituit.

S. Ben. Reg. c. 1.

Ibid. c. 61.

S. Ben. Reg. c. 1.

S. Benedictus eremitas laudat.

Qua ratione cœnobita ad eremiticam vitam se debeat comparare.

cogitationibus non succumbat. Hic tyro, illic miles. Hic rudis, & tener, qui sub campi doctore certaminibus assuescit; illic roboratus iam comminus dimicat, & singulare certamen Christi monachus non recusat. Hic velut per simulatæ pugnæ proludium; illic docta manus ad prælia confert arma, nec perhorrescit constipatos impetus bellatorum. Illic homo de sæculo veniens, velut vrbem paruulam Segor de Sodomis egressus, ingreditur; cum vero ad eremum transit, iam cum eodem Loth montana conscendit. Ad perfectionis igitur summam tendenti, & monasterium transitus dicitur esse, non mansio; non habitatio, sed hospitium; nō finis intensionis, sed quædam quies itineris. Ad hoc plane quisque signatur idoneus, vt eum ad ecclesiasticum ordinem sacerdotalis electio proueihat: ad hoc grammaticorum scholas ingreditur, vt cum fuerit in arte perfectus discedat: ad hoc scita legum quispiam studet adipiscere vt causarū forensium lites luculenter valeat in tribunalibus iudicum perorare. Sicut ergo isti non in hoc, quod faciunt animi intentionem figunt, sed in alium proculdubio finem tendunt: sic nimirum, sic monachus, quem tamen ętas, vel ęgritudo non aggrauat, & in monasterio corporaliter degere, & ad eremum toto desiderio debet medullitus anhelare: quatenus illic per intentionem mentis velut nobilis arbor radicitus hæreat, hic se ad tempus sub obedientiæ regularis exerceat disciplina; vt videlicet monasterij conuersatio non aliud, quàm eremi sit pręparatio, & altiori proposito totus militet, ad quod se prius in monasterio constitutus exercet. Sic Iacob, quod per duas annorum septimanas Laban opilionis more seruiuit, ad hoc dumtaxat, vt solam Rachelis copulam mereretur, intendit. Et iam quidem Liam coniugali iure susceperat: sed per amoris intimi desiderium in venustæ Rachelis amplexibus quiescebat. In illis itaque sanctæ Regulæ verbis, quæ supra posuimus, perspicuè declaratur quia S. Benedictus, dum in monasterio hominem ponit, ad eremum dirigit. Hic quidem collocat, sed illuc cohortator inuitat. Hic spiritale certamen incipere, illic edocet consummare. Hic admonet tyronatus arma corripere, vt illic nouerit phalangas hostium, vitiorumque barbariem non eneruiter obtruncare. Sed forte dicatur, quia nos Sancti viri verba ad nostræ voluntatis arbitrium violenter inflectimus: & potius argumentis innitimur, quàm in hac interpretatione verborum nobis suffragetur veritas. Inquiramus adhuc Beatissimum virum, vt quod super huius disceptationis articulo sentiat, enucleatius elucescat: & illa quidem eius, quæ supra posuimus, in ipso sanctæ Regulæ reperiuntur exordio; videamus nunc, quo eamdem Regulam fine cōcludat: Regulam autem hanc descripsimus, vt hanc obseruantes in monasterijs aliquatenus, vel honestatem morum, aut initium conuersationis nos demonstremus habere. Cæterum, qui ad perfectionem conuersationis festinant, sunt doctrinæ sanctorum Patrum, quarum obseruatio perducit hominem ad celsitudinem perfectionis. Vides igitur, quia Doctor insignis in monasterio quidem constituit bonæ conuersationis initium, sed post ad

Gen. 19. v. 23.

Gen. 29. v. 28.

S. Benedictus ad eremum dirigit cœnobitas.

S Ben. Reg. c vlt.

Perfectior est vita eremitarum, quàm cœnobitarum.

ſublimioris vitæ in ſancta religione prouocat inſtitutum; vt illic honeſte viuere, moreſque componere, velut in conualle primæ conuerſationis incipiat: deinde iam ſpiritalibus exercitijs roboratus, tamquam a lacte ad ſolidum cibum tranſiens, verticem perfectionis aſcendat. Ad hoc animal in materno ventre concipitur, vt egrediatur. Et certe, neceſſe eſt, vt mater abortiat, niſi fœtus ad ſui plenitudinem conualeſcat. Nos autem volumus, vt ſemper vterus tumeat; & quod ſemel conceptum eſt, non erumpat. Siniſtræ indolis puer eſt, cui iam grandiuſculo nec ex gingiuis dentes prodeunt, nec ad gradiendum genua conualeſcunt. Porro autem, cum ipſa cœnobitarum Regula perfectionem ſe non habere perhibeat, ſed volentem perfici ad eremi inſtituta patenter tranſmittat; cur nos ad perfectionis arcem & ipſi conſcendere floccipendimus: & quidem, ne ad meliora proficiant, ſemper alijs inuidemus? Reſpiciens Ieſum ambulantem Ioannes, clamat: Ecce Agnus Dei. Ad hæc protinus Euangeliſta ſubiungit: Et audierunt duo diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt Ieſum. Quid, rogo, querelæ potuiſſet habere Ioannes, dum ipſe ſibi Ieſum manifeſtè præferret, & illi ſequerentur vtique potiorem? Si ergo ipſa, quæ præeſt, Regula ad ſe confluentes ad eremum deſtinat, qua temeritate, qua fronte is, qui ſub Regula eſt conſtitutus, obſiſtat? Iam luce clarius patet, quia qui quærentibus eremum vetat, ipſam proculdubio Regulam rebellis oblocutor impugnat: Et dum regulæ verbis adimit auctoritatem, ipſum ſanctæ Regulæ condemnat auctorem. Vera mater filium tradit, vt viuat; falſa petit, vt publicus eum enſis diuidat. Octogenarius Berzellai vt † Channaa filij vtilitatibus conſulat, eius ſubſtentaculo ſenectutis incuruæ grauedinem fulcire non curat, dummodo ille Regi Dauid familiariter hæreat, ipſe deſtitui prolis auxilio non recuſat. Hilarionem dimittat Antonius, vt ſolus ad altiora conſcendat. Nos autem diligimus monachos, ſicut aſinos, vel certe ſicut ceruos. Amant enim homines hęc animalia, non illis, ſed ſibi: vt ea videlicet, aut in ſuam transferant carnem, vel vt eorum fruantur auxilijs ad laborem. Amant hæc homines, vt ipſi bene ſint; illa vero, aut non ſint, aut male ſint. Nos etiam, vt potiamur dumtaxat obedientia monachorum, ſalutis eorum omnino paruipendimus incrementum. Hoc prǽterea nouimus, quia B. Benedictus eremi cultor extitit, & hoc certe non optauit eſſe, quod fuit: ſed quoniam, ſicut ipſe teſtatur, vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius ſic, alius quidem ſic; nec omnes capiunt verbum hoc: diſpenſatiuè conſtituit prius monaſterialis vitæ planitiem, vt illic diſciplinæ flagellis atteriti, & exercitijs roborati, iam facilius eremi conſcendamus ad arcem. Hoc itaque Benedictus, quod & beatus fecerat Paulus. Agamus ſiquidem erat Apoſtolus, homines tamen ad coniugium prouocabat: Vnuſquiſque, inquiens, vxorem accipiat, & vna quęque virum ſuum habeat. Vir vxori debitum reddat, & vxor viro. Paulo poſt tamen dicit: Volo omnes homines eſſe ſicut me ipſum. Aliud vero volebat Apoſtolus, &

Marginalia: Cœnobitarũ Regula non habet perfectionem. — *Ioan. 1. v. 37* — *3. Reg. 3. v. 26* — *2. Reg. 19. v. 37* — † Chamaan. — S. Benedictus fuit eremita. — In Reg. c. 40. — *1. Cor. 7. v. 7* — *Ibid. v. 2*

aliud præcipiebat. Volebat nos, sicut ipse erat, cælibes esse, propter excellens videlicet vernantis pudicitiæ meritum, sed volebat inire coniugium, quia fragilitatis nostræ periculum timebat. Volendo me esse sicut se, prouocat, vt ascendam: offerendo copulam nuptialem, retinet substentando, ne corruam. Ad illud glicit vltroneus, hoc concedit inuitus. Mauult enim me esse, quod est: quàm esse, quod non est. Elegit tamen me vtrumque sibi manere vicinum, quam procul abesse prorsus extraneum. Sicut ergo B. Paulus magis optat agamiam, quam monogamiam, vel digamiam; ne tamen quique fragiles labantur in pellices, cōcedit vxores: ita nimirum B. Benedictus, quamquam propensius velit nos esse quod erat, hoc est, eremi sectatores: tolerabilius tamē ducit nos infirmos, ac debiles in monasterij portu vel ignobiliter viuere, quàm in tempestuosa naufragi mundi voragine deperire. Fratres itaque in monasterio immobiliter permanentes tolerandi sunt: ad eremum vero feruido spiritu transmigrantes plausibus, ac præconijs efferendi. Illi siquidē sub diuinæ protectionis clypeo delitescunt: isti vero in campū certaminis prodeūtes victoriæ titulis decorātur. Illi defendūt sua: isti referūt spolia. Illi Deo protegēte, sunt insuperabiles: isti quotidie satagūt hostiū suorū calcare ceruices. Illi cōtra mœnia constituti obsidentes, ne ingrediātur obsistunt: isti minaces hostiū cuneos procul de suis finibus terga cedentes expellunt. Et quid plura dicam? Illi scilicet a sæculo sunt remoti: isti Deo iam confabulantur intima illi charitate coniuncti. Illi altare æreum custodiunt: isti iam ingrediuntur Sancta Sanctorum. Vt autem in calce huius Epistolæ iam subnectamus epilogum, quia de noto monasterio suscepisse monachos accusamur, luce clarius constat: quia S. Benedictum in hoc nihil prorsus offendimus. Sicut enim nobis, in eremo videlicet constitutis, nihil, vt exequeremur, iniunxit: ita, vt caueremus, nihil omnino prohibuit. Sicut autem superius satis superque docuimus vt ex monasterio frater ad eremum transeat, Doctor insignis non modo non abnuit, verum etiam suggerit, prouocat, & impellit: atque, vt euidenter ostenderet, hoc apud se quantam desiderij vim haberet, hoc Regulæ suæ principium indidit, hoc descriptum fine concludit, ab hac scilicet sanctus ille liber incipitur, in hac per auxesim materia terminatur: vt ipsum quodammodo per omnem sui textum pręcipere videatur. Porro autem cum incipientium ista sit Regula, quatenus, vt auditor reddatur intentus, commendent, quæ scribenda sunt: iste non solum in ipso Regulæ incipientis exordio, sed & in fine quoque totum opus suum leuigando, & annullando depretiat, vt cęnobitarum ordinem eremiticę vitę supparem statuat. Vt ergo fratres ad eremum de monasteriali vita conscendant, & nos hortari, & nos debemus cum charitate suscipere, vt non velut hostes a Beato viro schismatica, quod absit, auersione discedere: sed, vt reuera discipuli, videamur & illi inuicem vnanimiter consentire.

Ibid v. 7.

Cœnobiticæ, & eremiticæ vitæ comparatio ex S. Benedicti sententia.

EPIST. XIII. *Ad M. Abbatem Constantinopolitani Cœnobij S. Mariæ.*

ARGVMENTVM.

Monachos Latinos, qui in monasterio S. Mariæ Constantinopoli versabantur, hac Epistola magnopere commendat, quod in illis regionibus rectum Fidei, & vitæ tramitem tenerent. De quæstione vero, de qua ab illis interrogatus fuerat, ait se illarum nuncio, qui has litteras laturus esset, abundè satisfecisse.

Domno M. venerabili Abbati monasterij sanctæ Mariæ in Constantinopoli, & reliquis fratribus, Petrus peccator Monachus in Domino salutem.

GAudemus, dilectissimi fratres, quia dum inter exteras gentes, & in peregrinæ linguæ regione consistitis, a catholica tamen Fide, & pijs operibus, sicut fama vulgante comperimus, non exulatis. Ciues itaque Sanctorum, & domestiei Dei a domo propria non receditis, dum intra sanctæ Ecclesiæ gremium constituti, per rectæ conuersationis lineam peregrè festinatis. In quacumque nimirum regione terrarum æqualiter patet aula cælorum. Et vbi rectæ Fidei, & sanctę conuersationis idem est meritum, nil præiudicat diuersitas aliqua, varietasque linguarum. Vbicumque scilicet Dei seruus inhabitet, oportet eum sæculares a se, atque carnales actus abscindere, & mortificatum ab hoc sæculo per rectum sancti operis tramitem indefessis semper gradibus ambulare. Hinc est, quod Adonibezech Regi mannum summitas, pedumque *Iudic. 1. v. 16.* præciditur; vt per hoc abscindendos a nobis sęcularis vitę gressus, & actus liquido designetur. Adonibezech quippe interpretatur Dominus fulminis: per quem videlicet quid aliud, quàm diabolus intelligitur? Ille quippe Dominus fulminis, idem auctor impetus est, & furoris; sicut e contrario, Dominus noster per Prophetam dicitur Pater futuri sęculi, Princeps pacis. Hic itaque Adonibezech, sicut Scriptura testatur, ait: Septuaginta Reges amputatis summitatibus manuum, & pedum, colligebant reliquias ciborum sub mensa mea, sicut feci alijs, ita reddidit mihi Dominus. Quid itaque per septuaginta Reges, nisi septuaginta linguarum intelligimus nationes? quibus nimirum malignus spiritus manuum, pedumque summitates absciderat, quoniam omnis Gens nec bona qualibet operari, nec

Adonibezech etymon, & allegoria.

Esa. 9. v. 6.
Iudic. 1. v. 7.

per iustitiæ tramitem incedere permittebat. Sed huic Adonibezech humani videlicet generis inimico, manuum, simul ac pedum summitates Redemptor noster abscidit, cum eius ab electis suis nefarios actus, gressusque compescuit. Vos ergo, dilectissimi, nolite permittere vobis hunc præsidere tyrannum, quem mucrone diuinæ sententię non ambigitis detruncatum. Vim itaque superni desiderij mente concipite, ad cælestis regni gloriam succensis visceribus æstuate, carnalis illecebræ solerter incentiua reprimite, ad Deum semper per singularis vitæ semitam, & sanctorum Patrum vestigia properate: quatenus dum iustitiæ tenere contenditis tramitem, ad ipsum iustitiæ, & totius sanctitatis perueniatis auctorem. Omnipotens Deus, dilectissimi fratres, de manibus vos antiqui hostis eripiat, de peregrinis ciues efficiat: & supernæ Hierusalem mœnibus, vbi non linguarum, non volũtatum est vlla diuersitas, introducat. De quæstione autem, super qua nos consulere decreuistis, fratrem hunc Petrum, vestrum scilicet nuncium, solerter inquirite: & quidquid vobis viua voce protulerit, obseruate.

EPIST. XIV. Ad Mainardum Abbatem.

ARGVMENTVM.

Mainardo Abbati, qui pretiosioribus vestibus indui consueuerat, ostendit, quam sit Ecclesiasticis viris, & præsertim Monachis indecorum, vestimentorum speciositatem appetere. Multa quoque ex sacris litteris deprompta exempla adducit, ex quibus manifestè probat Deo huiusmodi vestium pompam inuisam esse: cum omnes Sancti tam veteris, quàm noui testamenti, & ipse etiam Christus, viliore vestitu vti non erubuerint.

Domno Mainardo fratri charissimo, Petrus peccator Monachus salutem in Domino.

TEntatis, & competenter adhibitis omnibus medicinæ generibus si languidus obeat, non est vnde medicum conscientia reprehendat. Fecit enim omne, quod potuit, qui cuncta quæ decet Archigenem, curationum argumenta persoluit. Dum is ergo, qui febrierat, moritur; qui curandi munus impleuerat, crimine non tenetur. Nam quod suum erat, industriam artis exhibuit, atque ideo calumniæ non patebit. Diu iàm, frater, est, ex quo tibi pretiosarum vestium æstus incanduit: &, vt ita loquar, ambitionis tuæ viscera tamquam lethiferę febris ardor excoxit. Ego autem tibi velut medicus, licet imperitus, & oleum lenis, atque

Archigenes medicus antiquiss.

Luc. 10. v. 34.

suauis admonitionis adhibui, & austeræ correptionis vinũ frequenter infudi. Nec Scripturarũ tibi defuere pigmenta, quarũ sententias dũ exponere studui, velut aromaticas tibi species † pindere non cessaui. Et
† Pandere. f. quoniam ego cum cæteris fratribus, vilibus coram te fuimus contenti semper exuuijs, dũ feci prius ipse, quod monui, quasi prius antidotũ bibi: sicque te ad bibendum, quod propinaueram, prouocaui. Sed & cauterium postremo adustionis impressi, dum nitori vestium ignes tartareos minitans, intentaui. An non adustionis ferrum diuitibus imprimebat Iacobus, cum & hic vestes tineis, & illis carnes incendiis obnoxias
Iac. v. v. 1. perhibebat, dicens: Agite nunc diuites, & plorate, vlulantes in miserijs vestris, quæ aduenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt; aurum & argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & ardebit carnes vestras sicut ignis. Metallum quippè, quod nunc per auaritiam possidetur, tunc in laminas vertitur: & caro, quæ nunc fucatis vestibus adornatur, flãma postmodum stridente perfrigitur. An non medecinale ferramen-
Luc. 16. v. 24. tũ ambitioni vestiũ etiã Saluator apposuit, cũ diuitem bysso, ac purpura decoratũ, flãmis infernalibus ardere perhibuit? Scriptura quippe teste, nil aliud in hoc diuite reprehẽditur, nisi quia sub nitore vestiũ etiã sine misericordia legitur splendidè conuiuatus. Quãquam & in ipso indumẽti cultioris ornatu, sine dubio vanæ gloriæ deprehenditur appetitus. Nemo quippè illic anhelat pretiosis vestibus indui, vbi alienus eum aspectus nequeat intueri. Sed ad hoc quisque cultioribus indumẽtis enitescere cõcupiscit, vt se mirantium nitidulus oblectet aspectum, vt alienorum pascat illecebras oculorũ; sed dum mulcet oculos intrinsecus intuentium, interni Iudicis offendit obtutum.

Solent planè potentes sæculi faleratis obsequentium induuijs delectari, præsertim si metatores hospitij sint mirabiles, si preambuli quique
Luc. 1 v. 17. diuersi cultus specie videantur insignes. Sed videamus metatorem Christi Ioannem, attendamus Regis egregium Præcursorem: qui nimirum præiuit eum in spiritu, & virtute Eliæ, vt conuerteret corda Patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum. Perpendamus itaque, Imperator cæli, & terræ, quibus præuij metatoris sui vestibus
Matt. 3. v. 11. delectetur; sed, Euangelio testante, cognoscimus, quia vestimen-
Marc. 1. v 6. tum eius pilis inhorruerat Camelorum. De quo Saluator, Quid, inquit,
Luc. 7. v. 25. existis in desertum videre? hominem mollibus vestitum? Ecce, qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt. Ac si manifestè perhibeat, quia non cælestis, sed terreni Regis digni decernuntur obsequiis, qui ad vanæ gloriæ nitorem accuratis ornari gestiunt indumẽtis. Mollibus quippè vestibus regalis aula; asperis, & incultis delectatur Ecclesia.
Psal. 44. v. 14. Omnis enim gloria eius filiæ Regum ab intus. Ecclesia siquidem, vel
Quibus vestibus S. Ecclesia delectetur. quæque fidelis anima, quæ & ipsa sanctorum Apostolorũ est filia, non extrinsecus enitescere, sed ornata gaudet in occulti Iudicis obtutibus apparere. Nec oblectatur fucata pulchritudine vestium, sed rutilan-

tium gloriatur varietate virtutum. De qua etiam varietate Scriptura prosequitur: In fimbriis aureis circumamicta varietate. Vis audire varietatem vestium, quæ cælestis sponsi delectat aspectus? Anima certe niueæ castitatis candore conspicua, ante Dei omnipotentis oculos spirituali bysso, siue collobio videtur induta: hæc etiam dum flamma feruidæ charitatis ignitur, dirotini, siue bistincti cocci rubore perfunditur; cum vero vel ab hoc sæculo funditus mortificari, vel consummari per martyrium auidè concupiscit, tunc velut conchilij sanguine tingitur, sicque regalis purpuræ speciem imitatur. Sed nec diu pistici quoque viror abesse credendus est, quia dum mens amœna semper virentis pascuæ gaudia firmiter sperat, velut in smaragdinei decoris specie immarcessibiliter vernat. Vnde & per Petrum dicitur: Quia regenerauit nos Deus in spem viuam per resurrectionem Iesu Christi in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem conseruatam in cælis. His planè vestibus animam Dominus se induisse testatur, cum per Ezechielem loquitur, dicens: Vestiui te discoloribus, & calciaui te hyacintho, & cinxi te bysso, & indui te subtilibus, & ornaui te ornamento. Hunc denique cultum, hunc indumenti spiritualis ornatum idem Petrus etiam à mulieribus exigit, cum eis lenocinantis, ac lupanariæ compositionis faleras interdicit: Quarum sit, inquiens, non extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, vel argenti; aut indumenti, vestimentorumque cultus: sed qui absconditus est cordis homo in incorruptibilitate quieti, & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Inuisibilem quippè sponsum inuisibilis oblectat ornatus, & cum sanctam animam conspicit enitere virtutibus, in eius illico volat amplexus; cui dicit: Pulchra es amica mea, suauis, & decora, sicut Hierusalem. Sicut Hierusalem ait, non sicut Babylon, quam vidit Ioannes circumdatam purpura, & cocco, & inauratam auro, & lapide pretioso, & margaritis: habentem poculum in manu sua plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius. Babylonem sanè diabolus, Hierusalem inhabitat Christus. Ille luxuriantis amictus vanitate reficitur; hic asperis, & humilibus, si cordis non desit humilitas, delectatur. Auctorem porro superbiæ sæpe nitor vestium prouocat, asperitas autem Christum, vt humiliato cuilibet misereatur, inuitat. Nam, sicut sacra Regum testatur historia, Rex Israël, & Iosaphat Rex Iuda, sedebat vnusquisque in solio suo, vestiti cultu regio in area, iuxta portam Samariæ, & vniuersi Prophetæ in eorum conspectu mendacia prophetabant. Auctor quippè mendacij fucati cultus delectabatur illecebris, & adumbrati decoris aspectu per ora prophetantium officinas fabricauerat falsitatis. At contrà, cum idem Achab comminantis Eliæ dura, prout dignus erat, verba perciperet, ac impendentem suis ceruicibus diuini furoris gladium territus formidaret, Scriptura teste, Scidit vestem suam, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitq; & dormiuit in sacco, & ambulabat demisso capi-

Ibid. v. 15.

1 Pet. 1. v. 4.

Quas vestes in sponsis suis Deus requirat.

Ezech. 16. v. 10.

1. Pet. 3. v. 3.

Cant. 6. v. 3.

Apoc. 17. v. 4.

3. Reg. 22. v. 10

3. Reg. 21 v. 27

te. Factusque est sermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens: Nonne vidisti Achab humiliatum coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius. Ecce, Achab imperiali purpura decoratur, & reprobo spiritu fallente, decipitur; cilicium induit, & gladium diuini furoris auertit; regalibus infulis redimitus, laqueo deceptionis impingitur; sacco contectus, dilatæ vltionis indulgentiam promeretur. Eat ergò Monachus vanæ gloriæ deditus, & toga radiante conspicuus, nitore vestium aspectantium pascat illecebras oculorum; sed dum vestibus fulget, iniquorum spirituum deceptionibus patet: diuinæ præterea indignationis aduersum se sententiam prouocat, dum solis exterioribus deditus, oculos hominum, vt se admirentur, inuitat: tantoque despicabilius, Deo superbiam reprobante, contemnitur, quãto coram oculis intuentium cultioribus induuijs amicitur. At contrà, Iob, qui nudus in terram corruit, qui profluentem saniem testa radit, dum in sterquilinio putrefactus, ac scaturiens vermibus etiam ab vxore despicitur, diuinæ consolationis alloquium promeretur. Nec enim Deus corporalis contagij nauseat sordes, vbi mundi cordis inuenit puritatem. Præterea, quid est, quod Apostolus ait: Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus? Cur enim cum dicit, habentes alimenta, non protinus addidit & vestes? sed tantummodo cum præmittit habentes alimenta, præstò subiungit, & quibus tegamur. Cur hoc nisi vt perspicuè doceat, nos debere tam despicabilibus operimētis indui, quæ digna non sint vestium vocabulo nuncupari? Enimuerò Dauid Rex nudus, ac solo contentus Ephod, coram arca Domini publicè subsiliens saltat. Esaias Euangelicus propheta triennio nudus, & discalceatus coram viris, & mulieribus ambulat; & Monachus, qui vitæ carnalis professus est sepulturam, nitidulæ vestis adhuc pompas anhelat? Quamquam idem Esaias & antequàm nudus incederet, nõ molli quolibet mulcebatur amictu, sed cilicio tegebatur. Nisi enim cilicio contectus incederet, nequaquam sibi vox diuina iussisset: Solue saccum de lumbis tuis. Esau planè vestes valdè bonas, vt Scriptura perhibet, vænaturus domi retinuit; sed his alter nudatus, primatum paternæ benedictionis accepit. Iacob namque, qui quasi sub Euangelica doctrina prius non duas tunicas habuit, simplex etiam vestimentum, simul & alimentum postmodum in oratione quęsiuit: Si fuerit, inquit, Deus mecũ, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum; erit mihi Dominus in Deum. Igitur, qui duplices honoris gratia vestes habebat, obruitur; qui simplici cõtentus erat, eleemosynis diuinę glorię sublimatur. Herodes quoque, sicut in Actibus Apostolorum legitur, dum indutus veste regia, conspicuus cernitur: dum ei concionanti ad populum, Dei voces habere, non hominis acclamatur, protinus Angelo feriente percutitur, & quia vanæ gloriæ deditus, delatam sibimet in Deum transferre gloriam noluit, repentino superueniente iudicio, consumptus à vermibus,

Indui vestibus splẽdidis animæ perniciosũ, & Deo odibile.

Iob.1.2.38. & deinceps.

1.Tim.6.v.8.

2.Reg.6.v.14.

Esa.20.v.3.

Ibid.v.2.

Gen.27.v.15.

Matt.10.v.10

Gen.28.v.20.

Act.12.v.23.

bus, expirauit. Sic nimirum, sic diuino dignus est iudicio deijci, qui coram oculis hominum de nitore cultioris habitus ambit arroganter extolli. Nam & ipse Conditor Angelorum dum in præsepio vagiens reclinatur, non ostro, vel togis rutilantibus obsitus, sed vilibus legitur panniculis obuolutus. Erubescat ergò terrena superbia, confundatur, & obstupescat arrogantia redempti hominis; vbi mox erumpentibus radijs, exorti coruscat humilitas Redemptoris. Nam & sub ipso salutifero passionis articulo, Herodes eum alba veste induit, eumque mox ad Pilatum sub hac irrisione remisit. Et cum Apostolus dicat: Exeamus ad eum extra castra improperium eius portantes. Improperium Christi portare nolle conuincitur, qui discolis indui vestibus arrogantia tumidus dedignatur. A se denique mortui pro nobis Saluatoris abijcit improperium, quisquis in mortificationis ordine constitutus, album, vel ignobile quodlibet despicit indumentum. *Luc. 2. v. 12.* *Luc. 23. v. 11.* *Hebr. 13. v. 13.*

Tu itaque dilectissime, iam iam velut purulentam morbi lethalis illuuiem euome, & pretiosarum vestium appetitum ab stomacho languidæ mentis expelle. Non leuis quippè languor est animæ, de superstitioso corporalis amictus nitore gaudere. Gratiā siquidem sancti Spiritus, in qua delectetur, exclusit, qui se per exterioris ornatus desiderium spargit, cuius vtique si sentiret in mente dulcedinem, nequaquam corporei cultus superuacuam concupisceret vanitatem, quod euitandum vir Sapiens admonet, dicens: In vestitu ne glorieris vnquam, & in die honoris tui ne extollaris. Illius ergo vestis concupisce nitorem, qua coram oculis Dei perpetuo polleas: non qua fallacis, ac friuolæ huius vitæ momenta transcurras. Nunc itaque sordidis vtere, quorum squalorem indeficuo valeas candore mutare. De quo videlicet vtriusque generis indumento per Zachariam dicitur: Iesus, inquit, erat indutus vestibus sordidis, & stabat ante faciem Angeli. Qui respondit, & ait ad eos, qui stabant corā se, dicens: Auferte vestimenta sordida ab eo; & dixit ad eum: Ecce, abstuli à te iniquitatem tuam, & indui te mutatorijs; & dixit: Ponite cidarim mundam super caput eius. Quid enim per Iesum, sacerdotem videlicet magnum, nisi mediator Dei, & hominum debet intelligi? Planè sicut per Zorobabel filium Salathiel, qui de Regali Iudę stirpe processerat, & Iesum filium Iosedech, qui ius sacerdotalis administrabat officij, Israëliticus populus post septuaginta annos iugum Babylonicę captiuitatis euasit, templumque Hierusalem, quod dirutum fuerat, rediuiua nouitate construxit, ita numerus electorum, post huius vitæ tempora, quæ septenaria dierum repetitione decurrunt, per Iesum Christum, qui verus Rex est, & Sacerdos, de seruitute huius mortalitatis eripitur: & in cælesti Hierusalem templum Dei, quod est sancta Ecclesia, renouatur. De qua nimirum seruitute dicit Apostolus: Nam & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Tunc itaque Iesu in corpore suo quod est Ecclesia, sordida vestimenta depo- *Eccl. 11. v. 4.* *Zach. 3. v. 3.* *Rom. 8. v. 21.*

nit, tunc honoris, ac gloriæ tegimen assumit: quia omnis electorum chorus à lugubri squalore temporalis tristitiç liberatur, & immortalitatis stola in illo splendore sempiternæ fælicitatis induitur. Quod etiam
Psal. 29. v. 12. in Psalmo dedicandæ domus apertissimè canit Ecclesia: Conuertisti, inquit, planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, & præcinxisti me lætitia: vt cantem tibi gloria mea, & non pungar. Cidaris etiam munda in eius capite ponitur, quia fælicitatis æternæ gloria coronatur. Huius itaque beatæ vestis intuitu, dilectissime frater, lenocinantia quæque corruptibilis indumenti blandimenta contemne: ludicras, ac fluitantes nitentis habitus lacinias despice: contentus extre-
Rom. 11. v. 20. mis, ac vilibus, sub sanctæ regulæ te lege constringe. Noli altum sapere, sed time: vltimum in spiritualibus nuptijs accubitum pete, humilitatis iniuriam perhorresce: si quando negligenter obrepserit, per pœnitentiam corrige. Memento itaque, quod per Salomonem dicitur: Si ascen-
Eccl. 10. v. 4. derit super te spiritus potestatem habentis, locum tuum ne dimiseris. Ac si apertè dicat: si tentatoris spiritum contra te in aliquo præualere
Luc. 13. v. 11. consideras, humilitatem pœnitentiæ non relinquas. Gloriosius igitur deputa veste alba cum Christo humiliter contegi: quàm cum super-
Luc. 16. v. 24 bo, & purpurato diuite, flammis vltricibus irrecuperabiliter sepeliri.

EPIST. XV. Ad P. Abbatem Cœnobij Classensis S. Apollinaris.

ARGVMENTVM.

Classensem Abbatem, qui monachum à Monasterio transfugam detinebat; multis excommunicationum vinculis obstrictum, obtestatur, vt illum apud se permanere non patiatur: quod si ad suum Monasterium reuerti velit, mitem se, & clementem erga illum futurum pollicetur.

Domno P. venerabili Abbati, Petrus peccator Monachus salutem in Domino.

MIROR sanctam prudentiam tuam, venerabilis frater, quia cum tota terra repleta sit monachis; tu meum aduersum me monachum foues, toties me apud te expostulante, requisitum: tot Apostolicæ Sedis, Romanorumque Pontificum excommunicationum iaculis sauciatum. Enim verò primus humani generis parens, cum sibi comedere de cunctis, præter vnam paradisi, liceret arboribus: cæterarum quidem arborum poma contempsit, illam verò solam, quæ

Gen. 2. v. 16. & 3. v. 1.

ſibi prohibita fuerat, ex qua veſceretur, elegit: Ita tu, cum eos forte, quos licet ſuſcipere, non admittas: illum, qui tibi tam terribiliter prohibetur, adſciſcere non formidas: atque, vt tu dumtaxat eum ſub tuo iure poſſideas, ſi perit anima pro qua Chriſtus mortuus eſt, omnino non curas. Apud Salomonem nempè meretrix, quæ alienum ſubduxerat fœtum, malebat eum regio mucrone ſecari, quàm maternis vberibus reddi: paruipendebat ſiquidem perniciem morientis, dummodò vocabulum ipſa non amitteret matris. Tu etiam ad huius exemplum, cur lactas, quem non genuiſti? vel more perdicis, cur foues quem non peperiſti? Hoc eſt enim naturale perdicis, vt aliena furtim oua ſurripiat, eaque tamquam propria eo vſque confoueat, donec fœtus erũpat: ſed cum pulli vocẽ matris audiunt, eam naturæ docentis indicio recognoſcunt: & falſa matre contẽpta, protinus ad verum perniciter reuertuntur. Vnde & Hieremias ait: Perdix fouit, quæ non peperit: fecit diuitias, & non in iudicio: in dimidio dierum ſuorum relinquet eas, & in nouiſſimo ſuo erit inſipiens. Nempè ſaluo eo, vt de his, qui alienos furantur alumnos, hoc poſſit intelligi, videtur tamen de totius auctore nequitiæ principaliter dici. Diabolus enim tãquam doctor in cathedra peſtilentię, ſuper homines ſibi magiſterium vſurpauit, quos ipſe non condidit: & errorem nos docendo quaſi fouit, quos creando non peperit. Fecit itaque diuitias, & non in iudicio: quia dum rebus alieni iuris diteſcere voluit, æquitatis iudicium temerauit. Sed in dimidio dierũ ſuorum relinquet eos, diabolus enim quaſi adhuc viuit, dum eum vltimi iudicij gladius nec dum transfodit. Nondum itaque mortuus ſuas diuitias iam relinquit, quoniam ad Creatorem ſuum genus humanum ex maxima parte iam redijt. In nouiſſimo autem ſuo erit inſipiens, quem, ſicut Apoſtolus ait, Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui. Et Propheta, Spiritu, inquit, labiorum ſuorum interficiet impium. Homo igitur magiſtrum deſerit abuſiuum, & redit ad proprium; cum nouum damnat errorem, & ad ſuæ reuertitur conditionis originem. Vnde illic aptè ſubiungitur: Solium gloriæ altitudinis à principio, locus ſanctificationis noſtræ: expectatio Iſrael. Deus itaque, qui eſt principium gloriæ, ipſe eſt expectatio Iſrael: quoniam à quo genus humanum prodijt, per conditionis reuertitur ſacramentum. Qui ergo ſedebat in ſolio gloria altitudinis à principio, & hominem edocebat, ipſe eſt expectatio Iſraël; vt in loco ſanctificationis noſtræ, id eſt, in ſancta Eccleſia, eumdem hominem iterum doceat. Vnde per Pſalmiſtam dicitur: Reminiſcentur, & conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terrę: & adorabunt in conſpectu eius omnes patrię Gentium. Quiſquis ergo alienum tollit violata fide diſcipulum, Antichriſti proculdubio imitatur exemplum. Et ſicut ille, quod alienum eſt, more perdicis, amittit; ſic iſte, quod vſurpatum eſt, æquitatis interueniente iuditio, non tenebit.

Recordare, venerabilis pater, quia te præſente, frater ille & prius

3. Reg. 3. v. 26.

Perdicis natura.

Hier. 17. v. 11.

Diabolus eſt perdici ſimilis

2. Theſſ. 2. v. 8.

Iſaye 11. v. 4.

Hier. 17. v. 12.

Pſal. 21. v. 28.

ante sanctum altare Ecclesiæ, & postmodum ante Crucem cellulæ, sub excommunicationis se deuotauit elogium, si nostri Prioratus obedientiam ex industria vlterius violaret. Caue ergò, ne tam sanctum, tam venerabile monasterium is, qui tot excommunicationum vinculis inuolutus est, polluat: & per tam religiosum, sanctumque conuentum lethalis lepræ se prurigo diffundat. Sicut Israëliticæ plebi diuina vox ait: Anathema in medio tui est Israël, non poteris stare contra hostes tuos, donec deleatur ex te, qui hoc contaminatus est scelere. Ego autem, qui lapsi fratris mortem sitire non debeo, eius calamitati compatiens commotis visceribus, ingemisco: & non modo sibi venialiter indulgere, sed si resipiscat, paratus sum pro salute illius etiam animam ponere. Pro charitate igitur vestra, sanctorumque fratrum vestrorum, quorum ego seruus sum, cum vestris ad me tantummodò litteris veniat: & me circa se mansuetum fore, mitem, atque benueolum non diffidat; alioquin Romana synodo iam propinquante, † Si. Sed nolo minas inferre, sufficiat tantummodo, ne mihi præiudicium fiat, interim cum humilitate deposcere.

Iof. 7. v 13

Admirabilis charitatis affectus B Damiani in suos.

† Cōsul. schol.

EPIST. XVI. *Ad Adam Monachum.*

ARGVMENTVM.

Ostendit primo difficile esse loqui de rebus nouissimis; deinde vtilem esse earum meditationem ad res humanas despiciendas: tertio disputat de Antichristi regno, & morte: denique de quindecim signis, quæ ex sancto Hieronymo diem iudicij præcedent.

Dilecto Fratri Adæ, Petrus peccator Monachus humilis in Domino salutem.

QVod me, frater charissime, quid ante mundi creationem fuerit, quid post iudicium de mundo futurum sit, discutis: de ipso quoque iudicio solerter inquiris; tu quidem religiose, & prudenter ages: verum me ad incognita pertrahis: & quæ nec dum didici, docere compellis. Quæris planè quod nescio; exigis, quod ignoro. Nam & Esaias ait: Priora annunciate mihi, & nouissima quæ futura sunt; & dicam, quia dij estis; apertè volens exprimere, neminem posse, quid ante mundum fuerit, vel post eum futurum sit, enarrare. Fructuosum est tamen inquiri, licet res absolutè nequeat explicari. Humana quippe mens huiusmodi naturæ est, vt cogitationibus vacare non possit; aut enim se exercet in serijs aut delectatur in vanis; & donec vtilia meditatur, ab ingruentium meditationum irruptione de-

De rebus nouissimis loqui, difficile est.

Esai. 41. v. 23

fenditur. Nec prauitas habet susurrandi locum, vbi mens vtilibus rebus intenta, strictum tenet cum sobria cogitatione consilium. Igitur operæpretium est, & satis vtile cogitare, quàm breue sit spatium transitorij temporis ad comparationem eius iugiter permanentis. Nam si conferre illud volumus immensæ magnitudinis spatium, quo Deus extitit ante mundi huius originem: illud quoque, quod post eiusdem mundi permansurum est finem, cum hoc tantillo tempore, quod est ab initio mundi vsque ad finem mundi: minor est hæc comparatio, quàm si pugillum aquæ in mare proijcias, vel si mensuram cubiti cum toto terrarum spatio conferre contendas. Nam & immensitas maris, & spatium terræ finita sunt, sicut & pugillus aquæ, & velut mensura cubiti, quanuis illa maiora, ista sunt incomparabiliter minima. Ideóque facilius comparari possunt finita finitis, quam ea, quæ finem habent, ijs quę nullo possunt fine concludi. Nam quia Deus est alpha, & omega; principium, & finis; sicut sine initio semper extitit; ità finem habere non poterit. Mundus autem iste ab ipso suæ creationis exordio, nec dum septem millia annorum implesse cognoscitur. Et quis sciat, quàm breue futurum sit temporis spatium, vsquequo Deus iudicaturus est mundum? Quomodo ergo comparari possunt septem millia, vel etiam decem millia annorum interminabili diuinitatis essentię, quæ nec originem potuit habere, nec finem? Cum hæc igitur, & huiusmodi peruigili meditatione discutimus, dum hæc suppliciter in cogitatione versamus, non paruus nostræ mentis profectus acquiritur: quia dum meditatur æterna, liquido conspicit, quàm despicienda sint temporalia. Dum igitur mens rationalis hæc cogitat, additur etiam, vt semetipsam non cum tempore transituram, sed sine fine victuram esse perpendat. Considerat itaque se huiusmodi esse naturæ, vt necessario, aut perpetuis potiatur præmijs, aut supplicijs crucietur æternis. Hęc itaque sedula meditatione discutere, sed & diem iudicij sollicitè præcauere, non paruus est fructus: in quo videlicet die cui semel bene successerit, vltra non corruet: & cui se res in sinistram verterit, de cætero non consurget. Quod itaque de die iudicij quæris, & Antichristo, lege librum B. Augustini de Ciuitate Dei, & expositionem S. Hieronymi in Danielem Prophetam, Apocalypsim quoque cum commentarijs suis: in quibus vtique sufficientem tibi notitiam huius materię poteris inuenire. Sicut enim & authentica prius Scriptura designat, & postmodũ superueniens expositorum stylus elucidat, tribus annis, & semis Antichristus regnabit: & interfectis ab eo Enoch & Elia: ipsum Antichristum, & maximam membrorum eius partem Michael Archangelus interficiet. Cui non est contrarium, quod per Apostolum dicitur: Qnia Dominus Iesus Christus interficiet illum spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui. Nam siue per se, siue per Angelicum Christus eum perimat ministerium, ab eo potissimum pestis iniqua destruitur, cuius virtute, ac potentia supera-

Apoc. 22. v. 13.

Nouissima meditari quã vtile sit.

Augustinus. Hieronymus.

Quot annos Antichristus regnabit.

2. Thess. 2. v. 8.

In quo loco interficietur.

tur. Enim verò, sicut à Doctoribus traditur, in monte Oliueti, in papilione, ac solio suo eum Dominus perimet; in illo videlicet loco, contra quem, videntibus Apostolis, in cælum victor ascendit. Vnde Esaias ait: Præcipitauit Dominus in sancto monte faciem dominatoris tenebrarum, & eum, qui dominatur cunctis populis. De quo per Danielem dicitur: Sermonem contrà Excelsum loquetur, & sanctos Altissimi conteret; & putabit, quod possit mutare tempora, & leges; & tradentur in manu eius vsque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis. Vnde colligitur, Antichristum tribus annis, & dimidio regnaturum. Tempus enim annus est, tempora duo anni sunt. Tribus igitur annis, & dimidio regnaturus, deinde diuini furoris gladio est perimendus; vt & tyrannus omnino dispereat, & vero Regi creatura se vniuersa prosternat. Vnde & idem Daniel: Iudicium quippè sedebit, vt auferatur potentia, & conteratur, & dispereat vsque in finem. Regnum autem, & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne cælum, detur populo sanctorum Altissimi, cuius est regnum sempiternum; & omnes Gentes seruient ei, atque obedient. Porrò post mortem Antichristi quadraginta quinque dies erunt residui vsque ad aduentum Christi, in quibus & persecutio cessabit, & magna pax, ac tranquillitas erit: vt intra huius temporis spatium & iusti quique si quid persecutionis articulo titubauerant, pœnitentiam agant; & ministri diaboli in torporis, atque desidiæ securitate dissoluantur: sicut in diebus Noe plantabunt, & ædificabunt: celebrabunt conuiuia, & contrahent matrimonia; eisque studio friuolæ vanitatis intentis perueniet interitus. Quod autem quæris, vtrum prius hic mundus ardeat, & post iudicium fiat, euidenti maiorum sententia definitum est, iudicium præcedere, & sic mundi conflagrationem subsequi. Peracto quippè iudicio, repente ignis erumpens tantùm aëris spatium occupabit, quantum aqua dùm cataclismus inuaderet, ascendit. Qui videlicet ignis ardebit terram, & crassitudinem aëris, & sic purgabit electos. Sed quæ de die iudicij in Epistola, quam ad Blancam scripsimus Comitissam, testimonia Scripturarum nonnulla congessimus: tanta quoque eiusdem thematis apud expositores sacri eloquij sunt vt intra epistolare compendium nequeant coarctari, ad eorum te exuberantia fluenta dirigimus: &, omissis arentibus riuulis, de fontibus Israëlitæ bibere suademus. Illud tamen, quod de quindecim signis totidem dierum diem iudicij præcedentium B. Hieronymum referre didicimus, hic eisdem verbis inserere non superfluum iudicamus. Quibus profectò verbis sicut nec auctoritatis robur adscribimus, ità nec fidem penitus denegamus. Res ergo sicut ad nos peruenit, huius stylo se simpliciter inserat: vt antiquis etiam Hebrȩorum populis, qui diuini iudicij terror increuerit, ex eorũ paginis innotescat. Signum, inquit, primi diei: Maria omnia in altitudinem exaltabuntur quindecim cubitorũ supra montes excelsos orbis terrȩ non affluentia, sed sicut muri æquora

Esa. 25 v. 7.
Dan. 7. v. 25.

Ibid. v. 26.

A morte Antichristi ad Christi Domini aduentum quot dies intererunt.
Matt. 24. v. 37
Luc. 17. v. 27.
Mundi conflagratio ante, vel post iudicium futura.
Epist. vlt. lib. 7. tomi huius.

Signa præcedentia iudicij diem ex S. Hieronymi sententia.

ſtabunt. Signum ſecundi diei: Omnia æquora proſternentur in imum profundi, ità vt vix queant ab humanis obtutibus conſpici. Signũ tertij diei: Maria omnia redigentur in priſtinum ſtatum, qualiter ab exordio creata fuerant. Signum quarti diei: Belluæ omnes, & omnia, quæ mouentur in aquis marinis, congregabuntur ſuper pelagus, more contentionis, inuicem mugientes, & rugientes, neſcientque homines, quid cantent; vel quid cogitent; ſed tantum ſcit Deus, cui omnia viuunt, officio gerendi. Hęc quatuor ſigna pelagi ſunt, & tria ſequentia ſigna aëris, & ętheris ſunt. Signum quinti diei: Omnia volatilia cæli concionabuntur in campis, vnumquodque genus in ordine ſuo; eædem volucres inuicem colloquentes, & plorantes erunt, non guſtantes, neque bibentes, aduentum Iudicis timentes. Signum ſexti diei: Flumina ignea ab occaſu ſolis ſurgent, contra faciem firmamenti, vſque ad ortum currentia. Signum ſeptimi diei: Errantia ſidera, & ſtationaria ſpargent ex ſe igneas comas, qualiter in cometis apparet, orbi, & eius habitatoribus. Signum octaui diei: Terremotus erit magnus, ita vt nullus homo ſtare poſſit, aut nullum animal, ſed ſolo ſternentur omnia. Signum noni diei: Omnes lapides tàm parui, quàm magni ſcindentur in quatuor partes, & vna quęque pars collidet alteram partem: neſcietq; vllus homo ſonum illum, niſi ſolus Deus. Signum decimi diei: Omnia ligna ſiluarum, & olera herbarum ſanguineum fluent rorem. Signũ vndecimi diei: Omnes montes, & colles, & omnia ædificia humana arte conſtructa, in pulueram redigentur. Signum duodecimi diei: Omnia animalia terræ de ſiluis, & montibus venient ad campos rugentia, & mugientia; non guſtantia, & non bibentia. Signum decimi tertij diei: Omnia ab ortu ſolis ſepulchra vſque ad occaſum patebunt, cadaueribus ſurgentibus, vſque ad horam iudicij. Signum decimiquarti diei: Omne humanum genus, quod inuentum fuerit, de habitaculis, & de locis, in quibus erunt, velociter abſcedent, non intelligentes, neque loquentes; ſed diſcurrent vt amentes. Signum decimiquinti diei: Viui homines morientur, vt reſurgant cum mortuis longe ante defunctis.

Epiſt. huius finis videtur imperfectus.

EPIST. XVII. Ad Ariprandum Monachum.

ARGVMENTVM.

Conſolatur Ariprandum Monachum, qui ingenium liberalibus diſciplinis in ſęculo non excoluerit: oſtenditque ſciendi cupiditatem originem eſſe malorum omnium, ſcientiam ipſam, præſertim à Chriſtianis virtutibus abiunctam, profeſſoribus pernicioſam, alijs inutilem: contra verò ſanctam ſimplicitatem ſecuram eſſe, ac perutilem. Proinde illum hortatur, vt ſi velit aliquid vtiliter ſapere, ad Deum per contemplationem rerum diuinarum accedat.

Sanctæ spei filio Ariprando, Petrus peccator Monachus paternæ dilectionis affectum.

NImis ingratus est seruus, si postquam tela, vel gladios ab herili liberalitate percepit, eisdem mox armis accinctus, aduersum Dominum suum protinus in bella consurgit: perduellionis reus est miles, qui ditatus imperialibus donis, asserit, aptius sibi conuenire coronam, quàm subjectionis, vel obedientię clientelam. Confiteris te, fili mi, frequentius impugnari, & infestantium cogitationum perferre caliginem, quia cum docile cor, ac facillimum habeas ad discendum, ante veri luminis aditum requisisti, quàm cæcam Philosophorum sapientiam disceres: antè ad eremum prouolasti, sequens vestigia piscatorum, quàm liberalium artium, non dicam studijs, sed stultitijs insudares. Hanc ergo querelam à te clementia diuina commeruit, qui & tibi subtilioris ingenij gratias prærogauit: Nimirum si inter ipsa tuę rudimenta militię veternosus hostis eodem te genere certaminis impetit, quo scilicet, & in ipso mundi nascentis initio primos parentes humani generis superauit. Hæc enim prima serpentis verba sunt ad mulierem, his sibilis draco teterrimus in cor eius venena stillauit: Scit Deus, inquit, quod in quocumque die comederitis ex eo, haud dubium quin pomo, aperientur oculi vestri: & eritis sicut dij, scientes bonum, & malum. Ecce, frater, vis grammaticam discere? disce Deum pluraliter declinare. Artifex enim doctor dum artem obedientiæ nouiter condit, ad colendos etiam plurimos deos inauditam mundo declinationis regulam introducit. Porrò qui vitiorum omnium cateruas moliebatur inducere, cupiditatem scientiæ quasi ducem exercitus posuit, sicque post eam infelici mundo cunctas iniquitatum turmas inuexit. Quid ergo mirum, si in Euę filium idipsum adhuc iaculum vibrat, quod in eamdem Euam antiquus olim hostis intorserat? Expertus quippè non potest desperare successum, dum eamdem filijs infert pugnam, qua super parentes nostros dudum se meminit obtinuisse victoriam.

Scientiæ cupiditas quam perniciosa. Gen. 3. v. 5

Sed, cum Redemptor noster pastor vtique sit, non quidem canum, vel luporum, ferarumve frendentium, sed ouium: & non tātum ouium, sed & agnorum; non licet, quæso, pastori, vt censoriam super gregem suum virgulam teneat: cumque vel mensæ, vel pascuæ pro voluntate discérnat? Nam & Dominus in legalibus cerimonijs modo boues, modo vitulos, modo arietes, modo agnos anniculos præcipit immolari. Dum ergò de grege suo faciat possessor quisque, quod velit, quo pacto non liceat Creatori tuo te velut agnum tenerrimum mensæ refectionis apponere, reliquumque gregem in exterioris adhuc vitæ pascuis reseruare: vt te iam intra propria viscera speciali quadam familiaritate traijciat, dum alios interim suis temporibus conuertendos moderamine

Cur Deus alios iuuenes, alios senes ad se vocet.

moderamine piæ dispensationis expectat? Samuel namque puerulus tamquam tener agniculus cum tribus farinæ modijs, & amphora vini, mensæ Domini, vt ita loquar, apponitur, dum Heli Sacerdoti, & templo Dei, quod erat in Silo, à parentibus dedicatur. Ioannes Baptista non solum ipse agnus, sed agnum prædicaturus, qui tollit peccata mundi, de grege sacerdotalis domus eligitur, & in deserta contendit; vt eo Dominus, velut epulo suauis edulij, delectabiliter saginetur. Non enim homines ad procinctum spiritualis militiæ pro suo dumtaxat alleguntur arbitrio; sed is, qui eos, vt ad se conuertantur, inspirat; singula super eos ætatum, ac temporum momenta dispensat; vt alios ad se trahat grandæuâ iam senectute maturos, alios iuuenilis incrementi vigore robustos. Istos tollat primo pubescentis adolescentiæ decore vernantes; illos autem ab ipso pueritiæ lactantis exordio, velut de nido pullos, inducat implumes. Achias sanè pre nimia iam senectute caligat, sed vxorem Ieroboam eminus aduentantem prophetalis oculi serenitate prospectat: Ingredere, inquit, vxor Ieroboam, cur aliam te esse simulas? Ego autem missus sum ad te durus nuncius. Ezechiel tricennali viget ætate, cum iuxta Chobar fluuium constitutus, ad dispensandum propheticæ gratiæ promouetur officium. Dauid vix dum pro florentis adolescentiæ decore pubescens, de post fœtantes paternæ subiectionis eligitur, & ad crispandú spiritualis allegoriæ Psalterium, atque ad obtinendum regalis sceptri fastigium promouetur. Hieremiæ dictum est: Priusquam te formarem in vtero, noui te: & antequam exires de vulua sanctificaui te, & prophetam in Gentibus dedi te. Et quid plures enumerem? Qui enim Eleazarum præ senili algore iam frigidum, triumphalis martyrij feruore succendit, ipse teneros adhuc B. Felicitatis filios inuictæ Fidei cõstantia roborauit. Sed fortè dicas: multos lucri facerem, si gratia prædicationis affluerem, si copiam scientiæ litteralis haberem. Et ego respondeo: quoniam & Eleazarus multos potuisset ab idololatria reuocare, si viueret; Machabæi, & innumerabiles Christi martyres plurimos ad agonem Fidei firmare potuissent, si persecutionis illatæ differre supplicia decreuissent: sed quoniam ad pœnarum perferenda tormenta efficacius ædificauerunt martyrizando, quàm prædicando, postponentes verbum, reliquere sequentibus imitationis exemplum. Tu quoque valentius prouocas videntes te properare post Christum, quam promouere potueras audiẽtes qualibet multiplicitate verborum. Nec enim Deus omnipotens nostra grammatica indiget, vt post se homines trahat, cum in ipso humanæ redemptionis exordio, cum magis videretur vtique necessarium ad conspergenda nouæ Fidei semina, non miserit philosophos, & oratores; sed simplices potius, ac piscatores. Vnde legitur, quia Samson maxillam asini, quæ iacebat, arripuit: & in ea mille Philistæos occidit. Quid est enim per iacentem asini maxillam mille viros occidere, nisi per linguas humilium, atque simplicium perfectum non

1. Reg. 1. v. 25.
Matt. 3. v. 1.
Marc. 1. v. 4.
Luc. 3. v. 3.
3. Reg. 14. v. 6.
Ezech. 1. v. 1.
1. Reg. 16. v. 11.
Hier. 1. v. 5.
2. Mach. 6. v. 19.
2. Mach. 7. v. 1.
Cur Deus per viros idiotas, ac simplices mundum instituit.
Iudic. 15. v. 15.

credentium numerum à prauitatis suæ statu deiicere, atque ad humilitatem Christi per sanctæ prædicationis officium inclinare? Nam quia Samson interpretatur sol; postquam mundo sol iste resplenduit, postquam miraculorum, atque signorum suorũ per orbem terrarum radios sparsit, omnium mox sibi resistentium colla perdomuit, eosque à superbiæ vitæ suæ rigore prostrauit. Tu quoque, fili mi, vt prædicandi sortiaris officium, imitare vel asini, de quo dictum est; vel etiam ouis exemplum. Quæ nimirum cum viuit turpiter † beat, mortua verò in instrumentis musicis suauiter cantat: Sic & qui carnaliter viuũt, balare cum ouibus inaniter possunt, nauiter explere prædicatoris officium nequeunt. Dicit etiam Propheta: Laudate Dominum in tympano, & choro. Corium quippe non sonat, nisi siccum relinquens, humor abscedat, Si ergo vis, vt tympanum, vel chorda tua clarum in auditorum cordibus sonitum reddat, omnis à te vitæ carnalis humor euaneat; mens tua ab omni fluxu luxuriæ prurientis arescat. Nam & frigus concretum pectori, vocem intercipere consueuit. Si vis ergo Dei verbum claris vocibus intonare, caue ne diuini amoris in te flãma tepescat, ne tibi principis in Aquilone sedentis algor obrepat. Hoc denique frigus iam tunc ille conceperat, qui deambulanti Domino ad auram paradisi post meridiem, raucis quodammodo vocibus respondebat: Audiui, inquit, vocem tuam, & timui, eo quod nudus essem, & abscondi me. Porro quia meridianus ab illo iam feruor abierat, aura quoque frigoris est alumna. Huc accedebat, quia & illum iam innocentia sublata nudauerat. Hæc omnia quid aliud innuunt, quàm quia illius viscera extincti amoris algor obstrinxerat, atque ideo vox illius in auribus Domini raucum sonabat? Hoc frigore iam & Heli sacerdos constrictus obtorpuerat, qui filiis suis aiebat: Non est hæc bona, filij mei, fama, quam ego audio, vt transgredi faciatis populũ Domini. Nam quia prædicatoris huius guttur ab amore Domini algor occluserat, iccirco vox eius quodammodo rauciens, in filiorum suorum cordibus efficaciter non sonabat. Si vis ergo vocem habere vel in prædicationibus intonanté, vel in orationibus efficacem, satage semper, vt te diuinus feruor accendat, ne vocem tuam torpor frigoris intercipiat. Frigidæ quippè mentis oratio, vel prædicatio non admittitur, & tamquam vox rauciens non auditur. Ab hoc planè frigore Abraham alienus extiterat, de quo Scriptura pronunciat: Quoniam apparuit ei Dominus in conualle Mambræ, sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso feruore diei. Et Sponsus ille cælestis, sicut in Canticis dicitur, pascit, & cubat in meridie. Enimuerò cum te cordis acumen permouet ad querelam, quid aliud agis, quàm aduersus Deum per eadem, quæ Deus contulit, arma confligis? Et cum ingratum esse Deo non parui sit criminis, formidolosè tibi cauendum est, ne inde contra Deum prosilias in tyrannidem, vnde gratiarum illi debueras actionem: & dum scientiam, quæ inflat, immoderatius flagitas, charitatem, quæ

Marginalia: Quid in concionatore requiratur. — † balat. — Psal. 150. v. 4. — Esa 14. v. 13. — Gen. 3. v. 10. — 1. Reg 2. v 24. — Feruens oratio, ac prædicatio quàm efficax. — Gen. 18. v 1. — Cant. 1. v. 6. — 1. Cor. 8. v. 1.

ædificat, insipienter offendas. Qui enim scis, vtrum dispensator meritorum omnipotens Deus ad hoc tibi subtilioris ingenij perspicaciam, agilitatemque contulerit, vt iam tibi quodammodo signum futuræ remunerationis ostenderet: & occidentem illam scientiam, quam pro illius amore spreuisti, viuaci mentis acumine compensaret? Nam cum litteræ oriantur ex sensu, non sensus procedat ex litteris; cui sensus incolumis est, litteras non requirit. In litterario quippe ludo, vbi pueri prima articulatæ vocis elementa suscipiunt, alij quidem abecedarij, alij syllabarij, quidam vero nominarij, nonnulli etiam calculatores appellantur: & hæc nomina cum audimus, ex ipsis continuo, qui sit in pueris profectus, agnoscimus. Cui vero per donum sancti Spiritus intellectus aperitur, quia per conceptum vigorem viuacis ingenij cuncta facilè comprehendit, his ad discendum gradibus magnopere non egebit. Sicut de tribus illis pueris dicitur: Quia dedit illis Deus scientiam, & disciplinam in omni libro, & sapientia; Danieli autem dedit intelligentiam omnium visionum, & somniorum, ita vt Babyloniorum sapientes ad eorum prudentiam non attingerent, eosque magi, arioli, vel aruspices in mysteriorum cælestium reuelationibus non æquarent.

Quomodo Spiritus sanctus nos doceat.

Dan. 1. v. 17.

Sed, & veteribus omissis, ad modernos iterum veniamus. B. Benedictus ad litterarum studia mittitur, sed mox ad sapientẽ Christi stultitiam reuocatur: & quia scholam pia rusticitate mutauit, hoc de se scriptum reliquit in capisterio mulierculæ, quod de se mundi sapientes exprimere nequeunt in mensa Geometricæ, vel Astronomicæ disciplinæ. Litteras & Martinus ignorat: sed hic fatuus, & imperitus perditas triũ mortuorum animas ab inferis reuocat. Antonius non rhetoricatur, sed toto conspicuus orbe, litteris, vt ita loquar, vitalibus legitur. Hilarion, Platones, & Pythagoras proijcit, vnoque contentus Euangelio, in sepulchrali se cellulæ antro concludit: sed ecce, dæmonibus imperat, quem Philosophorum studia non exornant. Quæ si tu quoque apud sæculum, vt efflagitas, didicisses, fortassis hodie Dominus intra sortis suæ te funiculum non haberet. Est enim sapientia de qua scriptum est: Nam per sapientiam sanati sunt, quicumque placuerunt tibi, Domine, ab initio. Et est sapientia, de qua dicitur: Non est hæc sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Et, ô quantis hæc ipsa terrena, & animalis sapientia concessit non iter prosperum; vt videlicet antè corruerent in periculum mortis, quam fruerentur optatis.

Sancti viri sine litteris illustres.

Sap. 9. v. 19.

Iacob. 3. v. 15.

Gualterus plane, magistri mei, scilicet Iuonis, socius fuit, qui per triginta ferme annos ita per occiduos fines sapientiam persecutus est, vt de regnis ad regna contenderet: & non modo Teutonum, Gallorum, sed & Saracenorum quoque Hispaniensium vrbes, oppida, simul atque prouincias penetraret; sed mox vt studijs toto, vt ita loquar, orbe corrasis, exilium habitatione mutauit, & iã velut in pace cõpositus, docere

Iuo S. Doctoris magister.

Humana sapientia multis periculis subiacet.

pueros cœpit: æmuli sui, cuiusdam videlicet alterius sapientis necessarij, vel fautores cum simpliciter gradientem ex insidiis occiderunt, qui confossus gladijs, non sacerdotes, vt mihi relatum arbitror, petiit: non de transactis confessionem, vel pœnitudinem gessit; sed vsque ad vltimum spiritum hoc solum inclamare non desiit: heu quale damnum! Si quid autem vel de confessione facienda, vel aliud quid dicebatur; ille iam alienatus, hoc solummodo repetebat: heu quale damnum! Hic itaque velut Arachne inextricabilia, vt sibi videbatur, subtegminis fila contexuit: sed mox, vt ea ventus vltimæ necessitatis impulit, protinus in nihilum omnia dissipauit. Anni quippè nostri, testante Propheta, sicut aranea meditabuntur. *Psal. 89. v. 9.*

Vgo Parmensis Ecclesiæ clericus quot vtilitatum dotes habuerit, nõ enumero; quia laciniosi styli deuito fastidium. Hic tantæ fuit ambitionis in artium studijs, vt astrolabium sibi de clarissimo prouideret argento: & dum spiraret ad Episcopale fastigium, Conradi Imperatoris se constituit Capellanum: à quo dum reuertitur regijs pollicitationibus cumulatus, & de consequenda dignitate pænè non dubius incidit in latrones. Presbyter enim quidam in Teutonicis partibus, qui laicum habebat asseclam, pascentes equos illius tentauit inuadere. Cui dum ille sese impiger obiecisset, Presbyter eum lancea confodiens, interemit: & tunc liquidò deprehendit, nil fuisse, quod didicit, dum simul amisit & irridentis vitæ dulcedinem, & concupiti culminis dignitatem. Prętereа sæpe contingit, vt nonnulli carnaliter sapientes & diutius viuant, & numquam valeant inuenire, quod optãt. In sapientiæ quippe suæ vanitate confisi, dum sperant facilè cuncta supperere, arbitrantur vtique se religionis testimonio non egere: & dum inanem sapiẽtiam iactant, insipienter viuere non formidant. Quamobrem à se conspicientibus eorum actus exploditur, vita conspuitur, conuersatio deridetur, fama polluitur, testimonium cõdemnatur; ideoque qui proposuerant ad votum carnis viuere, in contrarium versa sententia, sæpè compelluntur egere; cum è diuerso quippe simplices, & quieti rebus exuberent necessarijs. Vnde per Esaiam Dominus dicit: Pro eo quod vocaui, & non respondistis, locutus sum, & non audistis; & faciebatis malum in oculis meis; & quæ nolui, elegistis, propter hoc ecce serui mei comedent, & vos esurietis: ecce serui mei bibent, & vos sitietis: ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini: ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore, & præ contritione spiritus vlulabitis.

Ambitiosi pœna.

Mundanæ sapientiæ effectus.

Esa. 65. v. 12.

Hodieque certe in Romana Vrbe frater aduiuit, ortus de summis proceribus Galliarum, cuius nomẽ taceo, quia fratris ignominiam perhorresco. Cui, nescio, an aliquid vtilitatis desit. Tot siquidem exteriorum bonorum floribus enitescit: nobilis, vt Imperator; pulcher aspectu; quodammodo sicut Tullius loquitur; vt Virgilius poëtatur;



tuba vehemens in Ecclesia: perspicax, & acutus est in lege diuina; scholasticè disputans, quasi descripta libri verba percurrit; vulgariter loquens, Romanæ vrbanitatis regulam nō ostendit. Quid de monachico prosequar ordine? Quid de regularis magisterio disciplinæ? In quorum videlicet notitia ita conualuit; vt hęc docere nauiter possit: sed eius, proh dolor! talis est vita, vt cum alteri nullus inuideat: ad se introducere nemo deposcat: & vt rem non diutius protraham, stulto sapienti monasterialis ad habitandum ianua clauditur: cuius passim rusticis, & imperitis, ac discolis aditus non negatur. Vnde rectè vir Sapiens ait: Melior est homo, qui deficit sapientia, & deficiens sensu in timore; quam qui abundat sensu, & transgreditur legem Altissimi.

Litterarum studia sine virtute sunt infœcunda.

Eccl. 19 v. 21.

Quod etiam in domino meo Leone probatur incluso. Posuimus enim stulte peritum, apponamus etiam sapienter indoctum. Hic plane Leo (cum præter Psalmos, aut nescio quid tenuissimum, & extremum) litteras non didicerit, grammaticos quoslibet, ac mundi philosophos in scripturarum notitia, & consiliorum spiritualium profunditate præcellit: vt quicumque ad illum de quouis animæ negotio consulentes accedimus, suscipientes ab eo verbum, ita confidimus, ac si prophetici spiritus oraculum reportemus. Sed quoniam & tibi apprimè notus est, & opusculis nostris frequenter insertus, sufficiat vnum hic verbum proponere, quod nuper ab eius ore quasi negligenter cecidit: sed a me negligenter audiri non potuit. Nam cum inter cætera spiritualiter viuendi capitula solerter inquirerem: vtrum ille post solutum nocturnæ synaxis officium, posset dormire, si vellet, hoc se funditus nescire perhibuit. Cumque idipsum ego sępius iterarem, & an ille circa diluculum dormiret perquirerem: respondit ille, se hoc omnimodis ignorare, quia numquam penitus expertus esset: subiunxit etiam, se suis assuetum cogitationibus respondere: accidietur, inquit, cor, palpitent oculi, os per crebra balaustia gannire non cesset, caput etiam nutet, & in ima deuergat: sed quia hęc omnia me perimere nequeunt, ad consentiendum huius temporis somno, nullatenus superabunt. Nam & nos super hac re distichum feceramus, quod hic inserere, otiosum esse non ducimus.

Leonis inclusi cælestis sapientia, & sanctitas.

Somni victoria.

Non canonem soluit, qui psallens nocte redormit:
Ne tamen hoc passim ponat caput ante Synaxim.

Sed heu me miserum, hoc inter me, & Domnum Leonem, quod inter fortissimum Dauid, & delirum euenit histrionem. Ille siquidem viribus fortia fecerat: iste sola voce triumphalia eius gesta decantat. Ille nimirum se Deo nouit per somni mactare conflictum; nos versiculos facimus ad similitudinem puerorum. Et quale, quæso, est effœtum viribus, ac tenuissimi corporis hominem iam per septuaginta fere annos in monastico habitu degere: & adhuc vtrum diurnæ lucis erumpente crepusculo, dormire valeat, ignorare? Hic itaque prudens, hic vere dicendus est sapiens, qui dum mundum calcibus abijcit, ipsum mundi principem philosophando deludit.

Benedictinorum eremitarum Regula ante S Romualdū vsui erat. Consi Schol.

Ad Deum accedentes humanis disciplinis non indigent.

Quocirca, dilectissime fili, noli huiusmodi sapientiam quærere, quæ tibi simul cum reprobis, & Gentilibus valeat conuenire. Quis enim accendit lucernam, vt videat solem? Quis scolacibus vtitur, vt stellarum micantium videat claritatem? Ita qui Deum, vel Sanctos eius, sincero quęrit intuitu, non indiget peregrina luce, vt veram conspiciat lucem. Ipsa quippe vera sapientia se quærentibus aperit, & sine adulterinæ lucis auxilio, lucis inocciduæ se fulgor ostendit. Vnde scriptum est: Clara est semper, & nunquam marcescet sapientia: & facile videtur ab his qui diligunt illam: & inuenitur ab his, qui quærunt illam, præoccupat eos, qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat. Illam ergo sapientiam quære, illam totis visceribus ardenter amplectere, ex qua non modo valeas sapere, sed & viuere, ac per eam sine fine gaudere. In Deo igitur, qui vera est sapientia, quærendi, & intelligendi finem constitue: hunc assiduus meditare, in eo iugiter requiesce. Cui scilicet in eodem Sapientiæ libro dicitur: Nosse enim te, consummata iustitia est; & scire iustitiam, & virtutem tuam, radix est immortalitatis. In illo igitur defige totum tuæ mentis obtutum, ab illo sapientiæ fonte sume sitibundi pectoris haustum: vt in visceribus tuis illius vitalis poculi vigore concepto, & ipse cælestis gratiæ madore iugiter vireas, & in alios distillantia fontis irrigui fluenta transfundas. Et quæso, vt hoc per te quandoque Deus omnipotens exhibeat fratribus tuis, quod per Esaiam promisit pauperibus suis: Egeni, inquit, & pauperes quęrunt aquas, & non sunt: lingua eorum siti aruit. Ego Dominus exaudiam eos, Deus Israël non derelinquam eos. Vbi mox sequitur: Aperiam in supinis collibus flumina, & in medio camporum fontes, ponam desertum in stagnum aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum.

Sap. 6 v. 13.

Sap. 15. v. 3.

Esa. 41. v. 17.

Ibid. v. 18.

Quoniam igitur, fili charissime, temetipsum velut agnum tenerrimum obtulisti: & hoc dęmones per aëra volitantes incursant, vt vel ex manibus tuis oblata diripiant, vel iniecta prauæ cogitationis illuuione corrumpant; tu cum Abraham imminentes ad impetum volucres abige, vt holocaustum tuum immaculatum, & integrum valeas custodire. Ex eorum quippe pharetra proculdubio toxicata cogitationis huius sagitta depromitur, vt litterarum studia remanentibus in sęculo coæuis tuis inuideas: & in hoc eos cautos, ac prouidos; te vero deceptum, & fatuum credas: vt pote si hoc & ipse fecisses, quasi gratiorem tunc hostiam Deo tuę conuersionis offerres: sed hoc totum Deo veraciter obtulisti, quidquid, ad meliorem, ac manentem substantiam properans pro amore illius acquirere contempsisti. Melius est autem totum simul offerre, quàm particulariter dispensare. Sicut enim melius est ouem dare, quàm fructus ouis; ita laudabilius est totam artem Deo simul offerre, quam fructus artis. Iulianus Cæsar, & Donatus Martyr vno tempore didicerunt. Et ille quidem permansit in studijs; hic secutus est vestigia veritatis. Sed ille in sapientia sua tam fæliciter floruit, vt octo libros contra Galilæos (sic enim Christianos, vel Apostolos vocat) & Euange-

Gen. 15. v. 11.

Donati Episc. Aret. & Martyris, ac Iuliani Apostatæ studia.

lium scriberet: Donatus autem ita desipuit, vt cæleste fastigium cum triumphalis martyrij gloria penetraret. Ioannes Euangelista apud sęculum pæne nil didicit, sed spretis oratorum, dialecticorumque versutijs, ad simplicem Iesu stultitiam puerulus commigrauit. Hic tamen dum per libri sui principium summæ lucis mysterium terribiliter intonat, illico philosophorum cæca subtilitas in tenebrosa studiorum suorum profunditate caligat. Pręterea beatus Papa Gregorius artis grammaticæ disciplinam eotenus in suis laudat Epistolis, vt eam congruere deneget Christianis. Hieronymus ad tribunalia tremenda pertrahitur, flagris atrocioribus verberatur: cui tamen non aliud, quàm Ciceroniani nominis crimen impingitur. Deuotatur ille, hac se prorsus vltione plectendum, si sæculares libros vlterius legeret, ac si Christum per apostaticę perfidiæ sacrilegium denegaret. Dicebatur enim illi: Ciceronianus es, non Christianus. Et ille, si sæculares, inquit, codices vlterius legero, te negaui. Honesta satis, & vtilis sapientia: nimirum, quæ cum Christi negatione confertur, quæ hæreticæ perfidiæ comparatur; vt idem valeat eam legere, quod Deum negare. Si ergo is, qui terrenum illud dogma didicerat, ab eius compescitur vsu; quanto magis qui nec dum expertus est, ab eius prohibetur accessu? Si ille cohibetur a notis, quanto cautius iste reprimendus est a discendis? Discumbis frater, ad mensam Dei, sufficiant tibi dapes cælestis eloquij. Abijce lolium, quod in vesaniam comedentium mentes inebriat; suscipe frumentum, quod esurientium animas sobria refectione confirmat. Nec fauces animę tuæ vitalis escæ fastidiant alimentum; sed procul abijciant falsitatis ineptias, & quisquilias vanitatum. Omnipotens Deus, dulcissime fili, doctrina te suæ legis erudiat, vt cor tuum verę sapientiæ luce perfundat: te de manibus tuis viuentis hostiæ suscipiat holocaustum, & ad spiritualium prouehat incrementa virtutum: te semper in se manere concedat, & inuicem ipse in tuis visceribus delectabiliter requiescat: vt, sicut est ipse pollicitus, tamquam palmes in vite, numquam desinas pij operis germina pullulare. Amen.

Ioannes Euangelista vbi didicit.

magnus Greg. Reg. lib. 9. Epistol. 48.

S. Hier. Ciceroniani studij pœnas dat, epistol 22. to. 1. ad Eustoch. de custod. virg.

EPIST. XVIII. Ad eumdem Ariprandum Monachum.

ARGVMENTVM.

Ariprandum tyronem in militia spirituali laudat, quod adolescens ad eremum se contulerit: monetque illum, vt exemplo Christi Domini regularem disciplinã non deserat, proinde æquo animo ferat non modo seniorũ, verũ etiam iuniorũ correptiones, quæ ad animi labes abluẽdas sui aliorũque profectũ plurimi faciũt:

multa ex occasione dicit de bono correptionis, & cur, & an sine culpa S. Paulus S. Petrum obiurgauerit.

Ariprando fratri chariſſimo, Petrus peccator Monachus paternæ dilectionis affectum.

Ariprandus fuit à ſecretis S. Doctori.

EXigis, dilectiſſime fili, vt tibi aliquid ſcribam: & qui, me dictante, frequenter aliis ſcriptitas: vt tibi quoque aliquid ſcribatur imploras. Sed vnde ſcriptori congruentius incipiam ſcribere, quam a ſcribendi ipſius myſtica dignitate? In te quippe, qui ſcribis, tres ſunt digiti, & vna manus: cui vero ſcribis, tres ſunt perſonæ, & vnus Deus. Cum igitur ex diuerſis apicibus continuum ducis articulum, ad illum ſemper vnum tua dirigatur intentio, cuius in temetipſo per quamdam ſimilitudinem conſpicis ſacramentum. Et quia dum in ſcholarum adhuc gymnaſio inter adoleſcentulos ageres, & ephebi vultus florem necdum pubis vlla, vel tenuis lanugo veſtiret, feruor te ſancti Spiritus incitauit: vt non monaſteriale propoſitum, ſed eremi potius arriperes inſtitutum, caue, ne per ætatis adhuc imbecillis obtentum, ſancti loci regulam violes: ne rigorem, atque ſeueritatem beatæ conuerſationis enerues: ne mutari velis ſolitam ſeueritatis conſuetudinem: ne peregrinæ adinuentionis præſumas ſuperinducere nouitatem. Nam & ipſe, qui Magiſter eſt Angelorum in cælo, morem in terra tenuit, quem inuenit: nec dedignatus eſt terrenam ſeruare conſuetudinem, qui venerat exhibere cæleſtem. Nam, vt infinita prætercam, cur ſibi caput, ac pedes vnguento conſpergi muliebri miniſterio paſſus eſt, niſi quia Paleſtinæ, atque Iudaicæ regionis mos erat, vt eius accolæ crebrius vngerentur? Hinc eſt enim, quod ait: Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum. Et quid mirum, ſi Dominus in vita ſeruauerit morem patriæ, quem & ſepulturæ ſuæ ſacroſanctis exequiis non dedignatus eſt cuſtodire? Sic enim Ioannes refert: Ioſeph ab Arimathia, & Nicodemus acceperunt corpus Ieſu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos Iudæis eſt ſepelire. Cum ergo is, qui eſt ipſa ſapientia, per quam cuncta ſunt condita, in his etiam rebus, quæ nullius pæne videntur eſſe momenti, traditionem hominum ſeruare non reſpuit; quantę præſumptionis eſt, ſi diſciplinę quis regulam frangat, quam a ſanctis Patribus traditam non ignorat?

Exemplo Chriſti regulares conſuetudines ſeruare debemus.

Matt. 16. v. 9. Luc 7. v 3. Ioan. v. 39. 12. v. 3. Matt. 6. v. 17. Ioan 19. v 40.

Inter cætera igitur ſanctæ conuerſationis inſignia, quæ videlicet & in aliis florere conſideras, & tu ipſe, diuina ſuffragante clementia, iam irreprehenſibiliter ſeruas, vnum præ cęteris caue, ne correptiones aliquando grauiter feras, ne qualibet occaſione redargui a tuis quoque iunioribus erubeſcas. Quod videlicet huius loci tam familiare eſt, atque natiuum; vt qui † corripitur, fugit, nobiſcum habitare non poſſit. Ad hoc enim homo de ſæculo, magiſterio regularis diſciplinæ ſubmittitur, vt rubiginem, quam de mundo lenocinante contraxerat, aſperæ correptionis

Correptiones æquo animo ferentium emolumenta.

† correptus.

reptionis lima detergat. Vnde est, quod Sapientia loquitur in Prouerbijs: Conuertimini ad correptionem meam, en proferam vobis spiritum meum. Non enim dixit: ad blanditias meas: sed conuertimini, inquit, ad correptionem meam. Vnde quibusdam corripi dedignantibus ait: Mane consurgent, & non inuenient me: eo quod exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec acquieuerint consilio meo, & detraxerint vniuersæ correptioni meæ. Hinc admonet, dicens: Disciplinam Domini, fili mi, ne abijcias: nec deficias, cum ab ipso corriperis: quem enim diligit Dominus, corripit: & quasi pater in filio complacet sibi. Iure scilicet non hominis, sed Domini correptio dicitur, cum in amore Christi a proximo in proximum quælibet seueritas irrogatur: & nimis a sapientia deuiat, qui superbum cor diuinis increpationibus non inclinat. Vnde & idem Salomon ait: Qui diligit disciplinam, diligit sapientiam; qui autem odit increpationes, insipiens est. Quapropter idem insipiens in Prouerbiorum libro conqueritur, dicens: Cur detestatus sum disciplinam, & increpationibus non acquieuit cor meum, nec audiui vocem docentium me, & magistris non inclinaui aurem meam? At contra, quisquis increpationibus æquanimiter acquiescit, de catalogo sapientum non recedit. Vnde scriptum est: Auris, quæ audit increpationem vitę, in medio sapientium commorabitur: qui vero abijcit disciplinam, despicit animam suam. Vitrici denique priuignis indulgent: patres dura plerumque verbera proprijs pignoribus adhibent. Illi nimirum odientem pascunt: isti vero diligentes erudiunt, & affligunt. Vnde scriptum est: Qui parcit virgæ, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit. Et alibi: Melior est manifesta correptio, quàm amor absconditus. Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis. Iterum scriptum est: Erudi filium tuum, ne desperes: ad interfectionem eius ne ponas manum tuam. Ad interfectionem quippe filij paterna manus ponitur, cum in eum, quem nequiter agentem conspicit, non modo non inuehitur, sed eius insuper plectendis actibus delectatur: & plausibilibus non veretur verbis extollere, quem duris debuerat verberibus coërcere. Quisquis ergo sapiens est, austeritatis illatæ duritiam animæ suę vulneribus deputat medicinam. Vnde scriptum est: Si corripueris sapientem, intelliget disciplinam. Et iterum: Plus proficit correptio apud prudentem, quam plaga apud stultum. De quo etiam prudente dicitur: Qui patiens est, multa gubernatur prudentia, qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam. Stultitiam quippe suam exaltat impatiens, quia quo per impatientiam suam a quibuslibet frequentius læditur, eo quotidianis contra eos iurgijs atrocius efferatur. Vnde legitur: Semper iurgia quęrit malus; angelus autem crudelis mittitur contra eum. Crudelis angelus contra quærentem iurgia mittitur, quia dignum est, vt mentem, in qua crudelitas habitat, crudelis possessor inuadat; quia, sicut dicit Apo-

Prou.1.v.23. Ibid.v.29. Prou.3.v.11. Prou.12.v.1. Prou.5.v.12. Prou.15.v.31. Diligentium patrum est filios corripere. Prou.13.v.24. Prou 27. Prou.19.v.18. Sapientis est amare correptionem, stulti odisse. Prou.19.v.25. Prou.17 v.10. Prou.14 v.29. Prou.17.v.11.

stolus, ira dæmonium habet. Vnde illic, mox vt crudelem mitti contra
Prou.17.v.12 impatientem docuit, præsto subiunxit: Expedit magis vrsæ occurrere, raptis fœtibus, quam fatuo confidenti sibi in stultitia sua. De hoc fatotuo, & impatienti scriptum est: Noli esse amicus homini iracundo,
Prou.22.v.24 neque ambules cum viro furioso; ne forte discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ. Porro sicut æger, qui non capit antidotum, moritur, ita qui non potest corripi, nequit ab animæ suę languoribus releuari. Vnde rursus per Salomonem dicitur: Noli subtrahere a puero
Prou.23.v.13 disciplinam: si enim percusseris eum virga, non morietur: tu virga percutis eum, & animam eius de inferno liberabis. Vis audire, quid illis im-
Prou.29.v.1 mineat, qui respuunt corripi? Qui dedignantur a senioribus obiurgari? Viro, inquit, qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus ei superueniet interitus, & eum sanitas non sequetur. Vbi & paulo post
Ibid.v.17 subditur: Erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delitias animæ tuæ. Enimverò equo adhuc indomito pes insubtelle percutitur, vt postmodum clauis affigi ferrum sibi suppedaneum patiatur. Rudi quoque tauro circulus lentę vitis innectitur, vt assuetus hoc proculdubio discat, quatenus iugum postmodum detrectare non audeat. Sic iunior quique frater etiam tunc obiurandus est, cum non peccat: vt disciplinam veræ correptionis postmodum æquanimiter ferat. Quo contra, de non correpto scriptum est: Qui delicatè a pueritia nutrit ser-
Prou.29 v.21. uum suum, postea illum sentiet contumacem. De quo videlicet
Eccli.33.v.25 seruo vir Sapiens ait: Cibaria, & virga, & onus asino; panis, & disciplina, & opus seruo.

Nec ob id tibi, fili charissime, tot Scripturarum testimonia coaceruo, vt sanctæ indolis tuę moribus hæc iudicem expedire; sed hoc potius, vt coæuis tuis ex tua valeam occasione consulere. Non enim vas Ierichontinis plenum aquis, nobis allatum est: quas ego scilicet, instar Elisæi, cælestis sapientiæ sale conspergerem, & sic eas amaritudine defæcarem. Sed nec ollam te plenam † coloquintidis præbui-
4.Reg.2.v.21 sti, cuius amarissimum gustum trita diuini verbi farina in dulcedi-
4.Reg.4.v.41 nem verteret, sicque Prophetarum filiis comestibilem exhiberet. Non
† Colocyntidis. enim arundo visa es in deserto vento agitata, sed illa potius, quæ mel
Matt.11.v.7. protulit, vnde præcursor Domini Ioannes vixit. Aduexisti, frater, aluearium fauis distillantibus plenum; præbuisti te nobis agrum non ligonibus sarriendum, sed plenis iam falcibus desecandum: non scilicet paliuris, ac vepribus inhorrescentem, sed exuberantium messium decore flauentem. Quo contra, de negligente, ac fatuo vir Sapiens dicit:
Prou.24.v.30 Per agrum hominis pigri transiui, & per vineam viri stulti; & ecce vrticæ omnia repleuerant. Impatientibus sane correptiones quasi gladii sunt, sed si volunt, vt hi gladii vertantur in falces, hirsuta vitiorum suorum dumeta, quibus horrent, permutentur in messes. Vnde Propheta

Impatientibus correptiones sunt quasi gladij.

cum præmisisset de Saluatore nostro, quia iudicabit Gentes, & arguet
Esa.2 v.4. populos multos; protinus addit: Et conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. Nimirum, congruus ordo, dum primum

quidem peccator arguitur: deinde gladij in vomeres, & lanceæ conflantur in falces. Nam, dum impatiens quispiam per disciplinam mitior factus, tanquam planus ager increpationis cultro proscinditur, deinde suaui semine sanctæ prædicationis aspergitur, & sic demum fœcunda bonorum operum fruge vestitur: huic scilicet & gladij facti sunt vomeres, & lanceæ conuertuntur in falces. Quia qui reprehendi prius tanquam gladio perfodi deuitabat, nunc & vomerem sacræ doctrinę libenter sustinet, vt fruges ferat: & falcem supernæ messionis expectat, vt horrei cælestis promptuarium repleat. Spiritualis plane quisque conuentus, si fraterni zeli frequenti correptione non vtitur, Israëliticæ plebis mystica laborat inopia: quæ videlicet, incipiente Saul Regis imperio, fabrum ferrarium non habebat. Dicit enim Scriptura: Quia faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Israël. Porro sicut ferrum reliqua metalla fortiter edomat; ita correptionis malleus vitia delinquentium reprimit, & quasi cudendo rigidæ mentis duritiam frangit. Hinc est, quod de ipso fabrorum spiritualium Principe per Esaiam dicitur: Ecce ego creaui fabrum sufflantem in igne prunam, & proferentem vas in opus suum. De ferro quoque Ecclesiastes dicit: Si retusum fuerit ferrum, & hoc non vt prius, sed hebetatum erit, multo labore exacuetur, & post industriam sequitur sapientia. Sed Philistæi de terra Israël fabros ferrarios tollunt, cum maligni spiritus falsæ pietatis obtentu, zelum correptionis de fratrum labijs auferunt. Vnde & illic subditur: Cauerant enim Philistæi, ne forte facerent Hebræi gladium, aut lanceam. Vnde paulo post: Retusę itaque erant acies vomerum, & ligonum, & tridentium, & securium, vsque ad stimulum corrigendum. Dum Philistęi timent gladios, tollunt fabros; vt dum armorum fabricatura compescitur, non sit etiam qui cętera exercendi laboris vtensilia fabricetur. Apostolo quippe testante; Gladius spiritus est verbum Dei. Hunc gladium, quia peruersi timent spiritus, fabros de terra Israël auferunt; dum eos, qui redarguere delinquentium errata debuerant, à tenenda censuræ disciplina compescunt: & hac negligentiæ dissolutione contingit, vt in seruorum Dei quibusque conuentibus, non modo sacræ prædicationis sermo cesset audiri, sed & honestarum artium exercitia desinant frequentari. Nam quia districta magisterij eos disciplina non reprimit, proprijs voluntatibus dediti, scribere nesciunt; arti honestæ, vel manuum exercitia nulla condiscunt; cum Apostolus dicat: Qui non laborat, non manducet. Quæ nimirum cum sibi sint necessaria, sæculares viros, vel etiam reprobos adeunt; quoniam hæc apud se reperire non possunt. Vnde illic dicitur: Descendebat ergo omnis Israel ad Philistijm, vt exacueret vnusquisque vomerem suum, & ligonem, & securim, & sarculum. Israel ergo ad Philistæos non ascendit, sed descendit, vt vtensilia suæ necessitatis exacuat; cum sancti ordinis viri ad secularium ima declinant

In religiosis conuentibus ad regularem disciplinam necessaria est correptio.

3. Reg. 13. v. 19.

Esa 54. v. 16.

Eccl. 10. v. 10.

1. Reg. 13. v. 19.

Ibid v. 21.

Ephes. 6. v. 17.

2. *Thess.* 3. v. 10.

1. Reg. 13. v. 20.

credentium numerum à prauitatis suæ statu deiicere, atque ad humilitatem Christi per sanctæ prædicationis officium inclinare? Nam quia Samson interpretatur sol; postquam mundo sol iste resplenduit, postquam miraculorum, atque signorum suorū per orbem terrarum radios sparsit, omnium mox sibi resistentium colla perdomuit, eosque à superbiæ vitæ suæ rigore prostrauit. Tu quoque, fili mi, vt prædicandi sortiaris officium, imitare vel asini, de quo dictum est; vel etiam ouis exemplum. Quæ nimirum cum viuit turpiter † beat, mortua verò in instrumentis musicis suauiter cantat: Sic & qui carnaliter viuūt, balare cum ouibus inaniter possunt, nauiter explere prædicatoris officium nequeunt. Dicit etiam Propheta: Laudate Dominum in tympano, & choro. Corium quippe non sonat, nisi siccum relinquens, humor abscedat, Si ergo vis, vt tympanum, vel chorda tua clarum in auditorum cordibus sonitum reddat, omnis à te vitæ carnalis humor euaneat; mens tua ab omni fluxu luxuriæ prurientis arescat. Nam & frigus concretum pectori, vocem intercipere consueuit. Si vis ergo Dei verbum claris vocibus intonare, caue ne diuini amoris in te flāma tepescat, ne tibi principis in Aquilone sedentis algor obrepat. Hoc denique frigus iam tunc ille conceperat, qui deambulanti Domino ad auram paradisi post meridiem, raucis quodammodo vocibus respondebat: Audiui, inquit, vocem tuam, & timui, eo quod nudus essem, & abscondi me. Porro quia meridianus ab illo iam feruor abierat, aura quoque frigoris est alumna. Huc accedebat, quia & illum iam innocentia sublata nudauerat. Hæc omnia quid aliud innuunt, quàm quia illius viscera extincti amoris algor obstrinxerat, atque ideo vox illius in auribus Domini raucum sonabat? Hoc frigore iam & Heli sacerdos constrictus obtorpuerat, qui filiis suis aiebat: Non est hæc bona, filij mei, fama, quam ego audio, vt transgredi faciatis populū Domini. Nam quia prædicatoris huius guttur ab amore Domini algor occluserat, iccirco vox eius quodammodo rauciens, in filiorum suorum cordibus efficaciter non sonabat. Si vis ergo vocem habere vel in prædicationibus intonanté, vel in orationibus efficacem, satage semper, vt te diuinus feruor accendat, ne vocem tuam torpor frigoris intercipiat. Frigidæ quippè mentis oratio, vel prædicatio non admittitur, & tamquam vox rauciens non auditur. Ab hoc planè frigore Abraham alienus extiterat, de quo Scriptura pronunciat: Quoniam apparuit ei Dominus in conualle Mambræ, sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso feruore diei. Et Sponsus ille cælestis, sicut in Canticis dicitur, pascit, & cubat in meridie. Enimuerò cum te cordis acumen permouet ad querelam, quid aliud agis, quàm aduersus Deum per eadem, quæ Deus contulit, arma confligis? Et cum ingratum esse Deo non parui sit criminis, formidolosè tibi cauendum est, ne inde contra Deum prosilias in tyrannidem, vnde gratiarum illi debueras actionem: & dum scientiam, quæ inflat, immoderatius flagitas, charitatem, quæ

Quid in concionatore requiratur.
† balat.
Psal. 150. v. 4.
Esa 14. v. 13.
Gen. 3. v. 10.
1. Reg 2. v 24.
Feruens oratio, ac prædicatio quàm efficax.
Gen. 18. v 1.
Cant. 1. v. 6.
1. Cor. 8. v. 1.

ædificat, insipienter offendas. Quî enim scis, vtrum dispensator meritorum omnipotens Deus ad hoc tibi subtilioris ingenij perspicaciam, agilitatemque contulerit, vt iam tibi quodammodo signum futuræ remunerationis ostenderet: & occidentem illam scientiam, quam pro illius amore spreuisti, viuaci mentis acumine compensaret? Nam cum litteræ oriantur ex sensu, non sensus procedat ex litteris; cui sensus incolumis est, litteras non requirit. In litterario quippe ludo, vbi pueri prima articulatæ vocis elementa suscipiunt, alij quidem abecedarij, alij syllabarij, quidam vero nominarij, nonnulli etiam calculatores appellantur: & hæc nomina cum audimus, ex ipsis continuo, qui sit in pueris profectus, agnoscimus. Cui vero per donum sancti Spiritus intellectus aperitur, quia per conceptum vigorem viuacis ingenij cuncta facilè comprehendit, his ad discendum gradibus magnopere non egebit. Sicut de tribus illis pueris dicitur: Quia dedit illis Deus scientiam, & disciplinam in omni libro, & sapientia; Danieli autem dedit intelligentiam omnium visionum, & somniorum, ita vt Babyloniorum sapientes ad eorum prudentiam non attingerent, eosque magi, arioli, vel aruspices in mysteriorum cælestium reuelationibus non æquarent.

Quomodo Spiritus sanctus nos doceat.

Dan.1.v.17.

Sed, & veteribus omissis, ad modernos iterum veniamus. B. Benedictus ad litterarum studia mittitur, sed mox ad sapientẽ Christi stultitiam reuocatur: & quia scholam pia rusticitate mutauit, hoc de se scriptum reliquit in capisterio mulierculæ, quod de se mundi sapientes exprimere nequeunt in mensa Geometricæ, vel Astronomicæ disciplinæ. Litteras & Martinus ignorat: sed hic fatuus, & imperitus perditas triũ mortuorum animas ab inferis reuocat. Antonius non rhetoricatur, sed toto conspicuus orbe, litteris, vt ita loquar, vitalibus legitur. Hilarion, Platones, & Pythagoras proijcit, vnoque contentus Euangelio, in sepulchrali se cellulæ antro concludit: sed ecce, dæmonibus imperat, quem Philosophorum studia non exornant. Quæ si tu quoque apud sæculum, vt efflagitas, didicisses, fortassis hodie Dominus intra sortis suæ te funiculum non haberet. Est enim sapientia de qua scriptum est: Nam per sapientiam sanati sunt, quicumque placuerunt tibi, Domine, ab initio. Et est sapientia, de qua dicitur: Non est hæc sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Et, ô quantis hæc ipsa terrena, & animalis sapientia concessit non iter prosperum; vt videlicet antè corruerent in periculum mortis, quam fruerentur optatis.

Sancti viri sine litteris illustres.

Sap.9.v.19.

Iacob.3.v.15.

Gualterus plane, magistri mei, scilicet Iuonis, socius fuit, qui per triginta ferme annos ita per occiduos fines sapientiam persecutus est, vt de regnis ad regna contenderet: & non modo Teutonum, Gallorum, sed & Saracenorum quoque Hispaniensium vrbes, oppida, simul atque prouincias penetraret; sed mox vt studijs toto, vt ita loquar, orbe corrasis, exilium habitatione mutauit, & iã velut in pace cõpositus, docere

Iuo S. Doctoris magister.

Humana sa[pien]tia multis [peri]culis subiacet.

pueros cœpit: æmuli sui, cuiusdam videlicet alterius sapientis necessarij, vel fautores eum simpliciter gradientem ex insidiis occiderunt, qui confossus gladijs, non sacerdotes, vt mihi relatum arbitror, petiit: non de transactis confessionem, vel pœnitudinem gessit; sed vsque ad vltimum spiritum hoc solum inclamare non desiit: heu quale damnum! Si quid autem vel de confessione facienda, vel aliud quid dicebatur; ille iam alienatus, hoc solummodo repetebat: heu quale damnum! Hic itaque velut Arachne inextricabilia, vt sibi videbatur, subtegminis fila contexuit: sed mox, vt ea ventus vltimæ necessitatis impulit, protinus in nihilum omnia dissipauit. Anni quippè nostri, testante Propheta, sicut aranea meditabuntur. *Psal. 89. v. 9.*

Vgo Parmensis Ecclesiæ clericus quot vtilitatum dotes habuerit, nõ enumero; quia laciniosi styli deuito fastidium. Hic tantæ fuit ambitionis in artium studijs, vt astrolabium sibi de clarissimo prouideret argento: & dum spiraret ad Episcopale fastigium, Conradi Imperatoris se constituit Capellanum: à quo dum reuertitur regijs pollicitationibus cumulatus, & de consequenda dignitate pænè non dubius incidit in latrones. Presbyter enim quidam in Teutonicis partibus, qui laicum habebat asseclam, pascentes equos illius tentauit inuadere. Cui dum ille sese impiger obiecisset; Presbyter eum lancea confodiens, interemit: & tunc liquidò deprehendit, nil fuisse, quod didicit, dum simul amisit & irridentis vitæ dulcedinem, & concupiti culminis dignitatem. Præterea sæpe contingit, vt nonnulli carnaliter sapientes & diutius viuant, & numquam valeant inuenire, quod optãt. In sapientiæ quippe suæ vanitate confisi, dum sperant facilè cuncta superere, arbitrantur vtique se religionis testimonio non egere: & dum inanem sapiẽtiam iactant, insipienter viuere non formidant. Quamobrem à se conspicientibus eorum actus exploditur, vita conspuitur, conuersatio deridetur, fama polluitur, testimonium cõdemnatur; ideoque qui proposuerant ad votum carnis viuere, in contrarium versa sententia, sæpè compelluntur egere; cum è diuerso quippe simplices, & quieti rebus exuberent necessarijs. Vnde per Esaiam Dominus dicit: Pro eo quod vocaui, & non respondistis, locutus sum, & non audistis; & faciebatis malum in oculis meis; & quæ nolui, elegistis, propter hoc ecce serui mei comedent, & vos esurietis: ecce serui mei bibent, & vos sitietis; ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini: ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore, & præ contritione spiritus vlulabitis.

Ambitiosi pœna. *Mundanæ sapientiæ effectus.* *Esa. 65. v. 12.*

Hodieque certe in Romana Vrbe frater aduiuit, ortus de summis proceribus Galliarum, cuius nomẽ taceo, quia fratris ignominiam perhorresco. Cui, nescio, an aliquid vtilitatis desit. Tot siquidem exteriorum bonorum floribus enitescit: nobilis, vt Imperator; pulcher aspectu; quodammodo sicut Tullius loquitur; vt Virgilius poëtatur;

tuba vehemens in Ecclesia: perspicax, & acutus est in lege diuina; scholasticè disputans, quasi descripta libri verba percurrit; vulgariter loquens, Romanæ vrbanitatis regulam nō offendit. Quid de monachico prosequar ordine? Quid de regularis magisterio disciplinæ? In quorum videlicet notitia ita conualuit; vt hęc docere nauiter possit: sed eius, proh dolor! talis est vita, vt eum alteri nullus inuideat: ad se introducere nemo deposcat: & vt rem non diutius protraham, stulto sapienti monasterialis ad habitandum ianua clauditur: cuius passim rusticis, & imperitis, ac discolis aditus non negatur. Vnde rectè vir Sapiens ait: Melior est homo, qui deficit sapientia, & deficiens sensu in timore; quam qui abundat sensu, & transgreditur legem Altissimi.

Litterarum studia sine virtute sunt infœcunda.

Eccl.19 v.21.

Quod etiam in domino meo Leone probatur incluso. Posuimus enim stulte peritum, apponamus etiam sapienter indoctum. Hic plane Leo (cum præter Psalmos, aut nescio quid tenuissimum, & extremum) litteras non didicerit, grammaticos quoslibet, ac mundi philosophos in scripturarum notitia, & consiliorum spiritualium profunditate præcellit: vt quicumque ad illum de quouis animæ negotio consulentes accedimus, suscipientes ab eo verbum, ita confidimus, ac si prophetici spiritus oraculum reportemus. Sed quoniam & tibi apprimè notus est, & opusculis nostris frequenter insertus, sufficiat vnum hic verbum proponere, quod nuper ab eius ore quasi negligenter cecidit: sed a me negligenter audiri non potuit. Nam cum inter cætera spiritualiter viuendi capitula solerter inquirerem: vtrum ille post solutum nocturnæ synaxis officium, posset dormire, si vellet, hoc se funditus nescire perhibuit. Cumque idipsum ego sępius iterarem, & an ille circa diluculum dormiret perquirerem: respondit ille, se hoc omnimodis ignorare, quia numquam penitus expertus esset: subiunxit etiam, se suis assuetum cogitationibus respondere: accidietur, inquit, cor, palpitent oculi, os per crebra balaustia gannire non cesset, caput etiam nutet, & in ima deuergat: sed quia hęc omnia me perimere nequeunt, ad consentiendum huius temporis somno, nullatenus superabunt. Nam & nos super hac re distichum feceramus, quod hic inserere, otiosum esse non ducimus.

Leonis inclusi cælestis sapientia, & sanctitas.

Somni victoria.

Non canonem soluit, qui psallens nocte redormit:
Ne tamen hoc passim ponat caput ante Synaxim.

Sed heu me miserum, hoc inter me, & Domnum Leonem, quod inter fortissimum Dauid, & delirum euenit histrionem. Ille siquidem viribus fortia fecerat: iste sola voce triumphalia eius gesta decantat. Ille nimirum se Deo nouit per somni mactare conflictum; nos versiculos facimus ad similitudinem puerorum. Et quale, quæso, est effœtum viribus, ac tenuissimi corporis hominem iam per septuaginta fere annos in monastico habitu degere: & adhuc vtrum diurnæ lucis erumpente crepusculo, dormire valeat, ignorare? Hic itaque prudens, hic vere dicendus est sapiens, qui dum mundum calcibus abijcit, ipsum mundi principem philosophando deludit.

Benedictinorum eremitarum Regula ante S Romualdū vsui erat. Consi Schol.

Ad Deum accedentes humanis disciplinis non indigent.

Quocirca, dilectissime fili, noli huiusmodi sapientiam quærere, quæ tibi simul cum reprobis, & Gentilibus valeat conuenire. Quis enim accendit lucernam, vt videat solem? Quis scolacibus vtitur, vt stellarum micantium videat claritatem? Ita qui Deum, vel Sanctos eius, sincero quęrit intuitu, non indiget peregrina luce, vt veram conspiciat lucem. Ipsa quippe vera sapientia se quærentibus aperit, & sine adulterinæ lucis auxilio, lucis inocciduæ se fulgor ostendit. Vnde scriptum est: Clara est semper, & nunquam marcescet sapientia: & facile videtur ab his qui diligunt illam: & inuenitur ab his, qui quærunt illam, præoccupat eos, qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat. Illam ergo sapientiam quære, illam totis visceribus ardenter amplectere, ex qua non modo valeas sapere, sed & viuere, ac per eam sine fine gaudere. In Deo igitur, qui vera est sapientia, quærendi, & intelligendi finem constitue: hunc assiduus meditare, in eo iugiter requiesce. Cui scilicet in eodem Sapientiæ libro dicitur: Nosse enim te, consummata iustitia est; & scire iustitiam, & virtutem tuam, radix est immortalitatis. In illo igitur defige totum tuæ mentis obtutum, ab illo sapientiæ fonte sume sitibundi pectoris haustum: vt in visceribus tuis illius vitalis poculi vigore concepto, & ipse cælestis gratiæ madore iugiter vireas, & in alios distillantia fontis irrigui fluenta transfundas. Et quæso, vt hoc per te quandoque Deus omnipotens exhibeat fratribus tuis, quod per Esaiam promisit pauperibus suis: Egeni, inquit, & pauperes quęrunt aquas, & non sunt: lingua eorum siti aruit. Ego Dominus exaudiam eos, Deus Israël non derelinquam eos. Vbi mox sequitur: Aperiam in supinis collibus flumina, & in medio camporum fontes, ponam desertum in stagnum aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum.

Sap. 6 v. 13.

Sap. 15. v. 3.

Esa. 41. v. 17.
Ibid. v. 18.

Quoniam igitur, fili charissime, temetipsum velut agnum tenerrimum obtulisti: & hoc dęmones per aëra volitantes incursant, vt vel ex manibus tuis oblata diripiant, vel iniecta prauæ cogitationis illuuione corrumpant; tu cum Abraham imminentes ad impetum volucres abige, vt holocaustum tuum immaculatum, & integrum valeas custodire. Ex eorum quippe pharetra proculdubio toxicata cogitationis huius sagitta depromitur, vt litterarum studia remanentibus in sęculo coæuis tuis inuideas: & in hoc eos cautos, ac prouidos; te vero deceptum, & fatuum credas: vt pote si hoc & ipse fecisses, quasi gratiorem tunc hostiam Deo tuę conuersionis offerres: sed hoc totum Deo veraciter obtulisti, quidquid, ad meliorem, ac manentem substantiam properans pro amore illius acquirere contempsisti. Melius est autem totum simul offerre, quàm particulariter dispensare. Sicut enim melius est ouem dare, quàm fructus ouis; ita laudabilius est totam artem Deo simul offerre, quam fructus artis. Iulianus Cæsar, & Donatus Martyr vno tempore didicerunt. Et ille quidem permansit in studijs; hic secutus est vestigia veritatis. Sed ille in sapientia sua tam fæliciter floruit, vt octo libros contra Galilæos (sic enim Christianos, vel Apostolos vocat) & Euange-

Gen. 15. v. 11.

Donati Episc. Aret. & Martyris, ac Iuliani Apostatæ studia.

lium scriberet: Donatus autem ita desipuit, vt cæleste fastigium cum triumphalis martyrij gloria penetraret. Ioannes Euangelista apud sęculum pæne nil didicit, sed spretis oratorum, dialecticorumque versutijs, ad simplicem Iesu stultitiam puerulus commigrauit. Hic tamen dum per libri sui principium summæ lucis mysterium terribiliter intonat, illico philosophorum cæca subtilitas in tenebrosa studiorum suorum profunditate caligat. Pręterea beatus Papa Gregorius artis grammaticæ disciplinam eotenus in suis laudat Epistolis, vt eam congruere deneget Christianis. Hieronymus ad tribunalia tremenda pertrahitur, flagris atrocioribus verberatur: cui tamen non aliud, quàm Ciceroniani nominis crimen impingitur. Deuotatur ille, hac se prorsus vltione plectendum, si sæculares libros vlterius legeret, ac si Christum per apostaticę perfidiæ sacrilegium denegaret. Dicebatur enim illi: Ciceronianus es, non Christianus. Et ille, si sæculares, inquit, codices vlterius legero, te negaui. Honesta satis, & vtilis sapientia: nimirum, quæ cum Christi negatione confertur, quæ hæreticæ perfidiæ comparatur; vt idem valeat eam legere, quod Deum negare. Si ergo is, qui terrenum illud dogma didicerat, ab eius compescitur vsu; quanto magis qui nec dum expertus est, ab eius prohibetur accessu? Si ille cohibetur a notis, quanto cautius iste reprimendus est a discendis? Discumbis frater, ad mensam Dei, sufficiant tibi dapes cælestis eloquij. Abijce lolium, quod in vesaniam comedentium mentes inebriat; suscipe frumentum, quod esurientium animas sobria refectione confirmat. Nec fauces animę tuæ vitalis escæ fastidiant alimentum; sed procul abijciant falsitatis ineptias, & quisquilias vanitatum. Omnipotens Deus, dulcissime fili, doctrina te suæ legis erudiat, vt cor tuum verę sapientiæ luce perfundat: te de manibus tuis viuentis hostiæ suscipiat holocaustum, & ad spiritualium prouehat incrementa virtutum: te semper in se manere concedat, & inuicem ipse in tuis visceribus delectabiliter requiescat: vt, sicut est ipse pollicitus, tamquam palmes in vite, numquam desinas pij operis germina pullulare. Amen.

Ioannes Euangelista vbi didicit.

MagnusGreg. Reg. lib. 9. Epistol. 48.

S. Hier. Ciceroniani studij pœnas dat. epistol 22. to. 1. ad Eustoch. de custod. virg.

EPIST. XVIII. Ad eumdem Ariprandum Monachum.

ARGVMENTVM.

Ariprandum tyronem in militia spirituali laudat, quod adolescens ad eremum se contulerit: monetque illum, vt exemplo Christi Domini regularem disciplinā non deserat, proinde æquo animo ferat non modo seniorū, verū etiam iuniorū correptiones, quæ ad animi labes abluēdas sui aliorūque profectū plurimi faciūt:

multa ex occasione dicit de bono correptionis, & cur, & an sine culpa S. Paulus S. Petrum obiurgauerit.

Ariprando fratri chariſſimo, Petrus peccator Monachus paternæ dilectionis affectum.

Ariprandus fuit à secretis S. Doctori.

EXigis, dilectiſſime fili, vt tibi aliquid ſcribam: & qui, me dictante, frequenter alijs ſcriptitas: vt tibi quoque aliquid ſcribatur imploras. Sed vnde ſcriptori congruentius incipiam ſcribere, quam a ſcribendi ipſius myſtica dignitate? In te quippe, qui ſcribis, tres ſunt digiti, & vna manus: cui vero ſcribis, tres ſunt perſonæ, & vnus Deus. Cum igitur ex diuerſis apicibus continuum ducis articulum, ad illum ſemper vnum tua dirigatur intentio, cuius in temetipſo per quamdam ſimilitudinem conſpicis ſacramentum. Et quia dum in ſcholarum adhuc gymnaſio inter adoleſcentulos ageres, & ephebi vultus florem necdum pubis vlla, vel tenuis lanugo veſtiret, feruor te ſancti Spiritus incitauit: vt non monaſteriale propoſitum, ſed eremi potius arriperes inſtitutum, caue, ne per ætatis adhuc imbecillis obtentum, ſancti loci regulam violes: ne rigorem, atque ſeueritatem beatæ conuerſationis enerues: ne mutari velis ſolitam ſeueritatis conſuetudinem: ne peregrinæ adinuentionis præſumas ſuperinducere nouitatem. Nam & ipſe, qui Magiſter eſt Angelorum in cælo, morem in terra tenuit, quem inuenit: nec dedignatus eſt terrenam ſeruare conſuetudinem, qui venerat exhibere cæleſtem. Nam, vt infinita prætercam, cur ſibi caput, ac pedes vnguento conſpergi muliebri miniſterio paſſus eſt, niſi quia Paleſtinæ, atque Iudaicæ regionis mos erat, vt eius accolæ crebrius vngerentur? Hinc eſt enim, quod ait: Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum. Et quid mirum, ſi Dominus in vita ſeruauerit morem patriæ, quem & ſepulturæ ſuæ ſacroſanctis exequijs non dedignatus eſt cuſtodire? Sic enim Ioannes refert: Ioſeph ab Arimathia, & Nicodemus acceperunt corpus Ieſu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos Iudæis eſt ſepelire. Cum ergo is, qui eſt ipſa ſapientia, per quam cuncta ſunt condita, in his etiam rebus, quæ nullius pæne videntur eſſe momenti, traditionem hominum ſeruare non reſpuit; quantę præſumptionis eſt, ſi diſciplinę quis regulam frangat, quam a ſanctis Patribus traditam non ignorat?

Exemplo Christi regulares conſuetudines ſeruare debemus.

Matt. 16. v. 9. Luc 7. v 3. Ioan. v. 39. 12. v. 3. Matt. 6. v. 17. Ioan 19. v 40.

Inter cætera igitur ſanctæ conuerſationis inſignia, quæ videlicet & in alijs florere conſideras, & tu ipſe, diuina ſuffragante clementia, iam irreprehenſibiliter ſeruas, vnum præ cęteris caue, ne correptiones aliquando grauiter feras, ne qualibet occaſione redargui a tuis quoque iunioribus erubeſcas. Quod videlicet huius loci tam familiare eſt, atque natiuum; vt qui † corripitur, fugit, nobiſcum habitare non poſſit. Ad hoc enim homo de ſæculo, magiſterio regularis diſciplinæ ſubmittitur, vt rubiginem, quam de mundo lenocinante contraxerat, aſperæ correptionis

Correptiones æquo animo ferentium emolumenta.

† correptus.

reptionis lima detergat. Vnde est, quod Sapientia loquitur in Prouerbijs: Conuertimini ad correptionem meam, en proferam vobis spiritum meum. Non enim dixit: ad blanditias meas: sed conuertimini, inquit, ad correptionem meam. Vnde quibusdam corripi dedignantibus ait: Mane consurgent, & non inuenient me: eo quod exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec acquieuerint consilio meo, & detraxerint vniuersæ correptioni meæ. Hinc admonet, dicens: Disciplinam Domini, fili mi, ne abijcias: nec deficias, cum ab ipso corriperis: quem enim diligit Dominus, corripit: & quasi pater in filio complacet sibi. Iure scilicet non hominis, sed Domini correptio dicitur, cum in amore Christi a proximo in proximum quælibet seueritas irrogatur: & nimis a sapientia deuiat, qui superbum cor diuinis increpationibus non inclinat. Vnde & idem Salomon ait: Qui diligit disciplinam, diligit sapientiam; qui autem odit increpationes, insipiens est. Quapropter idem insipiens in Prouerbiorum libro conqueritur, dicens: Cur detestatus sum disciplinam, & increpationibus non acquieuit cor meum, nec audiui vocem docentium me, & magistris non inclinaui aurem meam? At contra, quisquis increpationibus æquanimiter acquiescit, de catalogo sapientum non recedit. Vnde scriptum est: Auris, quæ audit increpationem vitę, in medio sapientium commorabitur: qui vero abijcit disciplinam, despicit animam suam. Vitrici denique priuignis indulgent: patres dura plerumque verbera proprijs pignoribus adhibent. Illi nimirum odientem parcunt: isti vero diligentes erudiunt, & affligunt. Vnde scriptum est: Qui parcit virgæ, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit. Et alibi: Melior est manifesta correptio, quàm amor absconditus. Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis. Iterum scriptum est: Erudi filium tuum, ne desperes: ad interfectionem eius ne ponas manum tuam. Ad interfectionem quippe filij paterna manus ponitur, cum in eum, quem nequiter agentem conspicit, non modo non inuehitur, sed eius insuper plectendis actibus delectatur: & plausibilibus non veretur verbis extollere, quem duris debuerat verberibus coërcere. Quisquis ergo sapiens est, austeritatis illatæ duritiam animæ suę vulneribus deputat medicinam. Vnde scriptum est: Si corripueris sapientem, intelliget disciplinam. Et iterum: Plus proficit correptio apud prudentem, quam plaga apud stultum. De quo etiam prudente dicitur: Qui patiens est, multa gubernatur prudentia, qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam. Stultitiam quippe suam exaltat impatiens, quia quo per impatientiam suam a quibuslibet frequentius læditur, eo quotidianis contra eos iurgijs atrocius efferatur. Vnde legitur: Semper iurgia quęrit malus; angelus autem crudelis mittitur contra eum. Crudelis angelus contra quærentem iurgia mittitur, quia dignum est, vt mentem, in qua crudelitas habitat, crudelis possessor inuadat; quia, sicut dicit Apo-

Prou.1.v.23.
Ibid.v.29.
Prou.3.v.11.
Prou.12.v.1.
Prou.5.v.12.
Prou.15.v.31.
Diligentium patrum est filios corripere.
Prou 13.v.24.
Prou 27.
Prou.19.v.18.
Sapientis est amare correptionem, stulti odisse.
Prou.19.v.25.
Prou.17 v.10.
Prou.14 v.29.
Prou.17.v.11.

quidem peccator arguitur: deinde gladij in vomeres, & lanceæ conflantur in falces. Nam, dum impatiens quispiam per disciplinam mitior factus, tanquam planus ager increpationis cultro proscinditur, deinde suaui semine sanctæ prædicationis aspergitur, & sic demum fœcunda bonorum operum fruge vestitur: huic scilicet & gladij facti sunt vomeres, & lanceæ conuertuntur in falces. Quia qui reprehendi prius tanquam gladio perfodi deuitabat, nunc & vomerem sacræ doctrinę libenter sustinet, vt fruges ferat: & falcem supernæ messionis expectat, vt horrei cælestis promptuarium repleat. Spiritualis plane quisque conuentus, si fraterni zeli frequenti correptione non vtitur, Israëliticæ plebis mystica laborat inopia: quæ videlicet, incipiente Saul Regis imperio, fabrum ferrarium non habebat. Dicit enim Scriptura: Quia faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Israël. Porro sicut ferrum reliqua metalla fortiter edomat; ita correptionis malleus vitia delinquentium reprimit, & quasi cudendo rigidæ mentis duritiam frangit. Hinc est, quod de ipso fabrorum spiritualium Principe per Esaiam dicitur: Ecce ego creaui fabrum sufflantem in igne prunam, & proferentem vas in opus suum. De ferro quoque Ecclesiastes dicit: Si retusum fuerit ferrum, & hoc non vt prius, sed hebetatum erit, multo labore exacuetur, & post industriam sequitur sapientia. Sed Philistæi de terra Israël fabros ferrarios tollunt, cum maligni spiritus falsæ pietatis obtentu, zelum correptionis de fratrum labijs auferunt. Vnde & illic subditur: Cauerant enim Philistæi, ne forte facerent Hebræi gladium, aut lanceam. Vnde paulo post: Retusę itaque erant acies vomerum, & ligonum, & tridentium, & securium, vsque ad stimulum corrigendum. Dum Philistęi timent gladios, tollunt fabros; vt dum armorum fabricatura compescitur, non sit etiam qui cętera exercendi laboris vtensilia fabricetur. Apostolo quippe testante; Gladius spiritus est verbum Dei. Hunc gladium, quia peruersi timent spiritus, fabros de terra Israël auferunt; dum eos, qui redarguere delinquentium errata debuerant, à tenenda censuræ disciplina compescunt: & hac negligentiæ dissolutione contingit, vt in seruorum Dei quibusque conuentibus, non modo sacræ prædicationis sermo cesset audiri, sed & honestarum artium exercitia desinant frequentari. Nam quia districta magisterij eos disciplina non reprimit, proprijs voluntatibus dediti, scribere nesciunt; arti honestæ, vel manuum exercitia nulla condiscunt; cum Apostolus dicat: Qui non laborat, non manducet. Quæ nimirum cum sibi sint necessaria, sæculares viros, vel etiam reprobos adeunt; quoniam hæc apud se reperire non possunt. Vnde illic dicitur: Descendebat ergo omnis Israel ad Philistijm, vt exacueret vnusquisque vomerem suum, & ligonem, & securim, & sarculum. Israel ergo ad Philistæos non ascendit, sed descendit, vt vtensilia suæ necessitatis exacuat; cum sancti ordinis viri ad secularium ima declinant

In religiosis conuentibus ad regularem disciplinam necessaria est correptio.

1. Reg. 13. v. 19.

Esa 54. v. 16.

Eccl. 10. v. 10.

1. Reg. 13. v. 19.

Ibid v. 21.

Ephes. 6. v. 17.

2. Thess. 3. v. 10

1. Reg. 13. v 20.

ab eorum se consortio subtrahebat: timens scilicet ex circumcisione credentibus, ne si eum conuesci Gentibus cernerent, perfidiæ periculum substinerent. Nam quia Petrus ita per omnia sentiebat, vt Paulus, Gentes scilicet obseruare ritus Iudaicos non debere, qui Actus Apostolorum legit, dubitare non poterit: immo huius sententiæ primus auctor Petrus inter Apostolos indubitanter inuenitur, cuius nunc à Paulo quasi præuaricator arguitur. Ait enim: Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neq; Patres nostri, neque nos portare potuimus? sed per gratiam Domini Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi. Volebat ergo Petrus permaximè coram omnibus argui, gaudebat obiurgantis inuectione confundi: vt id, quod inuitus agebat, correptus omitteret: & in eo, quod solus attentare timuerat, socium inueniret. Paulus ergo pro Petro cum restitit, eique proculdubio intrinsecus concordauit, quem extrinsecus arguit; alioquin, quomodo Paulus in alio condemnaret, quod ipse non dissimili necessitate compulsus, egisset? Nam propter Iudæos, qui legis obseruantiam, & veteres ritus tenendos esse perhibebant, & Timotheum, Gentilis videlicet hominis filium, circumcidit: & ipse votum soluens, sibimetipsi caput rasit, & sacrificium iuxta veteris legis cerimonias obtulit. In hoc ergo, quod Petrum corripere visus est, obsecundatus est, non auersatus: & non aduersus eum, sicut Porphyrius opinatur, superbè pugnauit, sed humiliter ministrauit. Hæc nimirum Pauli correptio ministerium fuit obedientiæ, non obiurgatio disciplinæ; non temeritas inuectionis, sed vnanimis concordia voluntatis. Tu itaque, dilectissime, cum super qualibet occasione corripieris, etiam si te deliquisse nequaquam conscientia reprehendat, quod obiectum est, libenter amplectere, culpabilem te coram fratribus tuis humiliter confitere. Quod nimirum & illis erit imitationis exemplum, & tibi proueniet in augmenta virtutum. Memento, quod per Salomonem dicitur: Melius est à sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi. Talis ergo sit voluntas tua, vt is etiam, qui te fortè durius arguet, cum tui cordis intentione concordet: & in eo, quod in te asper inuehitur, morigeretur potius, quam obluctetur. Præsentibus itaque conuersatio tua luceat, absentibus fama in benedictione redoleat. Esto, quod superius diximus, ager, & exuperãs copia segetum, & spirãs odoribus pigmentorum; vt in te quoque delectetur omnipotens Deus, & dicat: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Deus. Vt quoniam Ariprandus ipse vocaris, † ares autem virtus dicitur, tamquam ager vberrimus centeni feras fructus aceruum: & Deo prandium merearis offerre virtutum.

Act. 15. v. 10.

Act. 16. v. 3.

Act. 21. v. 24.

An B. Paulus peccauerit B. Petrum obiurgans.

Eccl. 7. v. 6.

Gen. 27. v. 27.

† ἀρετή.

EPIST. XIX. Ad Rodulphum, & Ariprandum Monachos.

ARGVMENTVM.

Ægritudinum suarum, quibus per plurimos dies malè vexatus fuerat, seriem exponens, nihil iracundè, nihil impatienter dicit: sed quasi alter Paulus in infirmitatibus suis gloriatur, vbique benedicens, & laudans Deum, & gratias agens Altissimo: ita vt insigne tolerantiæ, & fortitudinis exemplum præbeat.

Charissimis fratribus Rodulpho, & Ariprando, Petrus peccator Monachus intimæ dilectionis affectum.

VNanimis amicitiæ proprium est, vt cum fratre frater & prospera communicet, & aduersa, quatenus fideliter animus sicut referenti in aduersitate compatitur, ita nihilominus & in prosperis vnanimiter collætetur. Ego vero cumulatus vtroque, beatam vobis refero meæ calamitatis historiam, vt & superno verbere me patiamini vehementer attritum, & per eiusdem Dei nostri potentiam congaudeatis etiam clementer ereptum. Castigans enim castigauit
Psal.117.v.18. me Dominus, & morti non tradidit me. Oraueram planè quam sæpe, vt in me cælestis disciplinæ vigor irrueret, & petulantem mei corporis insolentiam non leui languoris ægritudine castigaret. In quo me diuina clementia non despexit, sed vltra spem precibus annuens, non sine fœnore mea vota compleuit. Dedit enim mihi Pentecosten
Leuit.25.v.9. lugubrem, non paschalem: &, vt ita dixerim, contulit mihi Iubileum, non sacerdotalium tubarum clangoribus intonantem; sed suspiriis potius, ac gemitibus lacrymabiliter obrepentem. Dominico nimirum die febricitans, in lectulum decidi: septemque transactis hebdomadibus, æque Dominico die, qui nimirũ quinquagesimus erat, Deo me resuscitante, surrexi; veruntamen lege dietæ, vt asserebant medici, per incuriam violata, vix tres, siue quatuor dies sub coloratæ sanitatis lenocinio mihi malè blanditi sunt; & ecce in recidiuam corruens, per viginti postmodũ dies eiusdẽ valetudinis laborare molestia non cessaui. Sic itaque post Iubileum non quietis, sed turbinis impleta est quodammodo septuagesima captiuitatis. Porro autem dum me tantæ passionis ardor exureret, dum mixtum flegmati sanguinem spuerẽ, dum tot certè imminentis obitus signa prætenderem, vt medici quoque circumstantes propemodum desperarent, hoc mihi dedit omnipotens

B. Petri Dam. admirabilis & imitatione digna in morbo patientia, & indifferentia.

Deus, vt in nullius querelæ murmur excederem, sed cuncta libenter, & ex animo tolerarem.

Gratias, inquam, ago tibi, misericors Deus, quia cum dignatus fueris sub peccatorum ruderibus meorum ad supplicium rapi, dignatus es me paternæ seueritatis igne decoquere, & animæ meæ rubiginem tamquam mallei cudentis impactione purgare. Quamobrem non mea voluntas fiat, Domine, quæ praua semper est, & iniusta; tua potius, quæ cæli virtutibus, & hominibus est humiliter adoranda. Vre, seca, concide, omnesque vulnerum meorum sinus, ac latebras perscrutare; nihilque prorsus in me lateat putridum, quod curationis tuæ præteruolet ferramentum. Nec tamen, dum hos disciplinæ cælestis ictus æquanimiter fero, meæ patientiæ, quod absit, adscribo. Tu nimirum, Domine, tu sic flagella tua, dum cædis, attemperas; vt dum ad summum doloris, & angustiæ perferor ita vt spasmum patiens, pæne mox expirare compellar, illico sentiam pondus intimi doloris imminui, & cædentis manum dispensatiua quadam lenitate suspendi; vt tamquam quadrifidam quis scuticam in verbere teneat, & interim pietate ductus, vnum ex his lorum à cæde compescat. Non ego itaque; sed tu clementissime, huius patientiæ auctor es, qui sub tanto modulamine motus tui flagella disponis. Licet enim elegiacum quid, & lugubre nimietate languoris aliquando depressus, effutire compellar, ardeo, morior, intercidor; hoc simplex corporis gemitus, non querulæ mentis est murmur. Vnum præterea, te rogo, piissime, vt modo vitæ meæ terminum ponas, nec me vlterius viuere in consuetæ ignauiæ tempore permittas. Quod si placet incomprehensibili tuæ maiestatis arbitrio, me in huius carnis ergastulo diutius protrahi, da mihi quæso, potiorem amoris tui vim, vel vberiorem compunctionis gratiam: aut certè cuiuslibet virtutis augmentum, quod hactenus non habuerim; alioquin numquã clementiæ tuæ placeat, vt euadam, nisi quantulacumque mihi virtutis gratia, quam nec dum sum consecutus, accrescat.

Dum hæc, & his similia frequentius itero; funereæ mihi parantur exequiæ, sacrati olei delibutione perungor: in cineris, ac cilicij strato, tamquam illico moriturus, exponor. Sicut enim fracta videlicet oui testa, & rotante cultello, vitellus egreditur: sic anima mea carnis vulsa visceribus, exitium minabatur. Interea frater quidam, Leo nomine, erat in eremo, grandæuus quidem ætate, sed venerabilior districtæ conuersationis studio, & simplicis animi puritate. Huic itaque per visum vir splendidus, ac præclarus apparuit: eumque quid ageret, inquisiuit. Cui se frater ille dormire quidem, sed tristem nimis esse de eminenti Prioris sui morte perhibuit. Et ille, dic, inquit, Petro Damiani, de quo loqueris, nullam in medicis spem ponat: centum tantummodo pauperes pascat, & protinus se conualescere de languore, quem patitur, non diffidat. Cui cum ille de meliori vtique vita sollicitus, diceret: Habebit ille, Domine, paradisum? Respondit: in paradiso quidem quanto-

Diuinitus B. vir valetudinem recuperat.

Antequam S. R. E. Card esset, Prioratus officio fungebatur.

cyus est; sed dic illi, quia mox vt pauperibus alimenta contulerit, resumpta protinus incolumitate, gaudebit. Euigilans itaque continuo frater ad Ecclesiam pergit, quam dum ingredi, conticinio noctis abnuente, non potuit; visione tamen attonitus, ad cellulam non rediuit. Quid plura? Visionem frater fratribus retulit, eleemosynam indigentibus ardenti desiderio frrterna charitas ministrauit, quibus etiam ex abundanti nummos adhibuit; & sic ego die altero, valetudine recedẽte conualui. Reparatio itaque sanitatis fidem præbuit visioni. Sed cum pisces omnino deessent, & languescente stomacho, capere alimenta nõ possem, cœperunt fratres importunis precibus vehementer insistere, vt saltem triduo esum carnium reparationi tabescentis, & effœti corporis indulgerem. Quorum vtique si precibus acquiescerem; quodcumque illis pœnitentiæ vellem pondus, iniungerem; pollicebantur vltronea se deuotione perferre. Quibus ego, quod olim Pharulphus Vrbis veteris Comes, qui centum millia mansos habere dicebatur, egerat, dedi ridiculæ delusionis exemplum. Enimuero, sicut mihi relatum est, dum ad mensam Comes ille discumberet, quidam illi Monachus assidebat, quem rogare cœpit; vt quia pisces deerant, dictante necessitate, carnibus vesceretur. Primo quidem ille negare, deinde sensim, paulatimque mollescere, postremo cœpit animum, hortatibus delectabiliter impellentibus, inclinare. Verrinus interea callus apponitur, & hoc non esse carnem, ac per hoc irreprehensibiliter comedi posse, vecors Monachus fallaciter adhortantium lenocinio suadetur. Fit itaque de illo, quod de stulto viro, atque à meretrice decepto, per Salomonem dicitur: Irretiuit, inquit, eum multis sermonibus, & blandicijs labiorum protraxit illum; statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciuiens, & ignorans, & nescit quod ad vincula stultus trahatur; donec transfigat sagitta iecur eius; velut si auis festinet ad laqueum, & nescit quia de periculo illius agitur. Hoc itaque modo captiosis, atque blandiloquis persuasionibus frater ille pellectus impingitur, & velut auis mollis viscarij compedibus irretitur. Verecunda denique prius ora rubore suffundens, ac intuentium se per circuitum oculos expauescens, summotenus primo ligurire cœpit: deinde semel edendi libertate concepta, prurientis gulæ fræna laxauit. Cumque iam satiatus existeret, & carnalis illecebræ vota complesset; ecce, permaximum lucium dapifer attulit, & in se conuescentium oculos, & ora conuertit. Cumque hunc & Monachus miraretur, & oculos in eum inhianti curiositatis auiditate defigeret, ait Comes: quia carnes tamquam laicus comedisti, piscem tanquam Monachus cur attendis? Planè si hoc tibi licuerit, versiculum illum congrue decantabis; Meus est Galaath, & meus est Manasses. Porro autem si carnibus abstinuisses, piscis iste tibi de industria seruabatur: sed quia carnibus appetitum carnis impleuisti, fauces tuas piscis hic post alimenta carnalis ingluuiei non transibit. Huius itaque non immerito

Eleemosynæ virtus.

Monachorũ beneuolentia in S Doctorẽ: eiusque etiam ægroti, a carnibus abstinẽtia.

Pharulphus Vrbis veteris Comes.

Sæculariũ familiaritas monachis perniciosa.

Pro. 7. v. 21.

Sæculares, monachos inobseruantes irrident.

Psalm 59. v. 9.

ritò confusionis ignominia dignus extitit, qui robur ingenui rigoris degeneri male blandientium suadela molliuit: digneque pertulit manifesti pudoris opprobrium, dum illicem, & occultius titillantem carnis non cohibuit appetitum. Sic, inquam, sic forte mihi faciet Dominus, fratres mei: vt cum obtinueritis edendis me carnibus acquiescere: dignetur mihi benedictionem piscium exhibere: & hoc modo pœniteat me per impatientiam gulæ violasse propositum, dum mihi videam ex Dei munere piscium exuberasse prouentum. Dictum, factumque est. Nam tertio die postquam hæc dicta sunt, & à Guidone Corneliensium Comite, & ex Fauentina Vrbe tot mihi delati sunt pisces, vt eorum mihi per plurimos dies edulium non deesset. Sic itaque per Pharulphi monachum deludentis exemplum, deterioris euasi confusionis opprobrium. Tolerabilius quippè est ab hominibus despici, quàm coram diuinitatis maiestate confundi. Guido Comes Fori Corneliensis.

Hæc vobis, dilectissimi, tamquam complicibus, & amicis, amicus exposui: meæque visitationis seriem, velut vterinis fratribus, vnanimi familiaritate digessi. Omnipotens Deus sanctis precibus vestris in anima quidem me reddat incolumem, corpori autem meo dignam meæ prauitatis inferat vltionem: quatenus clementissimum Iudicem, quem hic sensero per vbera duriora commotum, illic merear inuenire tranquillum. Hunc filium nostrum, dilectissimi, in vestra post Deum fiducia dirigo. Nam quidquid profecerit de causa, pro qua mittitur, vobis dumtaxat specialiter adscribetur.

EPIST. XX. Ad B. Monachum.

ARGVMENTVM.

Hortatur Monachum quemdam, ne alterius culpas purgandas suscipiat: si susceperit, subita, plenaque expiet pœnitentia. Ob idque adducit exemplum Monachi, qui cum fuisset negligentior in amici noxis abluendis, pœnas purgatorij subijt.

Domno B. fratri charissimo, Petrus peccator Monachus salutem, & fraternæ charitatis affectum.

QVod præsens sæpius inculcaui, nunc absens scribo: & ne fluctuantis materia more decurrat, funiculum scriptionis innecto; videlicet vt implere valentis pœnitentiam nullatenus inordinata charitate suscipias: quod si susceperis, instantissima, prout vires suppetunt, agilitate persoluas. Porrò cum canonica vetet auctoritas, vt pœnitenti sacerdos vnius diei ieiunium non relaxet, nisi ad præ-

ſens digni pretij taxatione per eleemoſynam compenſet: qua conſcientia tam metuendæ alienæ cautioni obligamur, qui, quam ſit propinqua vitæ noſtræ meta, non nouimus? Dominus planè Martinus, qui in Camaldulenſi eremo commoratur, vir videlicet diuerſis virtutibus adornatus, & præcipuè iugibus lacrymarum fluentis irriguus, mihi retulit, quod narro: Monachus erat, inquit, in maritimi territorij cœnobio, quod dicitur ad Pinum, multis peccatorum nexibus inuolutus, cui cum iuxta quantitatem lapſuum, auſterior, ac longa nimirum pœnitentia fuiſſet indicta; ille fratri cuidam, cui complex in amicitia familiarius adhærebat, ad comportandum pœnitentiæ pondus auxilium petijt. Quod frater ille deuotè ſuſcipiens, condictam pœnitentiæ partem tulit, atque perſoluendo huius debiti canone ſecurum manere præcepit. Sed dum ille partito leuigatus onere, à diſtrictioris vitæ cenſura remittitur; iſte ad ſolutionem debiti prolixioris ſibi vitæ ſpatium pollicetur, aliquanto poſt in ægritudinem cecidit, atque ſubito mortem, quam procul eſſe ſperabat, incurrit. Fuerat autem ille frater, quantum ad ſe, irreprehenſibilis vitæ, & opinionis inter fratres honeſtæ: non multis verò poſtmodum diebus pœnitenti monacho in ſomnis apparuit, quem ille protinus inquiſiuit: quid erga te, frater, agitur? quomodo tibi eſt? Male, inquit, & diræ: ſed propter te. Nam liber à proprijs, quia tuis me vinculis innodaui, & alienæ cautionis obnoxius non reddidi, nec perſolui, flagellis atteror, & amara ſatis animaduerſione coarctor: vnde quæſo, te, & qua valeo ſupplicatione, depoſco; vt vigiles pro te, ac liberes me: vade itaque, & ſanctum huius loci precare conuentum, vt debita meæ ſponſionis à me neglecta perſoluant: ſicque me, quæ præſto ſunt, ſupplicijs eruant. Expergefactus ille, fratribus, quod viderat, retulit; quod audierat, intimauit; preces expoſuit, efficaciter impetrauit. Porrò autem, cum iam fratres præfixam illius pœnitentiæ quantitatem diuerſis argumentorum ſpecialium exercitijs expleuiſſent: præfato monacho frater ille per viſum rurſus apparuit, eique feſtiuitatem ſereni ſatis, & alacris vultus oſtendit. Interrogatus iterum quid haberet; reſpondit, ſe per orationes fratrum non modo pœnalibus incommodis erutum, ſed etiam ad electorum ſortem mirabili dexteræ Excelſi immutatione nuper tranſlatum. Benedicta diuinæ clementiæ diſpenſatio, quæ per mortuos etiam inſtruit viuos: & dum alios verberat, alios qualiter à verberibus eripiantur, inſtruit. Audiſti, frater, hiſtoriam, eſto prouidus ad cautelam.

Martinus eremita Camaldulenſis.

Quidam pro alienis peccatis in purgatorio pœnas pro miſſas.

Qua ratione liberatus ſit.

EPIST. XXI. Ad Damianum Monachum ex sorore Nepotem.

ARGVMENTVM.

Damiano nepoti inter cæteras virtutes castitatem præcipuè commendat: quam, vt facilius tueatur, quotidie, vt Dominicum corpus percipiat, suadet. Deinde contra insidias dæmonis illum instruit. Postremo, vt se Priori commendet, petit: quem de hospitalitate seruanda admoneat.

Damiano charissimo filio, Petrus peccator Monachus paternæ dilectionis affectum.

QVia litterarum gerulus anxiè parat exire; non possum, quæ mittenda sunt, elimata styli digestione conscribere: teque volo, vt potius veri consideres sensum, quàm aucuperis lenocinia falerata verborum. Interim itaque, dum pręsto rescribere nequeo, sufficit hoc tibi simpliciter scribi, quod Timotheo velut æquæuo per Epistolam Apostolus præcipit: Dum venio, inquit, attende lectioni, exhortationi, atque doctrinæ. Cui nimirum iam & ista pręmiserat: Exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate. Et vt de cæteris virtutibus, quæ nunc per Epistolam enumeratæ sunt, interim taceam, castitatē, quam vltimam posui, non in membris tantummodo studeas seruare corporeis, sed hæc eadem permaxime regnet, ac vigeat in visceribus cordis. Nulla quippè virtus est, quæ in adolescentiæ flore grauiora certamina perferat, quam videlicet velut in camino surgentis incendij, titillantis illecebræ genuinus ardor impugnat. Sed cum super hoc themate nobis vberius disputare non liceat, quia præ nimia celeritate non vacat, quid mihi Imperatrix, Agnes olim scilicet aureo quidem diademate coronata, nunc autem multo fęlicius, & incomparabiliter eminentius in Regis æterni thalamo collocata, hesterno iam vespertini temporis elabente crepusculo, retulit, hic annotare succinctè, raptimque non pigeat: vt apud animum tuum, non tam laciniosa loquendi prolixitas, quàm insignis exempli dignitas conualescat. Porrò dum præfata Christi sponsa, & Beati Petri filia in omnium dispositione virtutum delectabiliter pascitur; in tractanda tamen castitatis, pudicitiæque mundiciæ propensius immoratur. Vnde factum est, vt dum nonnulla de salute animarum mutuis confabularemur eloquijs, & præcipuè quasi quosdam versaremus in manibus vernantis flosculos castitatis; illa hoc in

1. Tim. 4. v. 13.

Ibid. v. 12.

Castitatis virtus junioribus difficilior.

Agnes ex Imperatrice sanctimonialis.

Otto I. Italiæ regnum Berengario eripuit A C 951. Adelais Lotharij Regis, Ottonis I. mox vxor. Admirabilis in duabus puellis seruatæ castitatis ratio.

medium protulit: Postquam Imperator, inquit, Otto regnum Italiæ Berengario victor eripuit, captas illico duas eius filias in Teutonicas partes exilio transmigrauit. Quę nimirum, dum venusti vultus speciem, & insigni corporum pulchritudine Regum referrent generis dignitatem; cœperunt multi regni proceres Adalaidi Augustæ vehementer insistere, vt tam elegantis formæ decus dotali sibi mererentur copula sociare. Quæ nimirum puellæ dum omnes procos æqua prorsus dedignatione contemnerent, & mortale coniugium sanctæ superbiæ supercilio fastidirent; vna illorum duos pulcinos suis vberibus suppos uit, & tandiu inter vestem, & carnem, donec omnino putrescerent, occultauit. Cumque conspiceret homines ad suum venire colloquium, laxabat occultè vestem, & naribus colloquentium gaudebat exhalare fœtorem. Cumque colloquentes ei hanc quotidie narium paterentur iniuriam, tandem cessauit delusa sollicitudo quærentium; & Virgo Christi per simulatam carnis alienæ putredinem, inuiolabilem sui corporis seruauit integritatem. Vnde factum est, vt vtræque postmodum sorores eligerent sanctimoniale propositum, & vsque ad finem vitæ monachicum seruarent irreprehensibiliter institutum. Quamobrem pudeat, vel, ô fili, vitio libidinis eneruiter, vel in cogitatione succumbere, de quo cernis infirmiorem, & fragilem sexum, cum tanta gloria triumphare: &, vt frementem bestiam valeas, vt ita loquar, ex agro tui iuris expellere, satage te, frater, iam quotidie Dominici corporis, & sanguinis perceptione munire. Videat occultus hostis labia tua Christi cruore rubentia, quæ territus perhorrescat, & mox in tenebrarum suarum latibula pauescendo diffugiat. Quod enim tu per visibilem panis, ac vini speciem suscipis: ille velit, nolit, Dominici corporis, ac sanguinis intelligit veritatem.

Frequens Eucharistiæ susceptio est pręsidium castitatis.

Sacrosanctæ Eucharistiæ susceptione dęmon exterretur.

Panis sacratus diu seruatus in buxide, caro repertus est.

Porrò autem eadem mihi tunc venerabilis Regina narrauit, quod nuper in Vormaciensi ecclesia, dum longiori per negligentiam tempore Eucharistia reseruata fuisset in buxide, sola postmodum illic caro fuerit reperta. Ita dum curiosius in eam multorum visus intenderet, nil aliud, quàm veram, ac solidam carnem proculdubio iudicaret.

Rainaldus Cumanus Episcopus.

Rainaldus etiam venerabilis Cumanę ecclesię pontifex dum adesset, quod sibi paulo ante contigerat, veridicus enarrator exposuit: Presbyter, inquit, in Ecclesia, cui, Deo auctore, deseruio, hodieque nisi fallor aduiuit, qui tam paruam, ac tenuem in litterarum habet doctrina notitiam, vt apertè quoque scriptionis articulum syllabatim vix valeat legere: nimia tamen paupertate constrictus, vtcumque Missarum cogitur sollemnia celebrare. Hic aliquando dum sacri muneris Eucharistiam detulisset ægroto, vt erat vtique deses, ac negligens, aliquantulum Dominici sanguinis remansit in calice. Quod cum ille ad Ecclesiam rediens, comperisset: sed fastidio præpeditus, noluisset accipere; mox calicem lauit, & in labrum marmoreum, in quo erat aqua sanctifica, proiecit. Et, ô magnum diuinæ virtutis indicium! illam labri partem, quam

Dominici sanguinis virtus.

id quod effusum est de calice, contigit, in sanguineum ruborem repente conuertit, vbi scilicet duæ maiores guttæ sanguinis exprimuntur: sed neque illæ, neque aliæ, quæ iuxta videntur esse minusculæ, nullo possunt studio, vel ablui, vel abstergi, quo rubor impressi sanguinis aliquatenus valeat aboleri. Cum ergo purpureus ille cruor tam tenaciter hæserit in vase lapideo, quantum putamus ius sibi potestatis vindicat virtus illa cælestis in pectore Christiano? His itaque cęlestibus sacramentis, fili charissime, te frequentius munire non differas, quibus videlicet diabolicæ versutiæ, & subdolæ machinationis argumenta repellas. Pręcinctus erige, constanter, atque robustus sta semper in acie, nec ignores indeficientem aduersarium contra te infatigabiliter dimicare.

Interea, dum hæc loquor, & illud nunc ad memoriam redit, quod Hildeprandus Romanę Ecclesiæ Archidiaconus eisdem, qui superius memorati sunt, & Episcopo præsentibus, retulit: Duos, inquit, sanctos Monachos vidi, & non mediocrem apud eos locum familiaritatis obtinui; qui nimirum singulis morabantur in cellulis, apud monasterium, quod in loco constructum est, qui dicitur Aquis grani, quorum videlicet alter, qui maioris videbatur esse simplicitatis, Marinus; alter autem Romanus vocabatur proprio nomine. Sed Marinus vix vlla dies erat, in qua diabolum vel per speciem aliquam non aspiceret, vel per somnium non audiret; adeo vt antiquus hostis sibi sæpe compsallerer, simulque cum eo diuinæ laudis officia celebraret. Aliquando vero tenebrarum auctor se transfigurauit in Angelum lucis, eique quasi legem dictando mandauit: Caue, inquit, quia, qui Angelum Dei & aspicere, & alloqui meruisti; indignum est, vt de cętero cum hominibus loquaris. Protinus ille tamquam mandatum diuinitus accepisset, a fratrum se funditus collocutione remouit, seque sub rigida silentij censura constrinxit. Cui cum frater Romanus primo, deinde Abbas monasterij, vt sibi loqueretur, vehementer insisteret; & ille pręda ntis labijs † non mitteret; Abbas fores cellulæ violenter irrumpens, dignis indiscretum fratrem verberibus castigauit, & sic ad reddendum sermoni officium compulit. Cui mox ad monendum subiunxit; iccirco, inquit, antiquus aduersarius bonorum semper operum inimicus, silentium tibi tentauit imponere; vt & tu fructum fraternæ ædificationis amitteres; & illi, qui a te subleuandi erant, tuæ consolationis auxiliũ non haberent. Sic itaque frater, quia nõ malitia, sed ex simplicitate peccauerat, ad mentẽ quantocyus redijt, & contempta suggestione diaboli, admonitionibus pij Patris humiliter acquieuit.

Hildeprandus S.R.E. Arch. ord S. Ben.

Diabolus transfigurat se in Angelum lucis, vt monachum decipiat.

† responsum, vel quid simile addit.

Flagello, & humilitate illius tela destruitur.

Sed dum te, fili mi, ad euacuandas antiqui hostis insidias prouoco, quid pręfata Regina retulerit audisse ex ore Beati Leonis noni Romanæ Ecclesiæ Pontificis, non omitto. Ait itaque prædictus Papa: Amita mea sanctimonialis effecta, in quodam virorum erat monasterio constituta: ibique in propria degens cellula cum quadam Pigmea, idest, bre-

B. Leo IX, Papa. Ord. S. Ben.

uis staturę fœmina, quotidianæ laudis officia patienter, & humiliter persoluebat. Quadam vero nocte cum ante nocturnæ synaxis † maturius surrexisset, comitemque suam more solito sæpius inclamasset; illaque graui sopore depressa, nullatenus responderet; tandem in ira commota, quid diceret non attendit: Diabole, inquit, surge. Ad quam vocem præsto diabolus eius, quæ dormiebat, effigiem repræsentans, accessit: & mutuos reddendo versiculos, psallere simul cœpit; cumque ad illum Psalterij locum modulatione continua peruenissent, vbi dicitur: Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant a facie eius, qui oderunt eum: sicut deficit fumus, deficiant, & reliqua: hic illico malignus spiritus subsistit, & hos exprimere versiculos non præsumpsit. Hoc sancta mulier cum apud se miraretur, expauit; & quod erat, non inaniter suspicans, signum sibi sanctæ Crucis imposuit: statimque malignus hostis euanuit: & quis esset, qui sanctæ mulieri psallendo comes extiterat, se fraudulenter occultando, monstrauit. Huic etiam venerabili Matronæ nocturnis horis nequam Spiritus cadauer cuiusdam hominis, qui pro suis sceleribus appensus fuerat, attulit: &, vt illi terrorem incuteret, huiusmodi sibi, vt ita loquar, exenium procurauit. Quæ mox Abbati loci, fratrumque conuentui, quid sibi nequissimus hostis fecisset, innotuit: atque, vt pro illo misero fratres omnes in commune preces effunderent, † obnoxijs precibus impetrauit. Postmodum vero cuidam diuinitus reuelatum est, per orationes fratrum illum misericordiam consequutum. Sic itaque deceptus est hostis antiquus, qui dum viuenti machinatur illudere, iacturam cogitur de mortuo substinere.

† articulum vel horam vel aliquid simile.

Diaboli dolus signo Crucis cognoscitur.

Psal. 67.

Diaboli artes vertuntur in sui ignominiam, & hominum vtilitatem.

† obnixis f.

Ad hoc igitur: & huiusmodi diabolicæ tentationis tibi proponuntur exempla, vt & ipse contra hostis callidi deceptoris insidias solerter euigiles: & dum te delectat aliorum cum hoste luctantium audire victorias, ipse te per languidi corporis ignauiam non remittas. Sed iam ista sufficiant. Commenda me fratribus. Domno Priori ex nostra parte humiliter suggere, vt a feruore solito pietatis, & misericordiæ non tepescat, sed susceptionibus hospitum, & subsidijs egenorum, in quantum res domestica patitur, insistere non omittat. Sed & illi conueniens exemplum profero, quod huic rei, quam sibi suadere gestio, non mediocriter profuturum esse confido. Nam & eadem Agnes Regina, quę supra, inquit etiam: quia vir quidam in Alemaniæ partibus, auia saltuũ, prærupta montium, opaca siluarum vænandi studio peragrabat. Hic itaque dum anxius huc, illucque discurrit: & sollicitus curiositatis indagine ferarum lustra perquirit, inuenit duas mulieres, matrem scilicet, ac filiam, per illos hiemalium cumulos pruinarum, & profunda niuium rudera miserabiliter oberrantes. Qui protinus misericordia ductus, comiti suo, qui eum solum sequebatur, ait: Leuemus in equis has fœminas, singulis singulam, & ad hominum habitacula deuehamus; quia, vel oberrantium forte luporum sunt morsibus exponendę,

Christianæ charitatis exemplum.

vel vi nimij algoris sunt proculdubio moriturae. Quod comes penitus abnegat, & hanc se ferre posse stomachatur iniuriam. Cui Dominus, ego, inquit, si tu fastidis, solus vtramque leuabo: & hanc, quam dicis iniuriam, alacriter sustinebo. Cumque vnam post se, & alteram, in medio residens, poneret ante se: tandem socius mente compunctus, atque confusus Domino suo cessit vnam, & ipse ad subuehendum corripuit alteram. Sic igitur eas per difficillima loca, & longos anfractus non sine graui periculo detulerunt: donec scilicet molendinum casu obuium reperirent, ibique eas deponerent. Adiecit etiam Dominus, vt vni earum vestem traderet, qua vim frigoris aliquatenus temperaret. Hic aliquanto post tempore factus est monachus, & deinceps ingrauescente molestia, ad extrema perductus est. Tunc fratribus, qui astabant, cum magna coepit animaduersione clamare, dicens: Videtis innumerabilium daemonum turbam, quae me vndique circumuallat, meque terribilibus oculis intueri, & impugnare non cessat? Cumque continuis orationibus, & psalmodiae fratres insisterent: ille tamen nihilominus tremefactis visceribus formidaret: tandem ille, qui sibi, sicut dictum est, in venatione comes extiterat, assistens propius, exclamauit: Non ne vides, quod mulier illa, quam tecum simul ad aquimolum deuectaui, vestimentum illud, quod sibi tunc dedi, tenens in manibus, ventilat, & omnes ex hac domo daemones violenter exturbat? & paulo post, Ecce Deo gratias, eiecti sunt, & a meis obtutibus, mulieris huius impulsu, prorsus euanuerunt. Sic igitur ille sub bonę spei securitate defunctus est, & misericordiae fructus, quam viuus exhibuit, oblatos sibi, dum moreretur, inuenit. Nam saepe contigit, vt inter multas carnalium actionum tenebras vnum boni operis lumen erumpat, quod hominē ad bonum finem, portumque perducat. Vnde non otiosum arbitror, si & id, quod Stephanus eiusdem Reginae Capellanus, vir videlicet honestus, & prudens, enarrauit, attexo. Ait enim, quod Stedelandus Imperator Gallicię retulit, quod tunc ad vnius notitiam, alio postmodum referente, peruenit: Tres, inquit, meretrices erant obscoenis lupanarium foeditatibus deditae: &, vt ita loquar, omni transeunti turpi lenocinio prostitutę: sed cum regio illa communi Saracenorum, & Christianorum esset habitatione permixta: illae se Christianis quidem turpiter exponebant, Saracenorum vero consortia funditus abdicabát. Cumque se dolerent illi in hoc foedo negotio despici, suęque Genti cōquererentur iniuriam irrogari, tandem eas ad tribunal Pręsidis pertrahunt: &, vt suis quoque, sicut Christianis, in luxuriae permixtione consentiant, vehementer insistunt. Sed dum scelus hoc apud eas, modo blanditias intentantes, aliquatenus obtinere non possent, prolata sententia Praesidis, adiudicatę sunt morti. Quid plura? Protinus spiculatores accedunt, nudis ceruicibus vibratos pugiones incutiunt: sed ne supremam quidem cutem incidere, cassatis ictibus, possunt. Interea, dum & istae mori alacriter volunt: & illi occidere nequeunt: carcerali custodiae mancipantur. Nocte vero vni earum, quae quasi superior erat

Fructus misericordiae, & eleemosynae.

Per vnum opus bonum Dei pietas peccatores saluat.

Duae meretrices eo quod Saracenos despuerent, martyrio coronātur.

cæteris, Saluator apparuit, eique dixit: Nolite timere, hodie certamini vestro finem imponam, vosque cum corona martyrij in gloriæ meæ amœnitate suscipiam. Sequenti verò die ad tribunalia iudicis deducuntur, inquisitione facta, eadem nihilominus sententia perseuerat, idem est, qui fuerat, animus: & Agarenorum, sicut prius, per omnia detestantur amplexus. Protinus ergo carnifices, quoniam in ceruicibus earum nil se posse probauerant, earum guttur gladio † defæcant, & sic de meretricibus Martyres efficiunt. Sed quoniam longius, quàm incipiendo decreueram, iam stylus iste perducitur, cohibendus est calamus, & epistolaris compendij ponendus est modus. Tandem diuinæ pietatis imploro clementiam, vt inter cætera virtutum, & totius sanctę religionis insignia, inuiolabile tibi seruandę pudicitiæ robur infundat, & vasculum tui corporis in sanctificatione, & honore custodiat; quatenus is, qui dicit in Canticis: Ego flos campi, ego lilium conuallium: sicut pro te dignatus est fieri Filius Virginis, sic etiam vernare te faciat floribus castitatis.

† descant. Cant. 2. v. 1.

EPIST. XXII. *Ad eumdem Damianum Nepotem.*

ARGVMENTVM.

Eumdem Damianum de feruore, licet nimio, laudat: melius enim esse ait in spiritualis militiæ tyronibus discretionis metas excedere, quam frigiditate tepescere: monet tamen, quotiescumque maiores iusserint, illum discretionis freno cohibeat. Coarguit deinde, quod ex eremo ad monasterium transierit: præcipitque vt ad eremum redeat, vbi se cum Christo crucifigere mundo studeat. Hinc sumpta occasione, quid per Crucis figuram spiritualiter designetur, ostendit.

Damiano Nepoti, Petrus peccator Monachus paternæ dilectionis affectum.

SI Deus, qui populum suum ex ergastulo Pharaonis eduxit, eius in deserto dux esse desisteret; Israël ad terram repromissionis attingere nullatenus potuisset. Egebat enim, vt haberet itineris ducem, quem habuerat egressionis auctorem: vnde & Abrahæ dixerat: Veni in terram, quam monstrauero tibi. Quod enim non ait, vade: sed potius, veni, futuri se comitem pollicetur itineris. Quod verò subjungit, in terram, quam monstrauero tibi: patenter ostendit, quia quem prouocabat, vt de terra natiuitatis exiret, vsque ad metam consummatæ perfectionis ductor existeret. Tibi quoque non absimile quid cœpisse contingere valde gauisus sum, dum nonnulla nouitij tui

Gen. 12. v. 1.

feruoris

feruoris insignia, veracis admodum viri fratris Hubaldi relatione, cognoui. Ait enim inter cætera, quia dum tanta brumalis algoris inclementia tunc in illis Alpibus inhorresceret, vt congesta niuium moles quarumlibet tegetum, vel domorum culmina superaret; tu, proiectis vestibus, nudum te in illa niualium ruderum profunda latenter immergeres, ibique te quidam fratrum pænè semineceem reperisset. Cui dum te seuerius, vt dignum erat, argueret; diceris respondisse: ro me conatur occidere, sed eam ego potius occidam: & postmodum non quidem sub diuo, sed sub quo, nescio, repertus es ædificio, in niue similiter prouolutus. In quo nimirum facto, licet regularis non sit dissimulanda correptio, malo tamen, vt modum discretionis in aliquo nimius feruor excedat, quam degeneres animos desidis ignauiæ torpor astringat. Facilius est enim refluo vasi, quod superexuberat, demere: quam quod in eo vacat, implere. Laboriosius est trunco ramos, qui non habentur, inserere: quam arbori superfluos amputare. Equus etiam maioris est pretij, qui præ cursus impatientia cohibentia lora requirit, quam qui fodienda calcaribus latera per ignauiam ingentis torporis exponit. Ille siquidem dum pernix, ac volax præpetis gressus volumina glomerat, reducto paululum chamo, facilè cohibetur; iste verberatur, & tunditur, nec tamen equina concitus agilitate, deproperatur, sed se per genuini torporis ignauiam velut asinum repræsentat. Licet itaque & hoc vitium sit, quod limitem discretionis excedis: melius est tamen te nimij feruoris argui, quam fœdo desidiæ morbo notari. Non itaque volo, vt hæc te laudabilis zeli flamma deferueat; seruato tamen, vt indiscretionis excessum, vbi necesse est, Priorum tuorum grauitas, ac disciplina compescat. Per hunc enim zelum qui te viuere dictus est, intellexi, quod spiritus ille, qui te, vt de domo cum Abraham exires, admonuit, nō recessit; sed dux itineris factus, te præcedere non cessauit.

Tyronis feruor in profligandis moribus libidinis.

In spiritualis militię tyrocinio laudabilius est excedere, quam tepescere.

Gen. 12. v. 1.

Illud tamen molestè tuli, quia te pro discendis Ecclesiasticæ cantilenæ modulis B. Bartholomei monasterium ingressum esse cognoui. Porro cum hoc audiui, ita mihi quodammodo visum est, quod è caulis ouium tener agniculus exiliuit, & cruentas lupi raptoris fauces incurrit. Nam & tunc, cum frater Hubaldus hoc mihi de te, non quod scilicet optabam, nuncium retulit: aderat cum multa dulcedine recolendus, & religiosæ conuersationis honestate conspicuus, Petrus Abbas monasterij, quod B. Benedicti titulo decoratum, in Salernitana floret vrbe constructum: qui mihi narrauit: quia vorax hominum lupus paruulum de familia monasterij sui puerulum clandestinus impetiit, arpaxauit, & abijt. Post quem transfixa dolore mater inclamans, ait: Adiuro te, bestia, per B. Benedictum, cuius seruus est, ne filium meū vlterius feras, sed eum sub celeritate dimittas. Quo lupus audito, hunc quidem, quem ferebat, aperto protinus ore, deposuit: in alium vero

S. Petrus ex Abbate mox fuit Episcopus Anagninus. Conf. schol.

Per S. Benedictum adiuratus lupus, puero Benedictino parcit.

puerum repentinus insiluit, eumque subito desecans, truncum cadaueris spreuit, præcisumque caput mordicus apprehensum, in suas latebras concitus asportauit. Ego quoque, qui te inuisibilis lupi dente correptum timeo, in eiusdem S. P.N. Benedicti, cuius effectus es famulus, ereptione confido. Nam, quo pacto de eremo ad monasterium descendisses, nisi te perniciosæ versutiæ suæ morsu callidus insidiator attraheret? Veruntamen hanc ego primam culpam nolo diutius insequi, quæ, sicut credo, non ex inconstantia tuæ leuitatis erupit, sed ex temeraria iubentium cautela processit; præsertim cum mihi præfatus Hubaldus dixerit, quoniam inuitus, atque coactus, vix tandem huic præcepto consenseris. Ad eremum ergo charissime fili, sub omni celeritate reuertere: ne dum monasterialis adolescentiam tuam latitudo delectat, eremi districtio per obliuionem desuetudinis quandoque quod absit, & in odium veniat. Illic tropheum crucis tuę immobiliter fige, illic te simul cum Christo suspende, vt in charitate, sicut dicit Apostolus, radicatus, & fundatus, possis compre-

Ephes. 3. v. 18. prehendere cum omnibus Sanctis, quę sit latitudo, longitudo, altitudo, atque profundum. Quæ Crux est proculdubio Redemptoris. In hac enim cælestis figura victoriæ omnis religio Christiana depingitur, in hoc vitalis signi caractere tota virtutum spiritualiũ perfectio designatur. Nam cum in his tribus virtutibus, videlicet, Spe, Fide & Charitate, omnis lex diuina consistat, atque ex his omnium virtutum multitudo procedat; in illa Crucis parte, quæ terræ defigitur, Fides, quæ religionis Christianæ fundamentum est, figuratur. Huic scilicet fundamẽto tota fabrica bonæ operationis innititur; & vt stare possit, omnis virtutum spiritualium machina sustentatur. Vnde & Apostolus discipulis ait: Nam Fide statis. Per supremum vero cornu, quod cæteris eminet, Spes intelligitur, qua noster animus ad capessenda cælestia prouocatur. Illo vero ligno, quod in medio positum, binis vtrinque porrigitur brachiis, latitudo designatur geminæ Charitatis. Hoc eodem viuificę Crucis signo quatuor principalium virtutum numerus indubitanter exprimitur: ex quibus vtique tamquam seminibus omnium virtutum segetes germinantur, iustitia scilicet, fortitudo, prudentia, atque temperantia. Per supremum namque cornu, quod cælum spectat, iustitia figuratur; sicut ex ipsius Redemptoris sermone colligitur, qui cum præmisisset: Quia Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio; paulo post intulit: De iustitia vero, quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me. Et vir sapiens ait: Iustitia eleuat Gentes, nec dubium quin ad cælum. Inferior autem pars Crucis, quæ superiorem substinet molem, fortitudinem signat, quæ videlicet grauia quælibet, & aduersa æquanimiter tolerat. Dextrũ vero Crucis brachium prudentiam exprimit, qua videlicet iniecta maligni spiritus iacula, tanquam dextræ manus abiectione, propellimus:

In signo Crucis virtutes omnes exprimũtur.

1. Cor. 1. v. 23.

Ioan. 16. v. 8.

Prou. 14. v. 34.

eumque feruidi spiritus telo perfossum, diuino muniti præsidio, fortiter prosternentes, victoriæ manubias reportamus. Per sinistrum quoque cornu temperantia non immerito designatur. In sinistra scilicet manu minor virtus est, quàm in dextra. Per temperantiam ergo virtutis nostræ quodammodo robur attrahimus, dum temperanter, & modestè viuimus: dum sæpe rigorem, censuramque iustitiæ quadam magistræ discretionis arte mollimus. Quid dicam, quod & lex veteris instrumenti in ipso suæ promulgationis initio mysterium iam redolebat Crucis: dum videlicet, sicut ista compingitur lignis; ita nihilominus & illa digito Dei geminis exarata noscatur in tabulis. Et quia denarius numerus per X litteram, quæ signum Crucis repræsentat, exprimitur; lex autem per Decalogum data fuisse non dubitatur; perspicuum est, quod & lex illa, licet occultè, saluti feræ Crucis in se sacramenta continuit: quod postmodum coruscando per mundum, Euangelicæ gratiæ claritas reuelauit. Vnde & per Zachariam dicitur: In die illa erit, quod super frænum equi est, sanctum Domino vocabitur. Frænum equi sanctum est Euangelium, quod vtique carnalis desiderij velut infrænis equi, cohibet appetitum. Super hoc ergo frænum Crux est, quia quidquid per Euangelica mandata præcipitur, ad Crucem proculdubio, ipso Domino perhibente, † Qui vult, inquit, venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, quotidie, & sequatur me. Quæ nimirum Crux sanctum Domino iure vocatur, quia per eam mundus, qui adeo prophanatus fuerat, benedicitur. Sed qui prolixius alibi de sancta, ac pretiosa Cruce conscripsimus, ne fortassis eadem hic contingat obrepere, ista dumtaxat in hoc epistolari compendio sub celeritate decursa, sufficere iudicamus.

LexMoysis in signo Crucis adumbrata.

Zach. vlt. v. 20.

Luc. 9. v. 23.

† Pertinet, dirigitur, vel quid sim. add.

De S. Crucis laudibus fusi° agit S. Doctor to. 2.

Hoc vitæ tuæ signum, fili charissime, sicut in fronte depingis, ita nihilominus cordis tui liminibus imprime: quod vltor Angelus cernens, sine tua non tardet læsione transire. Hæc philacteria præ oculis tuis sine cessatione dependeant; hæc stigmata corpus tuum vndique, sicut Apostolus de se testatur, inurant: Ego, inquit, stigmata Iesu in corpore meo porto. Frange ieiuniis corpus, propriis voluntatibus abstine, alienæ te iussionis imperio promptissima deuotione substerne, procacis linguæ petulantias modesta silentij censura cohibeat, iocosi sermonis lenocinia non erumpant, illices carnalium passionum motus districtæ continentiæ rigor elidat: vt qui nunc Christo sponte commoreris, quãto grauior Crux eius in tua conuersatione conspicitur, tanto tibi plenior resurrectionis eius gloria cumuletur.

Exod. 12. v. 23.

Galat. 6. v. 17.

EPIST. XXIII. *Ad Gulielmum Monachum.*

ARGVMENTVM.

Monachum, qui ex monasterio ad eremum se venturum pollicitus, rem in dies differebat: præterea, quod vini potui renunciare, & aquam bibere non satis æquo animo poterat, hac Epistola tamquam nimis mollem leniter perstringit, & apposita aquæ prosopopeia, qua huius elementi tum dignitas, summaque in homines vtilitas, tum etiam plurima vini damna proponuntur, non abhorrendam eius esse potionem concludit. Denique difficultates omnes sese in via spiritus obycientes, iis, quæ præcipit Apostolus, armis superandas esse docet.

Dilectissimo fratri Gulielmo, Petrus perpetuam charitatem in Christo.

MIror, dilectissime frater, cur ad Eremum, sicut promiseras non venisti: immo quod mecum non per nuncium, sed per sponsionem propriæ fidei pepigeras, non implesti. Dic, rogo, quid te ab Eremi austeritate deterruit? Cur animum bellatoris Christi, terror degener occupauit? Numquid vini sapor muliebri blanditia rigidum militem, intra domus claustra retinuit: & iam galeatum, iam armis accinctum, iam magna spirantem, exire ad prælium non permisit? Sed heu! quis pudor mentem mollis viri huius inuadet, qui verecundiæ rubor eius ora perfundet; cum viderit alios opimis onustos spolijs, victores de bello reuerti: & copiosis ditatos præmiis, post triumphum cum tanta gloria coronari? Quanti huic constabit modicum vinum, qui sibi tot votis optabit hausisse venenum? Audi quid sapiens Salomon dicat: Cui væh? cuius patri
Prou. 23. v. 29. væh? cui rixæ? cui foueæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorũ? nonne his, qui morantur in vino, & student calicibus optandis? Nam si his, qui in vino morantur, væh, quæ nimirum lamentationis est vox, intentatur; aquam pro Dei amore bibentibus gaudium absque vlla dubietate promittitur. Vbi adhuc aptè subiungitur: Non intuearis vinum,
Ibid. v. 3. quando flauescit, cum splenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè, sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet. Neque nos iccirco de prædicto liquore dicimus, vt creaturam Dei, quæ vtique bona est, obscurare tentemus; sed ideo vinum, carnes, coniugia, & multa his similia, monachis postponenda perpendimus: vt abstinẽdo à creaturis, Creatori arctius placeamus. Sed

qui aquam odis, ipsa te velut viuæ vocis inuectione conueniat: & ingratum te suis esse beneficijs, propriæ assertionis allegatione conuincat.

Age, inquit, bone vir, cur me elato supercilio despicis? cur me execrando, stomachando, rugosa fronte fastidis? cur me tantopere a tua societate repellis? Si id de te mereor, non resisto, non torqueor; siquidem iuste hanc contumeliam patior: responde mihi, quid ego tibi vnquam mali feci, immo quid boni non contuli? Ego nimirum te per virtutem sancti Spiritus qui me consecrauerat, de seruo diaboli, fieri feci filium Dei. Ego te de possessore gehennæ produxi regni cælestis hæredem; de colono inferni ciuem reddidi paradisi; de tenebrosa stipula ignis æterni, nouę gratię lumen exhibui (Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino) de vase irę composui vas misericordiæ. Ego te vetusta damnationis tunica exui, & noui hominis luce vestiui. Ego te vinculo antiquæ præuaricationis absolui, & per me regeneratum diuinę adoptionis filijs aggregaui. Ipse mihi testis es, quia cum septem originalibus vitijs in meum gremium descendisti, & mox purificatus, & nitidus absque vlla prorsus peccati contagione prodijsti. Ego te sordidum, fœtidumque reperiens, non dubitaui animam, simul & corpus abluere: & tu me nunc dedignaris saltem labijs adhibere? Ego te diuinis facio interesse conuiuijs: & tu me ab humanis non erubescis proijcere mensis? Esto, sic eat, cæteris rebus sua iura seruentur: mihi soli, vt mereor, proprij honoris priuilegium subtrahatur? videlicet, quia cæteris elementis sum iunior tempore, icc̄irco forsitan omnibus debeo esse inferior dignitate? Sed interroga, obsecro, Moysen: perquire in mundi principio quod sibi elementorum ad habitandum Spiritus sanctus elegerit: nunquid terram? numquid aerem? numquid ignem? Plane, nisi mentior, illico respondebit: Spiritus Dei ferebatur super aquas. Et, vt iam de spiritualibus sileam, ego tibi corpus, & vestimenta, & cuncta, quibus vteris, abluo: ego tibi arua ad proferendas fruges irrigare non cesso: ego nauigijs iter prębeo, cuncta terræ animantia recreo: poma quoque, & olera, quibus vesceris, ad incrementa perduco. Taceo volucres, prætereo pisces, qui quotidie per mea regna nascuntur, & mei lacis se vernulas confiteri nullatenus erubescunt. Ipsæ denique vites, quas me contempta, insana concupiscentia diligis, nisi meo adiutorio radicitus coalescerent: protinus arefactæ, ignem potius pascerent, quàm inundantibus poculis, bibulorum ventres ingurgitarent. Sed cur ego in breuibus immoror? Quandoquidem & ipsa terræ moles vbi visibilia quæque nascuntur, adiuncto mihi consortio aeris, meis substentaculis, velut suppositis quibusdam basibus, vt consistere possit, innititur, mea virtute fulcitur. Sed dum terram substineo, nequaquam imis contenta, meæ ditioni etiam cæli culmen vsurpo. Sicut in Genesi legitur: Diuisit quoque Deus aquas, quæ erant sub firmamento, ab eis quæ erant super firmamentum. Totam quippe terram

Aquæ merita in homines.

Ephes. 5. v. 8.

Cõsule Schol.

Gen. 1. v. 2.

Aqua vtilis, ac necessaria est terræ, & animantibus.

Gen. 1. v. 7.

Sol totam terram exureret, nisi aqua temperaretur.

cælestis ignis exureret, nisi noster mador incẽdij vires assidue temperaret. At fortasse, quia liquidam cernis carere viribus inualidam credis? Sed si vobis mea fortitudo deesset, quis rogo, ad terendas fruges grauia molarum saxa rotaret? Non est ergo virtus contemnenda liquoris, quæ tam facile mouet duritiam lapidis: &, vt non ignores mirandam naturæ meę potentiam, ipse ignis, qui mihi etiam, iuxta dialecticorum dicta contrarius cernitur: ex me certe depromitur, & ex meis visceribus procreatur. Nam si crystallum, quod absque vlla quæstione obdurescit ex glacie, radio solis opponitur; nulli dubium, quin ex eo protinus ignis oriatur. Lapides quoque, qui ad faciendam calcem in camino decocti sunt, si post quamlibet longum tempus ego tetigero, fumigare, simul & ardere protinus videas: & qui eatenus erant frigidi, post nostri attactus imperium, ad calorem pristinum sunt adducti. Quæro abs te, si nosti, quid est, quod in plerisque fluminibus, crescente, vel surgente luna, me videas in altum crescere, deficiente vero eadem luna cessare? Quid est etiam, si didiceris, quod fontes in hieme, cum omnia pæne algore rigescunt, me tepidam, & fumantem, æstiuo autem tempore frigidam reddunt? An fortasse Philosophorum vanitatibus credis, qui tunc apud Antipodas esse opinantur æstatem, cum apud superos sol recedens faciat hiemem? Sed si diligenter attendis, hoc omnino falsum, & solidæ veritati reperitur esse contrarium. Hæc igitur apud te studiose perquire, & cum ad liquidum enodare non poteris, profundissimam naturæ meæ vim impenetrabilem esse decerne. Sed, dum breuitatis studio maiestatis meæ iura succinctè transcurro, nolo te lateat, quia & in liberalium artium studijs non mediocrem primatum teneo. Quandoquidem ad discenda horarum spatia, ad comparandum solis orbem cum sphęra cæli, ad dimensionem zodiaci, cunctorumque signorum, ad discernendos planetarum circulos, ad dimensiones terrarum cum cæli partibus comparandas, dum Geometra, vel Astrologus componere satagunt horologium, ad nostrum recurrunt protinus elementum. Iam vero de musica cur aliquid referam, cum ipso suo nomine nostris se legibus subditam, ex nostro principio testetur exortam? Nam si musa Græco vocabulo dicitur aqua, profecto musica nostri nominis titulo cernitur insignita.

Aquæ proprietates admirandæ.

Aqua vsui est artibus liberalibus.

Musæ, ac musicæ etymon.

Nec etiam ipse auctor Pythagoras a nostra dissertione discordat, qui videlicet, vt huius disciplinæ inueniret viam, acitabula quædam ad aquarum mensuram studiose composuit: & sic omnem harmonicæ facultatis peritiam, me duce, me præside, tandem efficaciter voti compos adinuenit: hodieque, etiam quidquid in hidraulicis, quidquid in organis suauiter modulatur, mea nihilominus virtute fulcitur. Et vt iam excellentissimum meæ dignitatis priuilegium pandam, suspenso in Cruce Domino, ex ipso Creatoris mei latere prodij; & omnem terrarum orbem totumque aërem, sociato mihi pretiosissimo eius sanguine consecraui. Hinc est enim, quod Ioannes Apostolus ait; Hic est,

Aqua artibus factiuis vtilis.

Ioan. 19. v. 34.

1. Ioan. 5. v. 6.

qui venit per aquam, & sanguinem Iesus Christus: & paulo post subdit: Tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis. Iam vero si cuncta superius comprehensa attendas, reliqua omnia meæ ditioni subiecta elementa consideras. Sed dum præconia meæ laudis enumero, quid sim, quid valeam melius forsitan doceo, si te ad temetipsum reduco: quatenus dum mea in te dominari iura perspexeris, de reliquis etiam meis viribus dubitare non possis. Igitur non ignoras, quod ex quatuor elementis ipse cōsistis; sed dum eorum tria per reliqua corporis membra subsidunt, omnipotens Creator mihi excellētiorem dignitatem, & velut quamdam principatus arcem inter alia contulit; dum me in ipso capite sedem habere constituit. Nam dum constet, quoniam flegma ex aquæ humore gignitur, flegma autem in capite sit: nulli dubium, quin thronus aquæ in capite presidere videatur. Vnde mirum satis, quod liquidus humor tanto magisterio in superiori parte suspenditur, vt ad inferiora minimè delabatur, excepto per arterias cerebri leniter defluat: & spiramen oris, vnde valeat egredi, velut ostium petat. In quo nimirum perspicuè superbia vestra retunditur, quæ dum extrinsecus positam dedignatur haurire, assiduè tamen cogitur me inter oris septa versari: & vt ita loquar, me mecum fugis, dum quocumque te verteris, sine me esse non possis. Nam, sicut aquimolum nequaquam potest sine gurgitis inundantia frumenta permolere; ita me necesse est inter vtrumque humani oris molas sine intermissione decurrere, vt sua possit verba loquens lingua formare. Si ergo in omnibus his meo adiutorio indiges, mea opera necessario vteris, cur in solo poculo meum habere contubernium dedignaris? Redi ergo ad me fugitiue, reuertere vir ingrate: & qui tuæ per omnia es salutis obnoxius, ne videaris habere fastidio nauseatus.

Quod elemētum nobiliorem locum in homine habeat.

At forsitan inquies, doleo caput, langueo stomachum. Hæc sunt emplastra mollium, hæc palliatio carnaliter viuentium monachorum. Satis macra hæc cernitur excusatio: cum ægrotos & aqua refoueat, & vinum frequenter occidat. Numquid enim Præcursor Domini aliquando ægrotus elanguit, qui vinum, & siceram numquam bibit? Numquid Iacobus Alphæi medicos quęsisse legitur, qui istos liquores ex vtero matris ignorasse perhibetur? Iam vero, vt a sæculi origine repetamus, mundus hic vsque ad sexcentesimum tertium Noë annum prorsus, † ignorasse cognoscitur: cum per tot curricula temporum obijsse quidem; sed nullus hominum ægrotasse legatur. Sed cum in Genesi dicitur: Cœpit Noë vir agricola exercere terram, & plantauit vineam, velut in laudem aquę, protinus additur: Bibensque vinum inebriatus est, & nudatus est in tabernaculo suo. Ac si perspicuè diceretur: quem diu aqua vestitum sine confusione continuit, huius repente vinum verenda nudauit. Cui sententiæ benè etiam Salomon concinit, dicens: Vinum, inquit, apostatare facit etiam sapientes.

Sine vino valetudinem conseruare possumus.

Luc. 1. v. 15.

S. Io Bap. & S. Iacobus vinū ignorarunt.

† vinum addi.

Gen. 9. v. 20.

Eccl.19.v.2 Gen 19.v.33 Vino animi, corporisque mundities amittitur. Proe.20.v.1

Loth quoque, qui & inter Sodomitas in castitate vixit, in monte postmodum percepto vino, cum vtraque filia nesciendo concubuit: & pudoris munditiam vinum in solitudine vna nocte suasit amittere, quem diu inter tot adulteros ipsa non potuit Sodoma violare. Sicque factum est, vt Loth, qui eatenus in cunctis extiterat iustus, iam in hac vna re peruerso iure, Moab, & Amon vnus vterque fieret & pater, & auus. Vnde non incongruè Salomon, Luxuriosa, inquit, res vinum, & tumultuosa ebrietas: quicumque his delectatur, non erit sapiens.

1.Tim.5.v.23 Vini potum immodicum sacræ litteræ dānant. Ephes.5.v.18 Esa.5.v.22 Prou.31.v.4 1.Cor.7.v.6 Non obedire ijs rebus, quæ per indulgentiam permittuntur non est peccatum. Hier.35.v.1 & deinceps.

Ad hæc respondet languidus noster: sed Apostolus, inquit, suo discipulo præcepit dicens: Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino vtere propter stomachum, & frequentes tuas infirmitates. Vtinam, frater, sic memoriter teneremus reliquas sacrę Scripturæ sententias, quæ ieiunium prędicant, sicut hanc vnam, quæ rigorem abstinentię ex discretione relaxat. Quare non sic reminiscimur, quod idem Paulus alibi dicit; Nolite inebriari vino, in quo est luxuria: Cur non ita recolimus, quod Esaias ait: Væh, qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem? Quare non sic recordamur illud, quod Salomon ait: Noli, inquit, Regibus, ô Lamuel, noli Regibus dare vinum: quia nullum secretum est, vbi regnat ebrietas: ne forte bibant, & obliuiscantur iudiciorum, & mutent causam filiorum pauperis. Sed & istud Pauli, quod mihi tam libenter obijcis, & alia huic similia, qua discretionis arte pręcipiat, ipse alibi manifestat, cum dicit: Hoc, inquit, secundum indulgentiam, non secundum imperium dico. Enimuero in his, quę secundum indulgentiam permittuntur, magis placet sępe discipulus, si iussionem simpliciter prętcrit, quam si promptus obedit. Quod facile perpenditur, si quod Hieremias narrat, ad memoriam reducatur. Ait enim: Verbum, quod factum est ad Hieremiam a Domino, dicens: Vade ad domum Rechabitarum, & loquere eis, & introduces eos in domum Domini in vnam exhedram thesaurorum, & dabis eis bibere vinum. Ecce, præceptum diuinitus datum: vbi etiam paulo post subditur: Et posui coram filijs domus Rechabitarum scyphos plenos vino, & calices, & dixi ad eos: bibite vinum. Ecce, quod, Deo auctore, præcipitur, quod Prophetę ministerio denunciatur, nequaquam cognoscitur fuisse completum. Sequitur enim Scriptura, & dicit: Qui responderunt, non bibimus vinum: quia Ionadab filius Rechab pater noster præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos, & filij vestri vsque in sempiternum. Sed numquid in hac reluctatione Deus offenditur? Numquid hoc illis ad inobedientiam reputatur? Sed audi, quid illis postmodum diuina vox dicat: Pro eo, quod obedistis precepto Ionadab patris vestri, & custodistis omnia mandata eius, propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab stans in conspectu meo cunctis diebus. O fælix inobedientia, quę tanti Iudicis digna fuit habere præconium, quæ diuini obsequij perpetuum meruit famulatum. Fælix inquam,

Ibid.v.18.

quam, inobedientia, quæ non animaduersionis iudicium sensit, sed diuinæ remunerationis prǽmium reportauit.

Libet autem mihi, dilectissime, huiusmodi familiaritatis sermonibus diu tecum, seruata grauitate, colludere; sed, vt ipse scis, non licet breui, nisi breuiter disputare: verumtamen adhuc exhortor, adhuc obsecro.

Segnes rumpe moras, torporis frange catenas.

Non te vibrantia hostium iacula terreant, non te domesticæ prǽsumptionis blandimenta resoluant, non te vehemens tubarum clangor exanimet, non te densa telorum silua intra cubiculi secreta retineat. Iam, iam insignis bellator, deposito omni terrore, congredere: & inmedios hostium cuneos, velut emissum cælitus fulgur, irrumpe. Corripe arma non viriliter, & sublato Christi vexillo, vbi constipatior cernitur acies, feruidus irrue: festina gladijs quæque proxima cædere, mementoque semper temetipsum vndique circumacto clypeo custodire: &, ne cor tuum de infligendis vulneribus formido concutiat, audi, quid tibi Sapientia, Salomonis attestatione, promittat: Ne, inquit, paueas repentino terrore irruentes tibi potentias impiorum: Dominus enim erit in latere tuo, & custodiet pedem tuum, ne capiaris. Sed, ne quis me hoc congrediendi genus noua proprij sensus adinuentione fingere asserat, notet, quid instructor sacræ militiæ Paulus dicat: Ego autem sic curro non quasi in incertum, sic pugno non quasi aërem verberans. Et iterum, Induite, inquit, vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli, quia non est vobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem: sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus: deinde subiungit: Propterea accipite armaturam Dei. Sed quibus tanto studio corripere arma suadet, quæ etiam huiusmodi arma sunt, euidenter enumerat: State, inquit, succincti lumbos vestros in veritate, & induti lorica iustitiæ, & calceati pedes in prǽparatione Euangelij pacis, in omnibus sumentes scutum Fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis accipite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei. Hoc videlicet bellum nequaquam & Salomon ignorauerat, cum dicebat: En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. Sed qui gladios, quibus aduersarij confodiantur, enumerat: etiam clypeos, quibus nos muniamur, exequitur: cum paulo post sponsi voce ad sponsam dicitur: Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Qui autem hi clypei intelligi debeant, idem Salomon in Prouerbijs manifeste declarat, cum dicit: Omnis sermo Dei ignitus clypeus est sperantibus in se. Diu est, dilectissime frater, quod tibi loqui aridis desiderij mei faucibus sitiui: nunc accepta

In spirituali certamine nō est abiiciēdus animus.

Prou.3.v.25.

1.Cor.9.v.26.

Arma militiæ spiritualis.

Ephes.6.v.11.

Ibid.v.13.

Cant.3.v.7.

Cant.4.v.4.

Prou.30.v.5.

occasione, dum vinum a mensa monachorum repuli, vberibus me sermonum riuulis satiaui.

EPIST. XXIV. Ad Honestum Monachum.

ARGVMENTVM.

Honestum Monachum edacitatis, & ciborum delectu plus iusto studiosiorem, spiritualium dulcedine epularum ante oculos posita, ad terrenarum dapium contemptum, & cælestium delitiarum meditationem, & amorem perducere conatur.

Honesto fratri, Petrus peccator Monachus salutem.

QVi coactus in arma progreditur, impulsus tamen fortiter præliatur corrigit ignominiosæ trepidationis opprobrium, dum obtinet ex virtute triumphum. At si & inuitus incipit, & mox occurrentibus aduersarijs corde pauido terga vertit, etiam si fugiens hostilia tela contempserit, nota tamen degeneris infamiæ non carebit. Tu quoque, frater, in quantum datur intelligi, non vltroneus in militiæ spiritualis arma iurasti: & postquam, dato nomine, tyrocinij sacramenta professus es, nil insigne, nil forte, nil certe dignum laude gessisti; sed ex Ægypto progressus, ciborum, ac potuum cœpisti murmurare penuriam, cunctas Ægypti delitias suspirare; cum illo carnali conquerens Israël: Vtinam mortui essemus per manum Domini in Ægypto, quando sedebamus super ollas carnium & comedebamus panes in saturitate. Misit ergo te Rex Babylonis in caminum ignis ardentem, sed videre non potuit Dei Filium tecum inter globos flammarum æstuantium incedentem. Stupæ, naphthæ, picis, ac malleolę congeriem persecutor intulit, sed diuina virtus huius erga te vires incendij non extinxit. Porro de flamma illa dicitur: Quod erupit, & erecta est super fornacem cubitis quadraginta nouem. Non enim ad quinquagenarium numerum, idest, vsque ad mystici Iubilei potuit pertingere sacramentum. Iubileus enim annus requietionis est. Ignis ergo ille carnalis concupiscentiæ non ad requiem pertinet, sed scandala potius generat, dum reprobam, dum titillantibus illecebris, æstuantem vexat, atque perturbat. Non enim ad illum quinquagesimi diei pertinet ignem, de quo dicitur: Totus autem mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus super eum in igne, &

Exod. 16. v. 3.
Dan. 3. v. 21.
Ibid. v. 47.
De Iubileo, eiusque mysterijs.
Exod. 19. v. 18

ascenderet fumus ex eo quasi de fornace. Sed nec illi congruit qui quinquagesimo nihilominus die post Dominicæ resurrectionis gloriam super Apostolos in linguarum varietate descendit. Vterque igitur ignis iste descendit, quia nimirum de cælo venit. Ille autem non descendisse, sed ascendisse legitur, vt de carnalis concupiscentiæ petulantia procedere videatur. *Act.2.v.3.*

Noli frater, noli gulæ, vel carnis deseruire libidini, qui te militem spopondisti sobrietatis auctori. Pudeat te carnalium voluptatum esse vernaculum, nec collum tuum ingenuo Christi iugo submissum, vinculis te subijciat barbarorum. Non Eglon Rex Moab sub sua te ditione possideat, sed tecum simul Aoth illum inopinato pugione transfodiat. Nec Agag Rex Amalech, cum terreno Israël sub suo te imperio comprimat, sed eum Samuel coram te per artus in frusta concidat. Non te destructor ille Hierusalem delectet, qui profecto quoniam illecebrarum suggerit oblectamenta carnalium, super coquos habere dicitur principatum. Si te dulce quid manducare delectat, diuinum illud, ad mysticum manna in cordis tui palato sapiat, de quo dicitur: Quia gustus eius erat quasi similę cum melle. Simila scilicet ista de grano frumenti fit, quod in terram cadens, ac mortuum multum attulit fructum. Sed hęc simila melle conspergitur, quia humanitas Redemptoris plena est dulcedine Deitatis. Deus enim erat in Christo, mundum reconcilians sibi. Vel certe mel in simila, dulcedo est spiritualis in littera. Hinc est, quod ex eodem manna Hebraicus ille populus turtulas sibi confecisse describitur: Frangebat, inquit, populus illud mola, siue terebat in mortario, coquens in olla, & faciens ex eo turtulas saporis quasi panis oleati. Turtula plane nisi prius aperitur, gustari non valet, quod intra eius septa reconditur. Oracula nempe Prophetarum quasi quædam turtulæ sunt, quæ sub quadam quasi carnalium theca verborum spiritualis intelligentiæ contegunt sacramentum. Hanc turtulam aperire non poterat, cui per Esaiam dicebatur: Lege librum istum: & respondit: Non possum. Signatus est enim. Hanc sibi turtulam Eunuchus ille reserari petijt, cum Philippo dicenti sibi: Putas ne intelligis quæ legis? Respondit: Et quomodo possum, nisi aliquis ostenderit mihi? Ac si dicat: Turtulam quidem istam in manibus teneo, sed non possum ex ea comedere, nisi eam docta manus aperiat: & medullam mihi spiritus, qui in pallea litterę latet, exponat. Hanc per semetipsos aperire non poterant, de quibus Hieremias aiebat: Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.

Iudic.3.v.21. *1.Reg.15.v.34.* *4.Reg.25.v.10*

Quid fuerit manna, & quid significet.

Exod.16.v.31. *Ioan.12.v.25.* *2.Cor.5.v.19.* *Num.11.v.8.*

Prophetarum oracula, in quo turtulis similia.

Esa.29.v.11. *Act.8.v.31.* *Thren.4.v.4.*

Hoc ergo manna, dilectissime, hunc vitalis alimoniæ cibum in meditationis tuæ mortario subtiliter pinde, in feruidi amoris olla iugiter excoque, vt ex hoc animæ tuę viscera valeas velut aruinę cęlestis adipe saginare. Hoc intimę refectionis eduliū cordis tui fauces obdulcet, hoc animum tuum ad illud cęleste conuiuiū prouocet. Hic deniq; cibus in gustu mentis tuę delectabiliter sapiat, hic te ad esuriēda supernę

refectionis alimenta succendat. Repressa igitur diuersorum auiditate ciborum, vnus dumtaxat esuriatur, vnus omni desiderio flagitetur. Vnam, inquit, petij a Domino, hanc requiram. Hæc est enim vnitas illa, quę quadraginta nouem surgentis flammę cubitis deerat, quia carnalis appetitus dum per multa raptatus oberrat, non habet vnum illud, causam videlicet, finemque gaudendi, in quo delectabiliter requiescat. Iubileus autem hac vnitate concluditur, quia in solo Creatoris amore omnis Sanctorum spes & intentio ponitur, in eo tota eorum requies collocatur. Per omne, quod agunt, ad illum tendunt, & in eo tamquam in Iubileo, a cunctis mundi vanitatibus requiescunt. Enim vero sicut septimus dies, qui per omnem celebratur hebdomadam: vel certe septimus quietis annus, qui per omne nihilominus septennium celebratur, huius temporis significant requiem, qua Sancti solum Deum diligunt, & in eo a cunctis mundi perturbationibus requiescunt: ita per Iubileum, quinquagesimum videlicet annum, illa vltima requies designatur, qua videlicet electi omnes secura semper, atque interminabili requie perfruuntur. In hac enim vita sola cuiuslibet Sancti viri anima Deo per vim certę spei, ac puræ dilectionis innititur: nam caro multis aduersitatum calamitatibus perturbatur. Vna quæque nimirum hebdomada sabbatum dierum, septennium vero sabbatum habebat annorũ, Iubileus autem erat sabbatum sabbatorum. Ex septies enim septem quadraginta nouem summa perficitur, cui super addito monade quinquagenarius numerus, qui est Iubileus impletur. In quo nimirum numero sicut septies septem dicimus, sic in intellectu nostro requiem, animarum videlicet, & corporum, geminamus. In Iubileo quippe nostræ quietis, hoc est, in illa vita fœlicitatis æternæ sic electus quisque non solum animæ, sed & corporis immutabili quiete perfruitur, vt nulla iam in vtralibet substantia cuiuslibet turbinis incommoditate vexetur. In Iubileo tubis clangitur, & ad possessiones suas vnusquisque reuertitur: quoniam, sicut dicit Apostolus, ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo: & mortui, qui in Christo sunt, resurgent. Quid est enim in voce Archangeli, & in Dei tuba descendere, nisi quodammodo consonantibus tubarum clangoribus intonare? Et quid est mortuos, qui in Christo sunt, resurgere, nisi ad possessiones suas vnumquemque redire? Tunc enim Abraham, tunc Moyses, tunc certe Pilatus, tunc Herodes, tunc iustus quisque, siue peccator, ad possessionum suarum iura reuertitur, cũ carne, quam ad tempus deposuerat, reinduitur: vt cum ipso suo corpore vnusquisque recipiat, quod meretur. Habent præterea nũc reprobi vtriusque substantiæ quodãmodo requiem, quia & animarum suarum, & corporum perficiunt voluptatem: vt nimirum concupiscentię flãma, quæ tamquam ex camino Chaldaico, æstuanti eorum mente, progreditur, ad septies septem, hoc est, ad quadraginta nouem consurgere videatur: sed quoniã ad vnitatem, quę Deus est, ex mẽtis intẽtione

Psal. 26. v. 4.
Dan. 3. v. 47.
In solo Deo est Sanctorũ spes, & requies.
Iubilei mysteria.
Leuit. 25. v. 9.
1. Thess. 4. v. 15
Dan. 3. v. 21.

non tendunt, ad beati Iubilei plenitudinem non peruenient. Sed qui Iubileũ Deo, hoc est, requiem quærimus, & ipsi Iubileũ Deo in nobis exhibere debemus. In cuius enim corde Deus in hac vita requiescere non permittitur, ei postmodũ cælestis vitę requiẽ non largitur. Nũquid enim in nobis Iubilei quodãmodo quietẽ non expetit; cum per Esaiam dicitur: Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem, & quietum, & trementem sermones meos? Numquid & columba illa, quæ tunc eundem spiritum pręsignabat, requiem non quærebat? De qua legitur: Quia cum non inuenisset, vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad Noë in arcam. Columba quippe requiem in mundi periclitantis aqua non inuenit, quia Spiritus sanctus in his, qui cum mundo depereunt, nullatenus requiescit. Ad arcam verò, in qua erant octo animæ, columba reuertitur; quia in illis sanctus Spiritus habitare dignatur, in quibus per lauacrum Baptismatis certa spes est beatæ resurrectionis. Vnde scriptum est: Quia Spiritus Dei ferebatur super aquas. An non se Dominus apud nos requiem pollicetur habere, cum dicit: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit; & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus? Hanc apud quenquam non se reperisse requiem conqueritur, dicens: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, Filius hominis non habet, vbi caput suum reclinet. Quisquis ergo in corde suo cuiuslibet malitiæ venena concepit, festinet de pectoris sui fouea vulpes excutere; vt in eo Dei Filius caput suum merito debeat reclinare. O tu, quisquis es, cor tuum, spelæum scilicet vulpium, in arcanum castæ meditationis verte mortarium: in quo videlicet manna cælestis eloquij non desinas subtiliter terere, vt oleatus ex eo panis tibi valeat prouenire. Panis enim oleatus sacrę Scripturæ est intellectus, Spiritus sancti suauitate conditus. Hæc tibi, frater charissime, Spiritus influat: hic à te cum Samson torporis, atque desidiæ nexum abijciat, atque ad fortiter cum hoste certãdum feruenter accendat.

Quomodo Deus in nobis quiescat.
Esa. 66. v. 2.
Gen. 8. v. 9.
Spiritus sanctus in columba Noë designatus.
Gen. 1. v. 2.
Ioan. 14. v. 23.
Luc. 9. v. 58.
Iudic. 16. v. 9

In desperatis quidem rebus gloriosum est fortiter agere: insignis præconij est, eum, qui corruerat in ruinam, inopinatam reportare victoriam. Marcellus nempe Romanorum Consul dum in manus Gallorum improuidus incidisset, &, armatis hostibus vndiq; circumfusis aufugij prorsus aditus non pateret, in † Vitromatum Regem illorum tamquam fulmen feruentissimus irruit: eoque perempto, plurimas quoque cum collega suo, Marco videlicet Scipione, hostium copias interemit. Quid ergo mirum, si quod aduersus hominem fuisse per humanam fortitudinem constat, nunc contra diabolum per virtutem sancti Spiritus fiat? Excutiat ergo, charissime frater, à te degener huius insoliti torporis ignauia, viriliter manus arma corripiat, & intortis oppugnantium iaculis clypeum intimæ circumspectionis opponat. Nec te cum Isboseth in inguine percussuri latrunculi reperiant in lectulo somniantem, sed potius cum Dauid Philistinorum agmina sentiant insupera-

Marcelli victoria de Gallis. Conf. scho.
† Virdomarũ.
2. Reg 4. v. 6.
2. Reg 8. v. 1.

biliter obluctantem. Vt ergo hanc, auctore Deo, merearis obtinere victoriam, non vltra cum carnali illo Israël immurmurans, dicas: Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi manna: sed potius lætus, & alacer cum Propheta decantes: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel, & fauum ori meo. Auiditas ergo carnalis delitiæ menti nostræ stomachum vegetare non desinat. Illæ siquidem carnales epulę nil aliud, quam vermem enutriunt; istæ vero mori hominem non permittunt, sed in æterni viroris amœnitate custodiunt. Illæ sui auidos in igne cum diuite guttam aquæ sitire compellunt; istæ cum Daniele secreta nobis mysterij cælestis aperiunt. De illa vero, esca ventri, & venter escis; Deus autem hunc, & illas destruet. De istis autem dicitur: Fauus distillans labia tua sponsa: mel, & lac sub lingua tua. Et iterum: Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.

Num. 11. v. 6.
Psal. 118 v. 103.
Discrimen inter carnales, cælestesq. delitias.
Luc. 16. v. 24.
Dan. 10. v. 14.
1. Cor. 6. v. 13.
Cant. 4. v. 2.
Ibid. v. 15.

De pretiosarum vero vestium vanitate, cuius morbo diceris laborare, non scribo; quia stylum vltra producere, sicut ipse perpendis, charta deficiente, non valeo. Ad Epistolam ergo, quam venerabili Abbati tuo Mainardo super hoc themate scripsi, prudentiam tuam dirigo; rogans, vt illam non perfunctoria celeritate transcurras: sed vigilanter in ea, quæ momenti sunt, attendas. Omnipotens Deus, dilectissime frater, carnalis sensus in te vires euacuet, & mentem tuam in spiritualis desiderij soliditate confirmet.

Ea est 14. huius lib. 6.

EPIST. XXV. Ad Ioannem Monachum.

ARGVMENTVM.

Defendit se contra Ioannem quendam Monachum, qui illum reprehenderat, quod Episcopatum deponere in animo habebat.

Domno Ioanni religioso viro, Petrus peccator Monachus salutem in Domino.

QVod Episcopatum me relinquere velle succenses, meisque vtilitatibus prospiciens, consulis: vt pace tua loquar, rem, fateor, oculis spiritualibus non attendis. Tot enim causarum sæcularium tenebris obuolutus, intimi luminis claritatem videre non valeo: ad contemplandam spiritualia confusam nimis, & obtusam mentis aciem non attollo. Ante septem fere annos Abbas monasterij ad honorem B. Petri in Perusino Suburbio constituti, commissi sibi regiminis curam spreuit, Rectoremque loci sibimet ex Apostolicæ Sedis au-

Abbas Perusinus dignitate se abdicans, sanctitate manifestatur.

ctoritate substituit, de quo mihi Rainerius iudex, vir videlicet insignis, & facundiæ lepore conspicuus, nuper retulit, quod enarro: Abbas, inquit, ille postquam à depositi regiminis administratione cessauit, quotidie Missas gemino celebrabat officio: cui Pater meus iam veteranus, quem ille dudum Monachum fecerat, in diuini cultus assiduè ministrabat obsequijs. Quadam itaque die dum, perlecto Euangelio, cælestes ille victimas immolaturus esset: Pater meus agnum iuxta altare videt assistere, quem cum voluisset repente corripere, tremefactus expauit, manumque in eum extendere non præsumpsit. Cumque ad id peruentum esset, vt corpus Dominicum frangeretur, præfatum agnum super mensam altaris vidit, quem dum fixis obtutibus denuo miraretur, repentè disparuit. Quod dum venerabilis Abbas ex relatione illius, qui hoc viderat, agnouisset, occultandum esse præcepit: atque, vt ne cui diceretur, donec quidem Abbas aduiueret, omnino prohibuit. Qui paulo post sanctæ conuersationis studio deditus, obijt: nec lõgo post interuallo is quoque, cui visio facta fuerat, ad Dominum ex hac luce migrauit. Quod videlicet exemplum ad quid me aliud prouocat, nisi vt occupationis Ecclesiasticæ sollicitudinem deseram, atque ad contemplationis requiem tota spiritus libertate contendam?

Christus D. sub agni figura visus in sacramentis speciebus.

Sed dum hoc mihi per ordinem diceretur, aliud quoque sub eodem fere momento relatum est, quod memoriæ mandare, otiosum esse non credo: quia licet ad hoc negotium non pertineat, ad Dei omnipotentis, cui quidquid scribimus, militat, laude non vacat. Richardus plane Rector monasterij, cui Camporizani vocabulum est, hoc se certis quorundam relationibus didicisse narrauit: Quod vir quidam ex Longobardiæ partibus cum vxore simul ad veneranda beatorum Apostolorum limina contendebat; cumque lacum Vulsini obuium viator haberet, nauigium piscatoris ingressus, pisces emit: sed reuersus ad litus, marsupium, in quo bis duodenos nummorum Papiensium solidos habuerat, se perdidisse cognouit. Cumque vxor eius propter vilem cœnam grauem se quereretur pertulisse iacturam, vir magnanimus hoc æquanimiter tulit, doloremque coniugis blandis adhortationibus lenire curauit: Sex, inquit, adhuc denariorum Lucensium libras habemus, huius summæ duntaxat impendio valemus iter nostrum honestè transigere. Nam diuina clementia sua benedictione dignabitur nostræ iacturæ dispendium compensare. Factum est autem, cum, expeditione peracta, præfatus vir iuxta eundem lacum metiretur hospitium, cœpit gratulabundus sociis dicere: quia lacus iste, fratres, nobis intulit damnum, dignum profecto est, vt, auxiliante Deo, ad propria repedantibus, lętum præbeat, ac solemne conuiuium; & conuersus ad accolas, quis, ait, mihi distracturus est duodecim numismatum piscem? Cui piscator assistens, præsto respondit: vænalem profecto piscem optimum habeo, sed quindecim proculdubio mihi denarios numerabis,

Richardus Abbas Camporizani.

Diuinę prouidentiæ, ac benignitatis exemplum.

si eum tibi vindicare volueris. Quam ille summam non cunctatus exoluit, emptumque piscem vxori, vt exculentius pararetur, iniunxit. Quem mulier vt exenterauit, in intestino eius folliculum cum viginti quatuor Papiensis monetæ solidis reperit. Tunc omnes, qui aderant, in commune gratias referunt: & in succedentibus sibi iacturis semper in Deo spem esse ponendam, indubitanter agnoscunt.

Epist. huius finis desid. in MSS.

EPIST. XXVI. Ad Marinum suum Patruelem, Monachum Classensem.

ARGVMENTVM.

Hac Epistola S. Doctor fratrueli suo Classensi Monacho salutem dicit, eumque aduersus dæmonis insidias salutaribus armat monitis. Omnium primum monet, vt corporis in eo munditiës, temperantia in victu, orationis studium, animi demissio, obedientiæ virtus eniteat: deinde rogat muliebrem conuictum euitet, nullisque verborum fucis in congressionibus vtatur: iterum orat affinium amorem restringat, ne munus aliquod ambiat, de aliorum fama ne detrahat, per morbi simulationem sui rationem haberi ne cupiat: postremo illi suadet, ne reprehensiones ad aures admittat, lapsus agnoscat, paucosque è multis, eosque spectatæ virtutis imitetur.

Petrus peccator Monachus, Marino puerulo salutem in Domino.

Tyro spiritualis ne prosternatur, indiget magistro.

RVdis tyro facile in prima belli congressione prosternitur, nisi adhibito prius campidoctoris officio, diligentius informetur: tu etiam, qui nuper in diuinæ militiæ sacramenta iurasti, qui in professione sancti propositi inter pueriles alas nomen dedisti, inter ipsa castrorum spiritualium rudimenta cognosceris tanto propensius salutaribus monitis indigere, quanto non terrenam, sed diuinam potius militiam adorsus es baiulare. De qua nimirum dicit Apostolus: In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus. Nam arma militiæ nostræ, non carnalia, sed potentia Deo sunt. Porro autem, quia consanguinitatis mihi necessitudine iungeris, Fratruelis quippe es, arbitror tuæ salutis curam, eo mihi periculosius impendere, quo tenera tua adhuc ætas alienæ opis indiga, id videatur & ex debito quoque propinquitatis exigere. Nam cum Apostolus censeat, eum, qui ad Episcopatus apicem promouetur, filios habere debere subditos cum omni castitate: atque in catalogo virtutum futuri sacerdotis, etiā filiorum pudicitiam, & obedientiam ponat; tū mihi licet non sis filius, à mea

2. Cor. 10. v. 3.

1. Tim 3. v. 4.

à mea tamen cura non merito iudicaris extraneus, cui germana videris affinitate propinquus; præsertim cum & ipse tibi monachicum tradiderim habitum, non sine causa me à consultationibus tuis diffiteor absolutum. Primò omnium, dilectissime fili, castitatem seruare vigilanti solertia satage, & omne crimen lethiferæ pollutionis exclude; vt scias, iuxta Apostolum, Vas tuum possidere in sanctificatione, & honore. Hæc est enim sanctimonia, sine qua nemo videbit Deum. Seruetur munda corporis tui tunica, & in tanti Regis nuptijs nullo petulantis luxuriæ reperiatur squalore fœdata. Sit ergo tibi castitas semper in corpore, sit semper in mẽte: quatenus sic lilia indisciplinatæ carnis, velut exaratæ terræ cultura, candescant: vt radix quoque in sui viroris gratia inconuulsa permaneat. Carnis titillat illecebra, surgunt libidinis incentiua, ad Apostolica mox tela prosiliens, Euangelicum quoque gladium bellator feruidus arripe: & frementes cuneos, hostiumque barbariem, duce Christo, facile poteris obtruncare. Vnum est, vt sobrietas quotidie tibi comes sit indiuidua: nec aliquando à tuo sit collegio, gula pruriente, diuulsa. Vbi enim viscerum pori ciborum repleti sunt, suum illic proculdubio robur sibi vindicat flamma libidinis. Hæc enim pestis ariditate repellitur, & vbi efferi corporis humor deficit, hæc etiam arescendo marcescit. Planè, vt ignis aquæ, sic luxuria inimica est frigori: atque ideò vbi genuinum carnis ardorem ciborum fomenta destituunt, feruor quoque luxuriæ, necesse est, extinguatur. Nolo ergo cibis lautioribus inhies: nolo vino affluenter indulgeas, siue de eius coloris, saporisue distantia aliquando disputare præsumas: Hoc tenuis lageos horror exasperat; illud venachoricæ debilitatis eneruat: istud porrothasiam rubet, illud autem aureo mareothidis decore flauescit, prohibetur lectio, nauseanti vappa est, baptismus irrepsit: expectaui quidem vinum, sed huic aquæ perexiguum vini videtur admixtum; huic sanè vino Aminæa quidem vitis plurimum contulit, sed Rhetica propemodum superare contendit. Noli itaque callere, quid Arigitis, quid Rhodia sapiat: quem suauitatis acrorem cum purpureis Precijs, Psitijsque componat. Hæc enim omnia gulæ philosophantis sunt argumenta, & ingurgitationis abominandæ materia. In sumendis ergo alimentis parcitas asperitatem mitiget, vulgaritatem delibatio castigata commendet. Nec sufficit in esculentioribus cibis cohibere crapulam, nisi & in ipsis grossioribus nouerit quis tenere mensuram. Sic enim vulgari quolibet cibo crapulantis aliquando gulæ culpa committitur, sicut & in deformi scorto coëundi voluptas expletur. Qui verò consueuit ventrem breui panis aridi mensura conficere, non facile de inadipatis nouit edulijs iudicare. Qui timet aquam ad sitietatem bibere, mulsi se potionibus ingurgitare non quærit. Si vis ergo inter delitias sub sobrietatis legibus viuere, caue quoque inter ipsa simplicia alimenta edacitatis fræna laxare. Suauem verò cibum cur debeamus expetere? qui quantislibet apparetur impendijs, & antequam in os in-

Cura castitatis.

1. Thess. 4. v. 4.

1. Cor. 12. v. 8.

Sobrietas est castitatis præsidium.

Non modo in pretiosis, sed etiam vulgaribus cibis peccari potest.

Gulę moderãdæ remedium.

tret, nobis non sapit: & postquam, flumine glutiente, traijcitur: venter, cui illapsus est, non discernit. Totius autem nostrę voluptatis iter, cui tanta ambitione seruimus, breuissima vnius palmi summa concluditur. Qui enim Christum desiderat, & ipso pane vescitur, nimirum qui de cælo descendit, de quam pretiosis cibis stercus conficiat, magnopere non discernit. Quidquid ergo non sentitur post gulam, idem tibi sit, quod panis, & olera. Nam si gula non sibi thesaurizat, sed ventrij cur ipsa quid quasi delicatius eligit, quod venter idē indifferenter admittit? Vt ergo non sentiat pudicitia periclitata naufragium, inter fluctuantis huius vitæ discrimina, sobrietas magistra tui corporis teneat clauum. Abigendis quoque cogitationibus sollicitus semper inuigila, quia non enixius expedit carnem ab illecebrosa titillatione reprimere, quàm mentem quoque à turpium cogitationum phantasmate custodire. Noui fratrem in Christo, qui districtam hanc mentis suæ regulam iugi, ac peruigili seruat intuitu; vt quotiescumque libidinis suggestio surrepit, mox cogitationi suæ, velut expeditus ad proficiscendum, dicat: Eamus, inquit, ad circam: illico omnia cœmiteria, ac sepulturas imaginando perlustrans, putrescentium virus, saniemque cadauerum, scatentes quoque vermes, & fœtentium ius carnium, curioso rimatur intuitu: cumque considerat, quia olim carnes illæ in sua viriditate florentes, his subiacuere molestijs: corpus etiam suum paulo post futurum esse non ambigit, quod illas esse iam cernit. Compendium dat luxurię, qui præbet oculum corruptelæ; nec est libidini diuersorium, in qua versatur mente sepulchrum. O quoties ille frater, candentem cultrum, & vomerem, quasi cauterium quoddam genitalibus impressit? ita vt, crepitante quodam modo perfrixæ carnis incendio, ad nares vsque fumus per enargiam exhalare videretur.

Ioan. 6. v 48.

Mortis cogitatio turpes abigit motus.

Admirandus seruandę castitatis feruor.

Cum necessitatis aliquando casus exegerit, vt tuum fœminæ colloquium negare nō possis, limis semper oculis, & velut aliorsus intentus, absentem tui præsentiam exhibe: longinquus alloquere, confabulator absiste, terræque defixis obtutibus, neque pallentem, neque rubentem eius faciem possis iudicare. Beatus aliquando Romualdus rediens à Sibyllæ Comitissæ colloquio, comitanti fertur callidè dixisse discipulo: quàm elegantis, ait, & venusti vultus fœmina: nisi, proh dolor! vnius oculi dispendio laboraret? Cui discipulus, absit, magister, inquit, sicut decora certe facies, ita quoque oculi, prout sagaciter deprehendi, nihilominus incolumes vigent. Quem magister acerrima protinus animaduersione corripiens, & quis te, inquit, in faciem fœminarum respicere docuit? Tunc ille circumuentum se esse respiciens, pœnitentia ductus, erubuit: & de cætero cautiorē se fore, obstinatissima pollicitatione deuouit. Versutus namq; aduersarius pictor est, sed qui facile quidem possit ad memoriam visa reducere, vix autem in parietibus mentis nostræ ignotarum nobis specierum lineamenta formare. Si vis itaque ad perfectionis fastigium prouehi, amodo necesse est in cunctis virtutum stu-

Qua modestia cum feminis colloquēdum.

S. Romualdi modestia, ac prudentia.

dijs exerceri: videlicet dum ætas tua cerea est, dum mores teneri in quálibet partem valent indifferenter adduci. Cum ipsis ergo corporalibus incrementis coæua virtutum exercitia coalescant; vt consuetudo leuiget, quod debilitas humanę fragilitatis abhorret. Nunc itaque exiguo cibo, exigua nihilominus se intestinorum mensura coaptet: vt dum in ipsa viriditate sua vasculi sinus attrahitur, modica postmodum annonæ mensura facile repleatur.

Tenera ætas apta est ad virtutis studium.

Assuescat lingua sub taciturnitatis se cohibere censura, & tacendo discat, quod loquendo postmodum grauiter proferat: ne si nunc districtum negligit custodire silentium, loquendi postmodum nequeat fręnare pruritum. Lentescant nunc genua crebris attrita metaneis, immo cætera membra diuersis exercitationibus edomentur: ne quorumdam more, durus postmodum stare videaris, & rigidus: & manimundulus, vt aiunt, quasi sacra Cereris oblaturus. Esto sollicitus ad exhibendum sedulitatis officium, & promptus semper ad obsequia delata respuere; ipse satage omnibus ministrare. Aliquid parari, vel afferri præcipitur, repente consurge, & festinus accelera; vt iubentis vox in te potissimum fuisse directa videatur. Illud autem te præcipuè, & sub districta prorsus animaduersione præmoneo: ne quorumlibet te fratrum offendant priuata ieiunia. Noui enim quorumdam mihi similium vitia. Nonnulli namque alijs ieiunantibus tanto liuoris, atque inuidiæ felle torquentur, vt illorum salutem sibimet in perniciem vertant: & vt ita loquar, per alieni profectus scalam ipsi in præcipitium corruant. Non, inquiunt, liquet agere, nisi quod communis monasterij Regula, vel maiorum cohortantur exempla. Quibus nimirum facilè respondetur; quia si Regula a regendo dicitur, potius ad districtionem ieiunij, quam ad dissolutionem, vel ventris pertinere videtur ingluuiem: atque ideo illi inter eos non immerito maiores sunt iudicandi, eorumque exempla sectanda, qui per angustam ingredientes portam, sub sobrietatis legibus, & arctiori Crucis Christi noscuntur viuere disciplina. Quapropter cum de vocabulo Regulæ conflictus oboritur, illi magis debent ad ieiunium prouocari, quam isti ab arrepti propositi rigore compesci. Correptiones autem quamlibet duras, siue multiplices, noli abhorrere, sed libenter complectere. Sicut enim aurum, vel argentum ad claritatis speciem, lima poliente, perducitur; ita & anima nostra correptionibus erasa, a peccatorum suorum, velut a rubiginoso quodá squalore, purgatur. Caue etiam ne quorumdam exemplo, dum obedire detrectas, in negligentem, quod absit, Præpositum calumniam querula mordacitate deuoluas. Samuel ergo ad memoriam redeat, qui desidé, inertemque magistrum tam patienter, tam humiliter coluit: vt intempestæ noctis silentio ter vocatus accurreret, totiesq; interrupti soporis excubias non doleret. Poterat enim modo velut expostulantis objicere: cur, inquiens, non vereris extraneo tanta auctoritate præcipere, qui segnis es filijs imperare? qui tamen, Scriptura teste, non tumuit,

Silentium est loquendi magister.

Sedulitas in ministrando alijs.

Priuata aliorũ ieiunia non sunt reprehẽdenda in monasterijs.

Correptio purgat animum á labibus.

Verus obediens iubentis mores non disquirit.

3. Reg. 8. v. 46. non querulus sugillauit; sed ad iubentis imperium perniciter peruolans, simpliciter ait: Ecce ego, vocasti enim me.

Peccasti aliquando? Non est enim homo, qui non peccet; & forte in notitiam venit, quia prima post naufragium tabula est culpam simpliciter confiteri, prompta confessio facilem pariat veniam; ne si defensio falsitatis accesserit, quod acu fortasse fuerat tenuiter punctum, lata videatur cuspide perforatum. Hinc est enim, quod cum Dauid perpetrati reatus arguitur, mox vt in vocem confessionis erupit dicens: Peccaui Domino; ex ore Prophetæ protinus audiuit: Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris. Et quia se occasio præbuit, hoc etiam te fraudari non patiar, quia nonnulli à pueris in religionis ordine constituti, sola inobedientia superbiæ mista depereunt: cum in sæculo plurimi post immanium criminum perpetrata flagitia, per humilitatis studium indulgentiam promerentur. Ecce enim Dauid adulterium, homicidiumque commisit; Saul verò Samueli inobediens extitit. Sed quid, quod ille, nullo interueniente, vel in puncto veniam meruit: alterum verò nec propria confessio, nec prophetæ tam lugubris, & amara, atque prolixa supplicatio reconciliauit? Planè si Scripturæ series vtrobique discutiatur, copiosior Saul quam Dauid, in verbis pœnitentię reperitur. Iste siquidem dumtaxat id, quod præmissum est. Peccaui Domino; ille autem, peccaui, inquit, quia præuaricatus sum sermones Domini, & verba tua, timens populum, & obediens voci eorum, atque id ipsum postmodum repetens, ait: Peccaui. Accessit autem & longanimis valde Samuelis oratio, de quo videlicet dicitur: Contristatusque est Samuel, & clamauit ad Dominum tota nocte illa; sed diuina voce responsum est: Vsquequo, ait, tu luges Saul, cum ego projecerim eum, ne regnet super Israël? Quid est ergo, quod alterius pœnitentia pie suscepta; alterius autem sub districtæ seueritatis est examine reprobata, nisi quod ille scelus inobedientiæ, spiritu superbiæ, paruipendens, nequaquam pleno corde pœnituit: hic autem pauca quidem protulit, sed eius viscera diuini timoris gladio transfixa, veri luctus amaritudo repleuit? Hæc, quæso, considerare non negligant, qui cum inobedientiæ obediant, de grauiorum se immunitate criminũ procaciter jactant. quorum profectò nonnullos sępe videmus ad agendę confessionis iudicium frequentare, solo se deuote prosternere, tinnulis se, & accuratis verbis magis facete, quã humiliter accusare: atque ideo numquam eorum mores ad idoneæ correptionis emolumenta procedere, qui videlicet cum Saul ore pœnitent, corde tument.

Peccati remedium est confessio.

2. Reg. 12. v. 13.

1. Reg. 11. v. 4. & 1. Reg. 13. v. 9. & 15. v. 9.

1. Reg. 15. v. 24

Ibid. v. 35.

1. Reg. 16. v. 1.

Cur Dauidis confessio veniam meruit, non Saulis.

Cur multi culpam confitentes, non emẽdentur.

Cum incolumis vigeas, noli sponte languere. Aduertis ne, quid loquor? Illud namque mihi in plerisque monasterijs nõ mediocriter displicet, quod nonnulli vegeto corpore, quique prorsus medicinalis industrię non indigeant, hodie vaporandam Nemitori venam præbent: cras sibimet hirundines adhibent: diuersa perendie medicaminum postruunt artificia. Interea similago commolitur: placentæ examussim fa-

Morbum simulare reprehensibile est.

brefactæ, tepescentibus tantum cineribus, excoquuntur: fluminum sinus, siue & marium perscrutantur: macellum quoque vacare, quia piscis pelagi profunda petierat, non meretur. Immo fælix infortunium creditur, si piscosus ager sterilis inuenitur, vbi nimirum, & necessitas vbertatem, & vbertas parit inopiam. Interea quodcumque, siue terræ, siue maris animal ad victimam ducitur, peritus coquus, necesse est, perquiratur: qui videlicet ignibus tanto discretionis libramine moderetur, quatenus artifici, & magistra temperie ad ossa perueniat, & tamen superficiem carnium non comburat: tamquam quibusdam præstigijs videatur vapor, & transiliens exteriora non tangere, & penetrans ad interiora transire. Quid plura? discumbentes tandem, immo iacentes, stomacho nauseante, liguriunt: & edaci fastidio vix imperant, vt probent esse vera, quæ fingunt.

Ad locum porrò regiminis numquam ambitiosus anheles, dum in proximo digressurus, diem proprię vocationis ignores. In eodem plane Classensi cœnobio, quod nunc incolis, ætate nostra quidam monachus vicem Prioris obtinuit, qui Abbas ibidem fieri ardentissime concupiuit: sed dum satagit, dum conciliabula cogit, dum fabricat, & versutiæ malleos infatigabiliter versat, in languorem decidens, ad extrema perductus est: dehinc in phrenesim repente conuersus, quod sciens mente conceperat, ore nesciens effluebat: Ecce, inquit, in proximo comprehendam, mihi dabitur monasterium, adest virga: accipiam, & præualebo. Inter hæc igitur verba defunctus, sinistram de se fratribus spem reliquit.

Mortis meditatio ambitionis remedium.

Animi desideria in phrenesi aperiuntur.

Negligentes denique negligenter aspice, studiosos autem circa animam suam, ac vigiles, vigilanter attende. Illud siquidem, ne aliena mala curiose dijudices: hoc autem, vt temetipsum ad bonorum exemplar æmulatione sanctæ imitationis informes. Propone itaque tibi aliquos, egregios videlicet fratres, ex totius conuentu cænobij, quorum recta vestigia tuto valeas imitari: &, vt facilius possis aspirare, quò duco, exemplum tibi de veteribus dabo. Eracleotes Zeuxis magno à Crotoniatis conductus est pretio, vt Dianæ simulachrum insigne depingeret, & eius imaginem ad probatissimam suæ artis industriam sine comparatione formaret. Poposcit autem omnes Vrbis virgines in vno spectaculo colligi, vt futuri elegantiam operis ex earum posset specie mutuari. Sed quia pudicas, & honestas virgines in publicum prodire fas non erat, earum fratres ducti sunt ad palæstram, vt ex eorum pictor decore colligeret, quid de sororum venustiori nimirum pulchritudine iudicaret. Sed quoniam natura non omnes vni pulchritudinis dotes attribuit, vt quod vni membro prorogat, alij sæpè demat: eoque fit, vt vnum, idemque hominis corpus, quod hic formositate præeminet, illic deformitate laborat: ex omni illo puerorum examine quinque dumtaxat pictor elegit, quos ad compilandam cuiusque pulchritudinis elegantiam prę oculis habuit. Sed quorsum hęc tam

Ex multis vnus est nobis ad imitandū isque optimus proponendus.

Exemplum Zeusis in pingenda Venere.

Cicero lib 2, de Inuētione.

longa narratione protracta? Nimirum & tu ex pluribus paucos eligas, ad quorum normam interioris hominis pulchritudinem effigiare contendas. Verbi causa, sicut ille ab alio relucentes oculos, ab alio subductas aures, ab hoc denique lacteas, ac rubore suffusas mutuatus est genas: ita nihilominus etiam tu ab alio promptam obedientiam, ab alio feruentissimam charitatem, ab isto pernoctationis excubias, ab illo diuturni silentij disce censuram; quatenus sicut ille diuersorum corporum habitudines ad vnius simulachri speciem transtulit; sic & tu ex varijs sanctorum virorum virtutibus vnius in te veri Dei restaures imaginem, vt ad eumdem postmodum fæliciter cognoscendum reuertaris Actorem.

Cordis duplicitas fugiéda. 1. Cor. 5. v. 8.

Caue duplicitatem, esto simplex: vt quod lingua depromitur, mente versetur. Azyma namque soliditate statuitur, fermentum cauernis scaturescentibus vitiatur. In azyma veritas, & sinceritas; in fermento malitia est, & nequitia. Qui simpliciter gradiens, azymus est, nouum hominem induit; qui ex duplicitate fermentum est, in vetustatis errore permansit, ac per hoc ad nouitatis gratiam non peruenit. Quid enim prodest Christianum verbotenus se profiteri, & re ipsa antichristianum esse?

Vt scripturarum studium sapiat, terrenæ delectiones despiciendæ sunt. Psal. 118 v. 103 Dan. 1. v. 17

Totus esto semper in Prophetis, totus in Euangelijs: occupa cor tuũ vndique diuersis sacræ Scripturæ sententijs, vt nulla eius pars vacet admittendis cogitationum inanium phantasijs. Quod si sermo fortassis horret incultus, & mel Dei in cordis tui fauce non sapit (Quam dulcia enim, ait Propheta, faucibus meis eloquia tua, Domine, super mel, & fauum) ora, ieiuna, atque omnes à te illecebras terrenæ delectationis abscinde; vt quod non ex se, sed ex te videtur insipidum, in tuo possit ore dulcescere. Pueri namque illi, qui se Regis decreuerant epulis abstinere, omnium librorum sapientiam, & scientiam grata meruerunt talione recipere. Danieli quoque, quia censuræ huius auctor extiterat, hoc est insuper additum: vt visionum omnium, atque somniorum notitiam percepisset. Digno videlicet retributionis diuinæ commercio, vt qui se à carnalis edullij voluptate reprimerent, ad spiritualis intelligentiæ dapes mentis ora laxarent. Arescat igitur caro, vt mens saginata pinguescat.

S. Romualdi consilium vt sobrietatem seruemus, & hypocrisim fugiamus.

Cibi, qui esculentiores sunt, excludantur: vt intestina bella arbiter occultus inspiciat: & pro stercoris esca, cælestis alimenti nobis suauitates apponat. Nec ineptus applices, quod sæpe suis discipulis vir Domini Romualdus aiebat: Fratres, inquit, cum in quorumlibet conuentu reficitis, intentis ad cibum cæteris, in ipso refectionis initio parcite: & cum iam illis ex parte satisfactum fuerit, vos inchoate: quatenus & hypocrisis notam possitis euadere, & sobrietatis regulam sine offensione seruare. Porrò autem vidi Pompósiæ monachum apprimè diuinæ legis, & disciplinis regularibus eruditum, qui, vt ferebatur, hoc cum assidente sibi fratre parili conuersione pepigerat: vt apposita cuique vini, sicut

mos est, personaliter obba, vterque quotidie vtriuslibet mensura contentus esset. Nimirum, vt ex eo, quod vni competeret, duo se sub sobrietatis moderamine substẽtarent: cum verò socius ille deesset, in ipso æstatis ardore, qui nimirum eo loci feruentior incumbit, eo vsque in propria obba vinum acescere permittebat, vt scaturescentes in ea vermes sæpius reperiret. Martinus itaque decaluatus, hoc quippe ei vocabulum erat, ad extrema perueniens, cum eius totum corpus hydropis humore immaniter intumesceret, omnes nos, qui eius lectulo videbamur assistere, petijt, vt eum dignaremur scopis sigillatim quilibet verberare. Cumque sic in Fide perfecta, & sancta fuisset confessione defunctus, cuidam postmodum fratri in visione apparuit. Erat autem in cuiusdam splendidissimæ regionis vernanti, & florido nemore, candida decoratus stola, & fulgido præclarus aspectu; recumbebat autem in lectulo tegumentis insignibus, & mirificis adornato, de quo videlicet hucusque sufficat, ne dum historiam teximus, epistolaris compendij limites excedamus.

Pomposiani Monachi in potu sobrietas.

Alterius moribundi humilitas ac mortificatio.

Decreueram quidem iam calamo imperare silentium: sed quem longa siti videmus arescere, perauarum est illi cyathum propinare. Caue itaque, fili charissime, ne quando intra claustrum monasterij constitutus, de sęcularibus negotijs colloquia cum sæcularibus misceas: & sicut referre, ita nihilominus & audire contemnas. Illico planè indignatio sancta respondeat, & pij zeli feruor erumpentes mox inconditi sermonis ineptias frangat: Quæ, inquiens, est participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? Et reuera quid monacho cum sæcularibus nænijs? Quid mihi perstrepentium iuridicorum fora, tribunalia iudicum, aulas Regum, intra monasteriorum septa pertrahere? Quid mortuo homini narrare de prælijs, dotales tabulas inter tales, diuortio interueniente, rescissas: illos titulis efferre natalium, infamare alios nouitate cerdonum? His itaque, & huiusmodi nugis inaniter occupari, quid, quęso, est, nisi à perspicuo fonte diuinæ laudis fauces auertere, & cœnosi luti spurcitias ore versare? Vnde non immerito per Hieremiam Dominus conqueritur, dicens: Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuę, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Enimuerò ipsam claustri tui fabricam respice: ecce enim quadrifida est; vt nimirũ ipse loci situs euidenter edoceat, quod vndique te à mundanæ cõuersationis strepitu semotum esse conueniat. Porrò satis indecens est, & inhonestum, ac per omnia probatur absurdum: vt quod in tabernis consueuit quis eructare cauponum, quod passim versatur inter gynæcea textricũ, in Sanctorum choro locum inuenire valeat monachorum. Sanè vbi Prophetas, & Apostolos alloqui me desiderantes aspicio, vbi Christum suum mihi pandentem Euangelium cerno: ego relictis illis, inquiram, si nuper Adriam transfretantes adhuc applicuerunt naues? Quanti sal væneat? Vtrum annonæ modium taxema carius vendat? Facessat

Sermo de rebus sæcularibus monacho sit alienus.

2 Cor. 6. v. 14.

Hier. 2. v. 13.

igitur ab ore militis Christi omnis vani rumoris ineptia: & lingua, quæ immaculati Agni, immo summi Verbi rubet sanguine, dedignetur otiosi sermonis sese fæcibus inquinare. Noli cuiquam detrahere, sed ne tu rem quidem dignam ducas detrahentibus applicare. Cum detractoribus, ait Salomon, ne commisceearis: quoniam repente veniet perditio eorum, & ruinam vtrorúque quis nouit? Tu videlicet illius, qui detrahit, quam eius, qui aurem accommodat detrahenti. Ipse potius, si ratio postulat, peracti sceleris argue, durus inuehere: non verens præsentem austerius increpare: absentem autem non laceres, nec apud alios liuido dente commordeas. Sæpe enim, scio quo pacto, seuerius arguentem æquanimiter substinemus, quem vel summotenus accusantem perferre non possumus. Exige tibi, vt animus tuus ex Abbatis iugiter animo pendeat, & numquam proprij cordis arbitrium: sed eius humiliter sequaris semper imperium. Ora itaque Deum, vt per eum tibi, velut organum scilicet suę veritatis, aperiat, quid tibi agendum esse pro sui beneplaciti dispositione decernat. Noli phaleratam aliquando Proauorum lineam texere, vt de vana te velis alieni nominis generositate iactare. Plane qui hæres Dei, & cohæres est Christi, omnem terreni stemmatis prosapiam superat. Verumtamen esse Christianum magnum est, non videri, vel dici: & ille plus sæpe placet mundo, qui displicet Deo. Quorumdam sane versuta calliditas, quasi derogando, maiorum suorum nomen exaggerant: &, vt potentes, atque magnifici fuisse videantur, superbię eos, vel crudelitatis arguunt. Tenes, quod dico? Accuso Achillem multi sanguinis reum, vt tu intelligas bellorũ studio strenuum. Arguo Italicæ persuasionis Annibalem; vt tu audacem non dubites, & robustum. Memineris frequenter orandum, vt corpore terrę prostrato, mens erigatur ad cęlum. Ventre vacuo sæpius dormi; sitim te ad lectulum comitantem sopor mitiget. Moderata vigilia puræ orationis est causa, indiscreta autem & otiosa loquendi fit sępè materia: quia cui palpitantibus oculis, oscitantibus labijs legere, aut orare non licet, aliquando vacare fabulis liber. Quapropter sero lectulum pete, ad vigilias moderatius surge. Præueniat siquidem somnus accubitum, nõ accubitus somnum; vt quo difficilius necessitas dilata conceditur, à fessis membris auidius rapiatur. Interea rumusculos, & gloriolas, & palpantes adulatores, tamquã serpentini morsus venena deuita, & velut abjecta theriacha protinus audiãt: Auertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi, euge, euge. Nihil mediocri in te cõtentus sum, fili: totum summum, totum perfectum est, quod in te sentire desidero. Deposita igitur omnis inertiæ, & torporis ignauia, aduersus temetipsum ipse congredere, tecum dimica, tecum pugna: & arrepto Euangelicæ disciplinæ mucrone, omnes circumfrementium vitiorum ceruices obtrunca: dura quęque, & aspera pro Christi semper amore perferens, virtutis exercitium crede. Quidquid carni voluptuosum videtur, & blandum, vt reuera diaboli viscarium perhorresce. Quisquis

Nec detrahẽdum, nec audiendi detractores.

Prou. 24. v. 22

Orãdus Deus, vt sua voluntas per suos Vicarios nobis innotescat.

Christiani nobilitas ex Christo, non auis petenda est.

Rom. 8. v. 17.

Moderata vigilia orationem iuuat.

Psal. 69. v. 4

quis enim in monachica Regula carnis se sperat blanditias inuenire, velut ex arido ligno succum conatur exprimere. Scurrilia quæque, vrbanitates, sales, facetias, leporesque verborum à labijs tuis tanquam Gentilitatis quoddam præputium circumcide. Piscatorum namque sumus discipuli, non oratorum; vt ex ore Christiani non latinitas Tullij, sed simplicitas resonet Christi. Omnes voluntates proprias frange, vndiq; te cum Apostolo Christi mortificatione præcinge: vndique impressa tibi stigmata Crucis ostende; vt quo nunc arctius iudicati vestigia sequeris, eo post sublimius iudicantis consortio perfruaris. Omnes autem sanctos fratres monasterij tui mea vice saluta, charissimos autem mihi fratres, Boninum, & Petrum, si solito more videris, aliquando excelsius canere, hoc distichon meo nomine in eorum manibus pone. Scurrilia verba, ac facetiæ sunt vitandæ.

Qui Philomelinis depromitis organa fibris,
Intima vox cordis modulis bene concinat oris.

EPIST. XXVII. Ad Petrum Cerebrosum Monachum.

ARGVMENTVM.

Tota hæc Epistola contra Petrum Cerebrosum Monachum scripta est, quem cum prius de coërcenda lingua, & verbis temere non effutiendis admonuisset, statim deinde spontaneæ verberum inflictioni detrahentem, grauiter coarguit: scoparumque remedium non modo non esse absurdum, vt ille existimabat, sed pium & ad purganda peccata peridoneum, validissimis rationibus, & exemplis demonstrat.

Petro Cerebroso Monacho, Petrus peccator Monachus salutem.

QVi dicaciam eloquentiam putat, rerum similitudine ductus, oberrat. Sicut enim vir Sapiens dicit: Labia imprudentium stulta narrabunt, verba autem prudentium statera ponderabuntur. *Eccl 21. v. 28.* Plane sicut equus effrænis per anfractus, & inuia plana, vel ardua quæque transmittit: sic lingua stultorum recta, vel friuola, vt quælibet suppetunt, indifferenter, ac leuiter effluit. Prudens autem, quæ dicenda sunt, ponderat: & tamquam cautus viator, solerter attendit, vbi linguæ suæ vestigium figat. Ille quidquid occultum est, per impatientiam fandi producit in medium; iste, si dictet vtilitas, sub claue silentij seruat arcanum. Vnde & idem Sapiens, In ore, inquit, fatuorum cor eorum, & in corde sapientium os illorum. Plurimum fel, frater, in *Ibid. v. 29.*

Prudentis, & stulti comparatio.

nos nuper euomuisti, dicens, & scribens, quod vesani vtique capitis videatur ebullire furorem. Et cætera quidem, quæ simultatis acerrimæ liuore debacchatus es, omittimus: de disciplinis autem verberum, quas sibi fratres consuetudinaliter inferunt, vbi detractionis pedem diutius impressisti, cum Dei auxilio respondemus.

Consuetudo se verberandi vnde nata. Hoc itaque disciplinæ genus nequaquam modernis est studijs nouiter adinuentum, sed ex sacræ Scripturæ potius auctoritate prolatum.

Matt.27.v.27 Ioan.19.v.1. Act.16.v.23. Nouimus enim Dominum Saluatorem à Præsidis militibus verberatum: Beatos Apostolos in Concilijs à Sacerdotum Principibus cæsos: nonnullos etiam sanctorum Martyrum legimus virgis, ac flagris durioribus laniatos; Paulus etiam, quia ter virgis cæsus est: &

2.Cor.11.v.24 quod quinquies quadragenas, vna minus, accepit. Quod vtique tale

Deut.25. est. Præcepit in Deuteronomio Dominus, dicens: Si eum, qui peccauerit, iudices dignum viderint, prosternent, & coram se facient verberari. Vbi & mox additur: Pro mensura peccati, erit, & plagarum modus, ita vt quadragenarium numerum dumtaxat non excedant, ne fœdè laceratus ante oculos tuos obeat frater tuus. Quod videlicet illi populo legale præceptum, nobis est allegoriæ mysterium.

Quadragenarij numeri mysterium. Quadragenarius siquidem numerus humanæ vitæ significat cursum. Hinc est, quod

a Num.14.v.33.32.v.13. b Exod.24.v.18. c 3.Reg.19.v.8 d Matt.4.v.2. Act.1.v.3. a Israël annis quadraginta graditur per desertum, hinc b Moyses, & c Elias, insuper & ipse d Dominus tot diebus protraxere ieiunium: qui etiã sicut horis quadraginta in sepulchro mortuus iacuit, ita nihilominus post resurrectionem suam diebus totidem cum Discipulis fuit; quatenus nos sua membra pius magister edoceat, vt per capitis nostri vestigia gradientes, & mortui mundo, & velut peregrini hospitemur in sæculo. Mysticè quoque peccator in lege dum vapulare præcipitur, excedi quadragenarius plagarum numerus prohibetur; quia quisquis in hac vita perfectam egerit pœnitentiam, nullam postmodum pro suis excessibus sentiet pœnam. Porro ternarius propter mysterium sanctæ Trinitatis, ad Fidem; quinarius propter quinque sensus nostros,

2.Cor.11.v.24 pertinet ad operationem. Et quia quisque cum peccat, vel errat in Fide, vel delinquit in opere; dignum fuit, vt Paulus, qui vtrobiq; peccauerat, ad perfectæ purgationis effectum ter virgis cæsus, & quinquies verberum vteretur quadragenis. Quod autem dicitur, vna minus, hoc est proculdubio, quoniam Iudæorum iudices vnum decreuerunt ictũ de quadraginta minuere; vt dum ad legalem calculum non pertingerent, contra præceptũ legis nullatenus excedere potuissent: & dũ citra persisterent, vlterius non transirent. Cum ergo non modo vetustæ legis auctoritas, sed & Euangelica gratia verberum plagas modo per

Rom.15.v.4. præcepta, modo per exempla commendet; vt & sanctos Apostolos in Concilio cæsos, & beatos Martyres legamus sæpenumero verberatos.

1.Cor.9.v.27. Heb 11.v.36. Quæcumque autẽ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Quid absurdum est, quid ineptum, si nunc sancta Ecclesia in pacis otio vtitur, quo dudum vtebatur in bello? Nam & Apostolus iterum dicit: Castigo

corpus meum, & in seruitutem redigo. Et alibi: Sancti ludibria, & verbera experti. Porro dum manus carnificis nunc ab infligendo Martyribus verbere cessat; quid obest, si sancta deuotio ipsa sibimet, vnde sanctis Martyribus particeps fieri mereatur, exhibeat? Nam cum sponte me proprijs manibus ante conspectum Dei verbero, deuotionis ingenuæ desiderium, si carnifex accurreret, promptus ostendo. Quia si pro amore Christi tam dulcis est mihi pœna, cum deest: quo susciperetur animo, si persecutor offerret? Vellem pro Christo subire martyrium, non habeo, cessante studio, facultatem; ipse me verberibus atterens, ostendo saltem feruentis animi voluntatem. Enimuerò si me persecutor allideret, ipse me verberarem, quia verberandum me vltroneus exhiberem. Nam si solerter Scriptura discutitur, ipse Rex Martyrũ Christus non solum à Iuda, sed etiam à Patre, & à semetipso quoque traditus inuenitur. Nam de Patre dicit Apostolus: Qui proprio Filio nõ pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. De Filio autem alibi: Qui dilexit, inquit, me, & tradidit seipsum pro me. Siue ergo me propria manus affligat, siue carnifex ictum infligat; ego specialiter huius examinationis auctor existo, qui me ad examinandum vltroneus offero. Præterea, quia tympanum est pellis arida; ille iuxta Prophetam, in tympano Dominum veraciter laudat, qui confectum ieiunio corpus, per disciplinam verberat. Planè & sacri Canones nonnullos, qui delinquunt, vapulare præcipiunt: vnde sancti plurimi Pontifices quosdam ad pœnitentiam venientes, prius in oculis suis verberari præcipiunt, sicque deinceps pœnitentiæ iudicium imponunt. Nam & ante nos, omnibus ferè sanctis Monasterijs hæc disciplinæ regula, nequaquam fuit incognita, & si non adeo frequentata; vnde & singulos annos pœnitentiæ millenis scopis redimere consueuerunt. Tu quoque non disciplinæ regulam, sed longioris disciplinæ detestaris insaniã: nec improbas cum disciplina dici Psalmum, sed perhorrescis, vt continuetur cum disciplina Psalterium. Sed dic, obsecro frater, vt cum pace tua loquar: detestaris illas, quæ ex more fiũt in capitulo disciplinas? damnas fortassis & hoc quod sæpe fratri de leui qualibet offensione confesso, vicenas fortasse, vel, vt multum, quinquagenas verberum plagas subire præcipimus? Sed quia disciplinæ istæ ad tolerandum leues sunt, & exiguæ, atque inter fratres regulariter assuetæ, perspicuum est, quia non derogas, non reprehendis, ne contra communem sancti ordinis consuetudinem venire videaris. Age igitur, si quinquagenas, vt dictum est, licet imponere, cur non etiam sexagenas, vel etiam, si præsumimus dicere, vsque centenas? Quod si centenarium in hoc piæ deuotionis sacrificio numerum licet attingere, cur non etiam ducentorum, cur non trecentorum, quadringentorum, quingentorum? cur certè & millenarium, ac deinceps non liceat attexere numerum? satis enim absurdum est, vt cuius rei pars minima gratè suscipitur; maxima reprobetur: & nimis ineptum est credi, vt bonum quid debeat incipi,

Sui verberatio studiũ est, & species martyrij.

Rom. 8. v. 32.
Galat. 2. v. 20.

Psal. 150. v. 4.
Corporis voluntaria verberatio & antiqua est, & sacris canonibus, sãctisque Patribus probata.

sed non permittatur augeri. Quomodo enim potest fieri, vt si parua disciplina purificat, in conspectu Dei multiplicata sordescat? Nam si diurnum ieiunium bonum est, biduanum, & triduanum melius est. Sic vigilare, sic psallere, sic laborare, sic obedire, sic meditationibus Scripturarum vigilanter insistere. Vnusquisque pius labor quo prolixior est, eo propensioris mercedis gloria dignus est; solum autem hoc pietatis genus quo magis augetur, eo deterius iudicabitur. Dicis, vt quid percutio carnem? Respondeo: vt quid percutio spiritum? Dicit enim Psalmista: Exercitabar, & scopebam spiritum meum. Carnem siquidem, & spiritum scopo, qui me deliquisse per carnem, & spiritum recognosco: Istum correptionum, illam cum cæteris afflictionibus etiã percussione virgarum; vt quia læta me caro traxit ad culpam, afflicta reducat ad veniam. Lorica est homo indutus ad carnem, ferreis membra diuersa circulis ambit, mittit cum labore metaneas, allidit in pauimentum crebrius palmas; vt quid hæc, & his similia, nisi vt, dum per hæc corpus affligitur, animæ refrigerium procuretur? Quodcumque enim illud est, per quod caro pœnitentiæ causa laceratur, atque percellitur, per hoc homo proculdubio contracti reatus squalore purgatur. Audi, quid me nosse contigerit tertio die, postquam in me tuæ non dicam malignitatis, sed simplicitatis phreneticus ardor incanduit.

Verberationis voluntariæ vtilitas.

Psal. 76. v. 7.

Cætera desiderantur in MSS.

EPIST. XXVIII. *Ad eundem Petrum, Monachum.*

ARGVMENTVM.

Duas quæstiones sibi à Petro Monacho propositas dissoluit. Prima erat, cur magnus Gregorius dixisset, ideo diuitem, qui opem Lazaro mendico ferre contempsit, ad æternos cruciatus damnatum esse, quia sub nouo Testamento, in quo misericordia in pauperes præcipitur, natus erat. Altera quæstio de vitio curiositatis, de quo idem S. Doctor mentionem fecerat, quod hic quid sit, ostenditur.

Petro charissimo fratri, Petrus salutem.

QVæris à me dilectissime fili, quid sibi velit, quod in homilia diuitis B. Gregorius ait: Nonnulli putant præcepta veteris Testamenti districtiora esse, quàm noui: sed hi nimirum improuida consideratione falluntur. In illo enim non tenacia, sed rapina multatur: ibi res iniustè sublata, restitutione quadruplici punitur. Hic autẽ diues iste non abstulisse aliena reprehenditur, sed sua non dedisse. Quibus vtique verbis Doctor insignis hoc dumtaxat approbare nititur:

Dubit. I. S. Greg. hom. 40. in Euang. Luc 16. v. 21. An præcepta Euãgelica sint strictiora, quã Moysis.

quia si diues ille in veteri testamento fuisset inuentus, tartareis pœnis nullatenus esset addictus. Iuxta ergo hanc assertionem iccirco perijt, quia sub noua gratia constitutus, Euangelium seruare contempsit. Sed e diuerso, tu moueris, & dicis: quomodo iam tunc nouum Testamentum illuxisse dicatur, cum Christus nec dum in Cruce suspensus, nec dum per resurrectionis, & ascensionis gloriam fuerat sublimatus? Immo ipsum Euangelium, quod seruari præcipitur, nec dum erat in orbem terrarum per Apostolorum ora diffusum. Postremo nec Spiritus sanctus hominum corda repleuerat, qui ad mandata seruanda vires mentibus administrat: Spiritus sanctus non erat datus, quia Iesus nec dum erat clarificatus. Huic quæstioni, salua Doctorum reuerētia, quod nunc occurrit, breuiter respondemus: Dicit in Euangelio Dominus: Lex, & Prophetæ vsque ad Ioannem. Ioannes autem præcipit: Qui habet duas tunicas, det non habenti; & qui habet escas, similiter faciat. Sicut autem duo sub hac sententia sunt mandata Ioannis: ita duo sunt peccata diuitis. Iste si quidem dicit, qui habet duas tunicas det non habenti; ille induebatur purpura, & bysso. Qui habet escas, similiter faciat: ille epulabatur quotidie splendidè, sed in vtroque durus, & inhumanus conuincitur, dum & nudum Lazarum canes lingerent, nec vestiret: & cupienti satiari de micis, quæ cadebant de mensa, victum sibi funditus denegaret. Magna res, non mirum, si longum habet initiū. Nouum itaque Testamentum, saltem quantū ad hanc pertinet humanitatē, iam erat cœptum, & si nondum vndique esset ad perfectionem vsque perductum. Ergo datur intelligi, quia diues iste tēpore Ioānis fuit, sed eius mandatis obtemperare contēpsit. De quo videlicet tempore Saluator ait: A tempore Ioannis Baptistæ regnum cælorū vim patitur, & violenti diripiunt illud. Ex quo igitur tempore regnum cęlorū vim dicitur pati, perspicuum est, quia iam & legi succedit Euangelium: & post vetus nouum coruscare merito dicitur Testamentum. Iure ergo diues iste cum reprobis est damnatus in tartarum, quia cum electis noluit vim inferre regno cęlorum.

Lex Euangelica quando incœpit.

Ioan. 7. v. 39.

Solutio:

Matt. 11. v. 13.

Luc 3. v. 11.

Epulonis inhumanitas.

Matt. 11. v. 12.

Luc 16. v. 29.

Si quis autem nobis objiciat, quod diuiti Abraham dicit: Habent Moysen, & Prophetas, hoc ipsum pro nobis facit. Nam, cum Ioannes non modo Propheta sit, sed & plusquam Propheta quidquid ad Ioannem mittitur, ad Prophetam proculdubio destinatur; præsertim cum & ista sententia Ioannis antiquorum Prophetarum non discordet oraculis. Apud ipsos enim sæpe tale quid inuenitur: Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuam, cum videris nudum operi eum. Moyses etiam dicit: Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, quem, vt meipsum, audietis. Et ipse Dominus ait: Si crederetis Moysi, crederetis vtique & mihi: de me enim ille scripsit. Qui ergo ad Moysen mittuntur, atque Prophetas: ad Ioannem vtique destinantur, & Christum.

Obiectio, eiusque responsio.

Matt. 1. v. 9.

S. Ioannis Bapt. doctrina de misericordiæ operibus antiquis Prophetis conformis.

Esa. 58. v. 7.

Deut. 18 v. 15.

Ioan. 5. v. 46.

Quod autem rursus inquiris, quid sit, quod in alia præfati Doctoris

quemdam concitus adijt, quęque sibi contigerant, per ordinem retulit: quid etiam sibi de præfato debito foret agendum, solerter inquisiuit. Quem presbyter aqua sanctificata respersum, quibusdam sacris litteris, Sanctorumque patrocinijs præmuniuit: eumque ad cõstitutum remittens locum, condicti debiti quantitatem non vt exactori nequissimo traderet, sed vt in os eius proijceret, imperauit. Cumque ad præfatum locum vterque inuicem conuenissent, & vir ille byzanteos in aërem spargeret, dicens: tolle debitum tuum: Diabolus procul assistens, ac propius accedere metuens, conqueri cœpit, & grauiter expostulare, dicens: armatus aduersus me venis, telis, gladijsque præcinctus, tamquam pręliaturus occurris? Vbi est fides tua? Iam quia tibi propinquare non audeo, mercede mea frustratus abscedo: & mox aërem obscurum turbine concitauit, & cum magno furoris impetu ab aspectu trepidantis euanuit. Qui protinus aureos, vt iacebat, e pauimento collegit: ac rursus ad sacerdotem rediens, quid sibi de his agendum esset, inquirere studuit. Quem presbyter de byzanteorum collectione valde corripuit: cui tamen hoc consilium dedit, vt ex his in loco satis necessario pontem construeret, qui commeantium vsibus profuturus esset. Cuius ille verbis humiliter paruit, & pontem, sicut iussus fuerat, fabricauit. Sed quidquid ille cum latomis, & cementarijs elaborando construxit: hoc diabolus nocturno silentio violenter obruens, dissipauit. Quem prædictus vir vsque tertia siue quarta vt dicitur, vice, est conatus erigere. Sed quidquid præcedenti die non sine magno labore construxit, hoc die altero per nocturnas diaboli machinas destructum reperit. Vt igitur cætera exempla huius omittam, si ille qui sacras litteras, Sanctorũque reliquias habebat, armatus atque terribilis in antiqui hostis oculis videbatur, ita vt ad eum accedere, vel appropinquare nequiuerit: quanto studio nos debeamus cælestis eloquij telis accingere, vt de malignis spiritibus valeamus infœderabili certamine triumphare? Apostolo nos exhortante, qui ait: Sumentes scutum Fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi
Ephes 6. v. 16. ignea extinguere: & galeam salutis assumite, & gladium spiritus quod est verbum Dei. Hoc itaque gladio, dilectissime, semper accingere, quo videlicet & callidus insidiator confossus intereat, & Christus in te velut in munitissimo castrorum suorum propugnaculo victor existat.

EPIST. XXX. Ad Teuzonem Monachum Monasterij Florentini S. Mariæ.

ARGVMENTVM.

Teuzonem monachum, mox sanctitate insignem, qui ab Abbate dissentiens, e monasterio discesserat, & ipsum S. Doctorem, qui vna cum eodem Abbate, vt eos

inuicem

inuicem reconciliaret, ad se venerat post multas contumelias, tandem e cella expulit, hac Epistola ad mansuetudinem, & modestiam traducere conatur: dum ei tantæ superbiæ causas, & fontes exponit: nimirum, quod sub nullius disciplina, sed tamquam sibi ipsi præceptor, monasticæ vitæ institutum sectatus quodque, cum eremitam profiteretur, in media tamen vrbe, & sæcularium multitudine vitam traduceret. Igitur, ne singulare viuendi genus sequatur, admonet: quod quam perniciosum sit, monachorum quorumdã tristi exitu probat. Discretionis quoque fræno cohibendas esse monachorum actiones ostendit. Ac demum, ne de se ipso tam præclare sentiens, alios contemnat, virtutes ei quorumdam ante oculos ponit: qui tamen modestissimi erant, nec vt ille, se efferebant. Tandem, vt ei humilitatis exemplum præbeat, veniam ab illo petit, si quid asperius fortasse a se dictum videatur.

Domno Teuzoni Eremitæ, Petrus peccator Monachus resuendæ charitatis aculeum.

MInus se proximum amare conuincitur, qui perlatæ læsionis iniuriam sic in auctorem expostulare dissimulat, vt omnino se sub silentij censura constringat. Nam dum sibimet quasi ex virtute patientiæ consulit, lapso fratri salutiferæ correptionis manum porrigere paruipendit: dumque patientiæ immoderatæ deseruit, imminutæ charitatis sententiam non euadit. Non enim dicit Dominus si peccauerit in te quis, patere, & tace; sed si peccauerit in te, inquit, frater tuus, vade, & corripe eum: vt videlicet correptus ad cor redeat, & corrigens quod errauit, ad eius, vnde pessundatus fuerat, rursus charitatis celsitudinem conualescat. Sunt siquidem duo, lapsus, & lęsus. Charitas ergo, quæ inter vtrumque dijudicat, sic debet iustitiæ lances appendere, sic inconcusso examine ęquitatis inter eos iura seruare; quatenus non modo enixius studeat, ne læsus quod absit, per impatientiam corruat: quam vt per satisfactionis dignę commercium & is quoque, qui lapsus est, surgat.

Matt. 18. v. 15. Luc 17. v 3. Moderatio in correptione seruanda.

Per longiora te ignotarum regionum loca, per pręcipitia montium, per saxosa Alpium prærupta quęsiuimus, tãdem ad ianuam pertingentes post multa precum quidem nostratum, tuarum autem volumina altercationum, cum iam lapsus pæne deficeret spiritus, vix demum tamquam importuni capitis homines admissi sumus (Dominus enim mihi tunc Albizo adhęrebat) intenti autẽ, & non mediocriter auidi ædificationis documẽta suscipere, protin⁹ in ipso mutuę collocutionis exordio coacti sumus iurgiosis quibusdam contentionibus deseruire: & qui gestiebamus de spirituali certamine subtilia quędam, & occulta discutere, vix tandem suffecimus perplexas quęstiones, atque inutiles arroganter abiectas, ineptæ videlicet litis materiam propulsare: quique conueneramus Eliam, vel Paulum videre in eremo humiliter latitantem, citra

A. & P. Albizo sc. & B. Petrus Dam. *cum quanta sunt difficultate intra limen admissi.*

longa narratione protracta? Nimirum & tu ex pluribus paucos eligas, ad quorum normam interioris hominis pulchritudinem effigiare contendas. Verbi causa, sicut ille ab alio relucentes oculos, ab alio subductas aures, ab hoc denique lacteas, ac rubore suffusas mutuatus est genas: ita nihilominus etiam tu ab alio promptam obedientiam, ab alio feruentissimam charitatem, ab isto pernoctationis excubias, ab illo diuturni silentij disce censuram; quatenus sicut ille diuersorum corporum habitudines ad vnius simulachri speciem transtulit; sic & tu ex varijs sanctorum virorum virtutibus vnius in te veri Dei restaures imaginem, vt ad eumdem postmodum fæliciter cognoscendum reuertaris Actorem.

Cordis duplicitas fugięda. 1. Cor. 5. v. 8.

Caue duplicitatem, esto simplex: vt quod lingua depromitur, mente versetur. Azyma namque soliditate statuitur, fermentum cauernis scaturescentibus vitiatur. In azyma veritas, & sinceritas; in fermento malitia est, & nequitia. Qui simpliciter gradiens, azymus est, nouum hominem induit; qui ex duplicitate fermentum est, in vetustatis errore permansit, ac per hoc ad nouitatis gratiam non peruenit. Quid enim prodest Christianum verbotenus se profiteri, & re ipsa antichristianum esse?

Vt scripturarum studium sapiat, terrenæ delectiones despiciendæ sunt. Psal. 118 v. 103 Dan. 1. v. 17

Totus esto semper in Prophetis, totus in Euangelijs: occupa cor tuũ vndique diuersis sacræ Scripturæ sententijs, vt nulla eius pars vacet admittendis cogitationum inanium phantasijs. Quod si sermo fortassis horret incultus, & mel Dei in cordis tui fauce non sapit (Quam dulcia enim, ait Propheta, faucibus meis eloquia tua, Domine, super mel, & fauum) ora, ieiuna, atque omnes à te illecebras terrenæ delectationis abscinde; vt quod non ex se, sed ex te videtur insipidum, in tuo possit ore dulcescere. Pueri namque illi, qui se Regis decreuerant epulis abstinere, omnium librorum sapientiam, & scientiam grata meruerunt talione recipere. Danieli quoque, quia censuræ huius auctor extiterat, hoc est insuper additum: vt visionum omnium, atque somniorum notitiam percepisset. Digno videlicet retributionis diuinæ commercio, vt qui se à carnalis edullij voluptate reprimerent, ad spiritualis intelligentiæ dapes mentis ora laxarent. Arescat igitur caro, vt mens saginata pinguescat.

S Romualdi consilium vt sobrietatem seruemus, & hypocrisim fugiamus.

Cibi, qui esculentiores sunt, excludantur: vt intestina bella arbiter occultus inspiciat: & pro stercoris esca, cælestis alimenti nobis suauitates apponat. Nec ineptus applices, quod sępe suis discipulis vir Domini Romualdus aiebat: Fratres, inquit, cum in quorumlibet conuentu reficitis, intentis ad cibum cæteris, in ipso refectionis initio parcite: & cum iam illis ex parte satisfactum fuerit, vos inchoate: quatenus & hypocrisis notam possitis euadere, & sobrietatis regulam sine offensione seruare. Porrò autem vidi Pompoliæ monachum apprimè diuinæ legis, & disciplinis regularibus eruditum, qui, vt ferebatur, hoc cum assidente sibi fratre parili conuersione pepigerat: vt apposita cuique vini, sicut

mos est, personaliter obba, vterque quotidie vtriuslibet mensura contentus esset. Nimirum, vt ex eo, quod vni competeret, duo se sub sobrietatis moderamine substẽtarent: cum verò socius ille deesset, in ipso æstatis ardore, qui nimirum eo loci feruentior incumbit, eo vsque in propria obba vinum acescere permittebat, vt scaturescentes in ea vermes sæpius reperiret. Martinus itaque decaluatus, hoc quippe ei vocabulum erat, ad extrema perueniens, cum eius totum corpus hydropis humore immaniter intumesceret, omnes nos, qui eius lectulo videbamur assistere, petijt, vt eum dignaremur scopis sigillatim quilibet verberare. Cumque sic in Fide perfecta, & sancta fuisset confessione defunctus, cuidam postmodum fratri in visione apparuit. Erat autem in cuiusdam splendidissimæ regionis vernanti, & florido nemore, candida decoratus stola, & fulgido præclarus aspectu; recumbebat autem in lectulo tegumentis insignibus, & mirificis adornato, de quo videlicet hucusque sufficat, ne dum historiam teximus, epistolaris compendij limites excedamus.

Pomposiani Monachi in potu sobrietas.

Alterius moribundi humilitas ac mortificatio.

Decreueram quidem iam calamo imperare silentium: sed quem longa siti videmus arescere, perauarum est illi cyathum propinare. Caue itaque, fili charissime, ne quando intra claustrum monasterij constitutus, de sęcularibus negotijs colloquia cum sæcularibus misceas: & sicut referre, ita nihilominus & audire contemnas. Illico planè indignatio sancta respondeat, & pij zeli feruor erumpentes mox inconditi sermonis ineptias frangat: Quæ, inquiens, est participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? Et reuera quid monacho cum sæcularibus nænijs? Quid mihi perstrepentium iuridicorum fora, tribunalia iudicum, aulas Regum, intra monasteriorum septa pertrahere? Quid mortuo homini narrare de prælijs, dotales tabulas inter tales, diuortio interueniente, rescissas: illos titulis efferre natalium, infamare alios nouitate cerdonum? His itaque, & huiusmodi nugis, inaniter occupari, quid, quęso, est, nisi à perspicuo fonte diuinæ laudis fauces auertere, & cœnosi luti spurcitias ore versare? Vnde non immerito per Hieremiam Dominus conqueritur, dicens: Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuę, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Enimuerò ipsam claustri tui fabricam respice: ecce enim quadrifida est; vt nimirũ ipse loci situs euidenter edoceat, quod vndique te à mundanæ cõuersationis strepitu semotum esse conueniat. Porrò satis indecens est, & inhonestum, ac per omnia probatur absurdum: vt quod in tabernis consueuit quis eructare cauponum, quod passim versatur inter gynæcea textricũ, in Sanctorum choro locum inuenire valeat monachorum. Sanè vbi Prophetas, & Apostolos alloqui me desiderantes aspicio, vbi Christum suum mihi pandentem Euangelium cerno: ego relictis illis, inquiram, si nuper Adriam transfretantes adhuc applicuerunt naues? Quanti sal væneat? Vtrum annonæ modium taxema carius vendat? Facessat

Sermo de rebus sæcularibus monacho sit alienus.
2 Cor. 6. v. 14.

Hier. 2. v. 13.

igitur ab ore militis Christi omnis vani rumoris ineptia: & lingua, quæ immaculati Agni, immo summi Verbi rubet sanguine, dedignetur otiosi sermonis sese fæcibus inquinare. Noli cuiquam detrahere, sed ne tu rem quidem dignam ducas detrahentibus applicare. Cum detractoribus, ait Salomon, ne commiscearis: quoniam repente veniet perditio eorum, & ruinam vtrorúque quis nouit? Tu videlicet illius, qui detrahit, quam eius, qui aurem accommodat detrahenti. Ipse potius, si ratio postulat, peracti sceleris argue, durus inuehere: non verens præsentem austerius increpare: absentem autem non laceres, nec apud alios liuido dente commordeas. Sæpe enim, scio quo pacto, seuerius arguentem æquanimiter substinemus, quem vel summotenus accusantem perferre non possumus. Exige tibi, vt animus tuus ex Abbatis iugiter animo pendeat, & numquam proprij cordis arbitrium: sed eius humiliter sequaris semper imperium. Ora itaque Deum, vt per eum tibi, velut organum scilicet suę veritatis, aperiat, quid tibi agendum esse pro sui beneplaciti dispositione decernat. Noli phaleratam aliquando Proauorum lineam texere, vt de vana te velis alieni nominis generositate iactare. Plane qui hæres Dei, & cohæres est Christi, omnem terreni stemmatis prosapiam superat. Verumtamen esse Christianum magnum est, non videri, vel dici: & ille plus sæpe placet mundo, qui displicet Deo. Quorumdam sane versuta calliditas, quasi derogando, maiorum suorum nomen exaggerant: &, vt potentes, atque magnifici fuisse videantur, superbię eos, vel crudelitatis arguunt. Tenes, quod dico? Accuso Achillem multi sanguinis reum, vt tu intelligas bellorũ studio strenuum. Arguo Italicæ persuasionis Annibalem; vt tu audacem non dubites, & robustum. Memineris frequenter orandum, vt corpore terrę prostrato, mens erigatur ad cęlum. Ventre vacuo sæpius dormi; sitim te ad lectulum comitantem sopor mitiget. Moderata vigilia puræ orationis est causa, indiscreta autem & otiosa loquendi fit sępè materia: quia cui palpitantibus oculis, oscitantibus labijs legere, aut orare non licet, aliquando vacare fabulis libet. Quapropter sero lectulum pete, ad vigilias moderatius surge. Præueniat siquidem somnus accubitum, nõ accubitus somnum; vt quo difficilius necessitas dilata conceditur, à fessis membris auidius rapiatur. Interea rumusculos, & gloriolas, & palpantes adulatores, tamquã serpentini morsus venena deuita, & velut abjecta theriacha protinus audiãt: Auertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi, euge, euge. Nihil mediocri in te cõtentus sum, fili: totum summum, totum perfectum est, quod in te sentire desidero. Deposita igitur omnis inertiæ, & torporis ignauia, aduersus temetipsum ipse congredere, tecum dimica, tecum pugna: & arrepto Euangelicæ disciplinæ mucrone, omnes circumfrementium vitiorum ceruices obtrunca: dura queque, & aspera pro Christi semper amore perferens, virtutis exercitium crede. Quidquid carni voluptuosum videtur, & blandum, vt reuera diaboli viscarium perhorresce. Quisquis

Nec detrahẽdum, nec audiendi detractores.
Prou. 24. v. 21

Orãdus Deus, vt sua voluntas per suos Vicarios nobis innotescat.

Christiani nobilitas ex Christo, non auis petenda est.
Rom. 8. v. 17.

Moderata vigilia orationem iuuat.

Psal. 69. v. 4

quis enim in monachica Regula carnis se sperat blanditias inuenire, velut ex arido ligno succum conatur exprimere. Scurrilia quæque, vrbanitates, sales, facetias, leporesque verborum à labijs tuis tanquam Gentilitatis quoddam præputium circumcide. Piscatorum namque sumus discipuli, non oratorum; vt ex ore Christiani non latinitas Tullij, sed simplicitas resonet Christi. Omnes voluntates proprias frange, vndiq; te cum Apostolo Christi mortificatione præcinge: vndique impressa tibi stigmata Crucis ostende; vt quo nunc arctius iudicari vestigia sequeris, eo post sublimius iudicantis consortio perfruaris. Omnes autem sanctos fratres monasterij tui mea vice saluta, charissimos autem mihi fratres, Boninum, & Petrum, si solito more videris, aliquando excelsius canere, hoc distichon meo nomine in eorum manibus pone. Scurrilia verba, ac facetiæ sunt vitandæ.

Qui Philomelinis depromitis organa fibris,
Intima vox cordis modulis bene concinat oris.

EPIST. XXVII. Ad Petrum Cerebrosum Monachum.

ARGVMENTVM.

Tota hæc Epistola contra Petrum Cerebrosum Monachum scripta est, quem cum prius de coërcenda lingua, & verbis temere non effutiendis admonuisset, statim deinde spontaneæ verberum inflictioni detrahentem, grauiter coarguit: scoparumque remedium non modo non esse absurdum, vt ille existimabat, sed pium & ad purganda peccata peridoneum, validissimis rationibus, & exemplis demonstrat.

Petro Cerebroso Monacho, Petrus peccator Monachus salutem.

QVi dicaciam eloquentiam putat, rerum similitudine ductus, oberrat. Sicut enim vir Sapiens dicit: Labia imprudentium stulta narrabunt, verba autem prudentium statera ponderabuntur. *Eccl 21.v.28.* Plane sicut equus effrænis per anfractus, & inuia plana, vel ardua quæque transmittit: sic lingua stultorum recta, vel friuola, vt quælibet suppetunt, indifferenter, ac leuiter effluit. Prudens autem, quæ dicenda sunt, ponderat: & tamquam cautus viator, solerter attendit, vbi linguæ suæ vestigium figat. Ille quidquid occultum est, per impatientiam fandi producit in medium; iste, si dictet vtilitas; sub claue silentij seruat arcanum. Vnde & idem Sapiens, In ore, inquit, fatuorum cor eorum, & in corde sapientium os illorum. Plurimum fel, frater, in *Ibid.v.29.* Prudentis, & stulti comparatio.

nos nuper euomuisti, dicens, & scribens, quod vesani vtique capitis videatur ebullire furorem. Et cætera quidem, quæ simultatis acerrimæ liuore debacchatus es, omittimus: de disciplinis autem verberum, quas sibi fratres consuetudinaliter inferunt, vbi detractionis pedem diutius impressisti, cum Dei auxilio respondemus.

Consuetudo se verberandi vnde nata. Hoc itaque disciplinæ genus nequaquam modernis est studijs nouiter adinuentum, sed ex sacræ Scripturæ potius auctoritate prolatum. Nouimus enim Dominum Saluatorem à Præsidis militibus verberatum: Beatos Apostolos in Concilijs à Sacerdotum Principibus cæsos: nonnullos etiam sanctorum Martyrum legimus virgis, ac flagris durioribus laniatos; Paulus etiam, quia ter virgis cæsus est: & quod quinquies quadragenas, vna minus, accepit. Quod vtique tale est. Præcepit in Deuteronomio Dominus, dicens: Si eum, qui peccauerit, iudices dignum viderint, prosternent, & coram se facient verberari. Vbi & mox additur: Pro mensura peccati, erit, & plagarum modus, ita vt quadragenarium numerum dumtaxat non excedant, ne fœdè laceratus ante oculos tuos obeat frater tuus. Quod videlicet illi populo legale præceptum, nobis est allegoriæ mysterium.

(Matt. 27. v. 27 / Ioan. 19. v. 1. / Act. 16. v. 23. / 2. Cor. 11. v. 24 / Deut. 25.)

Quadragenarij numeri mysterium. Quadragenarius siquidem numerus humanæ vitæ significat cursum. Hinc est, quod a Israël annis quadraginta graditur per desertum, hinc b Moyses, & c Elias, insuper & ipse d Dominus tot diebus protraxere ieiunium: qui etiã sicut horis quadraginta in sepulchro mortuus iacuit, ita nihilominus post resurrectionem suam diebus totidem cum Discipulis fuit; quatenus nos sua membra pius magister edoceat, vt per capitis nostri vestigia gradientes, & mortui mundo, & velut peregrini hospitemur in sæculo. Mysticè quoque peccator in lege dum vapulare præcipitur, excedi quadragenarius plagarum numerus prohibetur; quia quisquis in hac vita perfectam egerit pœnitentiam, nullam postmodum pro suis excessibus sentiet pœnam. Porro ternarius propter mysterium sanctæ Trinitatis, ad Fidem; quinarius propter quinque sensus nostros, pertinet ad operationem. Et quia quisque cum peccat, vel errat in Fide, vel delinquit in opere; dignum fuit, vt Paulus, qui vtrobiq; peccauerat, ad perfectæ purgationis effectum ter virgis cæsus, & quinquies verberum vteretur quadragenis. Quod autem dicitur, vna minus, hoc est proculdubio, quoniam Iudæorum iudices vnum decreuerunt ictũ de quadraginta minuere; vt dum ad legalem calculum non pertingerent, contra præceptũ legis nullatenus excedere potuissent: & dũ citra persisterent, vlterius non transirent. Cum ergo non modo vetustæ legis auctoritas, sed & Euangelica gratia verberum plagas modo per præcepta, modo per exempla commendet; vt & sanctos Apostolos in Concilio cæsos, & beatos Martyres legamus sæpenumero verberatos. Quæcumque autẽ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Quid absurdum est, quid ineptum, si nunc sancta Ecclesia in pacis otio vtitur, quo dudum vtebatur in bello? Nam & Apostolus iterum dicit: Castigo

(a Num. 14. v. 33. 34. v. 13. / b Exod. 24. v. 18. / c 3. Reg. 19. v. 8 / d Matt. 4. v. 2. / Act. 1. v. 3. / 2. Cor. 11. v. 24 / Rom. 15. v. 4. / 1. Cor. 9. v. 27. / Heb 11. v. 36.)

corpus meum,& in seruitutem redigo. Et alibi: Sancti ludibria,& verbera experti. Porro dum manus carnificis nunc ab infligendo Martyribus verbere cessat; quid obest, si sancta deuotio ipsa sibimet, vnde sanctis Martyribus particeps fieri mereatur, exhibeat? Nam cum sponte me proprijs manibus ante conspectum Dei verbero, deuotionis ingenuæ desiderium, si carnifex accurreret, promptus ostendo. Quia si pro amore Christi tam dulcis est mihi pœna, cum deest: quo susciperetur animo, si persecutor offerret? Vellem pro Christo subire martyrium, non habeo, cessante studio, facultatem: ipse me verberibus atterens, ostendo saltem feruentis animi voluntatem. Enimuerò si me persecutor allideret, ipse me verberarem, quia verberandum me vltroneus exhiberem. Nam si solerter Scriptura discutitur, ipse Rex Martyrũ Christus non solum à Iuda, sed etiam à Patre, & à semetipso quoque traditus inuenitur. Nam de Patre dicit Apostolus: Qui proprio Filio nõ pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. De Filio autem alibi: Qui dilexit, inquit, me, & tradidit seipsum pro me. Siue ergo me propria manus affligat, siue carnifex ictum infligat; ego specialiter huius examinationis auctor existo, qui me ad examinandum vltroneus offero. Præterea, quia tympanum est pellis arida; ille iuxta Prophetam, in tympano Dominum veraciter laudat, qui confectum ieiunio corpus, per disciplinam verberat. Planè & sacri Canones nonnullos, qui delinquunt, vapulare præcipiunt: vnde sancti plurimi Pontifices quosdam ad pœnitentiam venientes, prius in oculis suis verberari præcipiunt, sicque deinceps pœnitentiæ iudicium imponunt. Nam & ante nos, omnibus ferè sanctis Monasterijs hæc disciplinæ regula, nequaquam fuit incognita, & si non adeo frequentata; vnde & singulos annos pœnitentiæ millenis scopis redimere consueuerunt. Tu quoque non disciplinæ regulam, sed longioris disciplinæ detestaris insaniã: nec improbas cum disciplina dici Psalmum, sed perhorrescis, vt continuetur cum disciplina Psalterium. Sed dic, obsecro frater, vt cum pace tua loquar: detestaris illas, quæ ex more fiũt in capitulo disciplinas? damnas fortassis & hoc quod sæpe fratri de leui qualibet offensione confesso, vicenas fortasse, vel, vt multum, quinquagenas verberum plagas subire præcipimus? Sed quia disciplinæ istæ ad tolerandum leues sunt, & exiguæ, atque inter fratres regulariter assuetæ, perspicuum est, quia non derogas, non reprehendis, ne contra communem sancti ordinis consuetudinem venire videaris. Age igitur, si quinquagenas, vt dictum est, licet imponere, cur non etiam sexagenas, vel etiam, si præsumimus dicere, vsque centenas? Quod si centenarium in hoc piæ deuotionis sacrificio numerum licet attingere, cur non etiam ducentorum, cur non trecentorum, quadringentorum, quingentorum? cur certè & millenarium, ac deinceps non liceat attexere numerum? satis enim absurdum est, vt cuius rei pars minima gratè suscipitur; maxima reprobetur: & nimis ineptum est credi, vt bonum quid debeat incipi,

Sui verberatio studiũ est, & species martyrij.

Rom. 8. v. 32.

Galat. 2. v. 20.

Psal. 150. v. 4.

Corporis voluntaria verberatio & antiqua est, & sacris canonibus, sãctisque Patribus probata.

sed non permittatur augeri. Quomodo enim potest fieri, vt si parua disciplina purificat, in conspectu Dei multiplicata sordescat? Nam si diurnum ieiunium bonum est, biduanum, & triduanum melius est. Sic vigilare, sic psallere, sic laborare, sic obedire, sic meditationibus Scripturarum vigilanter insistere. Vnusquisque pius labor quo prolixior est, eo propensioris mercedis gloria dignus est; solum autem hoc pietatis genus quo magis augetur, eo deterius iudicabitur. Dicis, vt quid percutio carnem? Respondeo: vt quid percutio spiritum? Dicit enim Psalmista: Exercitabar, & scopebam spiritum meum. Carnem siquidem, & spiritum scopo, qui me deliquisse per carnem, & spiritum recognosco: Istum correptionum, illam cum cæteris afflictionibus etiam percussione virgarum; vt quia læta me caro traxit ad culpam, afflicta reducat ad veniam. Lorica est homo indutus ad carnem, ferreis membra diuersa circulis ambit, mittit cum labore metaneas, allidit in pauimentum crebrius palmas; vt quid hæc, & his similia, nisi vt, dum per hæc corpus affligitur, animæ refrigerium procuretur? Quodcumque enim illud est, per quod caro pœnitentiæ causa laceratur, atque percellitur, per hoc homo proculdubio contracti reatus squalore purgatur. Audi, quid me nosse contigerit tertio die, postquam in me tuæ non dicam malignitatis, sed simplicitatis phreneticus ardor incanduit.

Verberationis voluntariæ vtilitas.

Psal. 76. v. 7.

Cætera desiderantur in MSS.

EPIST. XXVIII. *Ad eundem Petrum, Monachum.*

ARGVMENTVM.

Duas quæstiones sibi à Petro Monacho propositas dissoluit. Prima erat, cur magnus Gregorius dixisset, ideo diuitem, qui opem Lazaro mendico ferre contempsit, ad æternos cruciatus damnatum esse, quia sub nouo Testamento, in quo misericordia in pauperes præcipitur, natus erat. Altera quæstio de vitio curiositatis, de quo idem S. Doctor mentionem fecerat, quod hic quid sit, ostenditur.

Petro charissimo fratri, Petrus salutem.

QVæris à me dilectissime fili, quid sibi velit, quod in homilia diuitis B. Gregorius ait: Nonnulli putant præcepta veteris Testamenti districtiora esse, quàm noui: sed hi nimirum improuida consideratione falluntur. In illo enim non tenacia, sed rapina multatur: ibi res iniustè sublata, restitutione quadruplici punitur. Hic autẽ diues iste non abstulisse aliena reprehenditur, sed sua non dedisse. Quibus vtique verbis Doctor insignis hoc dumtaxat approbare nititur:

Dubit. I. S. Greg. hom. 40. in Euang. *Luc 16. v. 21.* An præcepta Euãgelica sint strictiora, quã Moysis.

quia si diues ille in veteri testamento fuisset inuentus, tartareis pœnis nullatenus esset addictus. Iuxta ergo hanc assertionem iccirco perijt, quia sub noua gratia constitutus, Euangelium seruare contempsit. Sed e diuerso, tu moueris, & dicis: quomodo iam tunc nouum Testamentum illuxisse dicatur, cum Christus nec dum in Cruce suspensus, nec dum per resurrectionis, & ascensionis gloriam fuerat sublimatus? Immo ipsum Euangelium, quod seruari præcipitur, nec dum erat in orbem terrarum per Apostolorum ora diffusum. Postremo nec Spiritus sanctus hominum corda repleuerat, qui ad mandata seruanda vires mentibus administrat: Spiritus sanctus non erat datus, quia Iesus nec dum erat clarificatus. Huic quæstioni, salua Doctorum reuerētia, quod nunc occurrit, breuiter respondemus: Dicit in Euangelio Dominus: Lex, & Prophetæ vsque ad Ioannem. Ioannes autem præcipit: Qui habet duas tunicas, det non habenti; & qui habet escas, similiter faciat. Sicut autem duo sub hac sententia sunt mandata Ioannis: ita duo sunt peccata diuitis. Iste si quidem dicit, qui habet duas tunicas det non habenti; ille induebatur purpura, & bysso. Qui habet escas, similiter faciat: ille epulabatur quotidie splendidè, sed in vtroque durus, & inhumanus conuincitur, dum & nudum Lazarum canes lingerent, nec vestiret: & cupienti satiari de micis, quæ cadebant de mensa, victum sibi funditus denegaret. Magna res, non mirum, si longum habet initiū. Nouum itaque Testamentum, saltem quantū ad hanc pertinet humanitatē, iam erat cœptum, & si nondum vndique esset ad perfectionem vsque perductum. Ergo datur intelligi, quia diues iste tēpore Ioānis fuit, sed eius mandatis obtemperare contēpsit. De quo videlicet tempore Saluator ait: A tempore Ioannis Baptistæ regnum cælorū vim patitur, & violenti diripiunt illud. Ex quo igitur tempore regnum cęlorū vim dicitur pati, perspicuum est, quia iam & legi succedit Euangelium: & post vetus nouum coruscare merito dicitur Testamentum. Iure ergo diues iste cum reprobis est damnatus in tartarum, quia cum electis noluit vim inferre regno cęlorum.

Lex Euangelica quando incœpit.

Ioan.7.v.39.

Solutio.

Matt.11.v.13.

Luc 3.v.11.

Epulonis inhumanitas.

Matt.11.v.12.

Luc 16.v.29.

Si quis autem nobis obijciat, quod diuiti Abraham dicit: Habent Moysen, & Prophetas, hoc ipsum pro nobis facit. Nam, cum Ioannes non modo Propheta sit, sed & plusquam Propheta quidquid ad Ioannem mittitur, ad Prophetam proculdubio destinatur; præsertim cum & ista sententia Ioannis antiquorum Prophetarum non discordet oraculis. Apud ipsos enim sæpe tale quid inuenitur: Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuam, cum videris nudum operi eum. Moyses etiam dicit: Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, quem, vt meipsum, audietis. Et ipse Dominus ait: Si crederetis Moysi, crederetis vtique & mihi: de me enim ille scripsit. Qui ergo ad Moysen mittuntur, atque Prophetas: ad Ioannem vtique destinantur, & Christum.

Obiectio, eiusque responsio.

Matt.1.v.9.

S. Ioannis Bapt. doctrina de misericordiæ operibus antiquis Prophetis conformis.

Esa.58.v.7.

Deut.18 v.15.

Ioan.5.v.46.

Quod autem rursus inquiris, quid sit, quod in alia præfati Doctoris

sententia reperitur, vitium curiositatis? Quod ille obscurè posuit, studio breuitatis, B. Augustini verbis ex nodo me huius expediam quęstionis. Ait enim, dum B. Ioannis Apostoli exponit Epistolam, desiderium oculorum dicit, omnem curiositatem. Iam quàm latè patet curiositas, ipsa in spectaculis, in theatris, in sacramentis diabolicis, in magicis artibus, in maleficijs, ipsa est curiositas: aliquando tentat seruos Dei, vt velint quasi miraculum facere: tentare, vtrum exaudiat eos Deus. In miraculis curiositatem, hoc desiderium non est à Patre. Solutis ergo quæstionibus, beneficij peto vicem: vt sanctæ orationis tuę merear portionem. Aucto quippe fœnore mercedis, talio redhibetur, si peccatoris obedientia sancti viri precibus compensetur.

Dubit. 2. Solutio.

1. Ioan. 2. v. 16.

Curiositatis vitium quam late pateat.

EPIST. XXIX. *Ad Stephanum Monachum.*

ARGVMENTVM.

Stephano cuidam monacho duo tamquam saluberrima præcipuè commendat: B. Mariæ Virginis officium singulis diebus recitet, & sacræ Scripturæ lectioni diligenter incumbat: quorum vtriusque quanta sit vtilitas, docet.

Domno Stephano religioso viro, Petrus peccator Monachus salutem in Domino.

CVm in Psalmodię studijs, & diuinis laudibus te vigilanter exerceas, hortor, venerande frater, & moneo, vt quotidianum quoque B. Mariæ semper Virginis officium non omittas. Dignum quippe est, vt quę laudum pręconia meretur ab Angelis, obsequijs etiam frequentetur humanis; eique post Deum, totus orbis exhibeat laudem, per quam suscepit propriæ salutis Auctorem. Optima sane spes est, apud eam habere confugium, quæ scilicet inter omnes cælestis curiæ senatores, impetrandi apud Deum primum obtinet locum. Nempe sororis meæ filius Damianus, religiosæ videlicet indolis adolescens, dum hæc coram eo scriberem, retulit, quod apud Gallias in litterarum studijs constitutus fama vulgante, cognouit. Clericus quidam Neuernensis ecclesiæ morbo depressus elanguit, iam iamque super excrescente molestia, moribundus ad extrema peruenit. Hic plane regulam sibi sanctę seruitutis indixerat, vt beatę Dei Genitrici quotidiana per singulas horas laudum vota persolueret: cumque de vita illius iam nemo pęne confideret, & velut egressurus in eius pectore spiritus anxiè palpitaret, ecce gloriosa Mater Dei sibi visibiliter astitit, & sacri vberis papilla lac exprimens, eius labijs instillauit: & diuinæ virtutis antidoto protinus ille, resumptis

Cur B. Virgo ab hominibus colenda.

Damianus S. Doctoris nepos.

Clericũ quotidie B. Virginis horas recitantem, diuinitus pia mater a morbo liberat.

viribus, ex infirmitate cõualuit: & mox clericalibus ornamẽtis indutus, Ecclesiam adijt, seseque choro psallentium fratrum lætus interserens, mirum vidẽtibus spectaculum prębuit. Dicitur etiam, quod adhuc tunc in labijs eius quædam lactis videbantur vestigia. Quæ autem sibi verba B. Virgo protulerit, quamuis mihi vt cumque dicantur, quia certus non sum, non adhibeo fidem: quoniam in veritatis lineam vel leuiter impingere pertimesco: quamuis per hoc conijci possit, quoniam eisdem labijs, quibus eam ille laudauit, & coluit, gloriosa Virgo lac salutis immulsit: vt per illud corporis mẽbrum, quo sibi venerabilis clericus laudis obtulerat gloriam, congrua vicissitudine recuperandæ salutis suæ perciperet medicinam.

Illud præterea sanctę prudentię tuæ suggerere necessarium iudicaui, vt vel sacrarum Scripturarum paginæ semper versentur in manibus, in his totus esto, his immorare, in his iugiter requiesce: nec cum secularibus te delectet miscere colloquium, quod mentis Deum quęrentis sæpe reuerberat, & confundit obtutum. Mens tua diuinis se voluminibus occupet, his intenta, peruigili semper instantia perseueret. His antiquus insidiator cum te videt intentum, velut hostem fugit armatum & timet cominus aggredi, donec te conspicit his telis, & impenetrabili, vt ita fatear, lorica muniri. Idem plane, qui supra, meus Exadelphus certa se relatione didicisse narrauit: quia Northmanus quidam dum non minimam aureorum congeriem possideret, eoque vnde fuerat oriundus, redire contenderet, cœpit † tam crimine formidare, quam vitæ ne videlicet si sustarcinatus incederet, † isturicie direptionis impetum incurrisset. Cumque id sollicitus intenta meditatione reuolueret, & modo ire, modo non, variæ deliberationis æstibus alternaret: aduesperascente iam sabbato, adest antiquus hostis sub specie viatoris, cuius desiderium cum percunctatus addisceret, decem byzanteorum pepigit cum futuro conuiatore mercedem: sicque sese spopondit & itineris ducem, & indubiæ securitatis auctorem. Proxima, inquit, nocte collectis rerum tuarum sarcinulis, requiesce, meque ad te venturum sine dubio præstolare: vt ego nocturno silentio superueniens, teque reperiens, iter vterque simul debeamus arripere. Credidit homo sermonibus alloquentis, & sopori se tradens, sicut admonitus fuerat, expectauit. Eadem nocte versipellis spiritus ad eum, sicut promiserat venit, eique dixit: Ecce te, sine tuo labore, in patriam tuam, te nesciente, reduxi; & quod tibi promiseram, non segnis impleui. Cumque se homo super riuum quemdam, quem dudum apprimè nouerat inuenisset: & loca quæque contigua insperato, ac subito postliminio reuisa cognosceret, tremefactus expauit: & hunc malignum spiritũ, qui se tam repente de longinquis finibus trãsposuerat, indubitanter agnouit. Cui mox spiritus fallaciter verax, immo veraciter fallax, ait: Vide, non negligas, vt quinta feria proximè ventura huc ad me venias, & præfixũ mercedis meæ debitũ soluas. Quibus auditis, vir ille sacerdotem

Sacris litteris studentem Diabolus timet.

Exemplum cuiusdam, qui sacris litteris, Sanctorumque patrocinijs, diaboli artes delusit.

† locus corr.
† iniustæ s.

quemdam concitus adijt, quęque sibi contigerant, per ordinem retulit: quid etiam sibi de præfato debito foret agendum, solerter inquisiuit. Quem presbyter aqua sanctificata respersum, quibusdam sacris litteris, Sanctorumque patrocinijs præmuniuit: eumque ad cōstitutum remittens locum, condicti debiti quantitatem non vt exactori nequissimo traderet, sed vt in os eius proijceret, imperauit. Cumque ad præfatum locum vterque inuicem conuenissent, & vir ille byzanteos in aërem spargeret, dicens: tolle debitum tuum: Diabolus procul assistens, ac propius accedere metuens, conqueri cœpit, & grauiter expostulare, dicens: armatus aduersus me venis, telis, gladijsque præcinctus, tamquam pręliaturus occurris? Vbi est fides tua? Iam quia tibi propinquare non audeo, mercede mea frustratus abscedo: & mox aërem obscurum turbine concitauit, & cum magno furoris impetu ab aspectu trepidantis euanuit. Qui protinus aureos, vt iacebat, e pauimento collegit: ac rursus ad sacerdotem rediens, quid sibi de his agendum esset, inquirere studuit. Quem presbyter de byzanteorum collectione valde corripuit: cui tamen hoc consilium dedit, vt ex his in loco satis necessario pontem construeret, qui commeantium vsibus profuturus esset. Cuius ille verbis humiliter paruit, & pontem, sicut iussus fuerat, fabricauit. Sed quidquid ille cum latomis, & cementarijs elaborando construxit: hoc diabolus nocturno silentio violenter obruens, dissipauit. Quem prædictus vir vsque tertia siue quarta vt dicitur, vice, est conatus erigere. Sed quidquid præcedenti die non sine magno labore construxit, hoc die altero per nocturnas diaboli machinas destructum reperit. Vt igitur cætera exempla huius omittam, si ille qui sacras litteras, Sanctorūque reliquias habebat, armatus atque terribilis in antiqui hostis oculis videbatur, ita vt ad eum accedere, vel appropinquare nequiuerit: quanto studio nos debeamus cælestis eloquij telis accingere, vt de malignis spiritibus valeamus infœderabili certamine triumphare? Apostolo nos exhortante, qui ait: Sumentes scutum Fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi
Ephes. 6. v. 16. ignea extinguere: & galeam salutis assumite, & gladium spiritus quod est verbum Dei. Hoc itaque gladio, dilectissime, semper accingere, quo videlicet & callidus insidiator consossus intereat, & Christus in te velut in munitissimo castrorum suorum propugnaculo victor existat.

EPIST. XXX. Ad Teuzonem Monachum Monasterij Florentini S. Mariæ.

ARGVMENTVM.

Teuzonem monachum, mox sanctitate insignem, qui ab Abbate dissentiens, e monasterio discesserat, & ipsum S. Doctorem, qui vna cum eodem Abbate, vt eos

inuicem

inuicem reconciliares, ad se venerat post multas contumelias, tandem e cella expulit, hac Epistola ad mansuetudinem, & modestiam traducere conatur: dum ei tanta superbiæ causas, & fontes exponit: nimirum, quod sub nullius disciplina, sed tamquam sibi ipsi præceptor, monasticæ vitæ institutum sectatus quodque, cum eremitam profiteretur, in media tamen vrbe, & sæcularium multitudine vitam traduceret. Igitur, ne singulare viuendi genus sequatur, admonet: quod quam perniciosum sit, monachorum quorumdā tristi exitu probat. Discretionis quoque fræno cohibendas esse monachorum actiones ostendit. Ac demum, ne de se ipso tam præclare sentiens, alios contemnat, virtutes ei quorumdam ante oculos ponit: qui tamen modestissimi erant, nec vt ille, se efferebant. Tandem, vt ei humilitatis exemplum præbeat, veniam ab illo petit, si quid asperius fortasse a se dictum videatur.

Domno Teuzoni Eremitæ, Petrus peccator Monachus resuendæ charitatis aculeum.

MInus se proximum amare conuincitur, qui perlatæ læsionis iniuriam sic in auctorem expostulare dissimulat, vt omnino se sub silentij censura constringat. Nam dum sibimet quasi ex virtute patientiæ consulit, lapso fratri salutiferæ correptionis manum porrigere paruipendit: dumque patientiæ immoderatæ deseruit, imminutæ charitatis sententiam non euadit. Non enim dicit Dominus si peccauerit in te quis, patere, & tace, sed si peccauerit in te, inquit, frater tuus, vade, & corripe eum: vt videlicet correptus ad cor redeat, & corrigens quod errauit, ad eius, vnde pessundatus fuerat, rursus charitatis celsitudinem conualescat. Sunt siquidem duo, lapsus, & læsus. Charitas ergo, quæ inter vtrumque dijudicat, sic debet iustitiæ lances appendere, sic inconcusso examine æquitatis inter eos iura seruare; quatenus non modo enixius studeat, ne læsus quod absit, per impatientiam corruat: quam vt per satisfactionis dignę commercium & is quoque, qui lapsus est, surgat.

Matt. 18. v. 15. Luc 17. v 3. Moderatio in correptione seruanda.

Per longiora te ignotarum regionum loca, per pręcipitia montium, per saxosa Alpium prærupta quęsiuimus, tādem ad ianuam pertingentes post multa precum quidem nostrarum, tuarum autem volumina altercationum, cum iam lapsus pæne deficeret spiritus, vix demum tamquam importuni capitis homines admissi sumus (Dominus enim mihi tunc Albizo adhęrebat) intenti autē, & non mediocriter auidi ædificationis documēta suscipere, protin⁹ in ipso mutuę collocutionis exordio coacti sumus iurgiosis quibusdam contentionibus deseruire: & qui gestiebamus de spirituali certamine subtilia quędam, & occulta discutere, vix tandem suffecimus perplexas quęstiones, atque inutiles arroganter abiectas, ineptæ videlicet litis materiam propulsare: quique conueneramus Eliam, vel Paulum videre in eremo humiliter latitantem, citra

A. & P. Albizo sc. & B. Petrus Dam. *cum quanta sunt difficultate intra limen admissi.*

ſpem reperimus quodammodo Xenocratem in gymnaſio grandilocè proponentem: immo quibus mens erat imitationis gratia agnum conſpicere mitem, ferocem potius taurum incurrrimus cornibus immaniter ventilantem. Inter ipſos tamen quæſtionum, contentionumque, denſiſſimas grandines, prout licuerat, mitis ille prædicator ad memoriã recurrebat, dicens: Stultas, inquit, & ſine diſciplina quæſtiones devita, ſciens, quia generant lites: ſeruum autem Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes. Et iterum: Noli verbis contendere: nihil enim vtile eſt, niſi ad ſubuerſionem audientium. Illud quoque non prorſus exciderat: Prophana autem, & vana eloquia deuita; multum enim proficiunt ad impietatem. Hæc, & huiuſmodi nobis tacite conferentibus, illud etiam, cum eodem Apoſtolo, clamoſo quodem ſilentio conſcientia, reſpondebat: Si quis, inquam, vult contentioſus eſſe, nos cum huiuſmodi conſuetudinem non habemus. Quid plura? Tandem cum in arcto poſiti, multiplicium obiectionum vallaremur anguſtijs, vbi ratiocinandi copia ſuppetere deſijt, ad Sanctorum mox exempla confugimus: vt illis ſaltem fides habeatur, quorum auctoritas ad probationem cuiuſcumque negotij incunctanter admittitur. Cumque ſuper quodam diſceptationis articulo S. Romualdus in teſtimonium duceretur: præſto quęſitum eſt: vtrum ipſe Romualdus, aut tunc extiterit Sanctus, vel nunc ſit in paradiſo receptus. Et licet contra fidem totius Eccleſię noſtrarum prouinciarum hęc de ſancto viro quæſtio moueretur, ad adſtruendam tamen partis noſtræ ſententiam, illos in teſtimonium Sanctos adſciuimus, quorum celeberrima, & vetus opinio etiam apud plebeios quoslibet, & ignaros nutare non poſſit; Leonem videlicet, atque Gregorium, clariſſimos olim Romanæ ſedis Antiſtites: quorum quidem alter authentica canonũ decreta promulgat; alter Eccleſiam perſpicuis, ac profundis cæleſtis eloquentiæ fontibus irrigat. Sed his nominatis, tantumdem eſt. Nam & ſuper his nihilominus quæſtio geminatur: quo pacto quis certum teneat, vtrum & iſti tales fuerint, quibus ſine retractatione debeat fides accommodari, ſiue etiam digni ſint intra Sanctorum catalogum percenſeri.

2. Tim. 2. v. 23. — *Ibidem v. 14.* — *Ibid. v. 16.* — *1. Cor. 11. v. 16.* — S. Romualdi ſanctitas commendatur.

Cumque hæc, & alia plura in ſermocinationis decurſu impudenter effluerent, quæ non modo vllum fructum ædificationis, ad quem gliſcebamus afferrent, ſed ſuperuacuam potius interminabiliũ quęſtionum caliginem generarent, tandem recolentes illud, quo dicitur: Verbũ abbreuiatum faciet Dominus: quaſi de ſpumoſi maris procelloſis turbinibus emergentes, ad tuti portus ſinum applicare ſtuduimus, dum de charitate, in qua nulla quæſtio videbatur, adorſi ſumus. Erat quippe inter te & Abbatem tui monaſterij, non ferenda ſimultas, & inueterata diſcordia. Ille igitur, vtpote vir mitis, ac ſimplicis animi, ſpõſionibus ſuis cuncta dignæ ſatisſactionis, & humilitatis iura tranſcendit, & nos ſequeſtrij fœderis inter ſe, & te executores inſtituit. Verum nos dum alienis amicitijs inconſulte conſulimus, in implacabile odium proprij capitis de-

Rurſus vterque quam inhoneſte fuerint clominati. — *Eſa. 10. v. 23.* — Incidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdim.

uoluti sumus: quin potius in oblatrantis Charybdis latus incidimus, qui nos Scyllææ voraginis naufragium euasisse credebamus: dehinc paucis quasi rationibus irrationabiliter redditis, & cum iurgio, & timore impatienter effusis, ad trabale scilicet odium non euellendum, sed enixius radicandum; tandem per semicintias correpti, violenter excludimur, & præ damnatis foribus familiare colloquiũ vlterius non meremur. Digna nimirum vltione multati, vt qui commendandæ charitatis crimen incidimus, & quod in homicidas durum est, perpetuo digni odio censeremur. Verumtamen, ne de his leuiter ridere videamur, quæ pijs mentibus fraterna sunt compassione legenda, inhonestæ confusionis historiam hucusque contexuisse sufficiat.

Nunc vnde tibi huius origo morbidæ tabis obrepserit, tantummodo te sit possibile audire patienter: ego non grauabor exponere. Nulla siquidem disciplina; vt dicitur, monasticę institutionis attritus, sub nulla maiorum custodia maceratus, in ipso conuersionis nouæ tyrocinio adhuc durus, & rigidus, huius propositi iter arripiens, ante cœpisti docere quam discere: prius iura depromere, quam legum mandata seruare. Huc accedit, quod eremiticam vitam non in eremo, sed intra populosæ Vrbis mœnia ducere decreuisti: vbi nimirũ quidquid a tam magnifici nominis auctore pręcipitur, sic arripiatur, tamquam si a sibyllino aditu vaticinij oraculum reportetur. Sed, quæso, si monachus es, quid tibi cum Vrbibus? Si eremita, quid tibi cũ ciuiũ cuneis? Quid enim cellæ, vel fora strepentia, vel turrita conferunt propugnacula? Enimuero, qui tamquã deficientibus siluis, solitudinem in vrbibus quærũt, quid aliud credendũ est, nisi quod solitarię vitę non perfectionẽ, sed fauorẽ potius, & gloriã aucupantur? Illic igitur, captato vulgi fauore, circũfluus, quid tibi mens vel improuisa dictauerit, proprio iudicio lex habetur: quidquid pręceps lingua decurrerit, sentẽtia deputatur. Nec te metiris iuxta testimonium proprię conscientiæ, sed secundum opinionem potius assentatricis turbæ: apud quam videlicet vęnalis pallor in vultu, & auditum nomen ieiunij stuporem mentibus ingerit. Vinũ nãque in Vrbe nescire prodigiũ est, in eremo bibere satis ignobile. Oleũ in eremo magnę delitiæ, in populo autẽ, qui saltem aruina non vescitur, abstinentiæ palma donatur. Cilicium in eremo vestimentum, in Vrbe spectaculũ. Crudibus pedibusque nudatis incedere in eremo quidem Regula, in foro autem afflictio cernitur indiscreta. In eremo stratum molle iuncus est, vel papirus, inter ciues applauditur centone contentus. Quod enim illic conuersatio rara mirabile reddit, hic societas fraterna commune. Ac per hoc quod illic præconio laudis attollitur, hic generaliter inditum gloriam non meretur.

Quod monachis in Vrbe morantibus arrogantiæ tumor obrepat.

Eremitæ in vrbibus conuersari amantes arguuntur.

Sed, ô vtinam præsens adesses, & quid in his siluis ab ignotis, atque despectis agatur, oculo iudicante, perpenderes! Tamen vt se, si fortassis inest tumor arrogantię, deprimat, vel breuiter aliquid te de illorum conuersationibus erudire non pigeat. Nam, vt omittam de continua

De abstinentia quorumdam fratrum.

frugalitate, & penuria vestium, de rigore silentij, de iugi instantia remotionis, nonnulli apud nos sunt, qui inter cætera districtionis impendia, tanta censura a vini perceptione se cohibent, vt iam pęne per decennium, ne in paschalibus quidem festis, de prædicto liquore gustauerint: quorum videlicet, alij sunt iuuenili adhuc flore vernantes, alij iam ad venerandę senectutis maturiora vergentes: alij etiam vuis, & aceto se nihilominus priuant; plerique autem saginis, ouis, & caseo tamquam carnibus abstinent.

De Martino Storaci.

Quemdam habemus in cellula rusticum idiotam, vix quinquaginta psalmos vtcumque balbutientem: eosdem tamen per dies singulos, subiectis semper litanijs, septies iterantem. Qui iam per tria ferme lustra non prodit, sed neque capillos totondit, neque barbam rasit. Hoc siquidem & ipsi crines euidenter asserunt, qui iam iam forte prolixiores illo talotenus fluunt. Quamquam nos hoc districtionis genus minimè probemus. Huius itaque continuo tenore talis est vita, vt tribus per hebdomadam diebus nil penitus comedat, tribus autem quamdam mensuram panis cum aqua percipiat: Dominicis autem, & præcipuis festis non quidem pulmētum, siue liquamen aliquod, sed quamdam sibi frixuram quasi edulium præparat. Quam sane vidisse, & non tetigisse, propemodum refectionem ducimus: gustasse autem, vel etiam olfecisse, partem pœnitentiæ deputamus. Porro autem duo in eius cellula serpentes iam per plures annos, vt fertur, familiariter spatiantur. Qui etiam, vt ipse fatetur, dum ille solo prostratus, litaniarum votis insistit, circa caput eius hinc inde blanda mites allusione discurrunt: & virosi morsus obliti, tamquam patrifamilias domus, clientelam deuotę sedulitatis impendunt. Ecce, & venenatæ bestiæ inter se in exhibendo monachis obsequio concordant, cum videlicet ipsi monachi viperina inuicem a se, proh dolor! immanitate resiliant. Mirum, quod tantum fœtorem eo loci, numquam querulus, tolerat: mirum, quod lutulentam ad bibēdum aquam per tot dies in dolio velut sentinam seruat, mitatoria numquam lauat, vestes numquam mutat, nisi Eucharistiam percepturus: quas tamen mox exuit, & ad id munus propter munditiam in tuto reponit: nisi post solis occasum numquam accipit cibum, seruata tamen diebus Dominicis reuerentia, in quibus videlicet circa sextam horam vnam ex his, quæ pro Sacramentis fiunt, oblatiunculam percipit: & sic propter Regulam ieiunium soluit. Quid autem de inopinatis eius vigilijs dixerim? quando quidem mihi ipse retulerit: Die quidem, inquiens, nullo tempore quietem membris indulgeo: vespere autem psallens, & orans, tunc demum sopori viscera fatigata concedo, cum iam iam nocturnæ synaxis articulum propinquare cognosco: quatenus mox, vt corpus sopor irruens totis viribus occupat, repente illum, quasi tintinnabulum feriens, ab audacis violentiæ inuasione depellat. Sæpe rogatus, vt pro necessitatibus ecclesiasticis, vel fœderanda pace procederem, cum mihi detrimentum esse pernoscerem, licet alijs

Serpētes duo cum eo familiariter cōmorantur.

S. Ben. Reg. 11 c. 38. & 41.

proueniret, hunc fratrem ea fide consului; vt in diuina gratia dignaretur infundere, quid mihi decerneret expedire. Protinus sancta simplicitas ad id, quod propositum erat, compendiosæ responsionis clausulã fixit: quid, inquit, candelæ prodest, si alijs luceat, dum se interim edax flamma consumat? Hoc responsum, fateor, lætus arripui, & tanquam diuinitus datum, salua tantummodo charitate, & obedientia seruare decreui.

De Leone Sitrie, & alijs tribus Monachis.

Sed dum in vnius viri virtutibus enumerandis prolixius immoror, ab alijs vel summotenus perstringendis, longa mora prodiente, retardor; veniam autem ad dominum meum Leonem, & verè Leonem, qui antiquum draconem, caput scilicet, auctoremque malitiæ, continuis ad bellum concertationibus prouocat: & ab ipso impuberis adolescentiæ tyrocinio vsque ad prouectam iam senectutem, tamquam consertis cominus armis, aduersus illum infatigabiliter pugnat. Verè, inquam, Leo, qui & † mundũ peruigil dormit, & diuinæ contemplationis quodammodo soporatus, intendit. Quid vltra de hoc viro dicẽdum est, quàm quod videmus illum & mundo mortuũ, & Cruci Christo confixum? Hic nempe perfectæ mortificationis est norma, hic singularis vitæ regula, hic ad perfectionis apicem festinantibus inimitabilis disciplina. Quidquid ferè districtionis, quidquid continentiæ superius dictum est, in hoc viro consequenter intellige: præcipuè tamẽ in eo charitatem, humilitatem, & mansuetudinem venerare. Sermo denique eius dulcis ad instar mellis, solatur mœstos, docet inscios, cõcordat iratos. Quis enim correptionis illius austeritate deterritus, nõ redire disposuit? Immo quis quantalibet ingruentiũ tentationum pressus caligine, sine consolatione recessit? Bene siquidem currentibus blandum, delinquentibus se præbet austerum. Sed hoc modo, vt & blanditiam in auctoritatem austeritas erigat, & eandem austeritatem blanda rursus mansuetudo compescat. Rigor autem abstinentiæ in eo tantus est, vt in eius facie imago potius, quàm viuentis hominis corpulentia videatur. Percunctanti olim mihi, quod possem inuenire solatium, quia tam exiguæ mensuræ panis mihi inter ipsa ieiunia videretur; tale dedit præsto consilium: alijs, inquit, diebus medietatem tibi mensuræ illius appone, die autem illa, qua relaxare aliquid de consuetæ regulæ censura volueris, totam tibi summam præfixæ quãtitatis indulge: & tunc sufficiens erit raro censum, quod nunc modicum videtur indifferenter oblatum. Hoc autem in tantæ angustiæ necessitate remedium, vtcumque ex consulentis merito placuit; sed curiosa meæ edacitatis intentio, fateor, non quod præstolabatur, audiuit. Nuper etiam mihi inter familiaria mutuæ collocutionis verba subintulit: Frater, inquit, mi, faciant alij magna quædam, prout gratia illis diuina præstiterit; infirmitati autem meæ non erubesco sufficere, si per dies singulos duos annos pœnitentię possit implere. Aliquando autem, dũ me tentationibus resistere prudenter instrueret, quod suũ erat, alij cõtigisse

narrauit: Noui, inquit, fratrem, quem dum fornicationis spiritus grauiter fatigaret, & ille crebris orationibus vehementer insisteret, tandē nocte quadam super stratum quiescenti Angelus Dei cominus astitit, & arrepto ferro testiculos eius abscidit. Cumque ille vigilare se crederet, sed numinis auctoritate pressus, quid ageretur, inquirere non auderet, tantam doloris vim in genitalibus pertulit, ac si reuera materiale cilurgium partem corporis secuisset. Ab eo itaque tempore frater ille non modo huiusmodi passionibus non subiacuit, sed & tamquam carne præmortua, nullum vlterius in se libidinis stimulum sensit. Sciscitanti autem mihi, quis ille fuerit frater: nihil mea interesse respondit: longè verò post, cùm iam obliuio potuisset obrepere inter cætera conueni hominem: Numquid non, inquā, mi Pater, tale aliquid tibi accidisse professus es? Tunc ille ex improuiso conuentus, quod dixisse se credidit, negandum esse non duxit. Sed cur ego in singulis immoror, qui tantam virorum illustrium densitatem mihi imminere contemplor? Prætereo igitur dominum meum Lupum, veræ videlicet mansuetudinis agnum. Qui profecto, & antequam se carceri quē pro æterna libertate nūc incolit, perpetim inclusisset, per triūcirciter annorum continuata curricula vinum non bibit, nullumque sibi pulmenti liquamen indulsit. Transeo Petrum, qui nullum cubilis in cella sua patitur superesse vestigium, sed nudum iugiter terit, siue hiberno, siue æstiuo tempore pauimentum. Leonem quoque non numero, qui lumbos suos super nudum ferrea semper catena circumdat, ne sobrietatis limitem supergressio immoderatæ refectionis excedat.

Lupus inclusus. *Petrus eremita.* *Leo eremita.*

Sed ecce Leo rursus alius occurrit, qui iam pænè emensæ senectutis oblitus, annosum diu viuendo senīū terit: & licet emeritus miles diuini procinctus castra tyrocinali, vt ita fatear, feruore custodit. Qui nimirum inter cætera dona virtutum, sic vigiliarum studio præeminet, vt nulla totius anni, vel perexigua nocte, prius à fratribus ad nocturnale conueniatur officium, quàm ille Psalterium morosè habeat, decantando cum suis litaniis, impletum: postmodum verò, iuxta morem eremi, Psalterium pro defunctis exoluit. Porro autem cum iam, vt fert opinio, centum quadraginta ætatis annos excedat, postquam se constanter inclusit, hac etiam lege cōstrinxit, vt quotidie se scopis grauioribus atterat: nullo etiam die nisi celebrioribus festis, circa vesperā, tantam comedendi consuetudinem soluat. In omni tamen vita sua nūquam sanguinem minuit, numquam antidotum sumpsit. Illud quoque prætereundum non est, quia sic oleo lætitiæ gratia illum diuina perunxit, vt nec senilis grauitas tristia sibi ora contrahere, nec vita remotior in eius vultu potuerit rigidum quid, vel asperum generare, sed semper hilaris, semper lætus, semper occurrit vrbana quadam serenitate festiuus.

De Leone eremita Prazensi. *Eius vita longæua.*

Sed cur ego Sanctos cōmemorando viros, diuersa passim loca perlustro? quandoquidem intra limen, & præ manibus teneo: ad cuius di-

De Dominico Loricato. de quo & in Epist 19. libri, 1.

gnè efferenda præconia impar viribus non assurgo. Certè cellulis altrinsecus constitutis, solo basilicæ mediantis interstitio, ego, illéque diuidimur: cuius si virtutibus enumerandis inuigilo, ante dies elabitur, quàm scribendi materia deficere posse videatur. Dominicum dico, doctorem videlicet: & dominum meum: cuius quidem lingua rustica est, sed vita artificiosa satis, & lepida, quæ sanè vita satis vtilius ad ædificationem viuis operibus prædicat, quàm sterilis quorumdam lingua, quæ accurata phaleratæ vrbanitatis verba inania trutinat. Longo iam annorum elabente circulo, ferrea ad carnem lorica præcinctus, infœderabilem pugnam cum iniquis spiritibus conserit: semper paratus ad prælium, non solum corde, sed & corpore præmunitus, aduersus hostiles acies feruidus bellator incedit. Hanc autem continuæ vitæ consuetudinem indifferenter habet, vt vix dies vlla prætereat, quin duo Psalteria modulando, vtraque manu scopis armata, nudum corpus allidat. Et hoc remissiori quidem tempore. Nam quadragesimalibus circulis, siue cum pœnitentiam peragendam habet (crebro enim centum annorum pœnitentiam suscipit) tunc per dies singulos dum se scoparum tunsionibus afficit, ad minus tria Psalteria meditando persoluit. Centum autem annorum pœnitentia, sicut ipso auctore didicimus, sic expletur. Porro cum tria scoparum millia vnum pœnitentiæ annū apud nos regulariter expleat: decem autem Psalmorum modulatio, vt sæpè probatum est, mille scopas admittat; dum centum quinquaginta psalmis constare Psalterium non ambigitur, quinque annorum pœnitentia in huius psalterij disciplina rectè supputantibus inuenitur. Sed siue quinque vices ducas, siue viginti quinquies, centum fiunt. Consequitur ergo, vt qui viginti Psalteria cum disciplina decantat, centum annorum pœnitentiam se peregisse confidat. Quanquam & in hoc plerosque noster Dominicus superet; quia cum nonnulli vnam manum in disciplinis agendis exerceant; iste, vt reuera † Beniamin filius, contra rebelles carnis illecebras vtraque manu infatigabiliter pugnat. Hanc autem centum annorum pœnitentiam, vt mihi ipse professus est, facile sex diebus ex more consumat. Memini quoque, quia cuiusdam Quadragesimæ imminentis initio mille annos imponi sibi per nos ad pœnitentiā petijt: quos certè omnes fermè, antequam ieiunij tempus trāsigeretur, expleuit. Si cui autē hoc pœnitentialis disciplinæ genus, quia durum, videatur etiam fortasse superfluum; & quod ipse facere negligit, fieri etiam nolit; quid mihi peccatori super hac sententia videatur, paucis absoluam: Deuotio sancta fidelium cum se pro peccatorū suorum memoria verberibus afficit, communicare se sui Redemptoris passionibus credit. Nam & ipse Saluator noster, Euangelio teste, flagellis cæsus est; & Apostoli in conspectu Concilij verberibus sunt affecti; & Paulus quinquies quadragenas, vna minus, accepit. Quod etiam innumeri Martyres duris subiacuere verberibus; cui vacat eorum historias legere, non poterit ignorare. Ab illis ergo & hunc pœnitentiæ modum

Efficacius operibus, quàm verbis, prædicatur.

Pœnitentiā centum annorum quomodo expleatur.

† filius Gera, filij Ieminis. *Iudic. 3. v. 15.*

Ratio disciplinæ Conf. Epist. 8. lib. 5. & 1. lib 6

Marc 15. v. 15. & Ioan. 19. v. 1
Act. 5. v. 40.
2. Cor. 11. v. 24

nos suscepisse gaudemus, à quibus nimirum omnium studiorum spiritualium instrumenta didicimus. Porro si ieiunia, vigilias, nuditatem, cilicia, genuum flexiones, & cætera his similia, iccirco remedia pœnitentiæ constituimus, vt per hæc vitiorum illecebras deprimamus, & delectationibus carnis è diuerso amaritudinem apponamus: quę inter hæc congruentius dici pœnitentia potest, quàm cum se peccator nudũ sui Iudicis conspectui repræsentat, & deprehensorum more latronum, ipsam, quæ peccauerat, carnem verberando castigat? Huc accedit, quod nõnullos legimus post culpam in exstasi ad iudicium raptos, hanc exoluisse vindictam. Credendum ne ergo est, quia hunc pœnitentiæ modum, quem Deus ipse & à nolentibus exigit, à deuotis, & vltro offerentibus suscipere contemnit? Hæc per excessum commendandæ disciplinæ gratia diximus, vt teneris, & delicatis Monachis detrahendi audaciam tolleremus. Nunc ad Dominicum, de quo cœperat, sermo recurrat. Enimuero cum hunc iam & incurua senectus deprimat, & crebris insuper languoribus contabescat, mirum vnde illi tantus feruor incendat: vt in spiritualibus exercitijs semper inuictum, semper infatigabilem se reddat. Nam, vt ipso referente cognoui, sæpe duo Psalteria cum disciplinis stando continuat, ita vt neque interim sedeat, neque vel ad momentum à percussionibus incredibili mentis feruore quiescat. Inquirenti mihi aliquando, vtrum posset cum ferreæ vestis pondere aliquantisper genuum flexibus insudare: sub hac mihi dedit obscuritate responsum: Cũ incolumitas mihi votiua respondet, quandoque per omnes totius Psalterij quindenos psalmos centies genua flectere consueui. Quod quidem tunc non diligenter attendi, postmodum vero quod dictũ fuerat, mẽte reuoluens, à depresso homine mille metaneas in vno Psalterio fieri, admiratus expaui. Quadam die post vesperam, cellulam meam ingressus, magister, inquit (hoc enim indigno vocabulo me ex humilitate compellat) hodie feci, quod hactenus me fecisse non memini: octo nempe Psalteria inter diem, & noctem modulanter expleui. Videbatur autem tunc totus vultus eius ita scopis attritus, ac sulcantibus quibusdam vibicibus liuefactus, tamquam si pila fuerit pristinarum more, contusus. Psalmodia sanè illi iccirco tam facile prouenit, quia non tam verba, vt ipse asserit, lingua perstrepente, reuoluit, quàm sensum mentis viuacitate percurrit. Aliquãdo à me remotus habitabat: cũque ad me ingressum, quibus tunc se vitæ legibus ageret, inquisissem; respondit se carnaliter viuere, & quintis semper ferijs cum Dominicis diebus à solito se abstinentiæ rigore laxare. Requisitus, vtrum pulmento quolibet, ouis, vel caseo vesceretur, negauit. Rursus, si piscibus, aut pomis; pisces, ait, & poma, si qua sunt, ægrotantibus præbeo, quorum non minimam multitudinem iacere in nostris partibus ingemisco. Cũque illum durus exactor in angusto concluderem, dicẽs: vnde ergo illis diebus remissius viuis, si nihil eorũ comedis, quæ necesse sit, vel ignibus decoqui, vel in arboribus inueniri? Respondit:

Hier. epist. ad Eustoch.

S. Dominici feruor maximus in exercitijs spiritualibus.

Abstinentia eiusdem admirabilis.

dit: feniculo, inquit, cum pane libenter vescor. Mox nimirum perite cognoui, quam carnaliter homo viueret, qui suas delitias in feniculo constituisset. Habet plane vberem lacrymarum gratiam, sed alternam. Cum enim reclusus sub districto se silentio reprimit, mox vt voluerit affluenter plangit: at si colloquio frequentetur, fletum se amisisse conqueritur. Nam & ego illi sæpè penuriam meę tarditatis impropero, dicens: heu, inquam, mi Pater, istæ tuæ lacrymæ infœcundæ sunt, quæ alias orando lacrymas parere nequeunt. Optarem namque, quod consequens est nimirum, vt sicut tu mihi Pater es, ita nihilominus, & tuæ lacrymæ meatum quoque lacrymarum fierent genitrices.

Vberrimus eius profectus in lacrymis.

Possem tibi adhuc multa quidem, & alia non ignobiliora de his, qui nobis noti sunt, fratribus scribere, si non magnopere luxuriantis styli fastidium deuitarem. Vereor etiam, ne pagina hæc in manus eorum, de quibus loquitur, veniat: & eorum animos, qui laudari in hac vita laudabiliter execrantur, offendat. Hæc autem iccirco tibi exempla proposui, vt dum maiora fortassis aliorum bona consideras, tua dijudices: & tumorem singularitatis objiciens, cum multis te alijs in sacræ militię studio currere non ignores. Mox vt dicuntur ea Iob, quæ proprias vires excedant, protinus ad pœnitentiæ patrocinium conuolat, ita etiam ori suo digitum superponat, dicens: Leuiter locutus sum. Postquam certe audiuit Elias, septem millia virorum ante Baal genua non flexisse, didicit iam non de singularitate tumescere, dum plures innocentiæ suæ consortes haberet. Et ij sane, quorum superius mentionem feci, non clari, non famosi, non certe vulgi opinione notabiles: sed despicabiles, & pannosi ita se bonis omnibus inferiores iudicant; vt etiam nobis se, nostrisque similibus quolibet conuersionis inditio non pręponant. Nobis autem scilicet conuescentes non dedignantur communi mensa participare: immò tamquam suppares omne nobis charitatis officium familiariter exhibent. Tu quoque si recte, si discrete, si fructuosè per viam vis veræ religionis incedere, sic tibimetipsi sis austerus, & rigidus; vt alijs videaris hilaris, & remissus: sic intra temetipsum studeas in rectitudinis arce pręcellere, vt noueris te & infirmis fratribus misericorditer inclinare: sic in tribunali mentis tuæ iustitiæ fræna dispone, vt tamen delinquentibus non obdurescas, venialiter indulgendo. Sit in corde mœror, in vultu lætitia; in fratris aduentu caro tua sentiat refrigerium: nec multum timeas, si solitæ seruitutis non impleas pensum. Pulsante cellulam tuam fratre, protinus tristes rugæ discedant, contracta se ora resoluant, serena facies occurrat, festina frons lætitiam præferat. Peccatum in te mortis periculum deputa, in alijs fragilitatem conditionis appella. Decerne alium ferula dignum, vnde te scorpionibus arbitraris obnoxium. Non sis iustior iusto: & qui times peccata committere, non dubites veniam peccantibus impertire. Non est illa recta iustitia, quæ in desperationis foueam mentes pertrahit alienas. Non est medicina laudabilis, quæ sic putrida

Tenenda discretionis admonitio necessaria.

Iob. 39. v. 34

3. Reg. 19. v. 18.

Optimi superioris est inseipsum seuerũ esse, in alios benignum.

resecat, vt simul etiam sana corrumpat. Noxius ignis est, qui sic nititur vepres exurere, vt insiliat etiam domos globis furentibus conflagrare. Enim vero, qui aliorum vitia ex more libenter carpit, peccati maculam non euadet; quia licet zelo iustitiæ ferueat, aliquando, necesse est, vt in laqueos detractionis impingat. Planè, nisi multum nostra nobis vita splendesceret, non tantopere nostris oculis aliena conuersatio displiceret. Si districti circa nos essemus, vt dignum est, iudices, non tam rigidos experiretur aliena culpa censores: in alios scilicet disciplinæ nostræ vigor extenditur, dum circa excessus proprios sola pietatis, & mansuetudinis iura seruantur. Sed quorsum ista? Quia diceris omnes fratres tuos tam austera, tam superciliosa dijudicare sententia, vt per totius anni circulum non nisi semel & tunc non à tui monasterij sacerdotibus, sed aliunde quæsitis, diuina percipias Sacramenta. Dico quod dicis: Quis hunc presbyterum ordinauit? Respondetur, ille Episcopus. Et ipsum, ais, ad Episcopatus officium qualiter, aut quis promouit? Papa scilicet, qualiter autem, ipsi viderint: moxque subiungis: esto tandem quod Papa gratis Episcopum consecrauit, numquid & Papa ipse ad Apostolicę Sedis apicem gratis ascendit? Hac igitur inter mirabilium quæstionum perniciosa caligine, quantum in te est, sęculum omne confundis: & velut mare, de temetipso tempestatem generans, nec ipse quiescis, nec alios viuere in tranquillitate permittis. His enim, & huiusmodi ineptis hæsitationibus hæreses sæpè, & Schismata pestilenter emergunt, quę incautas hominum animas à catholica vnitate præcidunt. Vt enim verbis te Apostolicis alloquar: Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Suo enim Domino stat, aut cadit; stabit autem: potens est enim Deus statuere illum. Non omnes, qui in prætorio sunt promendi iudiciales calculos, archisterium sortiuntur: neque omnes, qui sunt intra Ecclesiam, claues Ecclesiæ susceperunt. Cum ad aliena iudicanda quis arroganter extenditur, ad ea profectò consideranda, quæ sua sunt, obtusior inuenitur. Tunc enim socialis vitæ congruenter est ordo dispositus, si vnusquisque proprij iuris limite sit contentus: vbi autem alter alterius terminum supergreditur, omnis profectò rectè viuendi linea, necesse est confundatur. Sufficiat ergo nobis considerare, quę nostra sunt; ne dum aliena immoderate persequimur, à nostri laboris fructu, & digna mercede vacuemur. Qui enim totam legé seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. Et Paulus, Modicum, inquit, fermentum totam massam corrúpit.

Quia nostra nobis placent, aliena displicent.

Et tamen Teuzo iste, mirabilis Deus, Beatorum virorum numero mox aggregari meruit.

Rom. 14. v. 4

Nobis nostra consideranda, non aliena.

Iacob 2 v. 10
1. Cor. 5. v. 6.

Vidi nempè Monachum eremitam, vitam districtè satis, & rigide perferentem: qui nimirum & vultu pallidus, & corpore vehementer afflictus, fixis in terram oculis, mundo mortuus videbatur: vinum quoque per vndecennium non gustauerat. Sed, ô terribile Dei iudicium, & profundum summæ districtionis abyssum! Tædet dicere. Hic aliquando, in phrenesim decidens, atque in belluini furoris rabiem immaniter efferatus, ex manibus in diuersa nitentium, & vinculis, quibus necteba-

De monacho flamine exceato.

tur, se repente proripuit: & vbi plurimus rotabatur vortex, in spumosi fluminis voraginem mersus, interijt. Sed quamquam quouis mortis articulo meritum suum cuique perire non possit, ad hoc tamen ista præmisimus, vt in quibuslibet nostris bonis operibus numquam pertinaciter confidamus: sed metuentes semper, quid superna de nobis sententia statuat. De his, qui nobiscum sunt iudicare mens nostra temerè non præsumat: & si eum videmus in præsenti, quò gradimur; ignoramus tamen, quo cursus noster fine claudatur. Patet via, quæ teritur: sed occultum est, quo peruenitur.

Bonis operibus non est nimis audacter confidendum.

Et quia se occasio præbuit, terribilem nihilominus & alterius Monachi casum prætereundū esse non ducimus, & si non magnopere huic opusculo congruere videamus: In Perusino monasterio, sancti videlicet Saluatoris, cui nuper & ipse præfui, quidam monachus paulò ante fuerat, nomine Guinizo, astutus nimis, & callidus, sæcularibus argumentis, ac litigiosis contentionibus vehementer intentus. Hic itaque, dum & in mutandis Abbatibus, & fratribus perturbandis æstuans, non quiesceret, ad hoc vsque peruenit, vt diaboli ad superandos æmulos patrocinium quæreret, & eius se ditioni etiam corporaliter manciparet: cui tamen seductor spiritus exigenti ante promisit, quod tertio, prius quam moreretur, die suum sibi exitum nunciaret. Credidit infælix, & diu postmodum viuens, ita sub hac deceptoria securitate permansit: tandem in ęgritudinem lapso adest fideiussor iniquus, & perendianum, sicut spoponderat, obitum innotescit. Protinus aduocatis ille fratribus cuncta hæc, quę cū nequissimo pepigerat, per ordinem narrat. Cumque illi instarent, dicentes: esto confessus, age pœnitentiam; repente ille obdormiebat, & siue pulsantibus, siue clamantibus, euigilare non poterat: si non illi obticescerent, vel aliud quid, præter pœnitentiam, loqui vellent. Mox ille expergefactus, inuicem loquebatur: sed rursus audito nomine pœnitentiæ, obrigescebat in sensibus sopore correptus, donec horrendæ morti traditus, ad eum, cui deditionem fecerat, est infeliciter deuolutus. Postmodum verò per plures noctes nigra canum turba non cessabat sepulturæ eius assistere, & quasi depositum custodire: ita vt non minimo videntes horrore concuterent. Heu quam perniciosa res spiritus contumax, & litigiosus in monacho! Hic enim, quia temporalem habere pacem cum suis fratribus noluit, æternæ pacis gaudium in tartarum demersus, amisit. Hoc autem & si præsenti stylo vsquequaque non congruat, iccirco tamen inter hæc apicibus mandare curauimus: vt rem memorabilem, ne obliuio tolleret, quasi ad paxillum funiculo stringeremus: atque hic quisquis inquietus ediscat, ad quem finem lis animosa perducat.

De Monacho, qui diaboli patrocinium quæsiuit.

B. Petrus Dam. præfuit monasterio S. Saluatoris Perusii.

Inquietudo in monacho quam sit periculosa.

Inter omnia igitur, quę diuina nobis sunt lege mādata, nihil est monacho propensius enitendum, quàm vt patientiam in omnibus habeat: qua videlicet alienæ prauitatis iniuriam æquanimiter ferat. Hæc planè virtus ad perfectionis culmen monachum prouehit, & terri-

De patientia Monachi execati.

bilem in Dei hostibus dimicantem animum facit. Hęc omnium vitiorum victoriam tribuit, & contra furentes mundi præcipites impetus humanam mentem insuperabilem reddit. Et quid amplius dicam? Quandoquidem quidquid de rigore abstinentiæ, quidquid de quacúque corporis afflictione superius dictum est, vel dici potuit, pæne nihil sit, si ipsa virtutum nutrix patientia desit. Apostolo testante, qui ait: Corporalis, inquit, exercitatio ad modicum vtilis est, patientia autem ad omnia vtilis est. Adolescentem me in Fauentina Vrbe propter literarum studia constitutum audire contigit, quod enarro: Inter duos sibimet conuicaneos, obortis inuicem simultatibus, alterius oculos alter effodit. Cęcus itaque postquam se mundo nimirum inutilem vidit, monasterium petijt. Postmodum verò cum & ipse illator iniurię languore correptus conuersionis habitum anxie quęreret, sed ad idem monasterium deferri propter illum, quem crudeliter attrectauerat, incongruum iudicaret, monachis super hac re secreto musitantibus, tandem fama negotij ad acutiorem videlicet non videntis peruenit auditum. Cumque ille, quod imminebat, plenius didicisset, cœpit mox obnixè deposcere, & quibus valebat precibus, instantissime flagitare, vt illum fratres cum omni charitate susciperent, semetipsum insuper custodem scilicet, ac ministrum eius obsequijs insudare iuberent: Importunis sane insistens precibus, tamdem obtinuit: & ei, quem carnis lumine videre non poterat, perspicuo charitatis oculo ministrabat. Decumbenti itaque sedulus minister assistere, tegminibus confouere, necessaria quęque porrigere, percipiendis etiam alimentis suasoriè prouocare. Nam & ad digestionis occultum, vt dicebatur, sæpè se ferre, & referre gaudebat ægrotum. Sic nimirum, sic qui geminum lumen carnis amiserat, charitate, simul & patientia, quasi duobus in animæ facie oculis resplendebat.

Patientia monachis præ omnibus appetenda.

1. Tim. 4. v. 8.

S. Doctor Fauētiæ studuit.

Admirabiles in cœco monacho charitatis, ac patientiæ vitutes.

Superiora tibi, Teuzo Pater, ex Epistola proposui, vt desinas de singularitate tumescere: istud autem ideo, vt discas iuniorum fratrum etiā offensas, si forte contigerit, æquanimiter tolerare; nimirum quod moribus tuis duxi maxime necessarium, hoc in disputatiuæ narrationis ordine seruaui consequenter extremum. Iam igitur ab illa rigida nimis, & torosa mentis tuæ animositate compescere: teque in patientia cum fratribus tuis, & blanda charitate compone. Quisquis enim per feritatem animi suis contubernalibus non concordat, ferarum more solus, necesse est, vt bestialiter viuat. Qui ergo Redemptoris sui discipulus non dedignatur existere, discat se mitem proximis suis, & humilem exhibere: Discite à me, inquit, quia mitis sum, & humilis corde. Qui denique sancti Spiritus templum esse desiderat, vt idipsum repetam, ab humilitate, simul & quiete mansuetudinis non recedat. Ait enim: Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilē, & quietum? Non igitur eorum animos verbositatis quæstionibus pulses, non eos tamquam toruæ ceruicis taurus cornibus ventiles; ne dum à te fu-

Vbi Scriptor ea, quæ dicta sunt, humili satisfactione cōcludit.

Modestia cōmendatur.

Matt. 11. v. 29.

Esa. 66. v. 2.

gitur, illud in tui opprobrium iaculetur, quod de boue cornupeta antiquitus dicebatur: Fœnum habet in cornu. Tranquillum ergo te, & quietum cunctis videntibus exhibe: & præcipuè his, qui ex Deo sunt, omni te obedientia, & humilitate substerne; vt qui in te Christum quærunt, Christum consequenter inueniant: & in mansuetudine, quam exterius viderint, ipsum Auctorem mansuetudinis altius in mentis tuæ solio præsidere deprehendant. Planè si pectus tuum arca Dei est, sicut profectò dignum est, non in eo sola sit virga, quæ feriat: sed & manna, quod in fraternæ mentis palato dulcescat: nec in eo zelus sit amaritudinis, qui deterreat: sed zelus potius charitatis, qui salubriter corrigat. Sicque correptionis aculeus vulnus delinquentium pungat, vt & mansuetudinis oleum leniori quodam fomento demulceat. Verum nos dum ædificationis fraternæ studio ardenter insistimus, modum Epistolæ supergressi sumus: ideoque etiam titulos contra morem Epistolæ singulis quibusque periochis congruenter affiximus: ne laciniosi styli satietatem lectoris animo gignere videretur. Nunc igitur, dilectissime mi Pater, & Domine, pedibus tuis me † protinus aduoluo, fusisque lacrymis veniā humiliter peto: videlicet vt ori meo clemēter indulgeas, & me, qui tibi audacter insugillare præsumpsi, à charitatis tuæ dulcedine non repellas; dummodo nempè hæc, quæ superius comprehensa sunt, salubriter admittantur. Ego non abnuo, satisfactionis gratia, & nudas ferulæ vestiæ scapulas subdere, & de cętero paternis sanctitatis vestræ legibus reuerenter obtemperare. Spero autem, quòd & hæc mea vobis non erit infructuosa correptio: quia dum menti vestræ tam scilicet graui, tam maturæ, tam certe sanctæ amarum forte sapit, quod ausu iunioris arguitur; in vobismetipsis liquido potestis addiscere, quid vobis dura loquentibus, de alieno debeatis corde sentire. Rogo autem, venerabilis Pater, vt pro me peccatore semper orare digneris. Quia autem faciem vestram vlterius in hac vita visurum me esse non spero, diuinam deposco clementiam, vt soluto militiæ cingulo, sic nos in mutuos repræsentet aspectus: quatenus & vnum supernæ videlicet Hierusalem adscribatur emeritis municipium, & socialis in vtrumque procedat recompensatio meritorum.

De Poetis hoc dici fingit Horat. 1. ser. sat. 4.

† prostratus f. B. Petri Dam. quam humiles sensus, & demissos habuerit.

EPIST. XXXI. Ad Dominicum Loricatum Priorem S. Mariæ Sitriæ, eiusque Eremitas.

ARGVMENTVM.

Dominicum Loricatum corporis mortificatione admirabilem monet, ne improborum hominum illatis molestijs, alio cum suis demigraret: sed sacra Scripturæ præceptis edoctus, Sanctorumque exemplis confirmatus, res aduersas in

quas Deus seruos suos incidere permittit, æquo animo ferat: vt se bonis operibus exercens, & mala tolerans, verum Christi membrum agnoscatur.

Domno Dominico, & cæteris fratribus, qui in sua vicini montis Eremo commorantur, Petrus peccator Monachus vltimam seruitutem in Domino.

SCripsistis mihi, dilectissimi, quia tantus peruersorum, ac violentorum hominum vos liuor infestat, quod nisi vobis ego raptim, celeriterque succurram: vos loco ceditis, aliumque vobis, qui rapinis his, atque molestijs non sit obnoxius, prouidebitis. Quę me, fateor, audita legatio grauiter perculit: & plus me vestra pusillanimitas, quàm hostilis contristauit aduersitas. Nam cum assiduè videamini diuinis insistere paginis, mirum est, quomodo vobis adhuc ignota sit patientia regina virtutum, cui nimirum cuncta deseruiunt volumina Scripturarum. Quæcumque enim, vt Apostolus ait, scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Quare ad nostram doctrinam? Numquid, vt syllogismorum calleamus tendiculas struere: vt tonantia, & accurata verba rhetoricæ copiæ coloribus venustare, & harmonicæ suauitatis organa, melosq; distinguere; vt astrorum mathematicorum signa, vt aiunt, noscamus radio designare? Non planè ad hęc indaganda sacris Scripturis instruimur, sed per eas potius ad exépla patientiæ prouocamur. Vnde mox sequitur: Vt per patientiam, & consolationé Scripturarum spem habeamus. Eadem namq; Scriptura, quæ nos ad tenendam patientiam erudit, spe etiam consolationis attollit: quia, cum narrat, electi Dei quot sint supplicia, pressurasque perpessi: indicat etiam, quæ per hæc sint præmia consecuti. Medicus planè sanguisugas tumentibus ęgroti membris apponit, virusque simul cum sanguine ab intimis visceribus sorbere permittit: diuersæ tamen intentionis est medicus, & hirudo. Illa siquidem nil aliud gestit, nisi vt sanguinem bibat; iste ad hoc tendit, vt languidus conualescat. Illa satiatur, & moritur; ægrotus autem dum perdit sanguinem, recuperat sanitatem. Illa denique sua se morte satiat, & exultat; ægrotus autem dum vulneratur, ad statum salutis erigitur. Quid igitur mirum, si Deus omnipotens, qui est medicus animarum, sic nos occulta sui moderaminis arte disponit, vt ex alienis vulneribus nobis medicamenta conficiat: quatenus dum nobis hostile vulnus infligatur, ex eo potissimum salutis antidotum procuretur. Tyrus planè genus serpentis est, ex cuius cruore teriaca fit: quæ videlicet grassantem pestem, in his, qui venenantur, extinguit. Si ergo venenum veneno nouit homo depellere; quanto magis mirabilius præualet Deus ex alienis contritionibus nobis vtilia prouidere? Omnia quippè Sanctorum gesta quid aliud narrant, nisi pressuras, atque certamina, quæ de peruersorum quorumlibet

Marginal notes: Patientia regina virtutũ. Rom. 15. v. 4. — Scriptura tota docet patientiam. Ibidem. — Sanguisugis sunt similes, qui alios offendunt. — Ex Tyri cruore teriaca. — Ex tribulationibus nobis medicina præparatur.

hominum infestatione pertulerunt? Ipse quoque Redemptor noster seruilem formam, quam ex intemerata Virgine suscepit, non ante regnis cælestibus intulit, quàm omnia, quę Scriptura testatur, irrisionum, atque pœnarum tormenta percurrit. Quid ergo nouum, si peccator homo rerum, quæ extra se sunt, substineat amissionem: cum ille, qui peccare numquam potuit, in suo corpore pertulerit Crucem? Nec dum sane, iuxta Apostolum, vsque ad sanguinem restitistis. Sed ô vtinam hoc saltem de vobis posset dici, quod ille quibusdam bene patientibus dixit: Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis. Hinc est, quod & alius dicit Apostolus: Omne gaudium existimate fratres, cum in intentationes varias incideritis. Duo scilicet sunt, quæ si vigilanter attendimus, facile violentorum quorumlibet insolentias, iniuriarumque molestias superamus: præcepta videlicet, & exempla: quia & Scripturæ sanctæ nos ad pœnitentiam cohortantur: & electi quique, quidquid a furiosis diaboli membris inferri potuit, æquanimiter pertulerunt. Nam, quod diuinis admonitionibus, & pręcedentium exemplis adiuti, de profundo nobis illatæ tribulationis eripimur: recte Hieremia propheta de puteo prodeunte, signatur. Proiecerant quippe eum sicut Scriptura testatur, in lacum, in quo non erat aqua, sed lutum: qui postmodum, vt leuetur, funes ad eum, & panni veteres deponuntur. Quid enim funibus, nisi præcepta Dominica figurantur? quæ quia nos in mala operatione positos, & conuinciunt, & eripiunt, quasi ligant, & trahunt; coarctant & leuant. Sed, ne ligatus his funibus dum trahitur, incidatur, simul etiã panni veteres deponuntur, quia ne diuina pręcepta nos terreant, antiquorum Patrum nos exempla confortant: vt & ex eorum nos comparatione facere præsumamus, quod ex nostra imbecillitate formidamus. Si ergo nos de hoc profundo tribulantis vitæ leuare festinamus, ligemur funibus, idest pręceptis Dominicis astringamur. Intersint etiam panni veteres, cum quibus melius teneantur funes, idest, præcedentiũ confotemur exemplis, ne infirmos nos, ac timidos præcepta subtilia vulnerent, dum leuant. Quasi quosdam pannos veteres Palus Apostolus subiungebat, cum ad subleuandos discipulos pręceptis suis spiritualibus exempla veterum commendaret, dicens: Iusti ludibria, & verbera experti: insuper & vincula, & carceres; lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt. Et paulo post: Habentes itaque tantam impositam nubem testium, deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen. Et iterum: Mementote Præpositorum vestrorum qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini Fidem. Superius videlicet, dum spiritualia præcepta loqueretur, quasi funes miserat, postmodum vero memorans exempla maiorum, quasi veteres pannos adhibebat. Enim vero seruus Dei tunc debet timere, cum temporale quid percipit: tunc gaudere, cũ perdit: quia, cui propositũ est cę-

Christi exemplo fortiter ferenda aduersa.

1. Pet. 2. v. 24

Hebr. 12. v. 4.

Hebr. 10. v. 14.

Iacob. 1. v. 2.

Remedium contra aduersa.

Hier. 38. v. 6.

Hebr. 11. v. 36.

Hebr. 12. v. 1.

Hebr. 13 v. 7.

Gaudendum in aduersis, timendum in prosperis.

lestia scandere, expeditius proculdubio vacuus, quàm gradiatur onustus.

S. Doctor pro Apost. Sede, & Nic. II. in Italia Legatus. Munera non accipienda a litigantibus.

Dico vobis, quid mihi nuper acciderit: Mediolanensem Vrbē Domni Nicolai Papæ legatione functus adiui, ibi dùm essem, Abbas S. Simpliciani vasculum mihi argenteum loco muneris misit, quod dùm oblatum repente vidissem, primo quidem aspernatus abhorrui, & cur ille mihi munus offerret, subtiliter inquisiui. Suspicatus quippè sum, ne ille negotium fortassis haberet: atque ideo me anticipando præueniens, muneribus occuparet. Mos quippè est apud nos, ministros videlicet Apostolicæ Sedis, ab his, quorum adhuc negotium pendet, nihil prorsus accipere: ab his autē, qui omnino quieti sunt: si dare voluerint, non abijcere: & hæc regula non nostrum omnium, sed illorum dumtaxat est, qui meliuscule se ab auiditate custodiunt. Quid plura? Conuenitur ad commune colloquium, cur donum sit largitus, inquiritur: vtrum causam habeat, sciscitatur. Vndique quietus ex omni reperitur

4. Reg. 4. v. 13.

parte securus, ita vt re ipsa respondere videretur: In medio populi mei habito; adhuc tamen, quęsiui, vtrū dum ad Ecclesiasticos gradus ascenderet, siue cum monasterij regimen suscepisset, vænalitatis forte commercium irrepsisse cognosceret. Cumque hæc omnia ille funditus abnegasset, & non pro talibus se dedisse munus astrueret, sed ob hoc solum, vt in nostram amicitiam aditum sibi reperiret; respondi vt, quod suum erat, tollens, amicitiam nostram non more sæcularium mercede redimeret: sed, quod inter fratres est legitimum, gratuito possideret.

Inter Religiosos viros amicitia sine muneribus comparanda.

Inter hæc tamen, vt vobis in aure loquar, mens mea talis erat, vt post etiam districtè requirens, nihil in eo noxiū reperi, si ille mihi ad ingerēdum munus importunus existeret, eius mihi violentia nullatenus displiceret. Volebam siquidem vim mihi fieri, & velut inuitus ad vota compelli. Cumque ille ad recipiendum, quod semel dederat, se prorsus auerteret, & ne aurem quidem petitionibus inclinaret; ego iam securus, & audacior factus, durius, vt sua reciperet, ingerebam. Interea dies elabitur. Cumque peculiaribus psalmis nocturnus meditator insisterem, cœpit me conscientia acrius remordere, & quasi sub quodam ratiocinio conuenire: Si ille, vt videtur, bonus est vir: tu innocenti homini suam voluisti pecuniam tollere, cum illi capitulum non obsistat, in quo tuum necesse sit auxilium expectare. Porrò si negotium habet, indignum est, te sancto fratri linguam tuam vęnalem facere, quæ tanquā vtriusque communis sibi quoque debet, vt tibi, gratuito ministrare. Cumque hęc aduersum me pugna perseueranter ingrueret, iamque ego clamorem cogitationum remordentium non perferrem, decedente crepusculo, mox ad hominem properans, manicaui, eique tabescentis conscientiæ vulnus aperui. Cumque vtriusque nostrum hinc inde inuicem cōfligerent, & ille se, quod semel dederat, non recipere; ego me assererem non tenere; tandem amicæ contentioni hunc ego terminū posui: duo, inquam, mihi noua sunt monasteria, vnum ad calcem iam,

Deo

Deo auxiliante, perductum: alterum vero, nec dum Episcopali dedicatione firmatum. Sanctorum itaque locorum si placet, participium suscipe: atque, vt tibi libet, quod animæ tuæ proficere debeat, donum pro benedictione transmitte. Hoc igitur argumento cupiditatis meæ turpitudinem palliaui, & tamquam non accipiens, astutus accepi: postmodum verò ad eremum rediens, cellulam quidem festinus intraui, sed memetipsum intrare vix potui: & qui extra me inordinatè sum fusus, iusto iudicio in me sum postmodum, vt ita loquar, satis difficulter ingressus. Inter cætera verò, tanta animum meum muneris illius caligo confudit, & tamquam vermis scatens mea corrodere viscera non cessauit; vt teste conscientia, mallem me lepra percussum, quàm illo munere sauciatum. Attendebam porro illinc tantam fratris liberalitatē quæ mihi nihil debebat, & obtulit; hinc meam auaritiam, quæ, quod per officium non merebatur, accepit. Tædebat me tunc oblitum, quod per virum Sapientem dicitur: Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, & dandum collecta. Et cum, iuxta Apostolum, Beatius sit magis dare, quàm accipere; illum iure beatum, me miserum deputabam. Heu me, inquam, cum à suscipiendis muneribus excutiendā manum Scriptura præcipiat; quomodo tu manū excutis, vt abijcias; quàm potius incutis, vt accipias; stringis, vt rapias; retrahis, vt possidenda recondas. Et re vera auaritia in manu suscipientis viscus est, quæ quidquid apponitur, excuti non permittit: sed more piscis hærere compellit. Quid igitur? Rixam mentis meæ vltra non perferens, sancto fratri munus suum remittere studui. Deinde, Deo auxiliante, dum vixero contra sordes munerum iam cautius vigilabo. Ecce, quod superius dixi, quia seruus Dei tunc debet timere, cum temporale quid percipit; tunc gaudere, cùm perdit. A modo itaque neque pro specie monasterij construendi, neque pro necessitate seruorum Dei, tenebo quasi materiam honestatis, vbi valeam vires exercere cupidinis. Tamquam qui castitatis anhelat soluere cingulum, vt quasi sibi hæredes prouideat, init copulas nuptiarum, & sub nomine propagandi germinis famulatur illecebris voluptatis; ita nonnulli, dum esse nequeunt Christi, vel Apostolorum nuditate contenti, gaudent, siue regimine, siue quibuslibet exercitijs implicari; vt dum propriæ satisfaciunt auaritiæ, necessitati videantur pij operis deseruire. Nos autem, dilectissimi, gaudeamus semper, & illatas nobis iniurias æquanimiter ferre, & nocentibus insuper vtilia ministrare. Sit manus nostra ad suscipiendum cauta, atque suspecta; ad erogandum verò pro possibilitate benigna. Sit mens in prosperis timida, sit in aduersitate secura: cúmque bona facit, & tolerat, tūc se proculdubio numerari inter Christi membra confidat. Quisquis enim rectè viuens, flagellis atteritur, sicut Christi nunc in vtroque vestigia sequitur, ita postmodum eius consortio non priuatur.

Monasteria Episcopali debent benedictione firmari.

Conscientiæ cruciatus ob munus acceptum.

Eccl.4 v 36.

Act.20.v.35.

Esa.33.v.15.

Auaritia viscus est.

EPIST. XXXII. Ad suos Eremitas Monasterij Gamugnensis S. Barnabæ.

ARGVMENTVM.

Monachos in vicini sibi montis eremo commorantes reprehendit, quod quasdam leges à se in eorum monasterio constitutas prorsus negligerent, & violarent, quodque in quibusdam rebus sæcularibus scandalum afferrent. Eosdem quoque, quod terrenarum diuitiarum cupidiores essent, quodque cibis delicatioribus vterentur, quàm eorum arcto viuendi instituto conueniret, grauissimè perstringit. Ad extremum quanta sit cautio adhibenda, in iis rebus, quæ à maioribus rectè constituta sunt, euellendis, nonnullorum infælici Monachorum exitu ostendit.

Fratribus in Gamugni Eremo constitutis, Petrus peccator Monachus salutem.

Prou. 10. v. 1. *Ibid. v. 5.* FIlius sapiens, ait Salomon, lætificat patrem, filius vero stultus mœstitia est matris suæ. Qui rursus ait: Qui congregat in messe filius sapiens est; qui autem stertit in æstate, filius confusionis. Hoc ergo cur dicam, aperiam: Vir quidam à Mediolanensi Vrbe progrediens, dum me quæreret, per vos transitum habuit; sed & habitare vobiscum, vt ipse professus est, sub eo nomine concupiuit. Qui dum lassus itinere, moram velut quiescendo, protraheret, sed ab explorationis vestræ custodia clausos oculos non haberet, nescio, quos vestrum aniles nugas, & otiosa deliramenta perpendit profundere, & cum laicis scurriles iocos, & ludibria vidit vrbana miscere. Vnde factum est, vt non modo nos, nostrumque propter vos contubernium omne contemneret; sed & ipsum conuersionis animum, quantum potuit, funditus † amisisset. Apertè scilicet vita nostra fructificat, vt non modo per anfractus, & inuia à iustitiæ tramite semper ipsa declinet; verum etiam à diuini cultus egressu per suæ prauitatis exempla deturbet. Satis planè vigilanter attendimus, quod per exprobrationem Prophetæ minitantis audimus: Per vos nomen Dei blasphematur. Illud etiam, quod de filijs Heli Scriptura testatur: Erat, inquit, peccatum puerorum grande nimis coram Domino, quia detrahebant homines à sacrificio Dei. Porro autem quam plurimi sunt, qui sic in turbulenti sæculi, tamquam in spumosi maris procellis, ac fluctibus ventilãtur: vt nisi ad quietum huius sacri ordinis se conferant portum, nulla ratione confidant propriæ salutis euadere posse naufragium. Quanti ergo sanguinis reus

Paucorum indisciplinatis moribus totus ordo religiosus contemnitur.
† amitteret.
Esa. 52. v. 5.
Rom. 2. v. 24.
1. Reg. 2. v. 17.

est, qui sub sacri habitus schemate talem se per susceptæ professionis incuriam exhibet, vt quærentes accedere, peruersè viuendo, disturbet? Euangelica illi nimirum sententia congruit, qua dicitur: Qui scandalizauerit vnum ex his pusillis, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Tolerabilius enim fuerat, vt solus in eius, quem reliquit mundi vertigine rotaretur, quàm multos nunc à salutiferæ stationis reuocaret accessu. Si ergo vita nostra tam praua videtur, & squalida, vt etiam carne vestitis hominibus fœteat, qualis putas est Angelis, qui iugiter semper eminent in spiritualis munditiæ culmine? qualis Deo, qui & ipsam superat Angelicam dignitatem? Vnde & illud formidolosè pensandum est, ne illos, qui ad custodiam nostram deputati sunt, Angelos vitæ nostræ fœtor offendat, vt potius apud Deum conqueri, quàm sua nos debeant attestatione tueri.

Religiosorũ vita irregularis sęcularibus perniciosa.
Matt.18.v.6.
Pœnis digna, & Deo, Angelisque odibilis
Angelos custodes offendit.

Illud quoque de sanctitatis vestræ præconiis notitiæ nostræ superaccessit, quia pleraque capitula ad continentiæ pertinentia disciplinam quæ inter vos regulariter constituimus, ita nunc obliuioni sunt tradita, ac si deliro cuilibet fuerint obliuioni mandata: videlicet, vt vinum vtroque quadragesimali tempore non bibatur, non piscis edatur; vt nisi præcipuis festiuitatibus, molis legumina non terantur; vt vespertinæ refectioni pulmentarium non paretur, vt oleastræ frixuræ rarissimè concedantur, & multa similia, quæ magis colenda, quam scribenda decernimus. Nec mirũ, si hoc, me nunc procul agente, præsumitur, cum orno videlicet sub ipsa natiuitate Dominica, me præsente, sed nesciente, mulsum melle, simul & diuersis pigmentorum generibus parabatur. Quod, vt agnoui, tãto magis prodigij nouitate percussus, exhorrui; quanto id in Eremo factum ne audisse me quidem catenus contigisset. Verum ista dicentes, nec cum illis nos sentire quis iudicet, qui prohibẽt à cibis, quos Deus creauit: nec Apostolicæ contrariæ sententiæ, qua nos manducare præcipit, quæcunque apponuntur: & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Aliud est enim, quod creaturas Dei bonas indifferenter asserimus: aliud, quod pudicitiæ, sobrietatique seruandę, castigatione corporum prouidemus. Bonum erat quippe in paradiso lignum à bono scilicet Opifice conditum: bonum nihilominus non fuit manducare, eodem instituente præceptum; sed dum bonum bono non benè iungitur, mors protinus ex virulento semine superbiæ generatur. Quod enim bonum fuerat per naturam, malum factum est per inobedientiæ culpam: & quod ab Auctore fuerat salubriter interdictum, hoc lethale factum est homini per vsurpatæ libertatis arbitrium. Hoc primi hominis peccatum, fratres mei, vt cum pace vestra loquar, vos iterare vsque hodie non desinitis, si quod vobis inhibitum est, per pruritum lenocinantis illecebræ degustatis. Quotiens enim ad hunc cibũ manus inobedientiæ tẽditur, totiẽs

Castitatis adiumenta non prætermittenda.
1. Cor.10.v.27
1. Tim.4.v.4.
Creaturæ per malum vsum malæ nobis fiunt.
Gen.2.v.17.
Inobediens Monachus Adamum imitatur.
S. Greg.

proculdubio primi parentis culpa iteratur, & semen stirpis erumpit cõsequenter in ramis. Sic, profluente vena, riuus fonti, tractus respondet origini.

Hoc etiam me non leuius mouet, quia prætergresso nihilominus inobedientiæ limite, eleemosynas à sęcularibus indifferenter accipitis, possessionis vestræ funiculos inhianter extenditis: &, vt cuncta breuis sermo concludat, in occulto, simul & publico fieri diuites festinatis. Hæc autem facientes, amarissimis nos terræ concupiscentiæ motibus laceratis: non solum vobis, sed & posteris vestris dulcedinem quietis adimitis, curarum sæcularium vos laqueis innodatis: &, quod deterrimum est, pugnandi semper cum sæcularibus, vel potius materiã seruiendi constituitis, non considerantes illud egregij Prædicatoris, quod veris abrenunciatoribus ait: Habentes alimenta, & quibus tegamur, ijs contenti simus. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueos diaboli, & tentationes, ac desideria multa inutilia, & nocua, quæ mergunt hominem in interitum, & perditionem; vbi & sequitur: Radix omnium malorum est auaritia, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Enimuero dona, vel oblationes ab iniquo suscipere, quid est aliud, quàm propriam animam ex datis squalore fœdare? Hinc enim scriptũ est: Immolantis ex iniquo oblatio est maculata, & non sunt beneplacitæ subsannationes iniquorum. Et rursum: Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationibus iniquorum, nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur pro peccatis. Et reuera, quid prodest iustum orando ædificare, quod prauus festinat, peruersè viuendo, destruere? Vnde & per eundem Sapientem dicitur: Vnus ædificans, & alter destruens: quid prodest illis, nisi labor? Vnus orans, & vnus maledicens: cuius vocem exaudiet Deus? Porro autem ad quid diuitiarum lucra cõgerimus? an quia hæc in nostros vsus expendere, natura modico contenta, prohibente, non possumus, in quos prodigi valeant, anxia semper sollicitudine perquirimus? Interim autem in earum contemplatione, solas infælicium oculorum nostrorum illecebras pascimus, cùm eas intorquere in nostræ necessitatis impendia non valemus. Vnde & Salomon cum præmisisset: Auarus non impletur pecunia, & qui amat pecunias, fructus non capit ex eis; protinus intulit: Vbi sunt opes multæ, multi & qui comedunt eas. Et quid prodest possessori, nisi quod diuitias cernit oculis suis? Quod autem diuitiæ possidẽtibus ingerant solicitudinem, nec eos quiescere securè permittant, audiant Monachi, quorum certè professio non solicitudini militat, sed quieti: Dulcis est, inquit, somnus operanti, siue multum, siue parum comedat. Saturitas autem diuitis, nõ sinit eum dormire. Præterea, tametsi homo violenter, aut furtiuè non rapiat, etiam si nequaquam mentiendo, vel circumueniendo decipiat, non leuiter tamen peccat, si dumtaxat alienam rem simpliciter concupiscat. Vnde quoque in catalogo decem præceptorum ponitur:

Quomodo se Religiosi gerere debeant in petendis eleemosynis à sæcularibus.

1. Tim. 6. v. 8.

Auaritia quæ mala afferat.

Qui dona ab iniquis suscipit, seipsum maculat.

Eccli. 34. v. 21.

Ibid. v. 23.

Ibid v. 28.

Eccles. 5. v. 9.

Ibid. v. 11.

Non concupiſces rem proximi tui. Quis autem reatus ſit alieni iuris ambitio, vt ex induſtria multa prætercam, vno B. Petri docetur exemplo Nemo, inquit, veſtrûm patiatur tamquam homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Qui enim inter homicidas, fures, atque maledicos, qui regnum Dei profecto non poſſident, appetitorem facultatis alienæ conſtituit; quàm graue crimen, quamque damnabile ſit, ex collatione ſimilium euidenter oſtendit. Quod etiam lucidius cernitur, ſi quod his verbis ſubiunctum eſt, ſubtiliter attendatur. Nã protinus addidit: Si autem vt Chriſtianus, nõ erubeſcat: glorificet autem in iſto nomine Dominũ: quoniam tẽpus eſt, vt incipiat iudiciũ de domo Dei. Vt ergo de aliena appetentibus diſſeramus, non ſicut Chriſtianus, ſed ſicut Antichriſtus proculdubio patitur, qui dum alienis ſubſtantijs inhiat, ingruentis eum aduerſitatis ſolicitudo perturbat. Chriſtus enim venit ſemetipſum, & cæleſtem gloriam tradere: Antichriſtus autem veniens, animas hominum, pretioſam videlicet ſubſtantiam, conatur auferre. Si ergo qui aliena appetit, Chriſtianus non eſt, qua ratione monachus dicendus eſt.

Deut. 5. v. 21. Aliena appetere eſt graue crimen. *1. Pet. 4. v. 15.* *Ibid. v. 16.*

Notandum tamen, quia quiſquis non ſceleratis, ſed honeſtioribus viris aliquid hoc ſtudio tollit, vt ſubſidia fratribus in egeſtate prouideat, vel pio cuilibet operi ſumptus exhibeat: ſiue etiam, quod inſignius eſt, pauperibus in neceſſitate ſuccurrat; hic non dicendus eſt aliena impudenter appetere, ſed potius, quæ communia ſunt, à fratribus in fratres iuſtè transferre. Ad hoc enim vnus cęteris ditior eſt, vt non ſolum commiſſa poſſideat, ſed vt non habentibus, eroget: & non tam piè, quàm iuſte, miniſter ipſe, non dominus, quæ ſunt aliena, diſpenſet. Vnde Propheta cum diceret: Diſperſit, dedit pauperibus: non addidit, munera eius: ſed, iuſtitia eius manet in ſęculum ſæculi. Hinc etiam, cum de exhibendis eleemoſynis Dominus loqueretur: Videte, inquit, ne faciatis iuſtitiam veſtram coram hominibus, vt videamini ab eis. Quod autem eleemoſynæ largitatem hîc præcipue iuſtitiam vult intelligi, inſinuat ipſe, cùm præſto ſubiungit: Cum facis eleemoſynam, noli tuba canere. Ita iuſtitia eſt, quæ aliena ſunt, reddere. Quapropter qui diuitibus auferens, indigentibus exhibet, non alienorum dicendus eſt appetitor, ſed bonorum potius communium diſtributor. Hæc autem breuiter diximus, vt inter alienorum appetitores, & fideles diſpenſatores eſſe diſtantiam monſtraremus: ne videlicet aliquando ſe ſub colore virtutis, vitium palliet: vel rurſus virtutis intimæ puritatem, falſum vitij nomen obſcuret. Giezi ſanè puer Eliſęi, ſi Prophetarum filijs, vt mentitus eſt, argenti talenta ſuſcipiendo, conſuluiſſet, nequaquam ſubeundæ lepręſententiam pertuliſſet. Nam idcirco plaga percuſſus eſt, quam dator amiſerat: quia non ad hoc aliena ſuſcepit, vt in opus pietatis expenderet, ſed vt ſuæ concupiſcentiæ ſatisfaciens, proprij iuris poſſideret peculium. Vnde vir Dei poſtquam eum dignè corripiens, ait: Nonne cor meum in præſenti erat, quando reuerſus eſt homo de curru ſuo in

Bonorũ oblationes in pauperum vtilitatem recipi poſſunt. Diuites ſunt pauperum miniſtri. *Pſal. 111.* *Matt. 6. v. 1.* Verbum, aufero, ita vſurpat S. Doctor, vt non inuitis diuitibus, ſed ipſis volẽtibus, aliquid accipiendum intelligat nam iniquis diuitibus bonos opponit, ab ijs munera accipi negauerat, ab ijs concedit in pauperũ vtilitatẽ. Giezi cur lepra percuſſus. *4. Reg. 5.*

occursum tibi? mox addidit: Nunc ergo accepisti argentum, & vestes: vt emas oliueta, vineta, & oues, & boues, & seruos, & ancillas: sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo vsque in sempiternum. Giezi porro semen sunt, qui ea, quæ in opus pietatis impendenda susceperant, sibimet in posterum noxiè profutura conseruant. Ignobili namque, atque degeneri parenti responsura posteritas, dum sumptus supernos in sua transferre lucra conatur, alieni proculdubio sceleris lepra perfunditur. Nec prætereundum, quod illic dicitur: Et regressus est ab eo Giezi leprosus, quasi nix. Nix enim alba, sed frigida: hypocrita nempe, qui se per sanctitatis adumbratę figmentum transfigurat in Angelum lucis, nullis inferuet æstibus charitatis: atque ad instar niuis, simul est albus, & frigidus; quia pijs quidem se deseruire operibus simulat, sed viscera solidę pietatis ignorat. Quid plura commemorem? Dixi præsens, dico nunc absens, tandem tamen vtrobique perficiens: Spernite diuitias, ne perpetuo mendicetis: estote voluntarie pauperes, vt sine fine regnetis. Beati, inquit, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnũ cælorum. Et Salomon ait: Qui odit auaritiam, longi fient dies eius. Et iterum: Non proderunt diuitiæ in die vltionis? † Tristitia autem liberabit a morte. Et rursus: Melior est pauper in simplicitate sua, quam diues prauis itineribus. Et alibi: Vir, qui festinat ditari, & alijs inuidet, ignorat quod egestas superueniet ei.

[Margin: Oblata in opus pietatis, in proprium commodum transferre indignum est. — Hypocritæ cur niui similes. — Pauperum fælicitas. — Matt. 5. v. 3. & Luc 6. v. 20. — Prou. 28. v. 16. — Prou. 1. v. 4. — † iustitia. — Prou. 28. v. 6. — Ibid. v. 22.]

Pruritum præterea gulæ frenum cohibeat disciplinæ. In cassum namque conatur ædificare fastigiũ, qui in arena, quæ dissilit, collocat fundamentum. Qui virtutum lapidibus festinat atrium sublime construere, prius esse necesse est inhorrentia carnalium delectationum dumeta purgare. Vnde per Salomonem dicitur: Diligenter exerce agrum tuum, vt postea ædifices domum tuam. Ille quippe bene domum mentis ędificat qui prius agrum corporis a spinis vitiorum purgat: alioquin si desideriorum, passionumque carnalium sentes in carnis agro pullulare sinuntur, fame boni crescente, tota intus virtutum structura collabitur. Hinc rursus ait: Per agrum hominis pigri transiui, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleuerant vrticæ; operuerant superficiem eius spinæ, & materia lapidum destructa erat. Quid enim ager, vel vinea pigri hominis, nisi caro cuiuslibet otiosi in spiritualis agriculturæ laboribus desudare nolentis? Quid autem vrticæ, nisi gulæ prurigines, & carnales illecebrę? Quomodo denique spinę sunt, nisi passionum carnaliũ punctiones? Quid postremo maceria lapidum, nisi charitate media cum permixta cohærentium structura virtutum? Ager ergo pigri, & stulti hominis, vrticis, spinisque repletur; cum caro cuiuspiam otiose viuentis, non per disciplinam continui laboris excolitur, sed in voluptatis, atque lasciuiæ mollitur desiderio, & enutritur. Lapidum quoque maceria labefacta diruitur, quia tota virtutum fabrica, velut impactis incontinentiæ arietibus, dissipatur. Princeps enim coquorum destruxit muros Hierusalem. Coquorum autem Princeps iure asseritur

[Margin: In perfectionis studio a mortificatione delectationum carnaliũ incipiendum. — Prou 24. v. 27. — Ibid. v. 30. — 4. Reg. 25. v. 9.]

venter, cui nimirum a coquis laborioso opere seruitur. Quisquis ergo desiderat spiritualium segetum vbertate ditescere; desudet nunc agrum sui corporis disciplinæ, ac continentiæ vomere continuo labore sulcare: & tamquam noualium suorum glebas, sarculo † sapiente, confringat: dum quidquid durum, dum quidquid infœcundum, in se reprehenderit, iugis pœnitentiæ contusionibus terat: nec desinant gulæ prurientis vrticas, atque inhorrescentes carnalium desideriorum vepres radicitus extirpare, quo vberes prouentus spiritualium segetum valeant sui cordis rura proferre. Vnde & idem Salomon ait: Qui operatur terram suam, saturabitur panibus: qui sectatur otium, replebitur egestate. Ad hanc sane agriculturam Iosue allegoricis exhortationibus prouocabat filios Ioseph: Si populus, inquit, multus es, ascende in siluam, & succide tibi spatia in terra Pherezæi, & Raphaim, quia angusta est tibi possessio montis Ephraim. Cumque ibi cōquererentur, & dicerent: Non poterimus ad montana conscendere, cum ferreis curribus vtantur Chananæi, qui habitant in terra campestri. Respondit Iosue: Populus multus es, & magnæ fortitudinis, non habebis sortem vnam, sed transibis ad montem, & succides tibi, atque purgabis ad habitandum spatia: & poteris vltra procedere, cum subuerteris Chananęum, quem dicis ferreos habere currus, & esse fortissimum. Quæ nimirum multis indigentia verbis exponerem fortassis, si non mihi meta compendij epistolaris obstaret: hoc tantum, quasi summotenus perstringendo sufficiat: quia, cum Iosue præcipit populo siluarum condensa succidere, hoc innuit, quod noster Iesus, eiusdem scilicet nominis, sequentibus se iubet male pullulantis siluescentium vitiorum frutices extirpare. Hortatur, vt non fœdera, sed bellum contra Chananęos, gerant, vt montana conscendant, quatenus & vitiorū elaborent debellare barbariem, & arduum virtutum festinent obtinere cacumen. Porro autem, quod illi pusillanimiter conqueruntur aduersus eos, qui ferreis vtebantur curribus, se non posse consurgere, hoc est, quod nos imbecilles, & fragiles sępe diffidimus, tamquam ferreos currus, sic aduersantes malignorum spirituum impetus substinere. Nam, cum petulantia gulæ, vorago luxuriæ, omniumque vitiorum pestes, tamquam frementium Chananęorum acies, constipatis aduersum nos cuneis, conglobantur: quid aliud, quam Chananęi nos ferreis curribus impetūt &, ne de carnalis vitę campestribus, ad virtutum valeamus excelsa conscendere, salutis nobis aditus intercludunt? Sed bonus militiæ nostræ Dux imbecillitatem nostram ad fortiter agendi constantiam erigit, & contra hostium impetus, vt in altiora progrediamur, impellit. Sed quomodo de inimicis nostris triumphum possumus obtinere, qui semper in epulis, semper in poculorum affluentium volumus ingurgitatione iacere? De quibus vtique Salomon ait: Qui diligit epulas, in egestate erit: qui amat vinum, & pinguia, non ditabitur. Et iterum: Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas: qui his delectatur, non

† sarriente

Prou. 12. v. 11.
Ios. 17. v. 15.
Ibid. v. 16.

Iosue pugna contra Chananæos figura est nostrę cū passionibus, ac dæmonib⁹.

Prou. 21. v. 17.
Prou. 20. v. 1.

Ventri indulgere est hostibus aditum aperire.
Prou. 29. v. 21.
1. Cor. 9. v. 27.
1. Cor 6. v. 13.
Philipp. 3. v. 18.

erit sapiens. Ventrem namque vino, & epulis assuescere, quid est aliud, quàm hostibus animæ, vt ingrediantur, aditus aperire? Vnde & idem Salomon. Qui delicatè, inquit, à pueritia nutrit seruum suum, postea illum sentiet contumacem. Bene hunc seruum loris cohibebat inediæ, qui dicebat: Castigo corpus meum, & seruituti subijcio. Aduersus hunc seruum disputabat, cum diceret: Esca ventri, & venter escis: Deus autem & hunc, & illas destruet. Hunc seruum sub calcibus esse frænandum significabat, cum diceret: Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis: nunc autem & flens dico, inimicos Crucis Christi, quorum finis interitus, & quorum Deus venter est, & gloria in confusione eorum. Notandum autem, & hîc duo terribilia dici, & in inimicos Crucis Christi tremendam depromit idem Apostolus sententiam, dicens: Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit Anathema, Maranatha. Qui verò ventrem pro Deo veneratur, Deum quodammodo negare conuincitur: ac per hoc duo hæc terrore plenissima videntur, vnum videlicet, quod absit, & Christi inimicum esse, & vnum Deum alium colere.

Cibos nimios curare, est ventrem colere.
1. Co. 16. v. 22.

Monachi abstinentiam regularem transilientis mors.
Deuter. 8. v 3.
Matt. 4. v. 4.

Duo fratres, alter iuuenis, alter verò senex in possessione Classensis monasterij, quæ Rauenniana dicitur, ad custodiam morabantur. Octaua sane die ante natiuitatem Domini, sexta scilicet feria, quæ sabbatum duodecim lectionum ex more pręcedit, dixit iuuenis ad seniorem. Frater Leo, sic enim vocabatur, quomodo viuemus hodie? Cui senex, viue, inquit, vt velis. Ego enim & vinum bibam, & in solo, vt scriptum est, pane non viuam. Erat autem ille vegetus, & obesus: incolumis, & robustus. Factum est, apposita mensa, vterque discubuit; sed iste pane contentus, & aqua, sub regularis se ieiunij disciplina cohibuit: ille vero vinum sibi, & insuper, quod videbatur indulsit: qui profecto, si quod imminebat, agnosceret, rigorem abstinentię ad petulantis gulæ lenocinium non molliret. Octaua siquidem die, cum Dominicę natiuitatis gloria, mundo tripudiante, claresceret, ille defunctus est: & cum festiuitatis inuitante lætitia, cęteri prouocarentur ad mensam; ille efferebatur, flentibus vndique propinquis carnalibus, ad sepulturam.

Gulæ vitium pollutio sequitur.

Prou. 29. v. 21.
Ioan 13. v. 27

Quidam mihi monachus retulit, quia dum frixuras quasdam in Refectorium deferret in vasculo, prurientis eum gulę stimulus pupugit: moxque sibimet vnam in os proijciens, furtiuè comedit. Sed illico cum tantus libidinis ardor inuasit; vt, quod numquam eatenus fecerat, nulla se ratione comprimeret, donec immundicię fluxum semen sibi proprijs manibus eiecisset. Hic itaque seruum suum merito contumacem sensit, quia, iuxta viri Sapientis eloquium, molliter enutriuit, de quo iure dici potest, quia post bucellam, introiuit in eum Satanas. Nimirum venter, & genitalia inuicem sibi vicina sunt: & cum hoc in cute reficiatur, illud ad contumelias excitatur. Quapropter extinguatur auaritia, vt libe-

vt liberi simus a saecularibus, & quieti. Gulae reprimatur edacitas, vt sincerae valeamus esse castitatis victores conspicui. Otiosa ex ore nostro verba non profluant, sed superfluis omnibus rigida diuini terroris nos semper censura compescat. Pudeat itaque in intestini huius belli congressu, ingruentibus aduersarijs, enormiter cedere; sed potius enitamur Auctori omnium triumphos, & gloriae insignia reportare.

Praeterea quod quaedam, sicut superius dictum est, a nobis inter vos regulariter constituta, nunc autem obliuioni tradita, ac negligenter omissa, & nos moeror non leuis exasperat, & vos offensio non parui reatus accusat. Quod enim, me ordinante, semel admitti placuit, nisi me praebente consensum, numquam debuit violari. Quidquid enim publica inter multos censura statuit, aut a cunctis omnino seruandum, aut si violari conueniat, communi debet iudicio retractari: alioquin si ad personae cuiuslibet arbitrium frangitur, vt graui, dignum est, animaduersione plectatur. Achar nempe filius Charmi, quia contra commune mandatum, manus ab Anathemate Ierico non cohibuit, post iactus lapidum, etiam conflagrationem ignium non euasit: vt qui facibus incanduerat auaritiae, flammas quoque propria carne depasceret in animaduersione vindictae. Ionathas autem mortis sententiam metuit, quia decretum in commune prolatum, edendi tempus anticipãdo mutauit. Homo quoque ille, qui per desertum praesumpsit in die sabbati ligna colligere, quia solus excessit commune mandatum, lapidibus obrutus solus expendit digna morte supplicium. Non quia crimen est in necessitate ligna colligere: sed quia non leuis est criminis, semel admissam decreti regulam per inobedientiam violare.

Quae omnium consensu recepta sunt sine vitio, ac poena violari non possunt.

Ios. 7. v. 25.

1. Reg. 14. v. 43

Num. 15. v. 36.

Vt autem ex domesticis quoque praebeamus exemplum, in monasterio B. Vincentij, quod non procul a monte, qui dicitur Petra pertusa, cernitur constitutum, hoc tamquam regulare constitueramus edictum, vt sub districti censura rigoris quadragesimale celebraretur initium: nimirum, vt per triduum nonnisi modicum panis cum aqua omnes fratres comederent: nulla nisi lectionum, siue ordinum verba proferrent: nudis pedibus lugubres, ac moerentes incederent: expleto communi modulatione Psalterio mutua se scoparũ castigatione purgarent. Quod cum fratres voto, & animo, ac spirituali iucunditate non segniter agerent & vltra etiam, quod praefixum erat, satis superque peculio bonae voluntatis agerent: quidam inter eos extitit, qui clam in edendo regulam violauit. Erat autem ille frater multis exercitiorum artibus pollens, scribendi videlicet, & notandi, tornandi, insuper & fabricandi, vt hoc illi quodam modo congruere videretur: *Augur, Schoenobates, medicus, magus omnia nouit*: atque vt talibus assolet, multarum necessitatum suffultus, eritia, quod libebat, plerumque impune licebat. Cum iam mediaret Quadragesima, ille vegetus, obesus, alacer, atque robustus per omnia videretur, repente illi leuis, ac temperata grauedinis molestia superuenit: at cum ego ad illum gratia visitationis accederem, illico venit in mentem

Monast. S. Vincentij ex Petra pertusa. Quadragesimalis initij ceremoniae.

Iuuen. sat. 3.

vt ei dicerem, quod me audisse contigerat, illum quidem pro quibusdam offensionibus non debere sacrosanctis altaribus ministrare: cum tamen exasperare formidans, diu, fateor, hæsi, diutius deliberaui. Quid plura? Tandem obduraui frontem, arbitrans, ac definiens, tutius esse hominem, quam Dei omnipotentis offendere maiestatem. Aio ergo ad eum: Charissime frater Maure (hoc enim nomine vocabatur) confitere, pœnitentiam age: & si quid est in te, quod fortassis a tremenda Missarum te celebratione prohibeat, venerabilis tua fraternitas sacris obtemperare canonibus non contẽnat. Ad quod ille: peccata mea omnia quam plurimis spiritualibus viris innotui, sed mãdatum, vt à sacrificandi ministerio recederem, non accepi. Secunda autem ęgrotationis die, vix diescente crepusculo, ecce ille non iacens, sed sedens in lectulo Sacramentum Dominici corporis anxiè flagitabat. Cumque Abbas nobiscum, simul ac reliquis fratribus, lecto discumbens, assisteret, cœpit eum corripere, cur videlicet is, qui nulla mortis signa prætenderet, tantopere viaticum postularet. Ille vero nihilominus in sua petitione persistens, Sacerdote iam cum ministris accedente, applicans sibi vnum ex fratribus nescio quod graue peccatum confitens, insusurrauit in aurem. Continuo ille attonitus, vt postmodum mihi retulit, & certum pœnitẽdi calculum quem præfigeret tam subito nesciens: licet addubitans, auriculatorie subloquens, quindecim sibi annos pœnitentiæ indixit. Mox autem vt sacro sanctum mysteriũ de manu sacerdotis, accepit, heu, proh dolor! horresco referens, cum felle simul & animam exhalauit, quod videlicet fel vsque ad sepulturam ex ore eius effluere non cessauit: adeo vt donec in feretro corpus iaceret exanime, iugiter sanies illa pauimentum Ecclesiæ longius irrigaret. Hoc autem, iuxta fidem rei, iccirco referre curauimus, vt audiãt, & pertimescant nõ solum ij qui indictam disciplinæ regulam per propriæ † voluptatis impatientiam frangunt: sed & illi quoque, qui crimen admissum sub conscientiæ suæ vberibus confouentes, confiteri ad obitum præstolantur: quia & isti rei sunt qui seruanda postponunt, & illi debitum peragendæ pœnitentiæ, quod hic non reddunt, aucto proculdubio fœnore, in altera durius vita persoluunt.

Monachus quidam pessime moritur, quod pœnitẽtiam distulisset.

† voluntatis f.

Dicam & aliud, quod in pręfato contigit Monasterio. Statutum erat, atque iam per triennium fere seruatum, vt cum horis canonicis quotidie B. Mariæ semper Virginis officia dicerentur. Erat autem inter eos Gozo habitu monachus; reprobę quidem vitę, sed dicacis, & accuratæ facundiæ. Hic cœpit conqueri, satis superque sufficere, quod sanctus præcipit Benedictus, nec nouę adinuentionis pondus debere superponi, nec nos esse antiquis Patribus sanctiores: qui videlicet hęc superstitiosa, ac superuacua iudicantes, psallendi nobis metam omnemque viuendi regulam præfixerunt: hac sane debere nos esse contentos, ne ab illa incautiùs declinãtes, per anfractus, & inuia ducamur erronei. Quid plura? Contra Reginam mundi præliari visus est, & confecit: ad hoc ni-

mirum fratres versuta machinatione pellexit, vt solitas Beatæ Mariæ laudes vlterius non offerrent. Sed ô diuinum iudicium a nostræ prauitatis intuitu non dormitans! Mox enim aduersus prefatum monasterium tot aduersitatum grandines, tot vndique bellorum, atque conflictuū exortæ sunt tempestates: vt ipsis quotidie monachis minaces gladij necis exitium intentarent. Fiunt vndique deprędationes, atque rapinæ, conflagrantur cum segetibus areę, familiares, ac serui sancti loci crudeliter trucidantur: & non iam imago mortis, sed mors ipsa grassatur: adeo vt tæderet iam monachos viuere, dum nequaquam possent in procinctu certaminis amicum quieti suæ professionis officium custodire. Nō paruis expensis ad Teutonum partes Imperator expetitur, pragmaticæ sanctiones cum † singulis imperialibus aduehuntur, sed tantumdem est. In omnibus quippe studijs non fructus, sed labor superuacuus. Vnde cum ego petitione fratrum sæpe pullarer, quatenus sequester accederem: & si possibile esset, pacis inter eos fœdera continuarem: hac rogantibus voce respondi: Christus, inquam, est pax nostra, de quo etiam de Virgine recens nato, Angelitus dictum est, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax. Quia ergo Matrem verę pacis de suo monasterio proiecerunt, dignum est, vt inquietis calamitatum, tribulationumque procellis, atque turbinibus agitentur. Verum ne lectorem diutius protraham, fratres illi hæc, quæ dixeram, non dubijs erumpentibus signis, vera probantes in arcto siti, tandem ad cor redeunt, pauimento se humiliter sternunt ac percepta pœnitentia, numquam se de cętero neglecturos, solita genitricis Dei præconia vnanimiter pollicentur. Mox itaque, vt fatear, ita post coruscos, atque tonitrua, tanta cæli serenitas redijt: vt ex tunc vsque hodie fratres iucundæ pacis otio perfruantur: ac de Scyllęa voragine se delatos ad portum, gubernante Filio virginis, gratulentur. Impletum ergo est, quod per Prophetam dicitur: Reuertimini ad me, & ego reuertar ad vos, dicit Dominus. Qui ergo facile Seniorum suorum statuta conuellunt, ista considerent: & ne diuini furoris super eos gladius veniat, non sine causa formident.

Monasterium diuinitus affligitur ob intermissum B. Virginis officium.

† *signis.*

Luc. 2. v. 14.

Culpā humiliter expiantibus, & B. Virginis horas persequentibus, pax orta est.

Mal. 3. v. 7.

Parcite ori meo, dilectissimi fratres, & si fortassis in aliquo limitem modestæ correptionis excessi, zelo potius fraterni amoris adscribite, quàm liuoris. Mementote, quod per Salomonem dicitur: Melior est manifesta correptio, quam amor absconditus; meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis. Et iterum: Viro, qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus superueniet interitus, & eum sanitas non sequetur. Animarum medicus omnipotens Deus dilectissimi, hoc mei sermonis absynthium, vobis in dulcedinem vertat: & quid quid in vobis est frigidum, quidquid obscurum, flamma sui spiritus, mirificus illustrator accendat.

Prou 27. v. 5.

Prou. 29. v. 1.

EPIST. XXXIII. Ad eosdem Gamugnensis Monasterij Eremitas.

ARGVMENTVM.

Eosdem Monachos ad ieiunandum sabbato, in sepulturæ Christi honorem, hilariter & deuote, sicut tribus alijs per hebdomadam diebus solebant, hac Epistola cohortatur, vtilitates eiusdem ieiunij, & meritum ante oculos proponens.

Sanctis Fratribus in Gamugni Eremo constitutis, Petrus peccator Monachus pacis osculum in spiritu sancto.

PEnsualium conductores ædium vel procuratores agrorum, dum dominis suis placere desiderabiliter ambiunt, exactionum canones minui, villicatus sui tempore, non permittunt: nos etiam, quibus non quarumlibet rerum, sed animarum vestrarum est commissa custodia, valde pertimescimus, si frugum vestrarum reditus, qui dominicis inferebatur horreis, sub nostra cura minuitur: si sanctę seruitutis vestræ pensum per nostram, quod absit, conniuentiam non impletur. Quidquid enim in hoc mundo laboratur, in vsus proficit hominis, solus autē animarum fructus vsibus deseruit Auctoris. Eo ergo formidolosius diuinum cogimur expectare iudicium, quo rationem debemus, non de segetibus in secessuum mox cuniculos digerendis: sed de animalibus potius, quę sui repræsentant imaginē Conditoris. Non planè ad ratiocinium ducimur de noualibus, quæ vomeribus sunt, & cultris obnoxiæ: sed de rationalibus terris, quæ suscipiendis sunt cęlestis eloquij seminibus excolendæ. Sicut ergo nobis timendum est qui circa vestrā iubemur inuigilare custodiam: ita & vos cum magna lætitia cordis, ad propositam sanctis laboribus vestris debetis anhelare coronam: nec minuere, quod cœpistis; sed pondus leuigare prospiciendo, quò tenditis. Inter cæteros autem flores sanctæ vestræ conuersationis, & studia pietatis suggero charitati vestræ: vt quatuor per hebdomadam diebus consueta ieiunij regula teneatur: & præcipuè sabbatum, quod in quorumdam mente iam iam vacillat, nisi a debilibus, non soluatur. Noui plane, quod trium dierum sine pugna, & disceptatione ieiunia transiguntur: sabbato autem mens infirma, & tepida paulatim incipit in quodam abstinendi, vel edendi meditullio nutare: & tāquam in biuio constituta, quo potissime gressum vertat, ambigere: moxque a suo rigore resoluitur, mensas, patinas, calices, & quidquid edulijs cōpetit, meditatur.

Omnia seruiunt in hoc mundo ad vsū hominis, sola anima ad vsū Creatoris.

Moderatorū obligatio, & curæ.

Corpore se debilem simulat, quæ sit edendi suauitas crebris in cogitationibus versat: se seque peragendis superuenturæ noctis sufficere posse, desperat. Interea veternosus ille gulæ prurientis incentor accendit, reficiendi libidinem ingerit, venenum pestiferæ delectationis infundit, auream discretionis edocet semitã, indiscretionis astruit summopere cauendam esse ruinam; melius esse cum sobrietate comedere, quàm edendi rabiem duplicata fame nutrire. Accuratè namque hũc suæ calliditatis hamum seductor antiquus in filios injecit, qui olim ad capiendos parentes humani generis inescauit. Aculeo gulæ transfixos parentes nostros attraxerat, gulæ adhuc aditum ad capiendos nos callidus explorator obseruat. Adhibet adhuc & quoslibet assentatores ac placentarios incitat: vt hoc extrinsecus dicant, quod ille interius seminat: quatenus miser homo inter tot balistas, & machinas; inter tot telorum turbines, & missilium tempestates facilè corruat: aduersum quem videlicet, & linguarum obsidio, & cogitationum seditio conspirantes vnanimiter pugnant. Præterea nec omittendum, quod eadẽ pugna de tertia feria infirmis mentibus oritur vtroque quadragesimali tẽpore, cũ quinq; diebus per hebdomadã ieiunatur, quę fit de sabbatis, cæteris anni temporibus: quando videlicet intra quatuor dies ieiunij summa concluditur. Malignus quippè hostis, quia quadragesimale sabbatũ apud seruos Dei temerare non sufficit, tertiam saltem feriam violare cõtendit: cũ autẽ huius diei rigor amittitur, ad expugnandũ sabbatũ protinus ille transfertur; vt & antiquus aduersarius ab inferendo certamine numquam desinat, & Dei famulus occasionem victoriæ numquã perdat. Vos autem, dilectissimi, Regulam à Patribus traditã, à vobis etiã per longa iam tempora custoditam, sine causa nolite dimittere: saluberrimo cultui viuificæ etiam sepulturę Dominicæ ieiunium copulate. Enimuero tres isti dies, tres per mysterium continent temporum diuersitates, sexta feria, sabbatum, & Dominica dies, ideoque istos inter cæteros dies præcipuè obseruare debemus: duos in carnis castigatione, tertium in spiritualis lætitiæ iucunditate. Sexta quippè feria Dominus in Cruce perpendit, sabbato in sepulchro quieuit, die verò Dominica resurrexit. Quasi enim sexta feria est tota hæc vita, in qua nunc tamquam morientes viuimus, & in qua Crucem quotidie post Iesum portare iubemur: sabbatum autem, quod vtique requies interpretatur, illud significat spatium, quod est à die, qua morimur, vsque ad resurrectionis diẽ, quo videlicet ad tribunal æterni Iudicis resumptis corporibus præsentamur: Dies vero Dominicus illa post iudicium æternitas erit, quæ lucis, & gloriæ terminum non habebit. In huius ergo defluentis temporis sabbato vnus quisque nostrum suum corpus affligat, vt in illo postmodum suauiter requiescat. In hoc feruens spiritus carnis suæ blãdimẽta mortificet, vt in illo fæliciter epulaturus exultet. Hic ad Domini sepulturam cum sanctis mulieribus lugeat: vt illic eius, qui de morte resurrexit, gloriam cernat. Lugubres oculi, pallida ora, demissi vul-

Gen. 3. v. 5.

Cur tres dies in hebdomada apud Monachos ieiunare institutũ sit.

Sabbatũ quid denotet.

Dominicus dies item.

tus, inculta cæsaries, signa sint nos esse discipulos Crucifixi, vel in sepulchro iacentis; vt qui nunc cum Apostolis lugentes, & ieiunantes affligimur, eis postmodum in mellis, & piscis assi conuiuio sociemur. Vt autem qui fructus, quæuè sit vtilitas septima feria ieiunandi, non tam verbis, quàm rebus eluceat, nō ab re credimus, si etiam de nostris opusculis ad ædificationem vestram breuè aliquid mutuemur. Nam, quod dicturus sum, ibi iam scripsisse me memini, vbi de octo quondam ieiunijs disputaui: mox, inquam, vt ista conscripseram, quid mihi casu, vel potius diuino nutu, nosse contigerit, non celabo. Senior quidam frater, qui iam triginta ferè annis eremitica cellula vsus fuerat, ad me venit: & soli visionem, quæ sibi acciderat, patefecit: sæpè, inquit, Magister, in te simultatis, & iræ stimulum pertuli: quia diem sabbati tantopere, vt ieiunaretur, instabas; interea concupiui Hierosolymam pergere; cumque hoc indies desiderio feruentius æstuarem, dormienti mihi Dominica nocte, astitit in visione splendidus quidam clericus, & dixit: Frater Ioannes, sic enim vocabatur, vis venire Hierosolymam? Cui cum velle me, respondissem: protinus me illuc per somnium duxit: multaque Sanctorum sepulchra circumiens, quodque cuius esset specialiter designauit; tandem ad sepulchrum Domini, eodem duce, perueni: & ecce post sepulchrum stabat quidam Clericus serena facie, & pulcher aspectu, ceruicetenus stola candida decēter ornatus, qui dixit mihi: tu nudius tertius viuificam Crucem, hesterno quoque die sepulturam Dominicam, dum ieiunasti, veraciter adorasti. Ex hoc, remoto omni scrupulo dubietatis, agnosce, quia & sexta feria Crucem, & sabbato sepulchrum Christi verissimè celebras, & adoras, si prędictos dies orando, & psallendo ieiunas. Quo videlicet instructus oraculo, & scādalum, quod aduersum te, Pater, habuerā, perdidi: & deinceps sabbatū non minori deuotione, quàm sextam feriā, si facultas suppetat, † ieiunaui. Hæc mihi sanctus frater retulit, cū hæc, quæ scribimus, & tunc omnino nesciret, & adhuc prorsus ignoret. Hoc autem rescribere non piguit, vt si opusculum illud vobis occurrere non contingat, hoc saltem fraternitatis vestræ notitiam non euadat.

Luc. vlt. v. 24.

Epist. 35. lib. huius.

Miraculum, quo ieiunium sabbati approbatum est.

Sabbati ieiunio Christi sepulchrum adoratur.

† Ieiunabo.

Cauendum est itaque, dilectissimi, ne nostro tempore sancta vita ista tepescat, sensimque se imminuendo, quod absit, omnino deficiat. Nouimus enim de magna olim, & ardua, vix iam tenues superesse reliquias: & sicut, quod à maioribus est omissum non reparatur à nobis: ita quod apud nos per negligentiam deperit, nequaquam successorum nostrorum posteritas instaurabit; vt verum sit illud Horatij: *Ætas parentū peior auis tulit Nos nequiores, mox daturos Progeniem vitiosiorem*; sic vtique rei erimus non modo nostræ neglientiæ, sed & alienæ vitæ; dum & ipsi lacessendo deficimus, & defectus causam posteris generamus. Nam, cum eorum deses vita notabitur, ad nos præsto recurrent, nos sibi clypeum defensionis opponent: vt qui fuimus præcessores in vita, simus consequenter auctores in culpa. Neque enim meliores sumus, inquient, quā

Horat. lib. 3. carm. od. 6.

Maiorum negligentia exēplo etiam posteris nocet.

Patres nostri, quod inuenimus, arripuimus: quod didicimus, hoc & tenemus. Sicque erimus alieni corporis Apostoli; & non doctrinæ, sed obliuionis magistri; non duces ad victoriam, sed præcessores ad fugam. Mementote quod scriptum est: Væh his, qui perdiderunt sustinétiam. Et, Ego, inquit, dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum. Quare? non vtique, quia cœpistis; sed vos estis, ait, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Quamobrem, dilectissimi, hoc ab ætate nostra præcidamus opprobrium: & virtutis insigne, quod à Patribus nostris accepimus, illibatum, & integrum fideliter in filios trásfundamus. Si vita eremitica minuenda est, per alios incipiat minui: nec nos inueniamur in huius fraudis sacrilegio primi: nec cum Patres nostri huius videlicet propositi fundatores, peruenient ad coronam; nos, ipsis accusantibus, & acriter insistentibus, compellamur vltionis subire sententiam. Nam, cum illi beatorum Martyrum sint imitati cum multo sudore certamina, nos de solis Martyrum solemniis disputamus: & qui non interfuimus prælijs, de peractis gliscimus gaudere triumphis. Tota planè vita ista quodammodo Sabbatum est illius vltimæ resurrectionis: & quasi profestum nunc, atquè vigilias colimus, ad quam suspiramus, solemnitatis æternæ. Sed qui ad nuptias properat, vel epulas cuiuslibet magnæ festiuitatis expectat, ad anticipandum præcedentis horæ ientaculum nó anhelat. Nos ad illud refectionis æternæ nuptiale conuiuium inuitati, festinare iam cœpimus; & adhuc molliter, ac delitiosè viuentes, velut horam edendi legitimã præuenimus. Quid prandenti cum tumulo? Quid epulis cum sepulchro? Si sepulturam Domini cum Discipulis, non cum militibus custodimus, afferamus misturam mirrhæ, & aloes: non cacabos & lebetes. In illis siquidem amaritudo mentium, in istis autem sunt illecebræ voluptatum. Ad sepulturam sanè debemus pectora tundere, non dapibus ventres inflare: debemus mœsta lacrymis ora perfundere, non epotandis calicibus indulgere; non ingurgitari mero, sed potum cum fletibus téperare. Nec tamen hęc inconsultius, & sic absquè discretione statuimus; vt humanitatem debilibus, & valetudine laborantibus, denegemus. Veruntamen sic sibi discretionem is, qui infirmatur, indulgeat; vt salubrem consuetudinis regulam, cum conualuerit, non omittat. Sic ipse remissius viuat; vt is, qui incolumis est, in incontinentiæ suæ nihilominus rigore permaneat. Non igitur, dilectissimi, grauemur Sabbati seruare ieiunium: vt dum nunc sub castigatione corporũ Redemptori nostro consepelimur in morte, & ipsi resurgentes cum ipso postmodum epulemur in cælestis gloriæ claritate.

Eccli. 2. v. 16.
Luc. 22. v. 29.
Ibid. v. 28.

Vita nostra Sabbatum est vltimæ resurrectionis.

Matth 27. v. 66.
Ioan. 19. v. 39.
Psal. 101. v. 10.
Rom. 6. v. 4.

EPIST. XXXIV. Ad Eremitas Congregationis suæ.

ARGVMENTVM.

Vniuersis eremitis suum viuendi institutum sequentibus, inferendæ disciplinæ modum præscribit, vltra quem eis progredi non liceat: quam quidem disciplinã posthac voluntariam ad singulorum arbitrium, non, vt antea, coactam esse constituit.

Sanctis fratribus in Eremo constitutis, Petrus peccator Monachus salutem.

IN conuentu spiritualium fratrum tunc discretionis ordo congruè geritur, si moderatio Rectoris imitetur diligentiam equitis. Ille siquidem calcaribus vtitur, vt impellat: frænis, vt reprimat; stimulat equum tardius incedentem: refrænat superbè frementis vestigia glomerantem. Hoc etiam modo Præpositus fratrum & tardiores exhortationibus suis, velut quibusdam stimulis, debet impellere: & feruentius, quam necesse sit, incedentes: sub discretionis debet loro fręnare. An non quibusdam, vt ita loquar, stimulis vrgebat Moyses populum Israël, cum dicebat: Separate apud vos primitias Domino; omnis voluntarius, & proni animi offerat eas Domino: aurum, & argentum, & æs, hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum, & byssum, pilos caprarum, & pelles arietũ rubricatas, ligna Setim, & oleum ad luminaria concinnanda? An non eundẽ populum, velut immoderatè currentem, fræno moderaminis coërcebat, cum illos ab offerendis muneribus prohiberet? Scripum est enim. Quia cũ instarent operi, quotidie manè vota populus offerebat. Vnde artifices venire compulsi, dixerunt Moysi: Plus offert populus, quã necessarium est; moxque subiungitur: Iussit ergo Moyses præconis voce cantari: nec vir, nec mulier quidquam offerat vltra in opere sanctuarij. Vt igitur ad hoc veniamus, propter quod ista præmisimus, non ignoret sancta vestra deuotio, dilectissimi, quoniam disciplina ista scopatum, cui tam feruenter insistitis, sicut poterat moderata prodesse, sic agnoscitur indiscreta nocere. Propterea scilicet corpora vestra viribus effœta deficiunt, & aliquando, sicut à quibusdam creditur, tot allisionibus tabefacta languescunt: nimirum cum nonnulli vestrum vnum continuum, vel etiã duo Psalteria quotidie cũ disciplina decurrãt. Huc accedit,

Exod. 35. v. 5.

Exod. 36. v. 3.

Indiscreta mortificatio est causa morborum.

accedit, quia plerique fratres venire volentes ad eremum, cum hæc audiunt, perculsi formidine deterrentur. Et quia disciplina durior creditur, quam sentitur: & austerioris est formidinis, quàm doloris: cum eam apud vos tam longam fieri fratres quique debiles audiunt, medullitus expauescunt, & ab accessu protinus eremi reuocantur. Quamobrem, adhibito discretionis moderamine, constituimus; vt ad disciplinam sibimet ingerendam nullus in eremo compellatur: quem verò Sanctus ad hanc feruor impellit per quadraginta psalmos in vno quoque die disciplinam sibi facere liceat: ita dumtaxat, vt quadragenarium hunc psalmorum numerum non excedat. In duabus autem Quadragesimis, quæ videlicet natalem Domini, vel sacrosanctum Pascha præcedunt, vsque ad sexaginta psalmos cum disciplina procedere liceat; neque hanc mensuræ, quam præfigimus, regulam temeraria, quod absit, quisque præsumptione transcendat. Hoc itaque modo, nô quod bonum est, tollimus: sed, quod est superfluum, coërcemus. Nec salutem suam fratribus inuidemus, sed mensuram discretionis indicimus: citra quam licet vtique, si velit, affligi: vltra verò non erit licitum progredi. Et hoc facientes, non quasi nostræ vsurpamus auctoritatis arbitrium, sed diuinæ legis imitamur exemplum. Ait enim per Moysen in Deuteronomio Dominus: Sin autem eum, qui peccauit, dignum viderint plagis prosternent, & coram se facient verberari; vbi mox additur: Pro mensura peccati, erit & plagarum modus: ita dumtaxat, vt quadragenarium numerum non excedant; ne fœde laceratus, ante oculos tuos obeat frater tuus. Ecce Dominus & delinquentem vapulare præcepit, & tamen modum verberibus posuit; vt & in reum vindicta procederet, & vindictæ duritiam discretio temperaret. Hanc igitur, dilectissimi, faciendæ disciplinæ tenete mensuram, spiritum potius scopite, cæteris bonis operibus vigilanter insistite; vt Remunerator ille summus transitorio labori vestro sine fine manentia dignetur præmia compensare.

Regula B. Pet. Dam. in castigatione corporis per disciplinam.

Deut. 25. v. 2.

E P I S T. X X X V. Ad eosdem suæ Congregationis Eremitas.

ARGVMENTVM.

Eosdem Monachos suos ad celebrandas octo festiuitatum vigilias quas per indeuotionem, & abusum à plerisque suorum temporum negligi conqueritur, hac Epistola adhortatur: cum rationes, quæ in contrarium facere videbantur, ab hominibus parum pijs allatas, facile diluisset.

Sanctis Fratribus in Eremo constitutis, Petrus peccator Monachus salutem.

In rebus laboriosis pro Deo suscipiendis paucos, in voluptatibus sequẽdis multos comites inuenimus.

NAturaliter autem hoc morbo humana laborat infirmitas, vt ex continentiæ rigore facile corruat: ad virtutum verò statum, disciplinamque viuendi difficulter assurgat. Vnde fit, vt cum districtum quid pro Deo arripere nitimur; soli viam laboris, necesse est, vix aliquo comitante, carpamus: quod si nos quantumlibet ad voluptatis fluxa remittimus, vltroneos præsto ad imitandum nos quam plures socios inuenimus. Hoc dilectissimi fratres, iccircò conquerimur, quia pleraque per annalem circulum veneranda ieiunia, quæ videlicet hactenus ex antiqua Progenitorum nostrorum traditione coluimus, nunc quibusdam, nouas velut sectas introducentibus, passim negligi, & in prandiorum epulas mutata dolemus. Quæ nimirum hic enumerare, otiosum esse non ducimus: ita vt etiam rationes singulorum, cur omitti non debeant, prout Epistolæ compendium patitur, afferamus.

Cur in vigilijs assumptionis B. virginis, & B. Ioannis Bapt. natali, ieiunamus.

Age igitur, cur assumptionis B. Marię semper virginis ieiunijs non sint celebrandæ vigiliæ? quam videlicet consuetudinem vsque ad nos, immo vsque nunc proculdubio nouimus, & antiquitus tenuisse? An quia Dei Genitrix ex hac vita per martyrium non transiuit? Sed si hæc est ratio, cur ieiunari non debeant? Ergo natiuitas B. Præcursoris Christi sine causa ieiunio præuenitur, quando scilicet non hinc puer propheta migrasse per gladium, sed huc potius agnoscitur venisse per vterum. At si rei dignitas vigilanter inspicitur, iccircò vtraque hæc festiuitas dignè præmissis est excipienda ieiunijs: quia & B. Virgo molestiam carnis moriens pertulit; & B. Ioannes per conditionem nascendi ex maternis visceribus vagiendo, ac plorando processit. Merito illis per ieiunia pridiana compatimur, vt illucescentibus eorum sollemnijs, communi cum eis lætitia perfruamur: vt mœrore simul cum illis afflicti, simul epulemur etiam gaudio feriati. At fortasse dicitur, quia B. Virgo, quæ sine dolore vitæ Auctorem edidit, dolorem moriendo non sensit? Sed qua auctoritate eam quis diuinetur in corpore non doluisse morientem, cuius animam pertransierit gladius adhuc etiam in carne manentem? Pręsertim, cum & ipse Mediator Dei, & hominum moriturus dicat: Tristis est anima mea vsque ad mortem. De quo & Petrus, Quem Deus, inquit, suscitauit à mortuis, solutis doloribus inferni. Sed siue moriens dolorem non senserit, quod Deus vtique potuit: siue senserit, quod permisit: vnde, quæso, iste est pędicator epularum, & salutaris abstinentiæ inimicus, nisi ex eorum numero, de quibus Apostolus conqueritur, dicens: Multi enim ambulant, quos sæpè dicebam vobis: nunc autem, & flens dico, inimicos Crucis Christi, quorum finis interitus, & quorum Deus venter est, &

An B. virgo corporis dolores moriens senserit.
Luc. 2, v. 35.
Matt. 26. v. 38
Mar. 14. v. 34.
Act. 2. v. 24
Phil. 3. v. 18.

gloria, in confessione ipsorum, qui terrena sapiunt, Moyses, & Aaron mortis debita persoluentes, † mensurno dierum spatio singillatim quisque ab Israëlitica plebe deplangitur. Defunctum quoque Iacob tota Ægyptus lugubri septuaginta dierum lamentatione prosequitur. Tu obeunti Genitrici Dei, vno saltem die, refugis compati, vt inter eius sollemnia meritò debeas gloriari? *Deut. vlt. v. 8. & Num. 20. v. 30.* † menstruo f. *Gen. vlt. v. 3.*

Porrò de natiuitate Saluatoris non minus inhonestum quid, & indecens agitur, cum in eius vigilijs à nonnullis & si tantum cœnetur, vino tamen & diuersis coctionum apparatibus indulgetur. Planè autem panis ille ad hoc de cælo descendit, vt iam communis cibus sit etiam hominum, qui eatenus specialis tantum fuerat Angelorum: satis absurdum est, si refectione cælitus erumpente diuina, locum præsto non præbeant alimenta terrena. Et tunc vini feculenti ingurgitatio mentium nares obtundit, cum iam odor cælestis gratiæ melliflua suauitate respirat. Nam & amicum suum quisque, quem de longinquo venientem vnice videre desiderat, non epulis vacans, sed alacriter ieiunus expectat. Quamquam enim partus ille singularis doloris tædium omnino nescierit; partui tamen dolor familiariter est coniunctus. Testante Veritate, quæ ait: Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius; cum autem peperit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium quia natus est homo in mundum. Vnde non immeritò tota sancta Ecclesia, sicut morienti Christo commoritur, cum resurgente consurgit, cum cælos ascendente conscendit: ita quodammodo cum beata eius Genitrice pariente comparturit, simulque quasi parturiens, in vigilijs mœret, vt puerperio salutis effuso, cum ea simul in sancta Natiuitate coniubilet; quatenus ad tantæ solemnitatis gloriam non modo spirituali tripudio mens gliscat: sed & ipsa caro, quæ afflicta fuerat, refrigerium sensura congaudeat. Iuxta illud Prophetæ: Sitiuit in te, inquit, anima mea, quàm multipliciter & caro mea? Nonnulli planè, quod prætereundum non est, spiritualis militiæ fratres sub hac occasione in prædictis vigilijs victitant, vt ad personandas ecclesiastici melodias officij robustius conualescant. Sed si non tam humanas, quam diuinas aures cupimus, ex vocum nostrarum quantumlibet accurata suauitate mulcere, corporis nostri tympanum celsius intonabit siccum, quàm liquore vini vel olei pinguedine delibutum. Meliusque est, vt pro labore ieiunij cantilena sub sobrio discretionis moderamine temperetur, quàm, vt pro superstitione canendi, sæcularibus à spirituali ordine dissolutionis præbeatur exemplum. Planè, cum tam longum Quadragesimæ spatium, quod à patribus est præfixum, natiuitati Domini militare cognoscitur, mirum est, quomodo tam præclara festiuitas solo vigiliarum suarum honore priuetur. Porrò autem quomodò non erubescimus, quia, vt iam dictum est, natiuitatem serui, beati videlicet Ioannis Baptistæ aquam bibendo, præcurrimus; in vigilijs verò Dominicæ natiuitatis vina incontinenter olemus? præter-

Vigilia natalis Domini. *Ioan. 6. v. 41.*

Dei Genitricis singularis partus sine dolore fuit. *Ioan. 16. v. 21.*

Psal. 62. v. 2.

Aliquorum abusus in mulcenda voce, vt melius canant.

tim cum dies ille præ cunctis anni diebus, & æstiuo caumate feruidus, & spatio sit prolixus: iste vero & breuis sit, & humectus. Et certe si vigiliarum placet instantia, liberius vigilamus abstemij, quàm vini soporantis ebrietate grauati.

Epiphaniæ vigilia.

Epiphaniarum quoque vigilias ob magnitudinem sollemnitatis, in qua videlicet tot in vnum Sacramenta concurrunt, dignum est ieiunare: licet ij, quibus aliter suaderi non potest, non prohibeantur cum liquaminibus & vina percipere. Hic, vt arbitror, stomachabitur vitæ mollioris assertor, hic rugas contrahet fumantis edulij disputator: clamitans, me peregrina ieiunia nouiter introducere, quæ nulla Patrum valeant auctoritate firmare: sed, vt non cum eo lutum diutius teram, sed hinc me incunctanter expediam, dicat mihi cur B. Gregorius in ordinatione Missarum specialem huius diei Missam posuit, & vigiliarum Epiphaniæ nomine titulauit? Cur itaque vigilias nominat, in quibus ciborum libertatem censura ieiunij non castigat? Et cum vigiliarum Missæ semper hora nona ex ecclesiastica consuetudine celebrentur, vt nimirum ad subsequentis diei videantur sollemnia pertinere, cur hæc vigiliarum Missa dicatur, quæ hora tertia scilicet ante prandium celebrata, nequaquam sequenti diei militare conspicitur? Perquirant igitur manducones nostri totius annalis circuli singulos dies, & cum nusquam repererint vigilias dici, in quibus Missæ debeant absque ieiunio celebrari, necessario fateantur, in vigilijs Epiphaniæ cum celebratione Missarum, celebrandum quoque, remota omni dubietate, ieiunium.

S Gregorius Magn sacrarũ Missarum ordinis auctor.

Ieiuniũ Sabbati resurrectionis Iesu Christi.

Præterea de paschali quoque Sabbato, quod Dominicæ resurrectionis gloriam antecedit, perspicua ratio est, quia districtè debeat ieiunari. Nam si Auctori vitæ mortuo ac sepulto, vt reuera eius membra compatimur: si in discipulorum collegio constituti, vna cum Apostolis lamentamur, turpe est, si nos pleno ructemus ferculo: cum ille, quem fleuimus, adhuc iaceat in sepulchro. Apostoli siquidem, Scriptura testante, tamdiu mortuo Domino compatiuntur in luctu, quo vsque resurgens post triduum, nouo lætificarentur aspectu. Sed nos, vt ab huius controuersiæ molestia feriemur, aduocatum ventris ad B. Siluestri testimonia definitiua transmittimus: cuius vtique verbis si fides adhibetur, cuncta protinus inter nos iurgia conquiescunt. Siluestri si quidem verba sunt: *Si omnis, inquit, dies Dominicus causa resurrectionis Domini tenetur, & colitur: iustum est, vt omnis Sabbatorum dies causa sepulturę ieiunij suscipiatur instantia: vt flentes cum Apostolis de morte Domini, gaudere cum eis de resurrectione mereamur.* Et rursus: *Si omnis Dominicus dies resurrectionis creditur gloria decoratus, omnis qui antecedit eum, dies Sabbati sepulturæ ieiunio mancipandus est: vt merito gaudeat de resurrectione, qui de morte plorauerit.* Quibus profecto verbis tam planis, ac propter tardos multipliciter inculcatis, nihil a me adijciendum aliud video, nisi hoc tantum: quia si

Matt. Mar. & Luc. vlt. & Ioan. 20.

Cur in Sabbato ex B. Siluestri sententia ieiunandum.

Sanctus ille vir propter illud vnum Dominicæ sepulturæ Sabbatum, omnia totius anni Sabbata ieiunio dicanda percenset; dum illud vnum, quod principale est, atque præcipuum in epulas soluitur, qualiter ab eo in reliqua forma, vel exemplar abstinentiæ transferetur? Constanter igitur asserendum est, quia sicut dies parasceue sextas totius anni ferias districtionis censura præcedit, sicut resurrectionis dies sollemnitatis gloria reliquos dies Dominicos antecellit; ita quoque & Sabbatum, quod inter vtrumque consistit, plusquam cætera Sabbata sub abstinentiæ rigore necesse est obseruari. Sicut enim parasceue Crucis dies est doloris; sic & Sabbatum sepulturæ dies agnoscitur & mœroris. Quod si pro labore de longinquo ad Baptismi lauacra concurrentium, vel diuersorum debilitate fragilium eodem die apud quosdam vsus inoleuit aliquantulum indulgentius viuere, spiritualibus hoc ferendum est, non sequendum; ne si tunc isti sumendis dapibus vacant, cum adhuc Apostoli omnes plorant, ab eorum se cœtu, quod absit, exortes ostendant. Nec nobis obiiciatur, quod tunc in Missarum sollemniis gloria in excelsis Deo canitur: hoc quippe pro baptizandis agitur, vt nimirū, illucescente iam resurrectionis gloria, in morte Domini baptizari videantur: ideoq. Missa, quæ intra ipsum diem prohibetur, nocte celebrari præcipitur. Vt nimirum in quodam meditullio, hinc mortis Christi, inde resurrectionis, generalis Baptismi constituatur salutare mysteriū. In Baptismi siquidem Sacramēto, ad imitationem Christi, & morimur, & resurgimus. Morimur, dum in aquam mergimur: resurgimus, dum lauamur. Vnde dicit Apostolus: Quicumq. baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cū illo per Baptismū in morte: vt quomodo surrexit Christus per gloriā Patris, ita & nos in nouitate vitę ambulemus. Ad hoc plane in salutare lauacrū mergimur, vt peccatis omnibus moriamur: ad hoc erigimur, vt consurgentes Christo, soli iustitiæ de cætero iam viuere debeamus. Sicut idē dicit Apostolus: Iesus Christus mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram, Vnde & eadem Missa simul videtur esse quodam modo quadragesimalis, atque paschalis: dum postquam halleluia canitur, mox etiam tractus, qui Quadragesimæ proprius est, adhibetur. Quod si Pascha omnino completum esse post Missam, aduersario peruicaciter annitente, persistitur: nos in luctam non vltra protrahimur: hoc tamen pacto, vt eius carnium laicis protinus inuadatur. Nec enim causa est, cur libertas paschalis cibi differatur in posterum, cum Pascha, sicut dicitur, sit omnino completum. Quod si ecclesiasticæ disciplinæ perspicuè videtur aduersum, fateatur, necesse est, aduersarius, illum sepulturę Dominicæ diem non Pascha, sed Paschæ potius esse vigilias: ac per hoc ex vigiliarum saltem regula ieiunio mancipandum.

Cur in vigilia resurrectionis Domini gloria in excelsis Deo canatur.

Rom. 6. v. 3

Rom. 4. v. 25.

Mox, vt ista conscripseram, quid mihi casu, vel potius diuino nutu nosse contigerit, non celabo. Senior quidam frater, qui iam à triginta

Eadem hab. Epist. 33. huius lib. & opusc. 14. & 15 c. 6. to 3.

Sabati ieiuniũ cęlesti visione celebratum.

fere annis eremitica cellula vsus fuerat, ad me venit: & soli visionem, quæ sibi acciderat, patefecit: sæpè, inquit, Magister, in te simultatis, & iræ stimulum pertuli: quia diem sabbati tantopere, vt ieiunaretur, instabas; interea concupiui Hierosolymam pergere; cumque hoc indies desiderio feruentius æstuarem, dormienti mihi Dominica nocte, constitit in visione splendidus quidam clericus, & dixit: Frater Ioannes, sic enim vocabatur, vis venire Hierosolymam? Cui cum velle me, respondissem: protinus me illuc per somnium duxit: multaque Sanctorum sepulchra circumiens, quodque cuius esset specialiter designauit; tandem ad sepulchrum Domini, eodem duce, perueni: & ecce post sepulchrum stabat quidam Clericus serena facie, & pulcher aspectu, ceruicetenus stola candida decenter ornatus, qui dixit mihi: tu nudiustertius viuificam Crucem, hesterno quoque die sepulturam Dominicam, dum ieiunasti, veraciter adorasti. Ex hoc, remoto omni scrupulo dubietatis, agnosce, quia & sexta feria Crucem, & sabbato sepulchrum Christi verissimè celebras, & adoras, si prędictos dies orando, & psallendo ieiunas. Quo videlicet instructus oraculo, & scádalum, quod aduersum te, Pater, habuerá, perdidi: & deinceps sabbatũ non minori deuotione, quàm sextam feriá, si facultas suppetat, † ieiunaui. Hæc mihi sanctus frater retulit, cũ hæc, quæ scribimus, & tunc omnino nesciret, & adhuc prorsus ignoret.

† ieiunabo.

Enim verò de Litania maiore turpiter à nonnullis, & manifestissimè contra canonum sententias agitur: quia in ea per occasionem B. Marci, cuius eodem die festiuitas est, non tenetur. Sed quia conspiratoribus ventris nostra prorsus assertio ludibrium dicitur: vt subterfugium desit, ipsa canonica auctoritas simpliciter inseratur. Ait enim Maguntiense Concilium: Placuit nobis, vt Litania maior obseruanda sit à cunctis Christianis vno die, septimo Kalendas Maij, sicut in Romana Ecclesia constitutum reperimus, & sicut sancti Patres nostri constituerunt; non equitando, non pretiosis vestibus induti: sed cinere aspersi, & cilicio induti, ieiunemus, nisi infirmitas impedierit. At si cui adhuc ista auctoritas forte non sufficit, sufficiat sedes Apostolica, sufficiat & ampla Roma, quæ hoc ieiunium non modo decretalis paginæ promulgatione corroborat, sed & viua annuatim veneratione conseruat. Vbi notandum, quia geminæ festiuitati, sancti videlicet Marci, atque Pentecostes, intra cuius spatium sæpius dies ista concluditur, ieiunium sancti Patres præualere sanxerunt: ita tamen vt ecclesiasticum nihilominus officium solemniter impleatur.

Ieiunium Litaniæ maioris ex decreto Concilij Moguntini cap. 33.

Romanæ sedis auctoritas.

Vnde & illud grauiter ferimus, quia plerique fratres dum ieiunare in beatorum Apostolorum Philippi, & Iacobi vigilijs perhorrescunt, sollemnitatem Pentecostes in excusationem suæ dissolutionis opponunt. Dicentes, non debere quemquam sub ieiuniorum tunc censura constringi, cum tempus dictet paschalibus potius gaudijs epulari. Quibus succincte, ac breuiter ego respondeo: quoniam si sic inimica sunt in-

In vigilia BB. Philippi, & Iacobi ieiunandum.

uicem, & festiuitates Ecclesiæ, & ecclesiasticæ ieiunia disciplinæ, vt simul celebrari non possint; ergo nec Litaniæ maiores, quarum supra meminimus, neque tres illi Rogationum dies ante ascensionem Domini, nec vigiliæ Pentecostes, poterunt ieiunio mancipari. Et ne hoc parum videatur, etiam ieiunium illud tollitur, quod post aduentũ sancti Spiritus in eadem hebdomada fieri à sanctis Patribus concorditer est institutum. Et quia, sicut dicitur, cum sollemnitate ieiunium conuenire non potest: & apud quorumdam examen sub festiuitatis præsentia ieiunium vires non habet, sed semper festiuitas præualet; auferantur igitur de octauis B. Ioannis Baptistæ vigiliæ Apostolorum Petri, & Pauli: de octauis quoque Laurentij martyris vigiliæ B. Mariæ Virginis eradantur: in Quadragesimæ etiam maioribus quibusque festiuitatibus refectio geminetur. Quod si hoc ecclesiasticæ regulæ non admittunt: & mundus, qui sub Apostolicæ traditionis institutione iam senuit, neotericis nequaquam dogmatibus acquieuit, fatendum est, festiuitates, nisi præcipuæ sint, non præiudicare ieiunijs; vt, suo cuique iure seruato, & ecclesiasticum pro sollemnitate peragatur officium, & castigatio corporalis suum non deserat institutum. Vnde constat, quia quisquis duorum tam venerabilium Apostolorum, Iacobi videlicet, & Philippi, vigilias ieiunare detractat, non ad hoc amore festiuitatis inducitur, sed iuxta rhetoricantis gulæ suæ consilium molliter viuendi suauitate mulcetur.

Quæ festa non a ieiunio excusant.

Præterea & B. Iacobi, qui frater est Euangelistæ Ioannis, plerique vigilias paruipẽdunt, & irreuerenter, ac inconsideratè transiliunt. Et hoc ideo fortasse præsumitur, quia non suo tempore eadem festiuitas celebratur. Sicut enim in Actibus Apostolorum, Luca testante, didicimus, circa paschale tempus B. Iacobus ab Herode est interemptus. Nam cum præmisisset: Quia occidit Herodes Iacobum fratrem Ioannis gladio; paulò post intulit: Erat autem dies Azimorum. Circa idem vero tempus B. Petrus est à vinculis absolutus, quo & iste Iacobus paulò ante Herodiano fuerat gladio detruncatus. Et quia intra festa paschalia vtraque festiuitas absolute, ac libere celebrari non poterat, in aliud necessario tempus ex antiquorum Patrum est discretione translata. Quod si propter hoc sollemnis ille dies vigiliarum suarum debet honore priuari, ergo nec ipsa festiuitas debet coli. At si festiuitas hæc Apostolica pro necessitate paschali in tempus aliud dignè transponitur, dignum quippè est, vt suæ etiam vigiliæ inseparabiliter comitentur. Absoluta siquidem est auctoritas Canonum, quæ generaliter præcipit, omnes Apostolorum vigilias celebrari. Quod si aduersarius adhuc in suæ allegationis instantia peruicax inuenitur; illud etiam inferam, quia si propterea festiuitas illa, quoniam mutatur tempore, iure suo priuatur honore: ergo nec Paschalis magna solemnitas honoranda iam erit, quæ videlicet non fixam temporis certitudinem, sed plenilunij potius sequitur rationem. Ecclesiastica siquidem fides habet,

Quomodo B. Iacob. Apost. mortuus sit. Act. 12.

Cur illius dies festus in alium transferatur.

In omnium Apostolorum vigilijs ex sacris canonibus ieiunandum.

tus, inculta cæsaries, signa sint nos esse discipulos Crucifixi, vel in sepulchro iacentis; vt qui nunc cum Apostolis lugentes, & ieiunantes affligimur, eis postmodum in mellis, & piscis assi conuiuio sociemur. Vt autem qui fructus, quæuè sit vtilitas septima feria ieiunandi, non tam verbis, quàm rebus eluceat, nō ab re credimus, si etiam de nostris opusculis ad ædificationem vestram breuè aliquid mutuemur. Nam, quod dicturus sum, ibi iam scripsisse me memini, vbi de octo quondam ieiunijs disputaui: mox, inquam, vt ista conscripseram, quid mihi casu, vel potius diuino nutu, nosse contigerit, non celabo. Senior quidam frater, qui iam triginta ferè annis eremitica cellula vsus fuerat, ad me venit: & soli visionem, quæ sibi acciderat, patefecit: sæpè, inquit, Magister, in te simultatis, & iræ stimulum pertuli: quia diem sabbati tantopere, vt ieiunaretur, instabas; interea concupiui Hierosolymam pergere; cumque hoc indies desiderio feruentius æstuarem, dormienti mihi Dominica nocte, astitit in visione splendidus quidam clericus, & dixit: Frater Ioannes, sic enim vocabatur, vis venire Hierosolymam? Cui cum velle me, respondissem: protinus me illuc per somnium duxit: multaque Sanctorum sepulchra circumiens, quodque cuius esset specialiter designauit; tandem ad sepulchrum Domini, eodem duce, perueni: & ecce post sepulchrum stabat quidam Clericus serena facie, & pulcher aspectu, ceruicetenus stola candida decēter ornatus, qui dixit mihi: tu nudius tertius viuificam Crucem, hesterno quoque die sepulturam Dominicam, dum ieiunasti, veraciter adorasti. Ex hoc, remoto omni scrupulo dubietatis, agnosce, quia & sexta feria Crucem, & sabbato sepulchrum Christi verissimè celebras, & adoras, si prędictos dies orando, & psallendo ieiunas. Quo videlicet instructus oraculo, & scādalum, quod aduersum te, Pater, habuerā, perdidi: & deinceps sabbatū non minori deuotione, quàm sextam feriā, si facultas suppetat, † ieiunaui. Hæc mihi sanctus frater retulit, cū hæc, quæ scribimus, & tunc omnino nesciret, & adhuc prorsus ignoret. Hoc autem rescribere non piguit, vt si opusculum illud vobis occurrere non contingat, hoc saltem fraternitatis vestræ notitiam non euadat.

Luc. vlt. v. 24.

Epist. 35. lib. huius.

Miraculum, quo ieiunium sabbati approbatum est.

Sabbati ieiunio Christi sepulchrum adoratur.

† Ieiunabo.

Cauendum est itaque, dilectissimi, ne nostro tempore sancta vita ista tepescat, sensimque se imminuendo, quod absit, omnino deficiat. Nouimus enim de magna olim, & ardua, vix iam tenues superesse reliquias: & sicut, quod à maioribus est omissum non reparatur à nobis: ita quod apud nos per negligentiam deperit, nequaquam successorum nostrorum posteritas instaurabit; vt verum sit illud Horatij: *Ætas parentū peior auis tulit Nos nequiores, mox daturos Progeniem vitiosiorem*; sic vtique rei erimus non modo nostræ neglientiæ, sed & alienæ vitæ; dum & ipsi lacessendo deficimus, & defectus causam posteris generamus. Nam, cum eorum deses vita notabitur, ad nos præsto recurrent, nos sibi clypeum defensionis opponent: vt qui fuimus præcessores in vita, simus consequenter auctores in culpa. Neque enim meliores sumus, inquient, quā

Horat. lib. 3. carm. od. 6.

Maiorum negligentia exēplo etiam posteris nocet.

Patres nostri, quod inuenimus, arripuimus: quod didicimus, hoc & tenemus. Sicque erimus alieni torporis Apostoli; & non doctrinæ, sed obliuionis magistri; non duces ad victoriam, sed præcessores ad fugam. Mementote quod scriptum est: Væh his, qui perdiderunt sustinētiam. Et, Ego, inquit, dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum. Quare? non vtique, quia cœpistis; sed vos estis, ait, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Quamobrem, dilectissimi, hoc ab ætate nostra præcidamus opprobrium: & virtutis insigne, quod à Patribus nostris accepimus, illibatum, & integrum fideliter in filios trāsfundamus. Si vita eremitica minuenda est, per alios incipiat minui: nec nos inueniamur in huius fraudis sacrilegio primi: nec cum Patres nostri huius videlicet propositi fundatores, peruenient ad coronam; nos, ipsis accusantibus, & acriter insistentibus, compellamur vltionis subire sententiam. Nam, cum illi beatorum Martyrum sint imitati cum multo sudore certamina, nos de solis Martyrum solemniis disputamus: & qui non interfuimus prælijs, de peractis gliscimus gaudere triumphis. Tota planè vita ista quodammodo Sabbatum est illius vltimæ resurrectionis: & quasi profestum nunc, atque vigilias colimus, ad quam suspiramus, solemnitatis æternæ. Sed qui ad nuptias properat, vel epulas cuiuslibet magnæ festiuitatis expectat, ad anticipandum præcedentis horæ ientaculum nō anhelat. Nos ad illud refectionis æternæ nuptiale conuiuium inuitati, festinare iam cœpimus: & adhuc molliter, ac delitiosè viuentes, velut horam edendi legitimā præuenimus. Quid prandenti cum tumulo? Quid epulis cum sepulchro? Si sepulturam Domini cum Discipulis, non cum militibus custodimus, afferamus misturam mirrhæ, & aloes: non cacabos & lebetes. In illis siquidem amaritudo mentium, in istis autem sunt illecebræ voluptatum. Ad sepulturam sanè debemus pectora tundere, non dapibus ventres inflare: debemus mœsta lacrymis ora perfundere, non epotandis calicibus indulgere; non ingurgitari mero, sed potum cum fletibus tēperare. Nec tamen hęc inconsultius, & sic absque discretione statuimus; vt humanitatem debilibus, & valetudine laborantibus, denegemus. Veruntamen sic sibi discretionem is, qui infirmatur, indulgeat; vt salubrem consuetudinis regulam, cum conualuerit, non omittat. Sic ipse remissius viuat; vt is, qui incolumis est, in incontinentiæ suæ nihilominus rigore permaneat. Non igitur, dilectissimi, grauemur Sabbati seruare ieiunium: vt dum nunc sub castigatione corporū Redemptori nostro consepelimur in morte, & ipsi resurgentes cum ipso postmodum epulemur in cælestis gloriæ claritate.

Eccli. 2. v. 16. *Luc. 22. v. 29.* *Ibid. v. 28.* Vita nostra Sabbatum est vltimæ resurrectionis. *Matth. 27. v. 66.* *Ioan. 19. v. 39.* *Psal. 101. v. 10.* *Rom. 6. v. 4.*

EPIST. XXXIV. Ad Eremitas Congregationis suæ.

ARGVMENTVM.

Vniuersis eremitis suum viuendi institutum sequentibus, inferenda disciplinæ modum præscribit, vltra quem eis progredi non liceat: quam quidem disciplinã posthac voluntariam ad singulorum arbitrium, non, vt antea, coactam esse constituit.

Sanctis fratribus in Eremo constitutis, Petrus peccator Monachus salutem.

IN conuentu spiritualium fratrum tunc discretionis ordo congruè geritur, si moderatio Rectoris imitetur diligentiam equitis. Ille siquidem calcaribus vtitur, vt impellat: frænis, vt reprimat; stimulat equum tardius incedentem: refrænat superbè frementis vestigia glomerantem. Hoc etiam modo Præpositus fratrum & tardiores exhortationibus suis, velut quibusdam stimulis, debet impellere: & feruentius, quam necesse sit, incedentes; sub discretionis debet loro frenare. An non quibusdam, vt ita loquar, stimulis vrgebat Moyses populum Israël, cum dicebat: Separate apud vos primitias Domino; omnis voluntarius, & proni animi offerat eas Domino: aurum, & argentum, & æs, hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum, & byssum, pilos caprarum, & pelles arietũ rubricatas, ligna Setim, & oleum ad luminaria concinnanda? An non eundẽ populum, velut immoderatè currentem, fræno moderaminis coërcebat, cum illos ab offerendis muneribus prohiberet? Scripum est enim. Quia cũ instarent operi, quotidie manè vota populus offerebat. Vnde artifices venire compulsi, dixerunt Moysi: Plus offert populus, quã necessarium est; moxque subiungitur: Iussit ergo Moyses præconis voce cantari: nec vir, nec mulier quidquam offerat vltra in opere sanctuarij. Vt igitur ad hoc veniamus, propter quod ista præmisimus, non ignoret sancta vestra deuotio, dilectissimi, quoniam disciplina ista scoparum, cui tam feruenter insistitis, sicut poterat moderata prodesse, sic agnoscitur indiscreta nocere. Propterea scilicet corpora vestra viribus effœta deficiunt, & aliquando, sicut à quibusdam creditur, tot allisionibus tabefacta languescunt: nimirum cum nonnulli vestrum vnum continuum, vel etiã duo Psalteria quotidie cũ disciplina decurrãt. Huc accedit,

Exod. 35. v. 5.

Exod. 36. v. 3.

Indiscreta mortificatio est causa morborum.

accedit, quia plerique fratres venire volentes ad eremum, cum hæc audiunt, perculsi formidine deterrentur. Et quia disciplina durior creditur, quam sentitur: & austerioris est formidinis, quàm doloris: cum eam apud vos tam longam fieri fratres quique debiles audiunt, medullitus expauescunt, & ab accessu protinus eremi reuocantur. Quamobrem, adhibito discretionis moderamine, constituimus, vt ad disciplinam sibimet ingerendam nullus in eremo compellatur: quem verò Sanctus ad hanc feruor impellit per quadraginta psalmos in vnoquoque die disciplinam sibi facere liceat: ita dumtaxat, vt quadragenarium hunc psalmorum numerum non excedat. In duabus autem Quadragesimis, quæ videlicet natalem Domini, vel sacrosanctum Pascha præcedunt, vsque ad sexaginta psalmos cum disciplina procedere liceat; neque hanc mensuræ, quam præfigimus, regulam temeraria, quod absit, quisque præsumptione transcendat. Hoc itaque modo, nō quod bonum est, tollimus: sed, quod est superfluum, coërcemus. Nec salutem suam fratribus inuidemus, sed mensuram discretionis indicimus: citra quam licet vtique, si velit, affligi: vltra verò non erit licitum progredi. Et hoc facientes, non quasi nostræ vsurpamus auctoritatis arbitrium, sed diuinæ legis imitamur exemplum. Ait enim per Moysen in Deuteronomio Dominus: Sin autem eum, qui peccauit, dignum viderint plagis prosternent, & coram se facient verberari; vbi mox additur: Pro mensura peccati, erit & plagarum modus: ita dumtaxat, vt quadragenarium numerum non excedant; ne fœde laceratus, ante oculos tuos obeat frater tuus. Ecce Dominus & delinquentem vapulare præcepit, & tamen modum verberibus posuit; vt & in reum vindicta procederet, & vindictæ duritiam discretio temperaret. Hanc igitur, dilectissimi, faciendæ disciplinæ tenete mensuram, spiritum potius scopite, cæteris bonis operibus vigilanter insistite; vt Remunerator ille summus transitorio labori vestro sine fine manentia dignetur præmia compensare.

Regula B. Pet. Dam. in castigatione corporis per disciplinam.

Deut. 25. v. 2.

EPIST. XXXV. Ad eosdem suæ Congregationis Eremitas.

ARGVMENTVM.

Eosdem Monachos suos ad celebrandas octo festiuitatum vigilias quas per indeuotionem, & abusum à plerisque suorum temporum negligi conqueritur, hac Epistola adhortatur: cum rationes, quæ in contrarium facere videbantur, ab hominibus parum pijs allatas, facile diluisset.

Sanctis Fratribus in Eremo constitutis, Petrus peccator Monachus salutem.

In rebus laboriosis pro Deo suscipiendis paucos, in voluptatibus sequẽdis multos comites inuenimus.

NAturaliter autem hoc morbo humana laborat infirmitas, vt ex continentiæ rigore facile corruat: ad virtutum verò statum, disciplinamque viuendi difficulter assurgat. Vnde fit, vt cum districtum quid pro Deo arripere nitimur; soli viam laboris, necesse est, vix aliquo comitante, carpamus: quod si nos quantumlibet ad voluptatis fluxa remittimus, vltroneos præsto ad imitandum nos quam plures socios inuenimus. Hoc dilectissimi fratres, iccircò conquerimur, quia pleraque per annalem circulum veneranda ieiunia, quæ videlicet hactenus ex antiqua Progenitorum nostrorum traditione coluimus, nunc quibusdam, nouas velut sectas introducentibus, passim negligi, & in prandiorum epulas mutata dolemus. Quæ nimirum hic enumerare, otiosum esse non ducimus: ita vt etiam rationes singulorum, cur omitti non debeant, prout Epistolæ compendium patitur, afferamus.

Cur in vigilijs assumptionis B. virginis, & B. Ioannis Bapt. natali, ieiunamus.

Age igitur, cur assumptionis B. Marię semper virginis ieiunijs non sint ce[le]brandæ vigiliæ? quam videlicet consuetudinem vsque ad nos, immo vsque nunc proculdubio nouimus, & antiquitus tenuisse? An quia Dei Genitrix ex hac vita per martyrium non transiuit? Sed si hæc est ratio, cur ieiunari non debeant? Ergo natiuitas B. Præcursoris Christi sine causa ieiunio præuenitur, quando scilicet non hinc puer propheta migrasse per gladium, sed huc potius agnoscitur venisse per vterum. At si rei dignitas vigilanter inspicitur, iccircò vtraque hæc festiuitas dignè præmissis est excipienda ieiunijs: quia & B. Virgo molestiam carnis moriens pertulit; & B. Ioannes per conditionem nascendi ex maternis visceribus vagiendo, ac plorando processit. Merito illis per ieiunia pridiana compatimur, vt illucescentibus eorum sollemnijs, communi cum eis lætitia perfruamur: vt mœrore simul cum illis afflicti, simul epulemur etiam gaudio feriati. At fortasse dicitur, quia B. Virgo, quæ sine dolore vitæ Auctorem edidit, dolorem moriendo non sensit? Sed qua auctoritate eam quis diuinetur in corpore non doluisse morientem, cuius animam pertransierit gladius adhuc etiam in carne manentem? Pręsertim, cum & ipse Mediator Dei, & hominum moriturus dicat: Tristis est anima mea vsque ad mortem. De quo & Petrus, Quem Deus, inquit, suscitauit à mortuis, solutis doloribus inferni. Sed siue moriens dolorem non senserit, quod Deus vtique potuit: siue senserit, quod permisit: vnde, quæso, iste est prędicator epularum, & salutaris abstinentiæ inimicus, nisi ex eorum numero, de quibus Apostolus conqueritur, dicens: Multi enim ambulant, quos sæpè dicebam vobis: nunc autem, & flens dico, inimicos Crucis Christi, quorum finis interitus, & quorum Deus venter est, &

An B. virgo corporis dolores moriens senserit.

Luc. 2, v. 35.

Matt. 26. v. 38
Mar. 14. v. 34.
Act. 2. v. 24

Phil. 3. v. 18.

gloria in confessione ipsorum, qui terrena sapiunt, Moyses, & Aaron mortis debita persoluentes, † mensurno dierum spatio singillatim quisque ab Israëlitica plebe deplangitur. Defunctum quoque Iacob tota Ægyptus lugubri septuaginta dierum lamentatione prosequitur. Tu obeunti Genitrici Dei, vno saltem die, refugis compati, vt inter eius sollemnia meritò debeas gloriari?

Deut. vlt. v. 8. & Num. 20. v. 30.
† menstruo f.
Gen. vlt. v. 3.

Porrò de natiuitate Saluatoris non minus inhonestum quid, & indecens agitur, cum in eius vigilijs à nonnullis & si tantum cœnetur, vino tamen & diuersis coctionum apparatibus indulgetur. Planè autem panis ille ad hoc de cælo descendit, vt iam communis cibus sit etiam hominum, qui eatenus specialis tantum fuerat Angelorum: satis absurdum est, si refectione cælitus erumpente diuina, locum præsto non præbeant alimenta terrena. Et tunc vini feculenti ingurgitatio mentium nares obtundit, cum iam odor cælestis gratiæ mellisflua suauitate respirat. Nam & amicum suum quisque, quem de longinquo venientem vnice videre desiderat, non epulis vacans, sed alacriter ieiunus expectat. Quamquam enim partus ille singularis doloris tædium omnino nescierit; partui tamen dolor familiariter est coniunctus. Testante Veritate, quæ ait: Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius; cum autem pepererit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium quia natus est homo in mundum. Vnde non immerito tota sancta Ecclesia, sicut morienti Christo commoritur, cum resurgente consurgit, cum cælos ascendente conscendit: ita quodammodo cum beata eius Genitrice pariente comparturit, simulque quasi parturiens, in vigilijs mœret, vt puerperio salutis effuso, cum ea simul in sancta Natiuitate coniubilet; quatenus ad tantæ solemnitatis gloriam non modo spirituali tripudio mens gliscat: sed & ipsa caro, quæ afflicta fuerat, refrigerium sensura congaudeat. Iuxta illud Prophetæ: Sitiuit in te, inquit, anima mea, quàm multipliciter & caro mea? Nonnulli planè, quod prætereundum non est, spiritualis militiæ fratres sub hac occasione in prædictis vigilijs victitant, vt ad personandas ecclesiastici melodias officij robustius conualescant. Sed si non tam humanas, quam diuinas aures cupimus, ex vocum nostrarum quantumlibet accurata suauitate mulcere, corporis nostri tympanum celsius intonabit siccum, quàm liquore vini vel olei pinguedine delibutum. Meliusque est, vt pro labore ieiunij cantilena sub sobrio discretionis moderamine temperetur, quàm, vt pro superstitione canendi, sæcularibus à spirituali ordine dissolutionis præbeatur exemplum. Planè, cum tam longum Quadragesimæ spatium, quod à patribus est præfixum, natiuitati Domini militare cognoscitur, mirum est, quomodo tam præclara festiuitas solo vigiliarum suarum honore priuetur. Porrò autem quomodò non erubescimus, quia, vt iam dictum est, natiuitatem serui, beati videlicet Ioannis Baptistæ aquam bibendo, præcurrimus; in vigilijs verò Dominicæ natiuitatis vina incontinenter olemus? præter-

Vigilia natalis Domini.
Ioan. 6. v. 41.

Dei Genitricis singularis partus sine dolore fuit.
Ioan. 16. v. 21.

Psal. 62. v. 2.

Aliquorum abusus in mulcenda voce, vt melius canant.

tim cum dies ille præ cunctis anni diebus, & æstiuo caumate feruidus, & spatio sit prolixus: iste vero & breuis sit, & humectus. Et certe si vigiliarum placet instantia, liberius vigilamus abstemij, quàm vini soporantis ebrietate grauati.

Epiphaniæ vigilia.

Epiphaniarum quoque vigilias ob magnitudinem sollemnitatis, in qua videlicet tot in vnum Sacramenta concurrunt, dignum est ieiunare: licet ij, quibus aliter suaderi non potest, non prohibeantur cum liquaminibus & vina percipere. Hic, vt arbitror, stomachabitur vitæ mollioris assertor, hic rugas contrahet fumantis edulij disputator: clamitans, me peregrina ieiunia nouiter introducere, quæ nulla Patrum valeant auctoritate firmare: sed, vt non cum eo lutum diutius teram, sed hinc me incunctanter expediam, dicat mihi cur B. Gregorius in ordinatione Missarum specialem huius diei Missam posuit, & vigiliarum Epiphaniæ nomine titulauit? Cur itaque vigilias nominat, in quibus ciborum libertatem censura ieiunij non castigat? Et cum vigiliarum Missæ semper hora nona ex ecclesiastica consuetudine celebrētur, vt nimirum ad subsequentis diei videantur sollemnia pertinere, cur hæc vigiliarum Missa dicatur, quæ hora tertia scilicet ante prandium celebrata, nequaquam sequenti diei militare conspicitur? Perquirant igitur manducones nostri totius annalis circuli singulos dies, & cum nusquam repererint vigilias dici, in quibus Missæ debeant absque ieiunio celebrari, necessario fateantur, in vigilijs Epiphaniæ cum celebratione Missarum, celebrandum quoque, remota omni dubietate, ieiunium.

S Gregorius Magn sacrarū Missarum ordinis auctor,

Ieiuniū Sabbati resurrectionis Iesu Christi.

Præterea de paschali quoque Sabbato, quod Dominicæ resurrectionis gloriam antecedit, perspicua ratio est, quia districtè debeat ieiunari. Nam si Auctori vitæ mortuo ac sepulto, vt reuera eius membra compatimur: si in discipulorum collegio constituti, vna cum Apostolis lamentamur, turpe est, si nos pleno ructemus ferculo: cum ille, quem fleuimus, adhuc iaceat in sepulchro. Apostoli siquidem, Scriptura testante, tamdiu mortuo Domino compatiuntur in luctu, quo vsque resurgens post triduum, nouo lætificarentur aspectu. Sed nos, vt ab huius controuersiæ molestia feriemur, aduocatum ventris ad B. Siluestri testimonia definitiua transmittimus: cuius vtique verbis si fides adhibetur, cuncta protinus inter nos iurgia conquiescunt. Siluestri si quidem verba sunt: Si omnis, inquit, dies Dominicus causa resurrectionis Domini tenetur, & colitur: iustum est, vt omnis Sabbatorum dies causa sepulturæ ieiunij suscipiatur instantia: vt flentes cum Apostolis de morte Domini, gaudere cum eis de resurrectione mereamur. Et rursus: Si omnis Dominicus dies resurrectionis creditur gloria decoratus, omnis qui antecedit eum, dies Sabbati sepulturæ ieiunio mancipandus est: vt merito gaudeat de resurrectione, qui de morte plorauerit. Quibus profecto verbis tam planis, ac propter tardos multipliciter inculcatis, nihil a me adijciendum aliud video, nisi hoc tantum: quia si

Matt. Mar. & Luc. vlt. & Ioan. 20.

Cur in Sabbato ex B. Siluestri sententia ieiunandum.

Sanctus ille vir propter illud vnum Dominicæ sepulturæ Sabbatum, omnia totius anni Sabbata ieiunio dicanda percenset; dum illud vnum, quod principale est, atque præcipuum in epulas soluitur, qualiter ab eo in reliqua forma, vel exemplar abstinentiæ transferetur? Constanter igitur asserendum est, quia sicut dies parasceue sextas totius anni ferias districtionis censura præcedit, sicut resurrectionis dies sollemnitatis gloria reliquos dies Dominicos antecellit; ita quoque & Sabbatum, quod inter vtrumque consistit, plusquam cætera Sabbata sub abstinentiæ rigore necesse est obseruari. Sicut enim parasceue Crucis dies est doloris; sic & Sabbatum sepulturæ dies agnoscitur & mœroris. Quod si pro labore de longinquo ad Baptismi lauacra concurrentium, vel diuersorum debilitate fragilium eodem die apud quosdam vsus inoleuit aliquantulum indulgentius viuere, spiritualibus hoc ferendum est, non sequendum; ne si tunc isti sumendis dapibus vacant, cum adhuc Apostoli omnes plorant, ab eorum se cœtu, quod absit, exortes ostendant. Nec nobis obiiciatur, quod tunc in Missarum sollemniis gloria in excelsis Deo canitur: hoc quippe pro baptizandis agitur, vt nimirũ, illucescente iam resurrectionis gloria, in morte Domini baptizati videantur: ideoq. Missa, quæ infra ipsum diem prohibetur, nocte celebrari præcipitur. Vt nimirum in quodam meditullio, hinc mortis Christi, inde resurrectionis, generalis Baptismi constituatur salutare mysteriũ. In Baptismi siquidem Sacramẽto, ad imitationem Christi, & morimur, & resurgimus. Morimur, dum in aquam mergimur: resurgimus, dum lauamur. Vnde dicit Apostolus: Quicumq. baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cũ illo per Baptismũ in morte: vt quomodo surrexit Christus per gloriã Patris, ita & nos in nouitate vitę ambulemus. Ad hoc plane in salutare lauacrũ mergimur, vt peccatis omnibus moriamur: ad hoc erigimur, vt consurgentes Christo, soli iustitiæ de cætero iam viuere debeamus. Sicut idẽ dicit Apostolus: Iesus Christus mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Vnde & eadem Missa simul videtur esse quodam modo quadragesimalis, atque paschalis: dum postquam halleluia canitur, mox etiam tractus, qui Quadragesimæ proprius est, adhibetur. Quod si Pascha omnino completum esse post Missam, aduersario peruicaciter annitente, persistitur: nos in luctam non vltra protrahimur: hoc tamen pacto, vt eius carnium laicis protinus inuadatur. Nec enim causa est, cur libertas paschalis cibi differatur in posterum, cum Pascha, sicut dicitur, sit omnino completum. Quod si ecclesiasticæ disciplinæ perspicuè videtur aduersum, fateatur, necesse est, aduersarius, illum sepulturę Dominicæ diem non Pascha, sed Paschæ potius esse vigilias: ac per hoc ex vigiliarum saltem regula ieiunio mancipandum.

Cur in vigilia resurrectionis Domini gloria in excelsis Deo canatur.

Rom. 6. v. 3

Rom. 4. v. 25.

Mox, vt ista conscripseram, quid mihi casu, vel potius diuino nutu nosse contigerit, non celabo. Senior quidam frater, qui iam à triginta

uicem, & festiuitates Ecclesiæ, & ecclesiasticæ ieiunia disciplinæ, vt simul celebrari non possint; ergo nec Litaniæ maiores, quarum supra meminimus, neque tres illi Rogationum dies ante ascensionem Domini, nec vigiliæ Pentecostes, poterunt ieiunio mancipari. Et ne hoc parum videatur, etiam ieiunium illud tollitur, quod post aduentū sancti Spiritus in eadem hebdomada fieri à sanctis Patribus concorditer est institutum. Et quia, sicut dicitur, cum sollemnitate ieiunium conuenire non potest: & apud quorumdam examen sub festiuitatis præsentia ieiunium vires non habet, sed semper festiuitas præualet; auferantur igitur de octauis B. Ioannis Baptistæ vigiliæ Apostolorum Petri, & Pauli; de octauis quoque Laurentij martyris vigiliæ B. Mariç Virginis eradantur: in Quadragesimæ etiam maioribus quibusque festiuitatibus refectio geminetur. Quod si hoc ecclesiasticæ regulę non admittunt: & mundus, qui sub Apostolicæ traditionis institutione iam senuit, neotericis nequaquam dogmatibus acquieuit, fatendum est, festiuitates, nisi præcipuæ sint, non præiudicare ieiunijs; vt, suo cuique iure seruato, & ecclesiasticum pro sollemnitate peragatur officium, & castigatio corporalis suum non deserat institutum. Vnde constat, quia quisquis duorum tam venerabilium Apostolorum, Iacobi videlicet, & Philippi, vigilias ieiunare detractat, non ad hoc amore festiuitatis inducitur, sed iuxta rhetoricantis gulæ suæ consilium molliter viuendi suauitate mulcetur.

Quæ festa nos a ieiunio excusant.

Præterea & B. Iacobi, qui frater est Euangelistæ Ioannis, plerique vigilias paruipēdunt, & irreuerenter, ac inconsideratè transiliunt. Et hoc ideo fortasse pręsumitur, quia non suo tempore eadem festiuitas celebratur. Sicut enim in Actibus Apostolorum, Luca testante, didicimus, circa paschale tempus B. Iacobus ab Herode est interemptus. Nam cum præmisisset: Quia occidit Herodes Iacobum fratrem Ioannis gladio; paulò post intulit: Erat autem dies Azimorum. Circa idem vero tempus B. Petrus est à vinculis absolutus, quo & iste Iacobus paulò ante Herodiano fuerat gladio detruncatus. Et quia intra festa paschalia vtraque festiuitas absolute, ac libere celebrari non poterat, in aliud necessario tempus ex antiquorum Patrum est discretione translata. Quod si propter hoc sollemnis ille dies vigiliarum suarum debet honore priuari, ergo nec ipsa festiuitas debet coli. At si festiuitas hæc Apostolica pro necessitate paschali in tempus aliud dignè transponitur, dignum quippè est, vt suæ etiam vigiliæ inseparabiliter comitentur. Absoluta siquidem est auctoritas Canonum, quę generaliter pręcipit, omnes Apostolorum vigilias celebrari. Quod si aduersarius adhuc in suæ allegationis instantia peruicax inuenitur; illud etiam inferam, quia si propterea festiuitas illa, quoniam mutatur tempore, iure suo priuatur honore: ergo nec Paschalis magna solemnitas honoranda iam erit, quæ videlicet non fixam temporis certitudinem, sed plenilunij potius sequitur rationem. Ecclesiastica siquidem fides habet,

Quomodo B. Iacob. Apost. mortuus sit. *Act.* 12.

Cur illius dies festus in alium transferatur.

*In omnium Apostolorum vigilijs ex sacris canonibus ieiunandum.

Quo die Christus Iesus crucifixus.

Cur sexto Kalendas Aprilis Pascha non celebretur, cum in eo die Christus resurrexit.

quia octauo Kalendas Aprilis Redemptor noster est crucifixus: quo videlicet die, & in virginali vtero fuerat ante conceptus. Quod si hanc temporis rationem sequi volumus, sexto Kalendas eiusdem mensis per singulos annos resurrectionem Dominicam, necesse est, celebremus. Quod profecto iccircò non fit, quia dignum visum est, quartam decimam lunam cum Azimitarum prius Pascha transmittere, vt ad nouum Pascha valeamus, sicut ex vmbra legis ad veritatis gratiam, peruenire. Eant ergo sanctarum vigiliarum hostes & ieiuniorum venerabilium destructores, ac dogmatizent paschali sollemnitati reuerentiam non seruandam: vt quoniam variatur tempore, deuotione fidelium, & assueti cultus careat dignitate: & quod de Pascha male senserint, consequenter & de Ascensione, ac Pentecoste necessario fateantur. Quod si nobis obiecerint, decollationem S. Ioannis iccircò non habere vigilias, quia de tempore passionis Domini, quo videlicet S. Baptista peremptus est, in Augustum mensem ex more transfertur, respondemus: non propter mutationem festiuitatis hoc fieri, sed quoniam cum vigilijs sanctam Natiuitatem eius excepimus; ne popularis grauetur infirmitas, in eiusdem Decollatione sola vnius diei sollemnitate contenti sumus.

Cur B. Ioannis Bapt Decollatio vigiliam non habeat.

S. Bartholomei Apost. vigilia.

Postremò de beati quoque Bartholomei vigilijs, quas nonnulli iam violare paulatim incipiunt, non diuersa sententia est. Quo nimirum die aliquando Abbas quidam, non infimis comitantibus viris, de longinquis finibus ad nos in eremo degentes, pransus, & cænaturus aduenit: alia vero die, festiuitatis scilicet Apostolicæ, rogatus, vt digressurus, ientaculum caperet, renuit, nullisque precibus acquieuit. Sed, ô digna restituens diuina sententia! siue in cœnobium sanctimonialium, quod tunc visitauit, siue apud aliquem sæcularium, ad quoscumque transmisit, per totam diem illam, ne vini quidem vestigium potuit inuenire: sicque diuina dispensatione coactus est ieiunij debitum in ipsa festiuitate persoluere, cuius non timuit vigilias contra ecclesiasticæ institutionis regulam temerare: & vt ita loquar, luit in festo, quod deliquerat in profesto.

Abbas quidam, qui B. Bartholomei vigiliam violauerat, in festo die cogitur ieiunare.

Hæc igitur, dilectissimi, de octo vigilijs examussim suo tempore celebrandis, sanctitati vestræ inlimato stylo conscripta direximus: & vt vos ad ea corrigenda, quæ nunc insolenter emergunt, viriliter accingamini; vt reuera Christi milites, adhortamur. Teneatur itaque per vos ecclesiasticæ genium disciplinæ, paternæ traditionis norma permaneat, religionis status à sua dignitate non corruat, vigor ecclesiasticus non mollescat. Enim verò non ambigo scripturam hanc, si in eorum manus deuenerit, quibus sunt perosa ieiunia, turpiter conspuendam. Ab his scilicet, quibus tumet vncta cutis, atque nitidula: qui sobrietati dum infœderabiles pugnas inferunt, rubentia pingues ora flammescunt. Mihi autem nullius amore, vel odio rectum licet occultare, quod sentio: & qui Iulianum Cęsarem octo aduersus Euangelium

Christi

Christi scripsisse volumina non ignoro; ab his etiam, qui Euangelicæ sunt disciplinæ contrarij, scriptiunculam meam verbis mordacibus lacerari nullatenus erubesco. Dicant enim illi cum antiquis obsonatoribus suis: manducemus, & bibamus, cras enim moriemur; & nos cum seruis Christi respondeamus: ieiunemus, & sacras vigilias celebremus, vt in festiuitate cælesti sine fine victuri, feliciter epulemur. *Isa 22.v.13.* *1.Cor.15.v.32.*

EPIST. XXXVI. Ad Vniuersos suæ congregationis Eremitas.

ARGVMENTVM.

Monachis qui in Monasterijs sub sua potestate constitutis, degebant, sub pœna excõmunicationis præcipit, vt res alienas apud se post suam mortem non retineant: sed Monasterio, cuius sunt, quisque sua bona restituat.

Omnibus fratribus in qualibet Eremo sub nostri ministerij custodia constitutis, Petrus peccator Monachus indiuiduæ vinculum charitatis.

NOstis, dilectissimi, quia loca ista nobis commissa, me viuente, quasi vnum sunt: & res quæcumque sunt necessariæ, hinc ad vos indifferenter transeunt; a vobis etiam huc, prout fraterna exigit vnanimitas, proferuntur. Et oro Spiritum sanctum, vt eadem, me defuncto, inter vos concordia vigeat, quæ nunc in vobis cor vnum, & animam vnam per charitatis glutinum conflat. Sed necesse est, nunc me vobis cauta prouisione consulere, ne frigescente forsitan charitate, priuatus amor de retentione rei cuiuspiam inter vos scandalum valeat generare. Quapropter adiuramus vos, & per tribunal tremendi Iudicis obtestamur, vt quidquid post meum obitum, quod alterius loci sit, quisque apud se forte repererit, præsto restituat: & remota omni machinatione, vel callida argumẽtatione, pure, & simpliciter, quod alienum est, reddat. Alienum autem dico, quidquid ego non pro munere habendum perpetualiter contuli: sed rem alterius loci in alio, quia noster erat vterque, manere permisi. Quisquis igitur huius nostræ sententiæ temerator extiterit, vsque ad satisfactionem congruam excommunicationi subiaceat. B. Petri Dam. decretum, vt inter suos cõcordia post suum obitum seruaretur.

Finis libri Sexti.



BEATI PETRI DAMIANI MONACHI BENEDICTINI, S. R. E. Cardinalis, Episcopi Ostiensis.

Epistolarum Liber VII.

Ad Sæculares Principes.

EPIST. I. Ad Henricum II. Imperatorem.

ARGVMENTVM.

Imperatorem Henricum deprecatur, vt Gislerio cuidam, qui eius iussu in Germania captiuus, asseruabatur, sicut sibi, dum esset in Italia, pollicitus fuerat, ignoscat, eumque liberum abire permittat.

Domno Henrico inuictissimo Imperatori, Petrus peccator Monachus debitæ seruitutis obsequium.



XCELLENTISSIME, & piissime Domine, si vobis placeret, iam tempus esset, vt miser ille Gislerius misericordiam consequeretur: iam congrueret, vt de vinculis tam diuturnæ captionis exiret, & post longum exilium, ad propria remearet. Non obliuiscatur Dominus meus Imperator quid Rex David fecerit cum fugeret à facie Absalon: quia dum Semei aduersus eum lapides mitteret, duriora etiam contra Regem maledictionis iacula intorqueret, dicens: Egredere, egredere, vir sanguinũ, & vir Bebial: ille cum tá fortissimis bellatorũ cuneis constipatus, incederet, non solum eum non occidit: sed etiá

Dauidis mansuetudo.

2. Reg. 16. v. 7.
Ibid. v. 10.

Abisai illum volentem occidere asperrimè corripuit, dicens: Quid mihi, & vobis, filij Saruiæ? Dimittite eum, vt maledicat mihi. Dominus præcepit ei, vt malediceret Dauid: & quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit? Nec ignoratis, qualiter stulto Nabal dicenti aduersum eum: Hodie increuerunt serui, qui fugiunt dominos suos, Abigail interueniente pepercit. Qualiter etiam in Saul immaniter persequentem, cum posset illum occidere, manum mittere non præsumpsit. Hæc, & alia, Domine mi, sanctorum Regum vobis exempla proponite: & post iudicium, misericordiam peccatoribus indulgete. Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Et cum omnia regna terrarum, quæ vestro subijciuntur imperio teste mundo, largissima vestræ pietatis abundatia repleat: quomodo solus Gislerius tantæ erit expertus misericordiæ, vt neque per sæculares viros, neque per seruos Dei, locum apud vos indulgentiæ valeat inuenire? Clarescat iam pietas Romani Imperij, & cui Deus proprijs viribus omnes aduersarios subiugat, ipsum quoque Dei pietas fæliciter vincat. In hoc enim est perfecta victoria, si is, cui victoria, Christo donante, tribuitur, à sola Christi pietate vincatur. Pijssime Domine, misericordiam vestram lacrymabiliter obsecro, & pedibus vestris me prostratus aduoluo, pro charitate Christi miserum illum iam clementer absoluite: & me seruum vestrum in pace quiescentem, pro sancto Imperio vestro orare permittite: sin autem vobis ita videtur, per vestras litteras absolutionem mihi illius, remota omni dubietate promittite: & me ad vos quantocyus festinare iubete. Redeat ad memoriam domini Regis, quia cum apud monasterium Classis à vobis discessurus essem, dixistis mihi: noueris proculdubio, quia isti, pro quo me rogas, quandoque veniam exhibebo: & quidquid circa illũ misericorditer egero, pro amore Christi, & tua charitate certissime faciã. Nunc ergo, eminentissime Domine, & infælicissimo illi misericordiam vestram clementer impendite, & mihi seruo vestro veritatem sancti oris vestri efficaciter adimplete: quia sicut per Prophetam dicitur: Misericordiam, & veritatem diligit Deus; gratiam, & gloriam det tibi Dominus.

1. Reg 25. v. 10

1. Reg 24. v. 12 & 26. v. 11.

Rom. 15. v. 4.

Perfecta victoria qua in re sita sit.

Psal. 83. v. 12.

EPIST. II. *Ad eundem Henricum II. Imperatorem.*

ARGVMENTVM.

Commendat eiusdem Henrici virtutes, pietatem præcipuè, & studium religionis tuendæ, quod Vuiquerium barbarum hominem ex Rauennati Archiepiscopatu quem sibi malè acquisierat, peius tamen retinebat, expulerit. Hortatur, ne eundem hominem, ad eam dignitatem, qua iustè priuatus fuerat, redire molientem, ullo pacto patiatur.

Domno Henrico inuictissimo Imperatori, Petrus peccator Monachus debitæ seruitutis obsequium.

IMmensas laudes Regi Regum Christo referimus, quia sanctitatem, & virtutum dona, quæ multis referentibus, de regia maiestate cognouimus, iam non verbis, sed viuis operibus approbamus. Nam in expulsione † Vuiquerij, vox omnium in laudem sui Creatoris attollitur, Ecclesia de manu violenti prædonis eripitur, & salus esse totius mundi vestra incolumitas iudicatur. Lætentur ergo cæli, & exultet terra; quia in Rege suo vere Christus regnare cognoscitur, & sub ipso iam sæculi fine, aureum Dauid sæculum renouatur. Ipse enim, qui, facto flagello de resticulis, vendentes in templo columbas eiecit: ipse, inquam, & non alius, in Rege suo Vuiquerij cathedram in Ecclesia negotiantis, euertit. Et qui olim superbi Saul arrogantiam repulit, ipse nunc non dissimilem reprobi viri malitiam conculcauit. Verumtamen nolo lateat dominum meum Regem; quia pestifer ille vir ad Rauennatem vrbem suas epistolas fabricauit: alias quidem occulte singulis, alias vero communiter vniuersis: in quibus se facturum omnia, quæcumque ipsi voluerint, de rebus Ecclesiæ spopondit. Quod si verbis minime crederent, secundum hæc suum nuncium iurare præcepit. Vnde non dubito quosdam de Rauennatibus maiestati vestræ suggerere, vt ad eamdem cathedram ille valeat repedare. Nimirum raptores mundi, qui ambiunt ecclesiastica bona diripere, talem volunt Episcopum, qui eorum rapinis non valeat obuiare. Vos autem, excellentissime Domine, aures vestras a venenatis eorum consilijs claudite, & splendidissimam gloriæ vestræ famam, quæ per totius mundi latitudinem volitat, propter vnum hominem offuscare nolite.

† Videri etiã. Conf. schol

Psal. 95 v. 11.

Christus D. in bonis Regib° regnat, & honoratur.

Matt. 21. v. 12

Marc. 11. v. 17.

Luc. 19. v. 45.

Ioan 2. v. 15.

1. Reg 13. v. 13.

2. Paral. 10. v. 13.

Mali Episcopi à quibus desẽduntur.

Si enim ille ad episcopatus arcem reuertitur, totius populi spes, quę erecta fuerat labitur, seruis Dei gaudium tollitur: & prauorum nequitia, quæ formidare iam cœperat, ad audendum peiora fiducialiter roboratur. Quapropter, Rex inuictissime, quod ad laudem Dei, & salutem hominum cœpistis, ad finem vsque perducite: & latrone reiecto, Pastorem vnde Ecclesia gaudeat, ordinate. Omnipotens Deus, qui terreni imperij gubernacula tribuit, & ad faciendam iustitiam suam diu in hac te vita custodiat, & post mortalis vitæ decursum, ad cælestia regna perducat. Amen.

EPIST. III. Ad Henricum Henrici II. Imp. filium, Romanorum Regem.

ARGVMENTVM.

Hæc Epistola scripta est ad Henricum superioris Henrici filium, qui, mortuo patre, nondum Imperator fuerat appellatus: sed regium nomen sustinebat, qui proximus est ad imperatoriam dignitatem gradus. Erat autem tunc temporis adolescens, eiusque ætas a selectis quibusdam primariæ nobilitatis proceribus regebatur. Huius igitur adolescentis animum quasi quibusdam stimulis impellere conatur S. Doctor ad opem Ecclesiæ ferendam, quæ scelestissimi illius pseudopontificis Cadaloi furore pessimè vexabatur. Quoniam vero cognouerat eumdem Henricum, & prauis suorum quorumdam consilijs, quibus omnia honestate, & pietate chariora erant, & sua sponte etiam, quod postea exitus patefecit, ad peiorem causam defendendam magis esse propensum, lenibus verbis acriora quædam; &, vt ita dicam, amariora intermiscet: vt quem pudore non poterat, minis saltem, & timore ad officium reuocaret.

Domno Heinrico præcellentissimo Regi, Petrus peccator Monachus seruitutem.

SVbditi quique timent Regem, Rex, necesse est, metuat Conditorem. Sed cum scriptura dicat: Cui plus committitur, plus requiritur; *Luc. 12. v. 48.* etiam in hoc expedit Regem propensius formidare, quod illi, quem cordis occulta non fallunt, agitur de pluribus rationem reddere. Cum igitur Rex in iudicio discernit hominem, Deus Regem: dignum ne est, vt puluis timeat puluerem, & idem puluis in Rege diuinam despiciat maiestatem? In diebus tuis, ô Rex, obortum est tale periculum,

quod omnium pæne transcendit nequitias sæculorum, Apostolica nimirum Sedes per Hæresiarcham Parmensis ecclesiæ scinditur, Religio Christiana confunditur, Apostolorum labor euertitur, & vniuersalis splendor Ecclesiæ per tenebrosam vnius schismatici hominis concupiscentiam obscuratur. Quid ad hæc dices, qui ecclesiasticæ defensionis officio fungeris? qui in paterni, vel auiti sceptri iura succedis? An plenæ forte robur ætatis adhuc tibi deesse conquereris? Sed ecce Ioas Rex Iuda tener adhuc de sartis tectis templi celeriter instaurandis cum Sacerdotibus disputat: eos quoque collatam a populo vetat retinere pecuniam; totamque artificibus operum iudicat exhibendam. Dauid vix dum adolescentiæ limen ingrediens, aduersus Goliath, non cum gladio, sed cum lapillis, quasi pueriliter dimicat, sed ei caput tamquam vir fortis ictu pugionis obtruncat. Adolescentulus adhuc Iosias omnia vasa Baal de templo Domini cum Sacerdotibus proijcit, & in conualle Cedron, flamma vorante, succendit. Illi igitur honorabant templum, in quo sanguis brutorum animalium fundebatur; tu non succurris Ecclesiæ, in qua pro salute mundi Christi corpus offertur? Nam, vt ad Gentilium quoque recurramus historiam, Annibal ille, qui Chartaginensium Dux factus est, cum adhuc nouem esset annorum, Amilcari patri iurauit ad aras, quia cum primitus posset, aduersus Romanos acerrimè dimicaret. Imbelles pueri bella iam spirant pro terrenæ vnius ciuitatis honore; & tu te non excitas ad procinctum pro tuenda vniuersalis Ecclesiæ libertate?

Cadaloum intelligit.

4. Reg. 12. Adolescentiū Regū in tuēda Religione fortitudo.

1. Reg. 17 v. 49

4. Reg. 23. v. 4.

Annibalis pueri fortis animus. T. Liu. Dec. 3. lib. 1. alijq.

Quidam præterea consiliarij, tui videlicet aulici mysterij dispensatores (vt fœda per populum vulgatur infamia) de persecutione Romanæ gratulantur Ecclesiæ, vtrique scilicet parti fauentes, blandeque canentes; vt modo se venerabilis Papæ fautores per assentationis lenocinium asserant, modo primogenito Satanæ falsi successus læta promittant. Quod tamen de quibusdam Sanctis viris, qui tuis consueuere interesse consilijs, nefas est credi. Plane quisquis sanctam diuidere molitur Ecclesiam, timendum sibi est, ne secundum Euangelicam sententiam, & ipse diuidatur: Veniet, inquit, Dominus serui illius in die, qua non sperat, & hora, qua nescit, & diuidet eum, partemq. eius cum infidelibus ponet. Porro de Phaleg filio Heber scriptum est, quia in diebus eius diuisa est terra; de te quoque cauendum est, ne dicatur, quia in dieb[us] tuis diuisa est Ecclesia. Scribantur annales, texatur historia, quæ dicat, quia Nerua clementissimus Imperator pacificauit Ecclesiam, Constantinus confirmauit, Theodosius exaltauit; & cum peruentum fuerit ad te, gloriosum ne tibi est, si dicatur, Heinricus diuisit? Absit hoc a te, vt hanc legat historiam posteritas ventura d[...]. Noli ergo esse Phaleg, qui coniuncta diuidas; sed esto Christi discipulus, qui diuisa coniungas. Ij vero, qui ad diuisionem Apostolicæ Sedis diabolico succenduntur instinctu, Dathan, & Abiron, atque Chore ad memoriam reuocent, & ex eorum perditionibus colligant, qui finis etiam se, qui non

Mali Consultores Principibus sunt perniciosissimi.

Luc. 12. v. 46.

Gen. 10. v. 25.

Imperatores Ecclesiæ defensores.

Num. 16. v 32. Schismaticorum pessimus finis.

dissimilia sectantur, expectat. Illi sane schisma fecerant Synagogę, isti diuisionem machinantur Ecclesiæ. Quamobrem sicut illos vtique viuentes terra deglutijt; sic isti per schismaticæ nequitiæ meritum, prudentes, & scientes merguntur in tartarum. Nec glorientur qui manifeste Romanæ Ecclesiæ schisma non faciunt, sed tamen annuendo, & negligendo scindentibus non resistunt; quia sicut non solus ille, qui dixit: In cælum conscendam, super astra cæli exaltabo solium meum; sed & omnes fautores eius repente sunt e cælo proiecti, ita non modo Chore, sed & complices eius, ducenti videlicet quinquaginta viri, cælestis ignis sunt incendio deuorati. Vnde cauendum est, ne malitia subditorum redūdet in regem, & si non delinquentem, non tamen pro viribus prohibētem. Nam Gregoriana sententia est: Facti culpam habet; qui, quod potest, negligit emendare. Cauendum est, inquam, o Rex, ne dum tu pateris diuidi Sacerdotium; tuum quoque, quod absit, diuidatur Imperium. Ná, sicut sacra testatur historia, mox vt Saul apprehendit summitatem pallij Samuelis, & scidit; protinus illi Samuel, Sic, inquit, scidit Dominus Regnum Israel a te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te. Porro autem sicut pallium illud vestis erat Samuelis, sic & sancta Ecclesia vestis est vtique Redemptoris. Cui per Prophetam dicitur: Confessionem, & decorem induisti. Confessionem quippe Dominus induit, cum sibi peccatores associat pœnitendo sanatos; decorem vero', cum sibimet clementer agglutinat innocentes nitore iustitię speciosos. Pallium igitur Samuelis Saul abrupit, & Regnum perdidit; Christi scinditur vestimentum, & licet non scindentis, tamen scindere permittentis, stabit Imperium? Inconsutilem vestem Iesu miles Gentilis metuit scindere, & Christiani non verentur Ecclesiam per errorem schismaticum separare? Cum ergo vestis Christi sancta dicatur Ecclesia, scissio vestis, diuisionem minatur regiæ potestatis. Hinc est forte, quod Vrbes, oppida, siue Prouinciæ huius regni ab exteris quotidie cernimus nationibus vsurpari.

Schismaticis fauentes aut non resistētes pœna digni.

Esa. 14. v. 13.

Subditorum malitia in Regem negligētem redundat.

1. Reg. 15. v. 28

Saul cur Regnum perdidit.

Ecclesia est Christi vestis.

Psal. 103. v. 2.

Scissio sanctæ Ecclesiæ diuisionem minatur regiæ potestatis.

Balthasar nempe, quia vasa Domini fœdanda labijs Gentilium protulit, mox ex ore Danielis audiuit: Diuisum est Regnum tuum, & datum est Medis, & Persis. Heli sacerdotij dignitate detruditur, dum non intentat filijs verbera, sed blanditur; vtcumque tamen corripuit illos, sed lenitate Patris, non austeritate Pontificis: atque iccirco ceruicibus effractis occubuit, quia peccantibus inclementer indulsit. Achias Propheta pallium suum in duodecim partes scidit, & dixit ad Ieroboam: Tolle tibi decem scissuras. Hæc enim dicit Dominus Deus Israel: ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus. Diuisio ergo vestis scissurā regalis significat ditionis. Quod quia nequaquam Dominus in diebus Salomonis impleuit, sed in posteris eius hæc sententia viguit; de te quoque pium est credere, quod tibi qui innocens es, regnum integrum permanebit: post te vero subiectorum tuorum meritis, nisi forte se corrigant, transferetur, & concedet in

Dan. 5 v. 28.

1. Reg 2. v 24. & 4. v. 18.

Vrbium, ac prouinciarum ruina ex schismate nata.

Balthasar cur regno priuatus.

3. Reg 11. v. 31.

Heli in filios peccatores indulgentia est mortis causa.

Dan.4.v.19. exteros. Sicut enim per Danielem dicitur, Dominatur excelsus super
Regum pietas in Deum regna conseruat. regnum hominum, & cuicumque voluerit dat illud. Nam & Assyriorum Regnum, & Lacedemonum, aliorumque Gentium per definita temporum spatia se tenuerunt, nec diutius præfixit diuturnitatis terminum, sicut eorum testantur annales, excedere potuerunt. Huic etiam
Deus est regnorum largitor & conseruator. Italico Regno aliquando dominanti sunt Greci, aliquando Galli, plerumque Latini. Tu quæso, gloriose Rex, a prauis consiliarijs, tamquam a venenatis serpentium sibilis, aures obtura, in virile te robur per ardo-
Qui regnauerunt in Italia. rem spiritus excita, collapsæ matri tuæ Romanæ Ecclesiæ manum por-
Tob 8.v.3. rige: & tamquam Archangelus Raphaël a Sara filia Raguel dæmonium;
Augusti laus. a quo viduatur, expelle; vt sicut Octauianus Augustus in hoc gloriatur
Suet. in Augusto. elogio, Vrbem, inquiens, lateritiam repperi, relinquo marmoream: sic & tu multo gloriosius, multoque nobilius dicere valeas: Romanam Ecclesiam iacentem quidem puer inueni, sed antequam plene pubescerem, auctore Deo, in statum pristinum reuocaui. Vt de te quoque, sicut de illo, celebri quandoque per populum deuotione dicatur: Vtinam, aut non nasceretur, aut non moreretur: immo, vt de sacris paginis adhibeamus exemplum, illud impleatur in te, quod Dauid sibi Deum Is-
2.Reg. 23 v.4. raël dixisse commemorat: Sicut lux auroræ, oriente sole, mane absque nubibus rutilat: & sicut pluuijs germinat herba de terra: sic cum eodem Dauid non immerito valeas & ipse cantare: Cuncta salus mea, & om-
Ibid.v.5. nis voluntas, nec est quidquam ex eo, quod non germinet. Vtraque
Dignitas sacerdotis, ac regalis in Christo connectitur. præterea dignitas, & regalis scilicet, & sacerdotalis, sicut principaliter in Christo sibimet inuicem singularis Sacramenti veritate connectitur, sic in Christiano populo mutuo quodam sibi fœdere copulatur. Vtraque videlicet alternæ inuicem vtilitatis est indiga, dum & sacerdotium
Quomodo Rex sacerdotem, sacerdos Regem tueatur. regni tuitione protegitur, & regnum sacerdotalis officij sanctitate fulcitur. Rex enim præcingitur gladio, vt hostibus Ecclesiæ munitus occurrat: Sacerdos orationum vacat excubijs, vt Regi cum populo Deum placabilem reddat. Ille sub lance iustitiæ negotia debet terrena dirimere; iste fluenta cælestis eloquij debet sitientibus propinare. Ille constitutus est, vt nocentes, atque scelestos legalium sanctionum censura coerceat; iste ad hoc ordinatus est: vt per claues Ecclesiæ, quas accepit, alios zelo canonici vigoris astringat, alios per mansuetudinem Ecclesiasticæ pietatis absoluat. Sed audi Paulum de regibus disputantem, & rectam regalis officij lineam iacientem: nam post multa, sic ait: Dei enim minister est tibi in bono: si
Rom.13. v 4. autem malum feceris, time. Non enim sine causa gladium portat. Dei
Rex est Dei minister. enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit. Si ergo tu es minister Dei, quare non defendis Ecclesiam Dei? Cur armaris, si non prælia- ris? Cur accingeris, si congredientibus non resistis? Qui sub æstiuo meridiatur vmbraculo securus poterit disputare de bello. Porro veraciter sine causa gladium portas nisi resistentium Deo colla transfodias nec vindex es in iram ei, qui malum agit, dum in adulterantes Ecclesiam

non

non consurgis; & cum Simeone, & Leui violatæ sororis opprobrium a domo Israel non repellis. Vertatur ergo docta manus ad capulum, & cum Dauid in Amalechitas impetu fulguris irrue: & sicut ille latrunculos subegit; sic & tu hostes Ecclesiæ, vibrato iustitię mucrone, transfige. Sentiat, sentiat veterrimus ille draco, Cadalous videlicet, perturbator Ecclesiæ, euersor Apostolicæ disciplinæ, inimicus salutis humanæ: sentiat, inquam, radix peccati, præco diaboli, apostolus Antichristi: & quid plura dicam? sagitta producta de pharetra Satanæ, virga Assur, filius Belial, filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur; vorago libidinis, naufragium castitatis, Christianitatis opprobrium, ignominia sacerdotum, genimen viperarum, fætor orbis, spurcitia sæculi, dedecus vniuersitatis, (Attexantur adhuc epiteta Cadaloi, catalogus videlicet nominis tenebrosi) serpens lubricus, coluber tortuosus, stercus hominum, latrina criminum, sentina vitiorum, abominatio cæli, proiectio paradisi, pabulum tartari, stipula ignis æterni: sentiat iste motum regiæ maiestatis, & terrenum metuat Principem, qui audacter prouocat in bella cælestem; & quia dicit insipiens in corde suo: Non est Deus; experiatur inesse regio pectori Christianæ Fidei pietatem, pro diuinæ militiæ castris non eneruiter confligentem. Regnum ergo tuum arma corripiat, vt cum Melchisedech stet sacerdotium, sacerdotium oret, vt actitum Dauid exaltetur imperium. Nam ad hoc pro te vniuersalis orat Ecclesia, vt & labor tuus ei quietem pariat, & orationibus illius gloria tibi triumphalis accrescat, sicut & Moyses orabat, eoque simul orante, vincebat: si vero remitteret manus Moyses, superabat protinus Amalech. Hinc & Apostolus ait: Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt constituti. Quare hoc? Audi, quod sequitur: Vt quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate. Porro quia splendidæ memoriæ Pater tuus, magnificus Imperator, sublimiter exaltauit Ecclesiam, tu quoque, sicut eius hæres Imperij, sic etiam in Ecclesiasticæ cautionis iura succede. Igitur in Ecclesiastici status incolumitate seruanda, clarissima soboles paternis respondeat institutis: & ab arbore sua non degeneret ramus in fructu, quam per traducem virtutis, & gratiæ decus exornat. Sed sicut olim per illum, nunc amodo per te & collapsa resurgat Ecclesia: & Ecclesiastica, quæ confusa est, refloreat disciplina. Durius forte locutus sum Regi, præsertim cum Salomon dicat: In cogitatione tua Regi ne detrahas, & in secreto cubilis tui, ne maledixeris diuiti, quia auis cæli portabit vocem tuam: & qui habet pennas, annunciabit sententiam. Et severa, qui peculatus crimen incurrit, in diacoposin cogitur interire, quod tulit, sed tunc deferendum est Regi, cum Rex obtemperat Conditori, alioquin cum Rex diuinis resultat imperijs, ipse quoque iure contemnitur a subiectis. Si quis enim proprius, non Dei Rex esse contendit,

Gen. 34. v. 15.
1. Reg. 30. v. 17.
Cadalous omnium nequissimus describitur.
2. Thess. 2. v. 4.
Psal. 13. v. 1.
Gen. 14. v. 18.
Quare S. Ecclesia orat pro Regibus.
Exod. 17. v. 12.
1. Tim. 2. v. 1.
Eccl. 10. v. 20.
Tunc Rex honorandus cum suo obtemperat Conditori.

qui in die pugnæ non stat pro castris Ecclesiæ, & sic proprijs vtilitatibus specialiter metuit, vt ruinæ periclitantis Ecclesiæ non succurrat. Sed & cum per Esaiam Dominus dicat: Venite, & arguite me; cur homo ab homine despiciat argui, quē constat eadem mortalitatis lege constringi? Et cum lege Forensi cautum sit, vt qui in peremptores parentum non vlciscitur, in ius hæreditariæ successionis nullatenus admittatur; Ego, qui in homicidā matris meæ, Romanę scilicet Ecclesiæ, vlcisci nequeo, vltores saltem impellere non tentabo? Deputa ergo me, ô Rex, fideliter consulentem, non procaciter obloquentem: vel si placet, æstimato me præ dolore peremptæ matris insanum, non aduersus excellentiam Regiæ maiestatis insolenter elatum. Sed, ô vtinam ego ante tribunal tuum adiudicer reus perduellionis, dum tu tamen in aduersarios Apostolicæ sedis vindices arbiter æquitatis! In ceruicis meę iugulum securis vibrata desæuiat, tantummodo Romana Ecclesia propriæ dignitatis apicem per te reparata conscendat. Porro si Cadaloum cito velut alter Constantinus Arrium destruis, & Ecclesiæ, pro qua Christus mortuus est, pacem reformare contendis; faciat te Deus in proximo de Regno Imperiale fastigium scandere, & a cunctis hostibus tuis insignis gloriæ titulos reportare: alioquin si adhuc dissimulas, si mundi periclitantis errorem, cum possis abolere, detrectas, & reliqua. Cohibeo spiritum, & consequentiæ relinquo lectoribus intellectum.

Esa. 1. v. 18.

B. Petri Dami admirabile in Ecclesiam Romanam studiū ac zelus.

Apostolici viri libertas.

EPIST. IV. Ad Agnetem Imperatricem, Henrici II. Imp. Vxorem.

ARGVMENTVM.

Petierat Imperatrix Agnes per litteras, vt pallium Moguntino Archiepiscopo recenter electo mitteretur. Rescribunt, Doctore beatiss. a secretis, Episcopi Cardinales, id fieri non posse. Non solere enim Rom. Ecclesiam cuiquam Antistiti absenti, nisi qui prius a summo Pontifice, aut eius Legato examinatus, idoneus tantæ dignitati inuentus fuerit, pallium tribuere. Oportere igitur eumdem Moguntinum Archiepiscopum Romam proficisci, vt ibi approbatus, & voti compos effectus, in patriam reuertatur.

Serenissimæ Imperatrici Agneti, Humbertus Archiepiscopus, & Bonifacius Albanensis cum ceteris Cardinalibus Episcopis, concordissimæ fidelitatis obsequium.

A Longo iam tempore prorsus imperiali maiestati Ecclesia Romana plus non debuit, quam vestræ gloriæ. Ex cuius videlicet sanctæ

deuotionis studio multa beneficia, & magna suscepit. Ita nimirum, vt iure dicaris B. Petri Apostolorum Principis filia, & Dei omnipotentis in commisso tibi regimine fidelis ancilla, Si quid ergo magnificentia vestra Romanam petit Ecclesiam, quod canonicis obuiet regulis, non malitiæ, quod absit, adscribimus; sed consiliatorum vestrorum potius ignorantiæ deputamus. Petistis enim, vt Domno Maguntino pallium mitteretur, quod proculdubio Sanctorum Patrum sanctionibus probatur aduersum. Ipsi siquidem Pontifices ex antiquæ traditionis vsu, ad Apostolorum debent limina properare; & hoc sine quo Metropolitani esse non possunt, signum consumandę suę dignitatis accipere. Quod si huic assertioni fortassis obijcitur, a Romanis Pontificibus pallium ad plurima loca sæpe per nuncios fuisse transmissum, hoc negotium tali videtur declaratione distingui: quia tunc temporis Legati Romanæ Ecclesiæ vice Papæ fungebantur, per prouincias constituti. Illi igitur eos, qui ad Episcopatus apicem promouebantur, examinabant, sicq. pallium ab Apostolica sede per nuncios impetrabant. Porro autem, vt vno sufficiat exemplo declarare, quod dicimus, Brunichildis Regina Francorum Syagrio fratri suo, Augustudunensi videlicet Episcopo, a B. Gregorio impetrare pallium alia ratione non potuit, nisi ille, quamuis bonus esset, & iustus, Candidum defensorem, qui in illis partibus Apocrisiarij fungebatur officio, ab eo examinandus adiret: sicque accipiens pallium dignam in Legato suo, Romano Pontifici reuerentiam exhiberet. Mauricius etiam Imperator ab eodem Gregorio. per longa tempora supplicans, aliter, quod de pallio petierat, non impleuit, nisi quia Maximus Salonitanus Episcopus Rauennam vsque peruenit: seque ex his capitulis, quæ sibimet obiecta fuerant, coram his, quibus hoc iudicium iniunctum fuerat, digna satisfactione purgauit. Enim vero & beatus Papa Damasus hoc decreuit, vt quisquis Metropolitanorum vltra tres menses post ordinationem suam Romano Pontifici fidem suam exponere, & pallium flagitare distulerit, commissa careat dignitate. Quapropter ipse Domnus Maguntinus electus vester ad Apostolorum limina venire non differat: sicque perfectio suæ dignitatis canonice, & ordinabiliter fiat. Siue enim nos, siue Domnus noster, quidquid pro quolibet mortalium necesse est agere, pro vestræ celsitudinis gloria non dubitamus implere.

Pallium non potest tribui nisi Romam venientibus.

Per Legatos Apostolicos foris pallium concedebatur aliquando.

Greg. Regist. lib. 7, Epist. 5.

Idem Regist. lib. 5 Epist. 15. & lib. 7. Epist. 129.

Damasi decretum circa ordinatos Metropolitanos in petitione pallij. Apud Iuonem Carnoten. lib. 1.

EPIST. V. Ad eandem Agnetem Imperatricem.

ARGVMENTVM.

Agnetem Imperatricem Romam non superbo apparatu, sed cultu infra priuatæ fœminæ personam deiecto ingredientem, ad præsepe Christi Domini visendum, Reginæ Sabæ comparat, quæ Regiam Salomonis magnificentissime ingressa est. Eamdem præterea laudat, quod regales pompas mirifice contempserit. Deinde exemplo Romanorum Regum, ac externorum, fluxas esse huius mundi dignitates, & multis calamitatibus obnoxias, aperte demonstrat. Acriter reprehendit eos, qui nobilitate, & diuitiis gloriantur, cum mortalium omnium idem sit ortus, atque occasus.

Scuto bonæ voluntatis Dei coronatæ Agneti Imperatrici, Petrus peccator monachus seruitutem.

3. Reg. 10. v. 2. 2. Paral. 9. v. 1. 1. Cor. 1. v. 21. Agnetis Imp. cum Regina Saba comparatio.

REgina Saba venit in Hierusalem audire sapientiam Salomonis, Imperatrix Agnes Romam adijt addiscere stultitiam Piscatoris. Nam sicut Paulus ait, quia non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Illa, sicut sacra testatur Historia, ingressa est cum multo comitatu, & diuitijs: camelis quoque portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas pretiosas, ista vero cum Hermisinde cognata sua, non dispari sancti Spiritus feruore succensa, tamquam Maria Magdalenæ cum altera Maria, veniunt ad sepulchrum, non vt corpus Iesu perungant fomentis aromatum, sed vt pedes eius fluentis irrigent lacrymarum. Non enim iam quærunt viuentem cum mortuis, sed adorantes tenent vestigia resurgentis. Carnalis plane Salomon Reginæ Sabæ quæstionum nodos, & mysteria reserauit ænigmatum, nostra vero Regina nil sibi solui proposuit, nisi suorum vincula peccatorum. Salomon namque fuit figura Christi, & quædam velut imago, siue prophetia, personam nostri Saluatoris expressit. De illo quippe dicitur: Quia locutus est tria millia parabolarum, & fuerunt carmina illius quinque millia, vbi præsto subiungitur: Quia disputauit etiam super lignis, a cedro, quæ est in Libano, vsque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete: & disseruit de iumentis, & de volucribus, & reptilibus, & piscibus. quæ scilicet Redemptori nostro, nō ambigit, cuncta congruere, cui vacat hæc diligenti consideratione tractare. Ipse nimirum tria millia parabolarū est locutus, qui & per mystica Patrum præcedentiū facta, & per

Matt. 28. v. 1. Marc. 16. v. 6. Luc. 24. v. 1. Ioan. 20. v. 1.

Salamon figura Christi.

3. Reg. 4. v. 32.

allegorica prophetarũ oracula, vel etiã per coruſcantis Euangelij documenta, dũ ſub velamine pænè cuncta diſſeruit, quaſi tria millia in verbis ſuis parabolarũ numerauit. Vnde & in Euangelio Matthæus ait: Hæc omnia locutus eſt Ieſus in parobolis ad turbas, & ſine parabolis non loquebatur eis. Cuius etiã carmina quinq; millia ſunt; quia chorus Virginũ, quæ ſub quinario numero deſcribũtur, ante thronũ eius ſicut Ioannes in Apocalypſi dicit, canticum nouum iugiter modulatur: vel quia quinque ſunt vulnera Dominici corporis, quibus per vniuerſum orbem triumphalis eius victoria prædicatur. Sub eodem numero carmina ſupputantur, ſub quo tenentur & vulnera, per quæ victoria ſingularis laudis æternæ gloriam promeretur. Vnde cum in Canticis dicitur: Surge amica mea, ſponſa mea, & veni columba mea in foraminibus petræ, & in cauerna maceriæ; protinus additur: Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis, quia vox tua dulcis. Sanè, quia non hæc exactè tractamus, ſed ſuccinctè celeriterque tranſcurrimus, ſufficiat dicere: quia cum petra ſit Chriſtus, foramina petræ proculdubio ſunt Dominici corporis cicatrices. Sed cũ poſt huius petræ foramina dulcis vox ſponſæ in ſponſi auribus ſonare præcipitur, quid aliud, quam quinque vulneribus ſub eodem quinario numero, carmina laudum reddere pia quælibet anima, vel ſancta vniuerſalis Eccleſia commonetur; vt eiuſdem quodammodo numeri carmina referat, quot pro ſe ſuſcepta vulnera non ignorat: illique cunctos ſui corporis ſenſus dedicet, quem totidem pro ſe ſauciatum vulneribus videt? Quinque nimirum noſtrorum ſenſuum vulnera, illis quinque Dominici corporis cicatricibus ſunt ſanata. Quod autem Salomon ſuper lignis à cedro, quæ eſt in Libano, vſque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete, diſputaſſe dicitur; hic neceſſario ad ſpiritualem remittimur intellectũ, cum nullatenus ſtare valeat ſuperficies litterarum. Hyſſopus enim nequaquam de parietibus egredi, ſed de ſaxoſis cernitur montibus germinare. Paries itaque noſter ipſa mortalitatis noſtræ conditio eſt, quæ nos à contemplatione Conditoris, velut abditæ domus obſtaculum, diuidit, & in ima procliuius declinare compellit. Corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem. Ex hoc ergo pariete hyſſopus egreditur, quia de fragilitate noſtræ mortalitatis erumpit, quod ſemper neceſſe eſt ferro pœnitentiæ reſecari. Hyſſopo nimirum purificantur intima viſcerum, per quam non incongrue deſignatur confeſſio peccatorum. Diſputauit igitur noſter Salomon ſuper lignis, hominibus videlicet intra germinantis Eccleſiæ nemora radicatis, à cedro, quæ in Libano, vſque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete; id eſt, ab ipſis eminentibus ſanctis, nitore iuſtitiæ candidatis, vſque ad peccatores, & lapſos, atque ad pœnitentiæ demum lamenta conuerſos. Hinc eſt, quod ſequitur: Diſſeruit & de iumentis, ſanctorum ſcilicet adiutoribus, Catholicis viris: & de volucribus, hominibus nimirum per ſancta deſideria, ad ſuperna ſuſpenſis: & de reptilibus, & piſ-

Matt.13.v.34.

Apoc.14.v.33.

Chriſti vulneribus prędicatur Crucis victoria.

Cant.2.v.13.

1.Cor.10.v.5.

Quibus precibus Chriſti vulnera venerari debeamus.

Chriſti vulnera ſunt noſtrorum ſenſuum medicamenta.

Sap.9.v.15.

Hyſſopo deſignatur confeſſio peccatorum.

Sancti viri cedro Libani ſimiles.

Chriſti & Salomonis ſapientia comparatur.

cibus, hoc est, de his, qui pectus concupiscentiæ per terram trahunt, & qui per sæcularium negotiorum fluenta vagantur. Dicitur etiam, quod præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium, & Ægyptiorum; quia nimirum Redemptor noster superat intellectum & Angelorum, & hominum. Habebat ille quadraginta millia præsepia equorũ currilium, & duodecim millia equestriũ. Quid per quaternariũ numerũ, nisi quadriga præstruitur Euãgelistarum? Et quid per duodenarium, nisi senatus exprimitur Apostolorum? Per doctrinam quippè Euangelicam, & Apostolicam vectatur Dominus per vniuersam latitudinem orbis terrarum. Currus enim Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in illis, in Sina in sancto. Nam, quia Sina mandatum interpretatur; constat in eis tantummodo vectam Dominũ, vbi fit cælestium obseruatio mandatorum.

Doctrina Apostolorũ, & Euangelistarũ est currus Christi.

Psal 67. v. 18.

Notandum autem, quia sicut Regnũ Dauid, qui tot est pressuris attritus, Dominum designat in mortalis adhuc vitæ stadio laborantem; sic Salomonis istius incomparabilis gloria præfigurat eundem Dominum post mundi finem in paterni culminis maiestate regnantem. Vnde illic dicitur, quia non erat argentum, nec vllius pretij putabatur in diebus Salomonis. Quod nimirum quo modo iuxta litteram stabit, vt credi valeat tempore Salomonis argentum vel penitus non fuisse, ac per hoc omnino de terra deletum, vel nullius perexilis saltem pretij constitisse? Nam si nullius erat pretij, sicut dicitur; ergo mille talenta argenti, ne vnius quidem poterant oui appendio supputari. Quod sanè credi, quam friuolum, quam videatur ineptum, ipse reuincit textus, & ordo verborum, qui postquam premittit: Non erat argentum, nec vllius pretij putabatur in diebus Salomonis: præsto subiungit: Quia classis Regis per mare cum classe Hiram semel per tres annos ibat Tharsis, deferens inde aurum, & argentum. Cur enim per tot marina discrimina metallum hoc classis illa deferret, quod pretium penitus non haberet? Et paulo post dicitur: Quia offerebantur ei vasa aurea, & argentea; deinde subinfertur: Quia egrediebatur quadriga ex Ægypto sexcentis siclis argenti, & equus centum quinquaginta. Non ergo pretio carebat argentum, quo vehicula redimebantur equorum. Sed argento designatur claritas Ecclesiasticæ prædicationis, de qua dicitur: Eloquia Domini, eloquia casta, argentum. Quod videlicet sanctæ prædicationis argentum, nullius, vt ita loquar, pretij reputabimus: nec aliquatenus erimus eius indigui, postquam ad veri Salomonis Regnum, ex hac fuerimus calamitate translati. Non enim tunc prædicationis indigemus eloquio, vbi datur in decore suo Regem gloriæ facie ad faciem cernere, quem vtique consueuimus ex ore prædicatoris audire. Sicut per Prophetam pollicetur Dominus, dicens: Nemo dicet, agnosce Dominum: omnes enim cognoscent me à maximo vsque ad minimum, dicit Dominus.

Dauid Christum figurauit mortalem, Salomõ immortalem.

3. Reg. 10. v. 22

Ibid. v. 25.

Ibid. v. 29.

Argento sacra prædicatio comparatur.

Psal. 11. v. 7.

Hierem. 31. v. 34.

Sed fortè quis asserat, Scripturæ verba nos ad nostrum intellectum

violenter inflectere: & quod Salomon de se videtur asserere, ad Saluatorem perhibeat specialiter per omnia pertinere. Dicat itaque huius obiectionis assertor, qua Salomoni valeat ratione competere, quod quasi de se dicit: Deus enim dedit mihi horum, quæ sunt, scientiam veram; vt sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum: initium, & consummationem, & medietatem temporum: vicissitudinum permutationes, & commutationes hominum: anni cursus, & stellarum dispositiones: naturas animalium, & iras bestiarum: vim ventorum, & cogitationes hominum; & quæcumque sunt absconsa, & improuisa, didici. Nam vt de cæteris interim sileamus, quo modo nosse potuit Salomon hominum cogitationes, cum ipse Deo alibi dicat: Tu solus nosti corda omnium filiorum hominum? Sed quis & absconsa omnia, & improuisa didicit, nisi Redemptor noster, in cuius pectore sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientię absconditi? Qui profecto per humanitatem didicit, quod per diuinitatem naturaliter nouit.

Sap. 7. v. 17.
3. Reg. 8. v. 39.
Coloss. 2. v. 23.

Ad hunc ergo Salomonem tu nuper, ô Regina, venisti, non vt illa Sabæorum, in curribus, equitibus, & elephantis: sed in lacrymis potius, gemitibus, & lamentis. Tu ergo veraciter es Regina Saba. Saba siquidem interpretatur humilis, vel campestris. Et bene campestris, In campum quippè certaminis descendisti, vt manus manibus conseras: & pro castris Christi stans, non eneruiter cum hoste confligas. Venisti, inquam, non, vt ænigmatum tibi mysteria scrupulosa dissolueret: sed, vt per simplicis Clauicularij sui ministerium Regni cælestis aditum reseraret. Venisti humilis ad humilem, pauper ad pauperem: & quasi cum peronatis, & incultis gregum pastoribus, adorare venisti puerū in præsepio vagientem. Vidisse nempe tunc te, & quæ circa te, mirandum valde spectaculum, & imitandum Saluatoris erat ædificationis exemplum. Vestis enim pulla, & lanea. Is, cui insidebas, non dicam equus, sed potius burdo, vel burricus, vix mensuram desidis excedebat aselli. Mutaueras enim coronam velo, purpuram sacco: & manus quæ in modum † columbæ, gestare consueuerat sceptrum, attrita iam erat portare Psalterium. Reuera, quia omnis gloria filiæ Regum ab intus: vernantium decor ille gemmarum, & coruscantium auro vestium cultus, iam ad interiora migrauerant, & in occulti speculatoris obtutibus interior sponsæ species relucebat. Cui sponsus, Tota, inquit, pulchra es amica mea, & macula non est in te. Et iterum: Pulchra es amica mea, suauis, & decora. Delicatam porro ceruicem illam, ex qua cum bratteolis aureis, & rutilantibus margaritis dudum murena pendebat: nunc margo laneæ vestis exasperat. Vnde ministri cælestis illius Sponsi tibi blandiuntur, & dicunt: Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento. Et sponsus adhuc, Coronaberis, inquit, de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. Amana siquidem mons esse Ciliciæ dicitur, qui &

Qualis Agnes Aug. Romam venerit, & cur.
Eius pietas, & humilitas, qua Christi D. præsepe adorauit.
Luc. 2. v. 16.
† columnæ.
Psal. 44. v. 14.
Cant. 4. v. 7.
Cant. 6. v. 3.
Cant. 1. v. 10.
Cant. 4. v. 8.

Taurus à compluribus appellatur; Sanir, & Hermon terræ Iudaicæ mõtes sunt, in quibus leones & pardi habitare credũtur. Per hos ergo mõtes, Reges, & Principes, diuersæque mũdi huius intelligẽdæ sunt potestates, quæ velut montes sese in superbiæ culmen attollunt: & malignis spiritibus, tamquam pardis, atque leonibus, habitaculum ferunt. De his tu ergo montibus coronaberis; quia quotquot mundi Principes, ac potentes ad Deum per tuum conuertuntur exemplum, pro his omnibus æternæ gloriæ tibi cumulabitur præmium; eris quoque non modo coronata, sed & ipsa corona, Propheta attestante, qui ait: Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema Regni in manu Dei tui.

Per bona exẽpla corona gloriæ nobis cumulatur.

Esa. 62. v. 3.

Amisisti Regina virum, post quem dedignata es thalamos iterare, vel proci cuiuslibet fœdus admittere, nisi qui priorem virum excellentioris gloriæ dignitate transcenderet. Quid igitur faceres? Vir ille tuus Imperator extitit, Regiæ dignitatis apicem tenuit: &, quod in hominibus singulare est, Romani Imperij Monarchiam dispensauit. Quia igitur in tantæ celsitudinis arce præeminuit, eo superior quispiam in humano genere reperiri non potuit. Quę ergo in terris idoneum, & qui tuis placeret oculis inuenire non poteras virum, in cælestis Sponsi pronolasti violenter amplexus. Violenter inquam. Regnum quippe cœlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud. O Beata illa superbia, ô beata mentis elatio, & omnibus digna præconiis: quæ dum carnalis thalami iura contempsit, in dotalium Regis æterni gloriosa transiuit. Carnalis planè vir virginitatis arcana corrumpit; Sponsus autem ille cælestis eas etiam, quas sibi violatas associat, in virginale decus illico sine difficultate reformat: vt nimirum contracti squaloris inquinamenta deponant, & velut aridæ prius arbusculæ denuo comantes, in pristini decoris gratiam reuirescant. Porro autem cum carnali viro nuptura exornatur, mox apud affines, & notos vndique pecunia quæsita congeritur: & quidquid valet acquiri, sacculis illico, vel obsignandis capsidilibus infercitur; vt quo magis ad virum mulier onerata depropera, eo & gloriosior appareat, & ille propensius in eius amore sedulus inferuescat. Tu contra, vt nuptialia cum cælesti Sponso fœdera contrahas, regalis ærarij congeriem prodigis, radiantia quęque cum auro, vel argento margarita dispergis; aulæa tua blattina, vel potius deaurata, templorum laquearibus appenduntur; ornamenta regalia sacris famulantur altaribus. Nullis, vt ita fatear, parcitur rebus: & hoc solum indigentibus, vel Ecclesijs non confertur, quod extra tui iuris peculium reperitur; cuncta projicis, cuncta dilapidas: vt ad Sponsi cælestis amplexus exonerata prorsus, immo nuda peruenias. Hæc autem non propter te, venerabilis Imperatrix, edissero, quam & his verbis potius offendere pertimesco: sed ob id potius, vt dum tuæ virtutis insigne vtcumque depromitur, non parua legentibus ædificatio procuretur. Vbi dum tanta sublimitas pro sui Conditoris amore, ad paumentum

Consilium Agnetis Imp. in dedicando se Deo.

Matt. 11. v. 12.

Profusa Agnetis Aug. munificentia.

Bona magnorũ virorum, & mulierũ exẽpla quantum valeant.

pauimentum vsque deijcitur, quæ ceruix superbiæ protinus à sui rigoris erecta tentigine non flectatur? Quæ tumidæ cuiuslibet mentis inflatio præsto non folleat: cum tantæ gloriæ Principem nunc, velut despicabile mancipium, cernat? Quis præterea rerum transeuntium pertimescat inopiam: cum spontaneam videat in ea muliere pauperiem, quam tot vtique Regnis paulo ante conspexerat imperantem? Aut quis inculti habitus iniuriam perhorrescat: cum aureo subtegmini, & regalibus pompis à regia majestate vile stamen prælatum esse considerat?

Veniam ad mensam, & ad famelicam, vt ita loquar, epularum affluentium vbertatem. Quale, rogo, est, congestam ante te struem lancium, & renidentium carnium epulas per mensas circumquaque transmittere: & carnium ne ipsam quidem pinguedinem, aliquatenus degustare? contractare manibus dapes, & eas in ore non sapere? immo ipsum panem, vel quælibet incultioris apparatus edulia cum timore summotenus ligurire? Vnde mihi sæpe conquesta es, carenus edendi te non posse cohibere pruriginem: vt ex his, quæ apposita cerneres, non alquid tibi quandolibet immoderatius indulgeres. Hinc sæpius lacrymæ, hinc gemitus, hinc & profunda suspiria. Lugebas enim, quia quantauis disciplinæ cautela, cuiuslibet districtionis instantia, naturam funditus superare non posses. Sed, sicut & tunc forte non tacui, ieiunium tuum, Regina, multiplex est. Nos enim aliquando ieiunamus à cibis: sed tu ieiunas à purpura, ieiunas à corona, atque, à tot, & tam magnificis imperialis gloriæ pompis. His enim abstinere, non immerito ieiunium nuncupatur, quibus vtique mens quæque carnalis delectabiliter pascitur. Nam si simplex aqua à David proiecta, Scriptura teste, in sacrificium vertitur: tot rerum, honorumque contemptus quantam apud Deum gloriam promeretur? O quam grauis est, quamque laudabilis abstinentia, assuetam iuuenculam à virili ieiunare complexu! Numquid & hoc graue ieiunium non est, vt quæ consueueras istos in honorum culmen attollere, illos insolenter vsa dignitate priuare: nunc roculis contenta domesticis, aspectus hominum fugias, & in orationis, ac psalmodiæ sedula modulatione persistas? Nam, quia fueras olim Susanna cum viro, meritò nunc facta es Anna post virum: & quia tunc coniugalem pudicitiam immaculatè seruaueras, nunc cum filia Phanuel, quod templum Dei dicitur, in Ecclesia iugiter perseueras. Hinc est, quod à me, per venerabilem Rainaldum Comanum Episcopum, requisisti: vtrum liceret homini inter ipsum debiti naturalis † egerium, aliquid ruminare psalmorum. Ad quod ego, quod ad tempus occurrebat, exposui; quoniam & sanctum Iob Deus omnipotens visitauit in sterquilinio constitutum: & beata martyr Agnes, cuius & tu æquiuoca es, in obsoletis, & sordidis lupanarium locis Angelum, simul & angelicum reperit indumentum. Nam & Apostolus vbique nos præcipit orare, cum dicit: Volo ergo

Agnetis mira abstinentia.

2. Reg. 23. v. 16

Dan 13. v. 2.
1. Reg. 1.
Luc 2. v. 36.
Agnetis Aug. scrupulus mētis eius candorem patefacit.
† ipsam egeriem
Iob. 38. & deinceps.
1. Tim. 2. v. 8.

viros orate in omni loco, leuantes puras manus sine ira, & disceptatione: quamquam hæc magis eo loci versanda sunt in corde, quam sint explicanda sermone. Hoc ego, quamquam silentio dignum fuerit, & nequaquam per multorum ora vulgandum, iccirco dixerim, vt liquido legentibus innotescat, quantus sancto pectori tuo diuini amoris ardor incandescat; vt ne ad breue quidem punctum à diuinis obticescere laudibus acquiescat. Quid ad hæc dicent, qui de Ecclesia non oratorium, sed locutorium; & non oraculum, sed conciliabulum faciunt? ac per hoc in ea domo sæcularia verba permiscent, quę dumtaxat ob hoc constructa dignoscitur, vt in ea prorsus à negotij sæcularis actione vacetur?

Confessio, quam vocant generalem, ab Agnete Aug. peracta.

Sed, vt hi, qui ad Apostolorum limina confluunt, sanctę deuotionis tuæ salubriter imitentur exemplum; sub arcana quoque B. Petri confessione ante sacrum altare me sedere fecisti: ac per lugubres gemitus, & amara suspiria ab ipsa quinquennis infantiæ tenera adhuc, & nuperablactata leuitate cœpisti: & tamquam illic ipse beatus Apostolus corporaliter præsideret, quidquid subtile, vel minutum in humanitatis tuę potuit titillare visceribus, quidquid in cogitationibus vanum, quidquid præterea subrepere potuit in sermone superfluum, fidelibus est relationibus euolutum. Ad quod mihi visum est, vt nil aliud confitenti pœnitentię pondus iniungerem, nisi vt illud diuinæ legationis elogium iterarem: age, quod agis: operare, quod operaris: vel illud, quod his, qui Thiatyræ erant, per Angelum mittitur: Non mittam super vos aliud pondus, tantum id, quod habetis, tenete. Nam, Deo teste, ne vnum quidem diem ieiunij, vel cuiuslibet afflictionis indidi; sed vt in cœptis solummodo sanctis perseuerares operibus, imperaui. Et vtinam a quibusdam homicidis, vel diuersorum criminum reis, illi gemitus, illi fletus in confessione prorumperent, sic tabescentis, & acerrimo dolore transfixæ mentis spiritus fremeret, sic male sibi conscia pectora singultirent; sicut illic plangebantur, vel inanium phantasmata cogitationum, vel quatumlibet puerilium ineptiæ leuitatum. Hoc prouocentur exemplo, qui ad veneranda Sanctorum corpora pia deuotione festinant. Illic itaque proprij reatus morbos, quasi noxios humores, & ægritudines euomant hi, qui per conatus puræ confessionis, egestius pœnitentiæ salutaris antidotum sumant. Illic baptismum pœnitentiæ statuant, in quem per iudicium officij sacerdotalis immersi, vetusti hominis indumenta deponant, iamque noui de veteribus viuant. Tu autem, Domina mea, (Nam, quia te Redemptoris mei sponsam esse non ambigo, meam te vocare Dominam, nullatenus erubesco.) Domina, inquam, mea, fige pedem in radice perseuerantiæ, & in amorem illius, ad quem per manus sacerdotum, & pauperum, quotidie cuncta transmittis, medullitus inflammare; vt illud tibi iure contingat, quod in lege præcipitur, videlicet: vt, qui captam in bello mulierem forte diligeret, eamque suscipere voluisset vxorem,

Apoc. 2. v. 25.

Qua animi puritate Sanctorum reliquiæ venerandæ.

Deut. 21. v. 11.

prius eius cęsariem raderet, vnguesque pręcideret, ac vestem, in qua capta erat, auferret; sicque ad ingenuitatem Israëliticis ex more prosilientem, iure sibi matrimonij copularet. Iam igitur vngues tui cum cæsarie cœpere præcidi: iam vestis, qua tegebaris, auferri; quia quidquid in tui cultus ornatibus pulchrum, quidquid in facultatibus pretiosum, te velut ambire, vel comere in exterioribus cernitur, in pietatis opera quotidie profligatur. Restat ergo ad intimam sponsi tui iam peruenire dulcedinem, & suauissimam illam confœderati spiritus vnitatem: qui enim adhæret Domino, vnus cum eo spiritus est; videlicet vt ille diuini amoris sopor tuis visceribus influat, illa suauitatis intimæ flamma tui pectoris arcana succendat, quam & miser mundus, & mens quæque carnalis ignorat: vt illud Canticorum ardenter exclames: Guttur dilecti mei suauissimum, & totus desiderabilis; & ille tibi vicissitudine grata respondeat: Fauus distillans labia tua, sponsa, mel & lac sub lingua tua: & odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris. Nec turberis, si qua te fortassis aduersitas feriat; ob id enim fit, vt internus ille dispositor ad hanc te dulcedinem trahat. Nam & mater, cum ablactare vult filium, aliquando fel vberibus adhibet: vt dum aspernatur ille, quod horret, compellatur ad alimentum se transferre, quod roboret. Israëliticum quoque populum icircò Rex Ægypti percellere, ac lacerare permittitur: vt ad repromissionis arua contendere festinantius prouocetur. Porrò, vt de te sileam, quæ talione vicaria & odisti mundum, & perosa iam exploderis mundo; numquid & ipsis Regibus, à quibus mundus iste diligitur, & quibus captiosa fraude blanditur, non quantocyus in amaritudinem vertitur? vt nimirum hodie, qui ex hostibus victoriæ signa reportet, triumphalis eum gloriæ pompa præcedat; & cras illum ignobiliter terga vertentem, hostilis mucro transfodiat? Balthasar nempè ipso die, quo vasa templi Domini iam temulentus concubinarum labijs fœdare præsumpsit, Medorum gladijs, Dario victoriam obtinente, subiacuit. Galba Romanus Imperator quatuor tantummodo mensibus imperauit, & in Romæ foro gladio percussus, occubuit. Taceo Neronem, prætereo Ottonem, quos à semetipsis interfectos, Romanæ Reipublicę testantur historię. Non ne Vitellius interemptus est à Ducibus Vespasiani? Nonne & Pertinax occisus est à militibus Prætorianis? Macrinus, Antonius, Alexander, Philippus, Gallienus, non ne omnes hi Imperatores militaris impetus gladios pertulerunt? Domitianus prætereà suorum coniuratione confossus est. † Probus, dum castra supra Tigridem haberet, cælesti fulmine repente peremptus est. Sed qui vult plenius nosse, seriatim Romanæ antiquitatis percurrat historias, ibique liquido videbit, quampauci Reipublicæ Principes cõmuni morte defecerint. Nam & Gordianus, & Philippus, Decius, Gallus, Volusianus, Gallienus, Quinctilius, Aurelianus, Numerianus, Licinius, Constans, Constantinus iunior, Iulianus Apostata, Valens, Gratianus, Valentinianus iunior, Ioannes, Valentinianus

Post rerum externarum contemptum, ad Dei vnionem aspirandum.

1. Cor. 6. v. 17

Cant. 5. v. 16.

Cant. 4. v. 11.

Cur Deus suos in hac vita affligat.

Exod. 5. v. 6.

Exempla Regum ac Ducũ, qui mundi felicitatem infelicissimo exitu perdiderunt.

Dan. 5. v. 31.

† Charus. Consc. schol.

tertius, Maiorianus, Anthemius, Nepos, omnes isti Romani imperij Rectores, non ne vel in otio seditiosa suorum sunt fraude necati, vel in procinctu hostilibus perierunt gladijs interempti? Sed & quibusdam quid profuit, quod eorum in hoc sæculo prolixius annosa vita durauit? Nam, vt infinita prætercam, Valerianus Imperator in Mesopotamia cum Sapore Persarum Rege prælium commisit, & perdidit, quem ille protinus captum irreuocabilis custodiæ vinculis mancipauit: qui nimirum, sicut tradit historia, ignobili apud Parthos seruitute consenuit: & quoad vixit, huic probrosæ addictus est pœnæ; vt eiusdem prouinciæ Rex, incuruato eo, pedem ceruicibus eius imprimeret: & sic in equum, arrogantia tumidus, assiliret. Quis est enim, cui se fortuna non transferat: & modo de aduersis in prospera, modo de prosperis in aduersa, scenica se varietate conuertat? Quanta planè gloria, quantus suorum fauor arrisit Annibali: cum apud Cannas Paulum Æmilium cum tot Romanorum militum agminibus strauit? cum denique tres aureorum annulorum modios, quos equitum Romanorum, Senatorum, & militum detraxerat manibus, Carthaginem destinauit? Plurimas etiam Italiæ sibi ciuitates subdidit, adeo vt iam Romani ciues Italiam relinquere decreuissent, & statum labentis Imperij funditus desperarent. Sed quàm in contrarium successus iste conuersus est, cum Mago frater eius à Scipione apud Carthaginem Hispaniæ capitur, Asdrubalis alterius fratris caput mucrone desectum, ante ipsius Annibalis castra proijcitur? ipse deinceps post incuasibile fugæ periculum, vt veneno se perimat, imminente necessitate, compellitur? Quam in contrarium versa est & illius eximij fortuna Pompeij, qui post tot triumphos, clarasque victorias, quas diuerso terrarum orbe confecit: postquam viginti duos Reges in solo Orientali climate superauit, vilis Achillæ gladio detruncatus, occubuit? Cæsar etiam, quem victoriæ cupidum totus occiduus orbis satiare non poterat, cui velut quidam contradictionis obex, vt ita loquar, importunus, & arrogans Oceanus obsistebat, cuius ora flammantia innumerabilium strages Gentium non complebant, senatorios intra curiam gladios pertulit, à quibus vtique viginti duabus plagis confossus, interijt. Numquid & mulieres ab huius mundanæ deceptionis totali vertigine reperiuntur immunes? Cleopatra nempe magnificè toti dominabatur Ægypto, quod videlicet Regnum centum millia villarum includere perhibetur. Huc accessit, quod Antonius, qui Orienti simul imperabat, & Asiæ, Octauiani Augusti sororem repudio spreuit, & hanc sibi infaustis auspicijs in matrimonium copulauit. Verum ad quem finem tam gloriosi, tamque magnifici coniuges peruenerunt? Antonius siquidem ab Augusto apud Actium nauali prælio superatus, in Aegyptum fugit, ibique desperatis rebus, ipse sibi mortem propria deliberatione consciuit. Sed & Cleopatra postmodum, non dissimili necessitate coacta, in pretiosum viri sui sepulchrum sesponte projecit, as-

Exempla mulierum, quarũ gaudia mors occupauit.

pidemque proprijs vberibus adhibens, dum & illa sanguinem sugeret, & hæc in se venena contraheret, expirauit. Semiramis etiam post obitum viri sui, quot strages dederit, quot sibi Regna subdiderit, quo demum fine defecerit, liquido veterum testantur annales. Cum ergo fallax huius mundi fælicitas tot mundi calamitatibus sit obnoxia, cum potentia temporalis tot casibus varianda subiaceat, & rerum ordo sese velut scenicæ vertiginis alternitate confundat, quis sanæ mentis a rebus tam friuolis, tamque fugacibus animum non auertat? Nam, vt & ipsa, quæ tibi sunt notissima, non prætercam, cum quanta gloria Papa Victor, & vir tuus Imperator Heinricus, vterque vir sanctæ memoriæ, tunc erant & ætate virentes, & dignitate florentes, cum luna serenissimo terram fulgore perfundens, eclipsin passa, repente contabuit, & rutili splendoris speculum ignobili, non dicam paliore, sed obscuritate mutauit? Quod profecto, sicut in proximo patuit, nil aliud, quàm vicinum vtriusque Principis interitum præsignauit. Nam eodem anno vterque defunctus est. Quod autem postmodum, ante hoc ferme biennium, luna in sanguinem versa est (quia sanguis peccata significat: Libera me, inquit Dauid, de sanguinibus Deus) vt quantum mihi videtur, nil aliud, nisi sanctam significauit Ecclesiam Cadaloici sceleris sanguine cruentandam. Cadalous enim millies anathematizatus, dum pro vænaliter acquirenda Romana Ecclesia, infinitas per populos pecunias spargit, corda hominũ per auaritiã in æris speciem velut in sanguinem, vertit. Sicq; dum pestilentes homines metalli huius non desinunt habere rubedinẽ, splẽdor Ecclesiæ quodámodo vertitur in cruorem. Cor enim, quod cupit, eius ante Dei oculos speciem induit. Sed hæc alias.

Recentiora, ac domestica exempla.

Lunæ Eclipsis Victoris II. Papæ, & Henrici II Imp. mortẽ portendens.

Prodigium lunæ in sanguinem versæ.

Psal. 50. v. 16.

Cadaloi Antipp. flagitia.

Vt igitur ad id, vnde digressus sum, redeam; omnes homines siue potentes, siue sint inopes eamdem sortiũtur originem, nec dissimilem habituri sunt finem. Inter hos autem duos limites est quędam vitæ diuersitas: vt alij se glorientur esse spectabiles; alij se doleant indigentes. Sed hęc humanæ vitæ varietas, momentanea temporum breuitate concluditur: vt & elati quique diutius de sua prosperitate non gaudeant: & inglorij suæ deiectionis incommodum festinanter euadant. Quod est ergo principium nostrum, & qui finis, quæ, sicut dictum est, variare non possumus: sed omnes in commune mortales hęc indifferenter possidemus. Sed audi Sapientem virum in libro Sapientiæ perhibentem: Sum, inquit, & ego mortalis homo, similis hominibus, & ex genere terreno illius, qui prior factus est, & in ventre matris figuratus sum caro; decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine ex semine hominis, & delectamento somnij conuenientis: & ego natus accepi communem aërem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans; in inuolumentis nutritus sum, & curis magnis. Nemo enim ex Regibus aliud habuit natiuitatis initium. Vbi & protinus additur: Vnus ergo introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus. Si ergo vnus, quod dicitur, ad vitam introitus, & similis exitus diligenter attenditur; varietas illa, quæ ver-

Idem est omnium mortalium initiũ, ac finis.

Sap. 7. v. 1 &c.

Humana miseria ad mundi cõtemptum nos roborat.

ſatur in medio, neceſſe eſt, vt tamquam volax fugacis ſomnij vanitas, contemnatur. Hoc etiam, quod præmiſſum eſt: Decem menſium tempore coagulatus ſum in ſanguine, ex ſemine hominis, & delectamento ſomnij conuenientis: ſi non pigeat vigilanter aduertere, quæ mens hæc audiens typho valeat arrogantiæ ſuperbire? & quis continuo non compellatur ſeſe noſſe putredinem; dum tam obſcœnam ortus ſui conſiderat fœditatem? Dicens intra ſe: Quid ſuperbis terra, & cinis? Quod etiam poſt exitum tuum, futurum eſt primo vermis, deinde puluis. Erubeſcat ergo cordis elati ſuperbia, & qui ſe conſiderat inter ortum, & obitum, communi cum cæteris naturæ lege conſtringi, deſinat de ſublimioris gloriæ ſingularitate iactari.

Eccli. 10. v. 9.

Ad perſeuerantiam exhortando perorat.

Tu autem, venerabilis Domina, quę cœno terrenæ ſuperbiæ ad ſublime veræ humilitatis faſtigium conſcendiſti, ita conſtanter in eius arce perſiſte: ſic in ea, quam per ſpem ſemel ingreſſa es, terra viuentium perſeuerantiæ pedem immobiliter fige; vt in ſæcularis viæ lubricum non libeat vlterius declinare. Nam quæ dudum terreni fueras vxor imperatoris, nunc per ſanctæ profeſſionis dotem ſponſa facta es Redemptoris. Sic igitur ei te in vera cordis humilitate ſuſterne; ſic illi glutino feruidæ charitatis vnire; vt cum myſtica illa ſponſa congruenti valeas voce cātare: Inueni quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam. Et illud: Dilectus meus inter vbera mea commorabitur. Vt quoniam cor hominis inter vbera ſitum latitat, continuus Sponſi tui amor à cordis tui viſceribus non recedat: & cui nunc ſancta anima tua in amore coniungitur, nequaquam de cætero à dulcedinis eius complexibus auellatur; quatenus illud in te Eſaiæ vaticinium ſolemniter impleatur? Gaudebit ſponſus ſuper ſponſam, & gaudebit ſuper te Deus tuus.

Cant. 3. v. 4.
Cant. 1. v. 12.
Iſa. 62. v. 5.

EPIST. VI. Ad eamdem Agnetem Imperatricem.

ARGVMENTVM.

Eamdem Agnetem, quæ Rainaldi Comani Epiſcopi, Hermiſindæ affinis, & ipſius Petri Damiani præſentia deſtituta, quibuſcum ſolebat antea de rebus ad pietatem pertinentibus colloqui, & conſilia ſua omnia communicare, triſtior aliquantulum videbatur effecta, conſolatur; & hortatur, vt in Chriſti amicitiam ſe penitus inſinuet, ab illo omnia ſolatia petenda: quamdiu cum illo ſit, numquam ſe ſolam eſſe arbitretur.

Dominæ ſuæ Imperatrici Agneti, Petrus peccator Monachus ſeruitutem.

ARbitror, venerabilis Domina, quoniam ex quo Domnus Rainaldus Comanæ ſedis Epiſcopus, & ſancta mulier Hermiſinda

relicta quondam germani tui, ego quoque seruus tuus, ad propria quique recessimus: mens tua nunc fluctuat, & velut omnium destituta solatio, solam se remansisse deplorat. Grauat forte longioris censura silentij, & tædium est colloquentium nunc deesse præsentiam: quos sæpè refugiens, dum adessent, remotioris anguli latibulum expetebas. Toleramus enim sæpè quod gratis offertur, perfruimur, quod difficilius obtinemus: paruipendimus, quod abundat: & quod deesse conspicimus: inhianter optamus. Verum pia mens tua, quæ diuini amoris igne succendi votis omnibus æstuat, nequaquam ex humanæ societatis absentia contabescat: immo quanto sibi terrena solatia deesse considerat, tanto magis de propinqua sancti Spiritus paracleti præsentia confidat. Vnde Saluator cum iturum se ad Patrem post resurrectionis gloriam declararet, & ex hoc Discipulorum animos non mediocriter perturbandos esse conspiceret, præsto subiunxit: Quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum: sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis vt ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Si ergo illuminator mentium Spiritus Apostolicis illabi pectoribus plena diffusione non poterat, nisi Veritas ipsa, quæ eis illum missurus erat, corporalem sui præsentiam ab eorum subtraxisset obtutibus; quanto magis, necesse est, vt purus homo ab hominum se frequentia subtrahat, quatenus superni muneris capax fiat? Sicque mens humana dum vacat ab aspectibus hominum, sancti Spiritus mereatur ingressum, Eorum ergo, qui tecum côuersabantur, absentiam, noli deputare iacturam, immo salutis occasio, perfectionis lucrum, & propensio nostri meriti deputetur argumentum: quia dum strepitus humani cessat alloquij, construitur in te per silentium templum Spiritus sancti. Hinc est, quod de Israelitici templi constructione sacra testatur Historia, quia malleus, & securis, & omne ferramentû non sunt audita in domo Domini, cum ædificaretur. Têplum quippe Dei per silentium crescit: quia cum mens humana per exteriora se verba non fundit, in sublime fastigium spiritualis ædificij structa consurgit: tantoque subcrescens, in altiora substollitur, quanto per silentij custodiá circunclusa, se se extrinsecus fundere prohibetur. Custos enim iustitię silentium. Et per Hieremiam dicitur: Bonum est præstolari cû silentio salutare Domini. Bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua: sedebit solitarius, & tacebit, quia leuabit se super se. Solitarius planè dum tacet se eleuat super se; quia mens humana, dum intra silentij claustra vndique circumcluditur, in superiora sublimis erigitur, ad Deum per cęleste desiderium rapitur, & in amore eius per ardorem Spiritus inflammatur: & tamquam fons viuus, dum per verborum circulos fluere hinc inde non sinitur, vndis excrescentibus in altiora cumulatur. Templum ergo tui pectoris nunc per silentium crescat, virtutum spiritualium tamquam cęlestium lapidum in te structura consurgat, vbi supernus ille

Ioan. 16. v. 6.

Carnalis hominum præsentia Spiritus sancti impedit aduentum.

3. Reg. 6. v. 7.

Silentij bona.

Thren. 3. v. 26.

Sponsus, quem totis visceribus diligis, velut in thalamo suo, delectabiliter requiescat. Memento itaque, quod Apostolus ait: Quia fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, Christus Iesus. Si quis posuerit super hoc fundamentum aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulas, quale cuiusque fuerit, † ignis probabit. Quid enim per aurum, argentum, & lapides pretiosos, nisi robur, & ornamenta virtutum? Quid verò per ligna, fœnum, & stipulas, nisi fragilitas innuitur vitiorum? Attende ergo, vt ædificium quod in te fit, non ex fragili sit materia, quæ flammis esse possit obnoxia, quæ ventis sit impellentibus ruitura. Lignum plane, fœnum, & stipulas facile potest vorax flamma consumere; aurum verò, vel argentum, siue lapides pretiosi, nesciunt incendio subiacere. Et certè per eumdem Apostolum dicitur: Sumentes scutum Fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Ignis ergo, quem clandestinus hostis immittit, inueniat in te pretiosa metalla virtutum, non stipulas, & fomites vitiorum; vt furentibus flammis, quas callidus insidiator exsufflat, non materia putris, ac fragilis eneruiter cedat, sed impenetrabilis, ac robustæ soliditatis vigor obsistat: vt illa virtus Altissimi, quæ virginalis vteri visceribus obumbrauit, mentem quoque tuam in perpetuo vernantis pudicitiæ virore custodiat: eamq; quod absit, à duris spiritualis nequitiæ vaporibus † non permittat.

1. Cor. 3. v. 11.

† opus,

Ephes. 6. v. 16.

Luc. 1. v. 35.

† obumbrari f. vel aliquid simile desideratur.

Consolare igitur, venerabilis Domina, & à corde tuo omne tędium noxij mœroris expelle. Christus sit confabulator tuus, Christus tibi côtubernalis sit, & conuiua: immò Christus ipse tuę sint delitię, ipse quotidianæ refectionis epulum, ipse tibi sit intimę dulcedinis alimentum. Cum illo simul lege, cum illo iugiter psalle, cum illo denique te in pauimento oratura prosterne, cũ illo te erige, cũ illo te dormituram lectulus capiat, cum eodẽ sopor inueniat. Eius te pudicus, atque virgineus amplexus astringat, vt in te quoque veraciter impleatur, quod per Esaiam dicitur: Gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus; & tu specialis dicere valeas, quod generalis Sponsa dicit in Canticis: Dilectus meus inter vbera mea commorabitur. Constat enim, quod inter vbera pectoris cor hominis situm est. Dilectus ergo inter Sponsæ vbera commoratur, cum à fideli qualibet anima Christus toto corde diligitur. Huic ergo Sponso dicit anima sancta tua: Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus: lectulus noster floridus. Ipse enim speciosus forma præ filijs hominum. Et quia propter eius amorem regales infulas contempsisti, imperiale fastigium despexisti, ipse corona, ipse tibi sit purpura, ipse totius glorię tibi præparet beata ornamenta; vt merito debeas cum Propheta cantare: Induit me Dominus vestimento salutis, & indumento lætitiæ circumdedit me, quasi sponsus decoratus corona, & quasi spõsa ornata monilibus suis. Hic in te societatis humanę consoletur absentiam: hic tibi vel pro omnium iussione, & allocutione sufficiat: hic velut alter, sed longe prestantior, Helcana veraciter dicat:

Consideratio Christi præsentis cum virtutum exercitijs vel. sest.

Esai. 62. v. 5.

Cant 1. v. 12.

Ibid v. 15.

Psal. 44. v 3

Christus amãti est instar regum omniũ.

Esai. 61. v. 10.

Non

Non iam Anna, sed Agnes, cur fles, & quare non comedis, & quam ob rem affligitur cor tuum, numquid non ego melior sum, vel quam decē filij? Et quoniam Helcana Dei zelus dicitur; zelus Dei, dilectio Redēptoris animum tuum in omni mœroris, & angustiæ tædio consoletur; vt in eum te in omni, quam pateris, aduersitate proijcias: sub eius vmbraculum ab humanæ persecutionis ardore confugias, & in eius amplexibus secura suauiter requiescas; quatenus ipse vel semetipsum quietis intimæ præbeat portum, qui pro te dignatus est in mundanis fluctibus inundantium procellarum perferre naufragium. *1.Reg.1,v.8.*

EPIST. VII. Ad eandem Agnetem Imperatricem.

ARGVMENTVM.

Significat quantæ sibi molestiæ sit ab ea disiungi, & spem propinqui reditus pollicetur. Interim hortatur, vt magnitudinem præmiorum, quæ diligentibus Deū in cælo præpata sunt, considerans, ad exemplum Christi, labores & incommoditates, & aspera quæque tantisper, dum in arcto hoc corporis domicilio versatur, perferre non erubescat.

Dominæ suæ Imperatrici Agneti, Petrus peccator Monachus quicquid seruus.

QVoniam à sancta præsentia vestra remotus sum, & hoc tempore vobiscum esse non possum, satis doleo, & quotidiana lamentatione suspiro; interim tamen, antequam ad vos redeam, hortor sanctam patientiam vestram, vt non ei graue sit aspera quælibet, ac dura perferre, & pro amore cælestis Sponsi solicitudinem, vel etiam necessarij sumptus inopiam substinere. Cum enim Christus pro te pertulerit Crucem: quid mirum si tu substineas pro illius amore pauperiem? Si ille, cui Virtutes & Dominationes famulabantur in cœlo, sputa, flagella, opprobria, colaphos, & alapas patiebatur in mundo; quid magnum si tu, quæ terra es, imperialis gloriæ vanam proijcias pompam: & non mundi Reginam, sed, quod longe gloriosius est, te præbeas æterni Regis ancillam? Recordare, quod dicit Apostolus, Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes, non enim habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Felix nimirum tale commercium, vbi datur lutum, tollitur aurum; pro

Christi exemplum efficax ad superandos labores.

Heb.13.v.13.

tenebris lucem, pro terrenis honoribus cælestis gloriæ comparamus
Esa. 40. v. 6. dignitatem. Sicut enim per Prophetam dicitur: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni: aruit fœnum, & flos eius cecidit: qui autem seruat verbum Domini, manet in æternum. Porro autem qui hodie induitur purpura, cras includitur sepultura. Hodie quis hominibus dominatur, cras autem à vermibus factus putredo, corroditur. Hodie regalibus infulis redimitur, cras vilibus panniculis exanime cadauer obuoluitur. Hodie splendet coronatus in regalis excellentiæ solio, cras fœtet marcidus in sepulchro. Hæc igitur, & huiusmodi Domina mi, subtiliter pensa, & huius vitæ labores cum Iesu nunc æquanimiter tolera; vt cum ipse, qui iudicatus est, iudicaturus aduenerit, tu velut vna de sapientibus Virginibus, ornatis lampadibus, ei decenter occurras, & pro temporali purpura stolam immortalitatis accipias; ac pro corona, quę de terreno fuerat fabricata metallo, illud diadema suscipias, quod in cælo factum est de lapide pretioso.

Fragilitas rerum humanarum.

Matt. 25. v. 7.

EPIST. VIII. Ad eandem Agnetem Imperatricem.

ARGVMENTVM.

Eandem in Germaniam profectam hortatur, vt redeat, indicans quanto mœrore ob eius discessum tum Italia omnis, tum præcipuè Roma affecta sit: in qua scilicet Vrbe omnes ad veram virtutis viam eius sanctissimis exemplis excitabantur.

Dominæ suæ Agneti Imperatrici, Petrus peccator Monachus seruitutem.

Vix referre sufficio, quanto cor meum mœrore confunditur, dum reditus vestri lætitiam, suspensis quotidie visceribus, præstolatur. Heu me! cur itineri vestro vecors, ac stolidus assensum præbui? immo cur egredienti me ipsum non violenter opposui? Cur non equorum fræna corripui, & cursum vestrum vel obuijs manibus, in quantum licuerat, non tardaui? In vestri planè recessus absentia, mœret Roma, B. Petri luget Ecclesia: & tota per Sanctos viros, ac mulieres lamentatur Italia. Tu siquidem, velut aureum sidus, terrena quærentium videbaris illustrare caliginem: atque ad Deum prouocans, micantis exempli refundebas te sequentibus claritatem. Et, vt multi

Principum virorum sanctitate pollentiũ, præsentia ciuitatibus vtillima est.

præteream, ego quoque donec te procul abesse suspiro, Romana conspicere mœnia perhorresco. Reuertere ergo, Domina mi, reuertere, teque lugentibus festiuam redde lætitiam, qui rutilantem cæli gemmam de capite mundi Roma, quodammodo ploramus auulsam. Ingerat tibi nauseam aula regalis Imperij, sola tuis naribus sagena redoleat Piscatoris. Illic cum Petronilla simul habere te libeat sepulturam, vt insignis illè Pater geminam iuxta se, carnis videlicet, ac spiritus, gaudeat requiescere filiam. Domnum meum Lopertum Episcopum æque saluto: &, vt cito reuertatur, imploro. S. Petronilla virg. & mart. Filia S. Petri Ap.

EPIST. IX. Ad .. Reginam Galliæ.

† Annam Henrici Regis vxorem, Philippi item Regis matrem, credid.

ARGVMENTVM.

S. Doctor Nicolai II. Papæ nomine, scribit ad Galliarum Reginam, laudat eius pietatem, & in pauperes beneficentiam. Hortatur, vt tam laudabile vitæ institutum, quod semel arripuerat, vsque ad extremum constanter retineat. Simulq; suadet, vt virum suum Regem ad Rempublicam iuste administrandam, Ecclesiam tuendam, & pietatis opera edenda, inflammet. Filios quoque suos eisdem, quibus ipsa imbuta est, moribus instituat.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei, Gloriosæ Reginæ salutem, & Apostolicam benedictionem.

BOnæ voluntatis auctori omnipotenti Deo dignas gratias agamus, quia in fœmineo pectore virile viuere virtutum robur audimus. Peruenit quippè ad aures nostras, præcellentissima filia, serenitatem tuam indigentibus munificentia piæ liberalitatis affluere, deuotissimæ orationis studijs insudare, pro violenter oppressis vim districtionis exercere, cæterisque bonis operibus, in quantum tibi competit, officium regiæ dignitatis implere. Hortamur igitur, vt eum, quem, Deo inspirante, semel ingressa es, tramitem teneas: inuictissimumque virum tuum, filium nostrum, Regem ad pietatis, æquitatisque gubernacula moderanda, statumque Ecclesiæ retinendum prouocare contendas. Si enim eloquentia Abigail stultum Nabal ab irascentis Dauid gladio seruauit illæsum, quanto magis sancta deuotio tua prudentissimum virum tuum diuinis reddet obtutibus gratiosum? Sic denique eum verè diligis, si seruare quæ Dei sunt, pijs exhortationibus facis. Alioquin quo pacto viros suos illæ coniuges 1. Reg. 25. v. 32.

Mulieres in viris suis animam magis amare debét, quam corpus.
2. Cor. 4. v. 7.

amare credantur, quæ in eis capsas, vt ita loquar, corporum diligunt; sed animatum aurum, quod in eis reconditur, non attendunt? Habemus enim, iuxta Apostolum, thesaurum istum in vasis fictilibus. Quæ nimirum hoc duntaxat amplectuntur, quod vermes deuorant in sepulchris; illud vesane despiciunt, cui immarcescibilis gloria seruatur in cælis. In carne quippe amorem suum illa constituerat, quæ Dauid se despicienti, ironica insultatione dicebat: Quam gloriosus fuit hodie Rex Israël, discooperiens se ante oculos seruorum suorum, & nudatus est quasi nudetur vnus ex scurris? Quæ profecto, quia desiderium suum in sola carne posuerat, carnis fructu debita est animaduersione priuata. Vnde paulo post Scriptura subiungit: Igitur Michol filiæ Saul, non est natus filius vsque ad diem mortis suæ. Tu autem, gloriosa filia, quia fœcunditatis donum diuinitus meruisti, sic clarissimam instrue sobolem, vt inter ipsa lactantis infantiæ rudimenta ad Creatoris sui nutriantur amorem. Per te igitur discant, cui potissimum debeant, & quod in regalis aulæ solio sunt nobiles geniti, & quod in Ecclesiæ gremio longè nobilius per Sancti Spiritus gratiã sunt renati. Noli aliquando pecuniam præferre iustitiæ, sed thesaurum veræ sapientiæ inhianter acquire. Regina quippè Saba venit non videre diuitias, sed audire sapientiam Salomonis. Quas tamen ipsa non petijt, copiosius reportauit. Tu etiam, filia, diuinis obediendo mandatis, sapientiam possidc; vt merearis ad salutem animæ tuæ & terrenis competenter affluere, & de transitorij Regni culmine ad cæleste transire.

2. Reg. 6. v. 20.
Ibid. v. 23.
Regum filij quo modo nutriendi.
3. Reg. 10. v. 13.
2. Paral. 9. v. 12

EPIST. X. *Ad Gothifredum Ducem, & Marchionem Tusciæ.*

ARGVMENTVM.

Hac Epistola Gothifredo Duci, & Marchioni scribit se grauiter tulisse ab illo Cadaloum Pseudopontificem, qui à Catholica Religione defecerat, hospitio acceptum esse: idque facinus pluribus sacrarum litterarum exemplis amplificat, admonetque vt culpam agnoscat, & lacrymis deleat, iterumque in gratiam S. Rom. Ecclesiæ redeat.

Domno Gothifredo excellentissimo Duci, & Marchioni, Petrus peccator Monachus zeli feruentis obloquium.

NOua nuper, & inaudita de vobis apud nos fama percrebuit, quæ nobis non parui mœroris mœstitiam intulit, viscera tremefacta concussit, os nostrum a solita gloriæ vestræ laude compescuit, & tabefactum cor, velut acutissimo doloris intimi pugione, transfodit. Vos scilicet communicasse cum Cadaloo, quem, vt liquido nostis, iam dudum vniuersalis Ecclesia, tamquam lethale virus, euomuit: &, vt reuera putridum membrum, de proprijs visceribus amputauit, in gehennalis barathri profunda demersit: & quasi stercus hominum, intra latrinæ cuniculos obrutum, ne naribus hominum de cetero fœteat, spiramen obstruit. Huic itaque tali viro vestram communicasse prudentiam, fossores in agro, mercatores in foro, milites vociferantur in publico. Heu, proh dolor! vir eminentissime, vbi tunc erant vberes illi lacrymarũ riui, quos velut torrentem, de feruentissima pij pectoris consueueras charitate profundere: & sancti Spiritus amore succensus, non cessabas madefacta fletibus ora rigare? Huccine redacti sunt eleemosynarum fructus, quibus vtique per cõtinuum quadragesimalis ieiunij cursum liberalis pijssimæ clementiæ tuæ largitas, non modo indigentium recreauit inopiam: sed etiam ad nostri Redemptoris exemplum, & pedes lauit, & oscula defigere non erubuit? Vnde timendum vobis est, quod per Aggæum de illo viro dicitur: Qui habuit pecuniam, & misit eam in sacculum pertusum. In pertusum quippe sacculum quidquid per oris aditum mittitur, per irruptionis exitum, necesse est, elabatur. Et quid prodest, si primo per constipationem pecuniæ crumena turgescat, & per iacturam incuriæ vacuefacta mox folleat? Et quidem aduersus Antichristum hunc viriliter dimicasti, eiusq. conatibus sacrilegis, atque peruersis, cum serenissima, atque clarissima Vxore tua frequentius obstitisti; nunc autem, nescio, quis sanctæ religionis vestræ constantiam ab hac intentione, compescuit, tantumque virtutis, ac seueritatis honestæ rigorem, pestifera suggerendo, molliuit: &, quasi cœptum opus, obruere persuasit. Vnde & Salomon ait: Qui mollis, & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis. Quia videlicet qui cœpta bona districte non exequitur, dissolutione negligentiæ manum destruentis imitatur.

Gothifredi pietatis opera.

Eiusdem humilitas.

Aggæi 1. v. 6.

Prou. 18. v. 9.

Sine perseuerantia fructus boni operis perditur.

Dic mihi, vir magnifice, si quis honestis, ac pudicissimis thalamis tuis inferre moliretur iniuriam, quis necessarius tuus, quis domesticus auderet illi familiaritate coniungi? Quis illorum præsumeret in amicitiæ fœdere copulari? Si ergo homo cum aduersario domini sui concordiæ fœdus inire non audet, quo pacto sublimitas tua illi communicare non timuit, qui sponsam Christi, sanctam scilicet Ecclesiam, quasi per obscœni lenocinij stuprum, violare præsumpsit? Dei quippe hostis esse cõuincitur, qui eius inimico in amicitia sociatur. Hinc est, quod cum Ioram Rex Israel, vir vtique funestus, & impius, Elisæum consuleret, dicens: Quare congregauit Dominus tres Reges hos, vt traderet eos in manu Moab? Respondit Elisæus: Viuit Dominus exercituum, in cuius conspectu sto, quod si non vultum Iosaphat Regis Iudæ erubscerem, nec

S. Ecclesia Christi est sponsa.

Qui Dei inimicis fauet, Deo est inimicus, & odibilis.

denda ratione iudiciũ. Transfer ergo põdus in alterũ, vt quod proprijs non potes ceruicibus ferre, per aliũ valeas, cõmunicato labore, portare.

Illud etiam mihi non mediocriter displicet, quia in plectendis flagitijs, & temerarijs iniquorum hominum ausibus coërcendis, remissior cerneris esse, quam debeas: & dum peccatoribus parcis, augere peccata conuinceris. Eneruato quippe rigore iustitiæ, status euertitur disciplinę & dum vltoriæ seueritatis censura reprimitur, temeraria delinquendi licentia relaxatur. Inordinata sane pietas nutrit impietatẽ; & timida manus medici, vulnus auget ægroti. Facit enim exuberare putredinem, dũ non secando, sed palpãdo, quotidie superducit vulnusculo cicatricem. Farmacopola denique, qui mollibus vnguentis non permiscet acredinem, tumoribus exiccandis nullam potest adhibere virtutem. Non omnia membra Ecclesiæ vno funguntur officio. Aliud nempe sacerdoti, aliud competit iudici. Iste siquidem visceribus debet pietatis affluere, & in maternæ misericordiæ gremio sub exuberantibus doctrinæ semper vberibus filios confouere. Illius autem officium est, vt reos puniat, & ex eorum manibus eripiat innocentes; vt vigorem rectitudinis, & iustitiæ teneat, & a zelo sanctionum legalium non tepescat; vt ab ęquitatis linea non declinet; vt legitimi vigoris genium nõ eneruet. Meminerit etiam semper, quod per Apostolum dicitur: Vis non timere potestatem? fac bonum, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time. Non enim sine causa gladium portat. In quibus vtique verbis † intelligi, aliud esse gladiũ Principis, aliud infulam Sacerdotis. Non enim ad hoc præcingeris gladio, vt violentorum mala debeas palpare, vel vngere; sed vt ea studeas vibrati mucronis ictibus obtruncare. Hinc est, quod sequitur: Dei enim minister est vindex in iram ei, qui male agit. Si ergo Dei minister est, qui mala facientes in iram vindicat; diaboli proculdubio minister est, qui criminosos, ac reprobos suauiter palpat. Et sicut Deo prębet obsequium qui peruersos vlciscitur; sic minister est aduersarij, qui perpetrantibus iniqua blanditur. Necesse est, vt cõtrahat mucro rubiginẽ, qui semper in theca recõditus, numquã exercet vltionem. Scaber ensis efficitur, qui dũ cohibetur semper a vulnere, non limatur. Quo contra, per Ezechielem dicitur: Gladius exacutus est, & limatus, vt cædat victimas, exacutus est; vt splẽdeat, limatus est. Distat plane tribunal iudicis a cathedra sacerdotis. Ille nimirum ad hoc gladium portat, vt eum in vltionem iniustè viuentium exerat; iste baculo tantum contentus est innocentiæ, vt quietus, & placidus teneat custodiam disciplinæ. Quamquam & sacerdos si immoderata circa subiectos pietate resoluitur, & ipse sententia diuini furoris non immerito condemnetur. Nam sacerdos erat Heli, de quo dictum est ad Samuelem: Eo quod nouerat indignè agere filios suos, & non corripuerit eos; iccirco iuraui domui Heli, quia non expietur iniquitas domus eius victimis, & muneribus vsque in æternum. Eat ergo iudex, caussas, atque negotia iurgantium dirimere negligat; maximam diei partem

Iustitiæ rigor regna conseruat.

Officium Sacerdotis, ac Principis.

Rom. 13. v. 3.

† datur. vel aliquid simile.

Ibid. v. 4.

Iudex, qui male agentes nõ punit, diaboli minister est.

Ezech. 21. v. 10

1. Reg. 3. v. 14.

Missarum

Missarum sollemnijs, & orationibus insistendo, consumat. Sed ecce illic dicitur, quia nec ipsius quidem sacerdotis iniquitas expiari poterit victimis, & muneribus vsque in æternum; eo quod Heli vitia non coërcuerit filiorum. Et perpende, quale est, quod victimæ, simul ac munera, quæ peccata principaliter abluunt, habitam erga subiectos negligentiam expiare non possunt. Multi nempe falsæ pietatis errore decepti, vnde se Deo placere insipienter autumant, inde aduersus eum crudeliter pugnant: & ex eo merentur iram, vnde se adepturos opinati sunt gratiam: & dum alijs veniam falsæ pietatis impertiunt, ipsi motum diuinæ indignationis incurrerunt. Vir namque de filijs Prophetarum dixit ad socium, vt se percuteret: quem, quoniam ille ferire contempsit, protinus a Leone percussus, interijt. Placere se Deo de pietate sua arbitratus est Achab, cum Benadab Regem Syriæ non modo vocauit fratrem, sed & in curru proprio sibi dignatus est assessorem. Sed audi, quid indiscreta pietas mereatur audire: Quia dimisisti, inquit Dominus, virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius. Saul Agag Regem Amalech non occidit, sed captum peracta victoria conseruauit, & pro hac misericordia digne remuneratus, audiuit: Pro eo, quod abiecisti sermonem Domini; abiecit te Dominus, ne sis Rex. Pius extitit populus erga mulieres Madianitarum; sed ait illis Moyses: Cur fœminas reseruastis? Ergo cunctos interficite, quidquid generis est masculini, etiam paruulos: & mulieres, quę nouerunt viros in coitu, iugulate. Idem quoque Moyses, postquam fabricatus esset vitulus in Oreb, ait filijs Leui: Occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum. Et postquam viginti tria millia hominum cæsa sunt, ait: Consecrastis hodie manus vestras Domino, vnusquisque in filio; & fratre suo; vt detur vobis benedictio. Amalechites ille, qui gloriatur se peremisse Saul, dum se non galeam, sed diadema de capite bellantis abstulisse confingit, gladio Dauid percussus, occubuit. Interfectores etiam Isboseth dum caput illius quasi loco muneris offerunt Dauid; gladium non euadunt: & quem sperauerant muneri gratias redhibentem, commissi potius homicidij experiuntur vltorem. Petrus etiam Ananiæ, & Saphiræ mendacium non inultum abire permisit; sed eos oris gladio feriens, aliorum, ne simile quid forte pręsumerent, corda perterruit. Paulus quoque, dum excessibus coercere discipulos nititur, virgam delinquentibus comminatur. Saluator etiam noster, qui tamquam mitis agnus apparuit, mox vt Petro cæli, terræque iura commisit, protinus eum dura redargutione corripuit: Vade, inquit, post me Satana, scandalum es mihi; quia non sapis, quæ Dei sunt: sed ea, quæ hominum. Quid est ergo, quod Sancti viri toties in delinquentes reperiuntur infesti, vel correptione verborum, vel vltionibus operum, nisi, vt manifeste clarescat, quia in hac mortalitate recte non viuitur, si blandis, ac mollibus asperitas non miscetur? Nam vbi penitus disciplina postponitur, vbi distincta

Gubernatorū negligentia in subditos difficile expiatur

3. Reg 20. v. 36

Iniquos castigare est Deo sacrificium.

Ibid. v. 42.

1. Reg. 15. v. 26

Num. 31 v. 15. & 17.

Exod 32. v 27.

Ibid. v. 29.

2. Reg. 1. v. 15.

2. Reg. 4. v. 12.

Act. 5. v. 5.

1. Cor. 4. v. 21.

Matt 16. v 23.

Marc. 8. v. 33.

satur in medio, necesse est, vt tamquam volax fugacis somnij vanitas, contemnatur. Hoc etiam, quod præmissum est: Decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine, ex semine hominis, & delectamento somnij conuenientis: si non pigeat vigilanter aduertere, quæ mens hæc audiens typho valeat arrogantiæ superbire? & quis continuo non compellatur sese nosse putredinem; dum tam obscœnam ortus sui considerat fœditatem? Dicens intra se: Quid superbis terra, & cinis? Quod etiam post exitum tuum, futurum est primo vermis, deinde puluis. Erubescat ergo cordis elati superbia, & qui se considerat inter ortum, & obitum, communi cum cæteris naturæ lege constringi, desinat de sublimioris gloriæ singularitate iactari.

Eccli. 10. v. 9.

Ad perseuerantiam exhortando pergat.

Tu autem, venerabilis Domina, quę cœno terrenæ superbiæ ad sublime veræ humilitatis fastigium conscendisti, ita constanter in eius arce persiste: sic in ea, quam per spem semel ingressa es, terra viuentium perseuerantiæ pedem immobiliter fige; vt in sæcularis viæ lubricum non libeat vlterius declinare. Nam quæ dudum terreni fueras vxor imperatoris, nunc per sanctæ professionis dotem sponsa facta es Redemptoris. Sic igitur ei te in vera cordis humilitate susterne; sic illi glutino feruidæ charitatis vnire; vt cum mystica illa sponsa congruenti valeas voce cātare: Inueni quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam. Et illud: Dilectus meus inter vbera mea commorabitur. Vt quoniam cor hominis inter vbera situm latitat, continuus Sponsi tui amor à cordis tui visceribus non recedat: & cui nunc sancta anima tua in amore coniungitur, nequaquam de cætero à dulcedinis eius complexibus auellatur; quatenus illud in te Esaiæ vaticinium solemniter impleatur? Gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus.

Cant. 3. v. 4. Cant. 1. v. 12. Isa. 62. v. 5.

EPIST. VI. Ad eamdem Agnetem Imperatricem.

ARGVMENTVM.

Eamdem Agnetem, quæ Rainaldi Comani Episcopi, Hermisindæ affinis, & ipsius Petri Damiani præsentia destituta, quibuscum solebat antea de rebus ad pietatem pertinentibus colloqui, & consilia sua omnia communicare, tristior aliquantulum videbatur effecta, consolatur; & hortatur, vt in Christi amicitiam se penitus insinuet, ab illo omnia solatia petenda: quamdiu cum illo sit, numquam se solam esse arbitretur.

Dominæ suæ Imperatrici Agneti, Petrus peccator Monachus seruitutem.

ARbitror, venerabilis Domina, quoniam ex quo Domnus Rainaldus Comanæ sedis Episcopus, & sancta mulier Hermisinda

relicta quondam germani tui, ego quoque seruus tuus, ad propria quique recessimus: mens tua nunc fluctuat, & velut omnium destituta solatio, solam se remansisse deplorat. Grauat forte longioris censura silentij, & tædium est colloquentium nunc deesse præsentiam: quos sæpè refugiens, dum adessent, remotioris anguli latibulum expetebas. Toleramus enim sæpè quod gratis offertur, perfruimur, quod difficilius obtinemus: paruipendimus, quod abundat: & quod deesse conspicimus: inhianter optamus. Verum pia mens tua, quæ diuini amoris igne succendi votis omnibus æstuat, nequaquam ex humanæ societatis absentia contabescat: immo quanto sibi terrena solatia deesse considerat, tanto magis de propinqua sancti Spiritus paracleti præsentia confidat. Vnde Saluator cum iturum se ad Patrem post resurrectionis gloriam declararet, & ex hoc Discipulorum animos non mediocriter perturbandos esse conspiceret, præsto subiunxit: Quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum: sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis vt ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Si ergo illuminator mentium Spiritus Apostolicis illabi pectoribus plena diffusione non poterat, nisi Veritas ipsa, quæ [illegible]is illum missurus erat, corporalem sui præsentiam ab eorum subtraxisset obtutibus; quanto magis, necesse est, vt purus homo ab hominum se frequentia subtrahat, quatenus superni muneris capax fiat? Sicque mens humana dum vacat ab aspectibus hominum, sancti Spiritus mereatur ingressum, Eorum ergo, qui tecum côuersabantur, absentiam, noli deputare iacturam, immo salutis occasio, perfectionis lucrum, & propensio nostri meriti deputetur argumentum: quia dum strepitus humani cessat alloquij, construitur in te per silentium templum Spiritus sancti. Hinc est, quod de Israëlitici templi constructione sacra testatur Historia, quia malleus, & securis, & omne ferramentû non sunt audita in domo Domini, cum ædificaretur. Têplum quippe Dei per silentium crescit: quia cum mens humana per exteriora se verba non fundit, in sublime fastigium spiritualis ædificij structa consurgit: tantoque subcrescens, in altiora substollitur, quanto per silentij custodiâ circunclusa, se se extrinsecus fundere prohibetur. Custos enim iustitię silentium. Et per Hieremiam dicitur: Bonum est præstolari cû silentio salutare Domini. Bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua: sedebit solitarius, & tacebit, quia leuabit se super se. Solitarius planè dum tacet se eleuat super se; quia mens humana, dum intra silentij claustra vndique circumcluditur, in superiora sublimis erigitur, ad Deum per cęleste desiderium rapitur, & in amore eius per ardorem Spiritus inflammatur: & tamquam fons viuus, dum per verborum circulos fluere hinc inde non sinitur, vndis excrescentibus in altiora cumulatur. Templum ergo tui pectoris nunc per silentium crescat, virtutum spiritualium tamquam cęlestium lapidum in te structura consurgat, vbi supernus ille

Ioan. 16. v. 6.

Carnalis hominum præsentia Spiritus sancti impedit aduentum.

3. Reg. 6. v. 7.

Silentij bona.

Thren. 3. v. 26.

Sponsus, quem totis visceribus diligis, velut in thalamo suo, delectabiliter requiescat. Memento itaque, quod Apostolus ait: Quia fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, Christus Iesus. Si quis posuerit super hoc fundamentum aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulas, quale cuiusque fuerit, † ignis probabit. Quid enim per aurum, argentum, & lapides pretiosos, nisi robur, & ornamenta virtutum? Quid verò per ligna, fœnum, & stipulas, nisi fragilitas innuitur vitiorum? Attende ergo, vt ædificium quod in te fit, non ex fragili sit materia, quæ flammis esse possit obnoxia, quæ ventis sit impellentibus ruitura. Lignum plane, fœnum, & stipulas facile potest vorax flamma consumere; aurum verò, vel argentum, siue lapides pretiosi, nesciunt incendio subiacere. Et certè per eumdem Apostolum dicitur: Sumentes scutum Fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Ignis ergo, quem clandestinus hostis immittit, inueniat in te pretiosa metalla virtutum, non stipulas, & fomites vitiorum; vt furentibus flammis, quas callidus insidiator exsufflat, non materia putris, ac fragilis eneruiter cedat, sed impenetrabilis, ac robustæ soliditatis vigor obsistat: vt illa virtus Altissimi, quæ virginalis vteri visceribus obumbrauit, mentem quoque tuam in perpetuo vernantis pudicitiæ virore custodiat: eamq; quod absit, à diris spiritualis nequitiæ vaporibus † non permittat.

1. Cor. 3. v. 11.

† opus,

Ephes. 6. v. 16.

Luc. 1. v. 35.

† obumbrari f. vel aliquid simile desideratur.

Consolare igitur, venerabilis Domina, & à corde tuo omne tędium noxij mœroris expelle. Christus sit confabulator tuus, Christus tibi côtubernalis sit, & conuiua: immò Christus ipse tuę sint delitię, ipse quotidianæ refectionis epulum, ipse tibi sit intimę dulcedinis alimentum. Cum illo simul lege, cum illo iugiter psalle, cum illo denique te in pauimento oratura prosterne, cû illo te erige, cû illo te dormituram lectulus capiat, cum eodê sopor inueniat. Eius te pudicus, atque virgineus amplexus astringat, vt in te quoque veraciter impleatur, quod per Esaiam dicitur: Gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus; & tu specialis dicere valeas, quod generalis Sponsa dicit in Canticis: Dilectus meus inter vbera mea commorabitur. Constat enim, quod inter vbera pectoris cor hominis situm est. Dilectus ergo inter Sponsæ vbera commoratur, cum à fideli qualibet anima Christus toto corde diligitur. Huic ergo Sponso dicit anima sancta tua: Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus: lectulus noster floridus. Ipse enim speciosus forma præ filijs hominum. Et quia propter eius amorem regales infulas contempsisti, imperiale fastigium despexisti, ipse corona, ipse tibi sit purpura, ipse totius glorię tibi præparet beata ornamenta; vt merito debeas cum Propheta cantare: Induit me Dominus vestimento salutis, & indumento lætitiæ circumdedit me, quasi sponsus decoratus corona, & quasi spôsa ornata monilibus suis. Hic in te societatis humanę consoletur absentiam: hic tibi vel pro omnium iussione, & allocutione sufficiat: hic velut alter, sed longe pręstantior, Helcana veraciter dicat:

Consideratio Christi præsentis cum virtutum exercitijs veil sest.

Esai. 62. v. 5.

Cant 1, v. 12.

Ibid v. 15.

Psal. 44. v 3

Christus amâti est instar rerum omniû.

Esai. 61. v. 10.

Non

Non iam Anna, sed Agnes, cur fles, & quare non comedis, & quam ob rem affligitur cor tuum, numquid non ego melior sum, vel quam decẽ filij? Et quoniam Helcana Dei zelus dicitur; zelus Dei, dilectio Redẽptoris animum tuum in omni mœroris, & angustiæ tædio consoletur; vt in eum te in omni, quam pateris, aduersitate proijcias: sub eius vmbraculum ab humanæ persecutionis ardore confugias, & in eius amplexibus secura suauiter requiescas; quatenus ipse vel semetipsum quietis intimæ præbeat portum, qui pro te dignatus est in mundanis fluctibus inundantium procellarum perferre naufragium. 1. Reg. 1. v. 8.

EPIST. VII. Ad eandem Agnetem Imperatricem.

ARGVMENTVM.

Significat quantæ sibi molestiæ sit ab ea disiungi, & spem propinqui reditus pollicetur. Interim hortatur, vt magnitudinem præmiorum, quæ diligentibus Deũ in cœlo præpata sunt, considerans, ad exemplum Christi, labores & incommoditates, & aspera quæque tantisper, dum in arcto hoc corporis domicilio versatur, perferre non erubescat.

Dominæ suæ Imperatrici Agneti, Petrus peccator Monachus quicquid seruus.

QVoniam à sancta præsentia vestra remotus sum, & hoc tempore vobiscum esse non possum, satis doleo, & quotidiana lamentatione suspiro; interim tamen, antequam ad vos redeam, hortor sanctam patientiam vestram, vt non ei graue sit aspera quælibet, ac dura perferre, & pro amore cælestis Sponsi solicitudinem, vel etiam necessarij sumptus inopiam substinere. Cum enim Christus pro te pertulerit Crucem: quid mirum si tu substineas pro illius amore paupertiem? Si ille, cui Virtutes & Dominationes famulabantur in cœlo, sputa, flagella, opprobria, colaphos, & alapas patiebatur in mundo; quid magnum si tu, quæ terra es, imperialis gloriæ vanam proijcias pompam: & non mundi Reginam, sed, quod longe gloriosius est, te præbeas æterni Regis ancillam? Recordare, quod dicit Apostolus, Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes, non enim habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Felix nimirum tale commercium, vbi datur lutum, tollitur aurum; pro

Christi exemplum efficax ad superandos labores.

Heb. 13. v. 13.

tenebris lucem, pro terrenis honoribus cælestis gloriæ comparamus dignitatem. Sicut enim per Prophetam dicitur: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni: aruit fœnum, & flos eius cecidit: qui autem seruat verbum Domini, manet in æternum. Porro autem qui hodie induitur purpura, cras includitur sepultura. Hodie quis hominibus dominatur, cras autem à vermibus factus putredo, corroditur. Hodie regalibus infulis redimitur, cras vilibus panniculis exanime cadauer obuoluitur. Hodie splendet coronatus in regalis excellentiæ solio, cras fœtet marcidus in sepulchro. Hæc igitur, & huiusmodi Domina mi, subtiliter pensa, & huius vitæ labores cum Iesu nunc æquanimiter tolera; vt cum ipse, qui iudicatus est, iudicaturus aduenerit, tu velut vna de sapientibus Virginibus, ornatis lampadibus, ei decenter occurras, & pro temporali purpura stolam immortalitatis accipias; ac pro corona, quę de terreno fuerat fabricata metallo, illud diadema suscipias, quod in cælo factum est de lapide pretioso.

Esa. 40. v. 6.

Fragilitas rerum humanarum.

Matt. 25. v. 7.

EPIST. VIII. Ad eandem Agnetem Imperatricem.

ARGVMENTVM.

Eandem in Germaniam profectam hortatur, vt redeat, indicans quanto mœrore ob eius discessum tum Italia omnis, tum præcipuè Roma affecta sit: in qua scilicet Vrbe omnes ad veram virtutis viam eius sanctissimis exemplis excitabantur.

Dominæ suæ Agneti Imperatrici, Petrus peccator Monachus seruitutem.

VIx referre sufficio, quanto cor meum mœrore confunditur, dum reditus vestri lætitiam, suspensis quotidie visceribus, præstolatur. Heu me! cur itineri vestro vecors, ac stolidus assensum præbui? immo cur egredienti me ipsum non violenter opposui? Cur non equorum fræna corripui, & cursum vestrum vel obuijs manibus, in quantum licuerat, non tardaui? In vestri planè recessus absentia, mœret Roma, B. Petri luget Ecclesia: & tota per Sanctos viros, ac mulieres lamentatur Italia. Tu siquidem, velut aureum sidus, terrena quærentium videbaris illustrare caliginem: atque ad Deum prouocans, micantis exempli refundebas te sequentibus claritatem. Et, vt multa

Principum virorum sanctitate pollentiũ, præsentia ciuitatibus vtillima est.

prætercam, ego quoque donec te procul abesse suspiro, Romana conspicere mœnia perhorresco. Reuertere ergo, Domina mi, reuertere, teque lugentibus festiuam redde lætitiam, qui rutilantem cæli gemmam de capite mundi Roma, quodammodo ploramus auulsam. Ingerat tibi nauseam aula regalis Imperij, sola tuis naribus sagena redoleat Piscatoris. Illic cum Petronilla simul habere te libeat sepulturam, vt insignis illc Pater geminam iuxta se, carnis videlicet, ac spiritus, gaudeat requiescere filiam. Domnum meum Lopertum Episcopum æque saluto: &, vt cito reuertatur, imploro.

S. Petronilla virg. & mart. Filia S. Petri Ap.

EPIST. IX. Ad .. Reginam Galliæ.

† Annam Henrici Regis vxorem, Philippi item Regis matrem, credid.

ARGVMENTVM.

S. Doctor Nicolai II. Papæ nomine, scribit ad Galliarum Reginam, laudat eius pietatem, & in pauperes beneficentiam. Hortatur, vt tam laudabile vitæ institutum, quod semel arripuerat, vsque ad extremum constanter retineat. Simulq; suadet, vt virum suum Regem ad Rempublicam iuste administrandam, Ecclesiam tuendam, & pietatis opera edenda, inflammet. Filios quoque suos eisdem, quibus ipsa imbuta est, moribus instituat.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei, Gloriosæ Reginæ salutem, & Apostolicam benedictionem.

BOnæ voluntatis auctori omnipotenti Deo dignas gratias agamus, quia in fœmineo pectore virile viuere virtutum robur audimus. Peruenit quippè ad aures nostras, præcellentissima filia, serenitatem tuam indigentibus munificentia piæ liberalitatis affluere, deuotissimæ orationis studijs insudare, pro violenter oppressis vim districtionis exercere, cæterisque bonis operibus, in quantum tibi competit, officium regiæ dignitatis implere. Hortamur igitur, vt eum, quem, Deo inspirante, semel ingressa es, tramitem teneas: inuictissimumque virum tuum, filium nostrum, Regem ad pietatis, æquitatisque gubernacula moderanda, statumque Ecclesiæ retinendum prouocare contendas. Si enim eloquentia Abigail stultum Nabal ab irascentis Dauid gladio seruauit illæsum, quanto magis sancta deuotio tua prudentissimum virum tuum diuinis reddet obtutibus gratiosum? Sic denique eum verè diligis, si seruare quæ Dei sunt, pijs exhortationibus facis. Alioquin quo pacto viros suos illæ coniuges

1. Reg. 25. v. 32.

Mulieres in viris suis animam magis amare debét, quam corpus.

amare credantur, quæ in eis capsas, vt ita loquar, corporum diligunt; sed animarum aurum, quod in eis reconditur, non attendunt? Habemus enim, iuxta Apostolum, thesaurum istum in vasis fictilibus. (2. Cor. 4. v. 7.) Quæ nimirum hoc duntaxat amplectuntur, quod vermes deuorant in sepulchris; illud vesane despiciunt, cui immarcescibilis gloria seruatur in cælis. In carne quippe amorem suum illa constituerat, quæ Dauid se despicienti, ironica insultatione dicebat: (2. Reg. 6. v. 20.) Quam gloriosus fuit hodie Rex Israël, discooperiens se ante oculos seruorum suorum, & nudatus est quasi nudetur vnus ex scurris? Quæ profecto, quia desiderium suum in sola carne posuerat, carnis fructu debita est animaduersione priuata. Vnde paulo post Scriptura subiungit: (Ibid. v. 23.) Igitur Michol filiæ Saul, non est natus filius vsque ad diem mortis suæ.

Regum filij quo modo nutriendi.

Tu autem, gloriosa filia, quia fœcunditatis donum diuinitus meruisti, sic clarissimam instrue sobolem, vt inter ipsa lactantis infantiæ rudimenta ad Creatoris sui nutriantur amorem. Per te igitur discant, cui potissimum debeant, & quod in regalis aulæ solio sunt nobiles geniti, & quod in Ecclesiæ gremio longè nobilius per Sancti Spiritus gratiã sunt renati. Noli aliquando pecuniam præferre iustitiæ, sed thesaurum veræ sapientiæ inhianter acquire. Regina quippè Saba venit non videre diuitias, sed audire sapientiam Salomonis. (3. Reg. 10. v. 13. 2. Paral. 9. v. 12.) Quas tamen ipsa non petijt, copiosius reportauit. Tu etiam, filia, diuinis obediendo mandatis, sapientiam posside; vt merearis ad salutem animæ tuæ & terrenis competenter affluere, & de transitorij Regni culmine ad cæleste transire.

EPIST. X. Ad Gothifredum Ducem, & Marchionem Tusciæ.

ARGVMENTVM.

Hac Epistola Gothifredo Duci, & Marchioni scribit se grauiter tulisse ab illo Cãdaloum Pseudopontificem, qui à Catholica Religione defecerat, hospitio acceptum esse: idque facinus pluribus sacrarum litterarum exemplis amplificat, admonetque vt culpam agnoscat, & lacrymis deleat, iterumque in gratiam S. Rom. Ecclesiæ redeat.

Domno Gothifredo excellentissimo Duci, & Marchioni, Petrus peccator Monachus zeli feruentis obloquium.

NOua nuper, & inaudita de vobis apud nos fama percrebuit, quæ nobis non parui mœroris mœstitiam intulit, viscera tremefacta concussit, os nostrum a solita gloriæ vestræ laude compescuit, & tabefactum cor, velut acutissimo doloris intimi pugione, transfodit. Vos scilicet communicasse cum Cadaloo, quem, vt liquido nostis, iam dudum vniuersalis Ecclesia, tamquam lethale virus, euomuit: &, vt reuera putridum membrum, de proprijs visceribus amputauit, in gehennalis barathri profunda demersit: & quasi stercus hominum, intra latrinæ cuniculos obrutum, ne naribus hominum de cetero fœteat, spiramen obstruit. Huic itaque tali viro vestram communicasse prudentiam, fossores in agro, mercatores in foro, milites vociferantur in publico. Heu, proh dolor! vir eminentissime, vbi tunc erant vberes illi lacrymarũ riui, quos velut torrentem, de feruentissima pij pectoris consueueras charitate profundere: & sancti Spiritus amore succensus, non cessabas madefacta fletibus ora rigare? Huccine redacti sunt eleemosynarum fructus, quibus vtique per cõtinuum quadragesimalis ieiunij cursum liberalis pijssimæ clementiæ tuæ largitas, non modo indigentium recreauit inopiam: sed etiam ad nostri Redemptoris exemplum, & pedes lauit, & oscula desigere non erubuit? Vnde timendum vobis est, quod per Aggæum de illo viro dicitur: Qui habuit pecuniam, & misit eam in sacculum pertusum. In pertusum quippe sacculum quidquid per oris aditum mittitur, per irruptionis exitum, necesse est, elabatur. Et quid prodest, si primo per constipationem pecuniæ crumena turgescat, & per iacturam incuriæ vacuefacta mox folleat? Et quidem aduersus Antichristum hunc viriliter dimicasti, eiusq. conatibus sacrilegis, atque peruersis, cum serenissima, atque clarissima Vxore tua frequentius obstitisti; nunc autem, nescio, quis sanctæ religionis vestræ constantiam ab hac intentione, compescuit, tantumque virtutis, ac seueritatis honestæ rigorem, pestifera suggerendo, molliuit: &, quasi cœptum opus, obruere persuasit. Vnde & Salomon ait: Qui mollis, & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis. Quia videlicet qui cœpta bona districte non exequitur, dissolutione negligentiæ manum destruentis imitatur.

Gothifredi pietatis opera.

Eiusdem humilitas.

Aggæi 1. v. 6.

Prou. 18. v. 9.

Sine perseuerantia fructus boni operis perditur.

Dic mihi, vir magnifice, si quis honestis, ac pudicissimis thalamis tuis inferre moliretur iniuriam, quis necessarius tuus, quis domesticus auderet illi familiaritate coniungi? Quis illorum præsumeret in amicitiæ fœdere copulari? Si ergo homo cum aduersario domini sui concordiæ fœdus inire non audet, quo pacto sublimitas tua illi communicare non timuit, qui sponsam Christi, sanctam scilicet Ecclesiam, quasi per obscœni lenocinij stuprum, violare præsumpsit? Dei quippe hostis esse cõuincitur, qui eius inimico in amicitia sociatur. Hinc est, quod cum Ioram Rex Israel, vir vtique funestus, & impius, Elisæum consuleret, dicens: Quare congregauit Dominus tres Reges hos, vt traderet eos in manu Moab? Respondit Elisæus: Viuit Dominus exercituum, in cuius conspectu sto, quod si non vultum Iosaphat Regis Iudæ erubescerem, nec

S. Ecclesia Christi est sponsa.

Qui Dei inimicis fauet, Deo est inimicus, & odibilis.

4.Reg.3.v.3. attendissem quidem te, nec respexissem. Hinc est, quod eidem Iosaphat
2.Paral.19.v.2 quia auxiliabatur Achab, Iehu filius Hanani, propheta dixisse legitur: Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum, amicitia iungeris, iccirco iram Domini mereberis; sed bona opera inuenta sunt in te, eo quod abstuleris lucos de terra Iuda, & præparaueris cor tuum, vt requireres Dominum Deum Patrum tuorum. Hinc est, quod Achab, quia
3.Reg.20.v.42 Benadabam Regem Syriæ, quem bello contriuerat, abire permisit illæsum, ex ore Prophetæ, quod dignum erat, audiuit: Quia dimisisti inquit, virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius. Hinc est, quod Saul Regnum perdidit,
1.Reg.15.v.28 quoniam impie pius in Agag Regem Amalech, sicut dignum fuerat, nō vindicauit. Quod si suam nunc in te Deus omnipotens expostularet iniuriam, & hanc tibi proponeret dignam retributione querelam: ego te, inquiens, præ cunctis Regni tui Principibus extuli: ego per cunctos Romani fines Imperij insignem, atque conspicuum constitui: ego tibi in peregrinæ terrę partibus multo plures, quam de paterno iure successiuas diuitias contuli, nullumq. te, præter regalis Imperij Principatum, nō dicam pręcedere, sed ne vel ęquiparare permisi. Quod si hęc pauca sunt, adde, quod & acuti cordis ingenium; & facundiam ad loquendum, & vires ad bellandum tradidi, ac rigida multorum hostium pedibus tuis colla substraui. Ego tibi hæc omnia cum multis aliarum virtutum dotibus contuli, & tu aduersarium meum a me proiectum, a membris meis prorsus abscissum, communi Sacerdotum meorum sententia condemnatum, in communionem suscipere decreuisti? Si hæc, inquam, tibi Deus per semetipsum, vir insignis, opponeret, quid excusationis obtenderet? quod tergiuersationis aufugium prudentiæ tuæ subtilitas inueniret? Hæc, & his similia, quæ tibi possent obijci, vir insignis, atque sublimis, attende, reatus admissi piaculum, dignæ pœnitentiæ fletibus ablue, lethalis amicitiæ fœdus abrumpe, te deliquisse palam omnibus confitere: & in gratiam Sedis Apostolicæ, cuius nobilis, & præclarus es filius, sub celeritate reuertere; quatenus qui, quod a membris diaboli laudabatur, explodis: † & ipse per lamenta pœnitentiæ sponte corrigeris, simul cum Rege Dauid, non modo veniam a Deo, sed & gratiam consequaris. Parcat ori meo sublimitas tua, vir magnifice, nec non aduersum te, sed pro te locutum esse conijciat: & quod a me dictum est, non liuoris, vel odij fomitem, sed medicinalis curæ potius deputet vstionem.

Principes viri potestate a Deo tradita, in Ecclesiæ suæ fauorem vti debent.

B.Petri Dam. sācta libertas.

† cum
2.Reg.12.v.13

EPIST. XI. Ad eundem Gothifredum Ducem, & Marchionem Tusciæ.

ARGVMENTVM.

Eiusdem Gothifredi Ducis lenitatem in puniendis criminibus reprehendit, ostenditq. quantum nimia benignitate Principum in populos damni redundet. Augeri profecto, non reprimi improborum audaciam, resque humanas susque deque misceri, nisi peccata paribus pœnis coerceantur.

Gothfredo excellentissimo Duci, Petrus peccator Monachus salutem in Domino.

QVi pigmentata quotidie bibit, ac melle condita, aliquando longa dulcedine gustus eius offenditur, & in austeritate vilis vappæ iucundius delectatur. Et certe per Salomonem dicitur. Quia qui mel multum comedit, non est ei bonum. *Prou. 25. v. 27.* Inter adipati quoque iuris edulia virentes herbæ fastidium reprimunt, & nauseantis ad vomitum pectoris arcana componunt. Tu sane, vir eminentissime, quodammodo multa quotidie percipis, & nectareo sapore conspersa; dum tibi vnus quisque ad votum loquitur, nec aliud quidquam suggerere nititur, nisi quod tuis auribus blandiatur. Quidquid tibi plane dicendum est, prius accurate componitur, & quasi fabrilis instrumenti studio cuditur, ac politur: videlicet quidquid illud est, substrata potius humilitas suggerat, quam libera loquentis auctoritas dicat. Et, ô infelix, & deceptioni semper obnoxium mundanæ fastigium dignitatis! quia cum cęteri dicant homines illa, quæ sentiunt, potentibus sęculi fucati sermonis argumenta componunt: & eos, qui se alijs exhibent puros, diuites compelluntur semper habere suspectos. Dum ergo mundani quilibet homines excellentię tuę pocula tantummodo mellita propinant (id enim solummodo suggerunt, quod tibi placitum esse perpendunt) inter dulces quotidianæ assentationis illecebras non debet moleste ferri meorum amaritudo sermonum, tamquam inter suaues epulas aliquando placet agrestium viror herbarum. Quod ergo viuis tibi sępe sermonibus protuli, hoc hanc per Epistolam replico. Fateor sane, multum mihi displicet, quia Monarchiam hanc, in qua pęne centum millia degunt hominum, tanquam rusticum quendam viculum negligis: eamque Duci, per quem regi, & administrari debeat, non committis. Ex omnibus quippe, quibus nunc per regiminis officium præmines, districto Iudici ratiocinium debes: & quanto nunc gloriosius est in obtinenda dignitate fastigium, tanto durius erit in red-

Magnorum Principum infelicitas est, fucatam rerũ veritatem habere.

Gubernatores Reip. cum alijs communicare debent rerum pondus, ne negligentiæ pœnas dent.

denda ratione iudiciũ. Transfer ergo pōdus in alterũ, vt quod proprijs non potes ceruicibus ferre, per aliũ valeas, cōmunicato labore, portare.

Illud etiam mihi non mediocriter displicet, quia in plectendis flagitijs, & temerarijs iniquorum hominum ausibus coërcendis, remissior cerneris esse, quam debeas: & dum peccatoribus parcis, augere peccata conuinceris. Eneruato quippe rigore iustitiæ, status euertitur disciplinę & dum vltoriæ seueritatis censura reprimitur, temeraria delinquendi licentia relaxatur. Inordinata sane pietas nutrit impietatẽ; & timida manus medici, vulnus auget ægroti. Facit enim exuberare putredinem, dũ non secando, sed palpãdo, quotidie superducit vulnusculo cicatricem. Farmacopola denique, qui mollibus vnguentis non permiscet acredinem, tumoribus exiccandis nullam potest adhibere virtutem. Non omnia membra Ecclesiæ vno funguntur officio. Aliud nempe sacerdoti, aliud competit iudici. Iste siquidem visceribus debet pietatis affluere, & in maternæ misericordiæ gremio sub exuberantibus doctrinæ semper vberibus filios confouere. Illius autem officium est, vt reos puniat, & ex eorum manibus eripiat innocentes; vt vigorem rectitudinis, & iustitiæ teneat, & a zelo sanctionum legalium non tepescat; vt ab ęquitatis linea non declinet; vt legitimi vigoris genium nō eneruet. Meminerit etiam semper, quod per Apostolum dicitur: Vis non timere potestatem? fac bonum, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time. Non enim sine causa gladium portat. In quibus vtique verbis† intelligi, aliud esse gladiũ Principis, aliud infulam Sacerdotis. Non enim ad hoc præcingeris gladio, vt violentorum mala debeas palpare, vel vngere; sed vt ea studeas vibrati mucronis ictibus obtruncare. Hinc est, quod sequitur: Dei enim minister est vindex in iram ei, qui male agit. Si ergo Dei minister est, qui mala facientes in iram vindicat; diaboli proculdubio minister est, qui criminosos, ac reprobos suauiter palpat. Et sicut Deo prębet obsequium qui peruersos vlciscitur; sic minister est aduersarij, qui perpetrantibus iniqua blanditur. Necesse est, vt cōtrahat mucro rubiginẽ, qui semper in theca recōditus, numquã exercet vltionem. Scaber ensis efficitur, qui dũ cohibetur semper a vulnere, non limatur. Quo contra, per Ezechielem dicitur: Gladius exacutus est, & limatus, vt cædat victimas, exacutus est; vt splẽdeat, limatus est. Distat plane tribunal iudicis a cathedra sacerdotis. Ille nimirum ad hoc gladium portat, vt eum in vltionem iniustè viuentium exerat; iste baculo tantum contentus est innocentiæ, vt quietus, & placidus teneat custodiam disciplinæ. Quamquam & sacerdos si immoderata circa subiectos pietate resoluitur, & ipse sententia diuini furoris non immerito condemnetur. Nam sacerdos erat Heli, de quo dictum est ad Samuelem: Eo quod nouerat indignè agere filios suos, & non corripuerit eos, iccirco iuraui domui Heli, quia non expietur iniquitas domus eius victimis, & muneribus vsque in æternum. Eat ergo iudex, causas, atque negotia iurgantium dirimere negligat; maximam diei partem

Missarum

Marginal notes:
Iustitiæ rigor regna conseruat.
Officium Sacerdotis, ac Principis.
Rom. 13. v. 3.
† datur. vel aliquid simile.
Ibid. v. 4.
Iudex, qui male agentes nō punit, diaboli minister est.
Ezech. 21. v. 10
1. Reg. 3. v. 14.

Missarum sollemnijs, & orationibus insistendo, consumat. Sed ecce illic dicitur, quia nec ipsius quidem sacerdotis iniquitas expiari poterit victimis, & muneribus vsque in æternum; eo quod Heli vitia non coërcuerit filiorum. Et perpende, quale est, quod victimæ, simul ac munera, quæ peccata principaliter abluunt, habitam erga subiectos negligentiam expiare non possunt. Multi nempe falsæ pietatis errore decepti, vnde se Deo placere insipienter autumant, inde aduersus eum crudeliter pugnant: & ex eo merentur iram, vnde se adepturos opinati sunt gratiam: & dum alijs veniam falsæ pietatis impertiunt, ipsi motum diuinæ indignationis incurrerunt. Vir namque de filijs Prophetarum dixit ad socium, vt se percuteret: quem, quoniam ille ferire contempsit, protinus a Leone percussus, interijt. Placere se Deo de pietate sua arbitratus est Achab, cum Benadab Regem Syriæ non modo vocauit fratrem, sed & in curru proprio sibi dignatus est assessorem. Sed audi, quid indiscreta pietas mercatur audire: Quia dimisisti, inquit Dominus, virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius. Saul Agag Regem Amalech non occidit, sed captum peracta victoria conseruauit, & pro hac misericordia digne remuneratus, audiuit: Pro eo, quod abiecisti sermonem Domini; abiecit te Dominus, ne sis Rex. Pius extitit populus erga mulieres Madianitarum; sed ait illis Moyses: Cur fœminas reseruastis? Ergo cunctos interficite, quidquid generis est masculini, etiam paruulos: & mulieres, quę nouerunt viros in coitu, iugulate. Idem quoque Moyses, postquam fabricatus esset vitulus in Oreb, ait filijs Leui: Occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum. Et postquam viginti tria millia hominum cæsa sunt, ait: Consecrastis hodie manus vestras Domino, vnusquisque in filio; & fratre suo; vt detur vobis benedictio. Amalechites ille, qui gloriatur se peremisse Saul, dum se non galeam, sed diadema de capite bellantis abstulisse confingit, gladio Dauid percussus, occubuit. Interfectores etiam Isboseth dum caput illius quasi loco muneris offerunt Dauid; gladium non euadunt: & quem sperauerant muneri gratias redhibentem, commissi potius homicidij experiuntur vltorem. Petrus etiam Ananiæ, & Saphiræ mendacium non inultum abire permisit; sed eos oris gladio feriens, aliorum, ne simile quid forte præsumerent, corda perterruit. Paulus quoque, dum excessibus coercere discipulos nititur, virgam delinquentibus comminatur. Saluator etiam noster, qui tamquam mitis agnus apparuit, mox vt Petro cæli, terræque iura commisit, protinus eum dura redargutione corripuit: Vade, inquit, post me Satana, scandalum es mihi; quia non sapis, quæ Dei sunt: sed ea, quæ hominum. Quid est ergo, quod Sancti viri toties in delinquentes reperiuntur inuecti, vel correptione verborum, vel vltionibus operum, nisi, vt manifeste clarescat, quia in hac mortalitate recte non viuitur, si blandis, ac mollibus asperitas non miscetur? Nam vbi penitus disciplina postponitur, vbi districta

Gubernatorũ negligentia in subditos difficile expiatur

3. Reg. 20. v. 36

Iniquos castigare est Deo sacrificium.

Ibid. v. 42.

1. Reg. 15. v. 26

Num. 31 v. 15. & 17.

Exod 32. v. 17.

Ibid. v. 29.

2. Reg. 1. v. 15.

2. Reg. 4. v. 12.

Act. 5. v. 5.

1. Cor. 4. v. 21.

Matt 16. v 23.

Marc. 8. v. 33.

legitimi vigoris censura reprimitur, necesse est, vt prona semper ad malum fragilitatis humanæ conditio ad illicita relaxetur. Et in eum proculdubio tota subiectorum culpa redundat, qui eos, ne præcipitanter excederent, sub disciplinæ loro cohibere debuerat. Inordinata nempe pietas Principis, quid est aliud, quàm confusio plebis? Nam dum ille a moderanda regiminis habena reprimitur, subiectiquique, velut effrænes equi, per abrupta raptantur. Agere nimirũ licet omne, quod libet, & tunc liquido cernitur, quod sæpe dictum in libro Iudicum reperitur: In diebus illis non erat Rex in Israel, sed vnusquisque quod sibi rectum videbatur, agebat. Et illud, quod tempore Achab impijssimi Regis dictum est per Michæam: Non habent Dominum isti; reuertatur igitur vnusquisque in domum suam in pace. De tempore quoque Saul dicitur: Quia retusæ erant acies vomerum, & ligonum, & tridentium, & securium, vsq. ad stimulum corrigendum. Retusæ quippe sunt acies vtensilium, cum zelus, ac feruor extinguitur magistrorum: nec stimulus est, qui pungat, cum deest, qui delinquentium peccata corripiat. Hunc pungentem se Paulus stimulum sentire cœperat, cum vox illi diuina dicebat: Durum est tibi contra stimulum calcitrare.

Principis inordinata pietas est perditio.

Iudic. 17. v. 6.

3. Reg 22. v. 17

1. Reg. 13. v. 21.

Act. 9. v. 5.

Enimuero, quod dicturus sum, non mihi stylus historię tradidit, sed Comes Vbaldus, vir videlicet disertus, ac prudens, nudo dumtaxat sermone narrauit: Theodosius, inquit, Imperator cum religioso quodam Eremita consueuerat habere colloquium, cuius videlicet obtemperabat Imperator imperijs, & conscientiæ sibi latentis arcana pandebat. Seruus itaque Dei, vt erat simplex, & purus, ac mundanæ propemodum prauitatis ignarus, Augustum districte permonuit, vt erga delinquentes pius existeret, vt a reorum vltionibus abstineret: & qui sibi deposceret a superno Iudice veniam, ipse non exigeret a fratre vindictam; nimirum cum ipse Iudex dicat: In qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis. Imperator itaque fidem Sancti viri monitis adhibens, cœpit flagitiosis, & quibusque nocentibus impune commissa remittere; sacrilegis, ac lege plectendis venialiter indulgere; cunctis etiam aliena iura temere peruadentibus, debita relaxare. Ad hæc Regni Proceres conqueruntur, regalis * mysterij tractatores ruinam mundi periclitantis expostulant: & per fas, ac nefas cuncta confundi, nisi per æquitatem iustitiæ rebus humanis celerius occurratur, affirmant. Lamentantur denique per superstitiosæ huius, ac friuolæ pietatis ignauiam, passim rapinas, ac violentias fieri, legum scita dissolui, & ad audenda plectibilia quæque, vel noxia peruersorum nequitias hominum per concessæ libertatis audaciam concitari. Hac Imperator querula suggestione permotus, ad hominem Dei veredarium destinat, consilium flagitat, quid sibi a murmurantibus obijcitur, exponit; quid potissimum sit ipse facturus, inquirit. Hæc vir Dei solerti examinatione discutiens, mutandamque sui consilij sententiam recognoscens, ore quidem siluit, quadam vero mystici operis significatione res-

Vbaldus Comes.

Regũ consilia rij non solum pij, sed etiam prudentes esse debent.

Mat. 7. v. 2.

Inordinatæ pietatis incõmoda.

* ministerij.

pondit. Aspiciente siquidem pragmaticæ legationis baiulo, caput vndique pexuit: & quidquid in gremium demolitum est, vel effusum, in ignem sine mora proiecit: moxque corripiens sarculum, ingreditur hortulum, quæque noxia demolitur, steriles herbas extirpat, circumcirca sarriens, virentia excolit & communit olufcula. Illas igitur eradicat, vt, radicibus euulsis, arescant; istas vero fouet, & excolit, vt per adulti germinis incrementa proficiant. His itaque mystica significatione peractis in eadem silentij censura persistens, innuit nuncio, vt ad suum Dominum redeat: eique quæ viderat, per ordinem innotescat. Qui nimirum non sine quadam animi stomachantis indignatione reuersus, murmurare cœpit, & conqueri, quia non missus esset ad sani capitis hominem, sed ad vesanum potius, ac dementem: sperabam, inquit, vt decurrentibus me verbis instrueret, &, iuxta inquisitionis meæ seriem, per apertæ responsionis alloquium ex omnibus informaret; Ille autem, velut alienatæ mentis, ac furiosus, modo incultam capitis cæsariem pectere, modo correpto per hortulum suum cœpit ligone sarrire; tamquam ego lendes eius, ac pedunculos magnipenderem, vel ruralis industriæ magisterium flagitarem. Tunc Imperator, quod dicebatur, diligenter auscultans: & altiori consilio, quod factum fuerat, mente pertractans, ait: hoc non esse ridiculum, sed mysterium: atque id sibi, quod quęsierat, euidentibus indicijs indubitáter expressum: Seruus, inquit, Dei nobis melius agendo, quam loquendo respondit: & genuino suæ operationis oraculo, nodum vnius nostræ quæstionis absoluit.

Pij viri iucundum, ac prudens factum.

Quid enim apertius eo, quod verticem pexuit, & mox in ignem detersa proiecit? Ac si diceret: per multimodę diuisionis pectinem, hoc est per legitimæ discussionis, ac discretionis examen, & noxia quæque dispereant: & quæ bona sunt, abiectis malis, purificata remaneant. Eandem porro sententiam per hortuli quoque voluit iterare culturam, vt sicut ille noxias cum suis cespitibus herbas euulsit, bonum autem olus, vt vberius germinaret, excoluit; ita nos, quasi per discretum libratæ iustitiæ sarculum, & elaboremus reprobos radicitus extirpare: & bonos, vt Deo fructificent, in tranquilla pace componere. Hoc illi, qui aderant, audientes, quod velut anilium nugarum deputauerant ante ridiculum, venerari cœperunt: & reuera spiritualis, ac profundæ sapientiæ Sacramentum. Tunc Imperator hoc tamquam prophetico confirmatus oraculo, violentias iniustè viuentium cœpit vlcisci, reatus, ac scelera districta iurisdictionis animaduersione percutere, a nefarijs ausibus improbos cohibere, & per auctoritatem imperialis potentiæ peruersorum corda terrificans, in pace cuncta componere. Sic itaque mundus, qui perire cœperat per ignauiam, ad æquitatis, atque iustitiæ refloruit disciplinam. Hoc autem ego, non vt constanter verum fuisse perhibeam, retuli: sed quod mihi cursorio sermone relatum est, in quantum non intercepit obliuio, prælibaui. Verumtamen

Principis officium.

Iustitiæ vigore pax, & felicitas acquiritur.

numquam hoc vſque ad nos antiquitas, fama vulgante, tranſmitteret, ſi non ad ædificationis exemplum prodeſſe poſteris crediſiſſet.

Natus eſt ergo S. Doctor A. C. 1007.

Vix plane quinquennio ante meæ natiuitatis exortum, humanis rebus exemptus eſt Tertius Otto, qui imperiali apicis dignitate pollucibiliter floruit, & Romanam Rempublicam ſtrenuè gubernauit. Hic itaque cum vicennalis adoleſcentiæ vix adhuc exceſſiſſet ætatem, inter inſignia multa, & præclara, quæ geſſit, tribus Regni Proceribus, atque Comitibus oculos eruit, Rodulpho videlicet, Raimundo, & Arimundo. In quo nimirum conſpicuo decore iuſtitiæ, ſic omnium aliena diripientium viſcera tremefecit, ſic totum Regnum in ſecuritatis, & pacis tranquillitate compoſuit; vt omnes fere intra compendij ſui limitem ſe formidoloſe reprimerent, nec iuris proprij terminos per inſolentiam tranſilirent. Vnde per ora populi hæc ſe præconij fama diffuderat: in euulſione ſex oculorum vnum pacatum eſt Regnum. Tres facti ſunt cœci, & omni populo quietis optatæ lumen infulſit. Tu quoque, vir magnifice, ſanctorum tibi Principum, & legalia iura ſeruantium exempla propone: noxiæ pietatis imaginem a te procul exclude: & erga populum, qui tibi commiſſus eſt, ſatage ſemper iuſtitiam cuſtodire. Scriptum eſt enim: Beati, qui cuſtodiunt iudicium, & faciunt iuſtitiam in omni tempore. Et Salomon, Diligite, inquit, iuſtitiam, qui iudicatis terram. Sic ergo rectitudinis zelo ſemper accenſus, incede nunc per iuſtitiæ tramitem: vt non iudicandus, ſed remunerandus, ad ipſum quandoque iuſtitiæ reuertaris Auctorem.

Ottonis tertij iuſtitiæ fructus.

Pſal. 105. v. 3.
Sap. 1. v. 1.

EPIST. XII. Ad eumdem Gothifredum Ducem, & Marchionem Tuſciæ.

ARGVMENTVM.

Eadem quæ in ſuperiori Epiſtola, de nimia manſuetudine, & lenitate fugienda eidem Gothifredo inculcat: admonens illum, videat etiam, atque etiam, ne dum paucis ſceleratis parcit, bonos omnes perdat. Vt hoc ei facilius perſuadeat, exemplum Hugonis Ducis, qui ante illum totius fere Italiæ gubernacula adminiſtrauerat, adducit, eiuſque ſeueritatem collaudat.

Gothifredo præcellentiſſimo Marchioni, Petrus peccator Monachus ſalutem.

SÆpe nuncius poſt nuncium mittitur, vt res, quæ nimis eſt neceſſaria, importunis ſaltem precibus impetretur. Nam & Euangelicus

ille iudex extra Euangelium viuens, qui non Deum, non hominem reuerebatur, tædio tandem, & indefessa mulieris instantia victus, agnoscitur. Tu vero, quem & inter homines pudor honestæ vitæ spectabilem, & apud Deum castus reddit timor insigne, petitionibus meis repulsam non debes ingerere: quem vtique non in aduersarium conquerentem, sed tibi potius apicis vtilia suggerentem. Scripsi tibi nuper Epistolam de seruando rigore iustitiæ, quam nunc apicibus quidem gemino, sed a proposita semel materia non recedo. Tene igitur, vir eminentissime, stateram æqui libraminis, examen intra trutinam cohibe, pariles legalium sectionum lances præ oculis semper appende. Sed hic forte illud Salomonis obijcies: Noli esse nimium iustus. Et ego tibi e contra respondeo: Noli esse nimium pius. Sicut enim sub immoderata iustitia pusillanimitas frangitur, ita sub pietate nimia male liber animus ad insolentiam procaciter effrænatur. Numquid enim illic indiscreta pietas non prohibetur: Percute filium tuum virga, & liberabis animam eius à morte? Et iterum: Qui parcit virgæ, odit filium suum. Et alibi: Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella. Et idem: Equus indomitus euadit durus, & filius remissus euadet præceps. Lacta filium tuum, & pauentem te faciet: lude cum eo, & contristabit te. Non corrideas illi, ne doleas, & in nouissimo obstupescent dentes tui. Si ergo pater disciplinam, & flagellum debet vnico filio, quanto magis Princeps populo; ne tanta effrænatæ libertatis audacia pereat multitudo? Vnde scriptum est: Rex insipiens perdet populum suum, & ciuitates inhabitabuntur per sensum prudentem. Vt ergo populus, qui tibi subiectus est, ex iusti regiminis obseruatione saluetur, necesse est, vt ipse in tribunali examine constitutus, quæ sunt iusta, decernas: & eos insuper, quos per Prouincias dirigis, vt legis edicta districte prosequantur, instituas. Vnde vir Sapiens cum præmisisset: Iudex sapiens iudicabit populum suum, & principatus sensati stabilis erit, protinus addidit: Secundum iudicem populi, sic & ministri eius: & qualis est Rector ciuitatis, tales & inhabitantes in ea. Quid plane sanctius? Quid Deo charius? Quid certe in Christiana religione præstantius, quam iudicare iustitiam, & illicitis ausibus per legitimi rigoris occurrere disciplinam? In quo nimirum & nocentibus præstatur, & patientibus. Illis scilicet, vt violentiæ piaculum non incurrant: istis autem, vt discrimen ingerendæ calamitatis euadant. Illis, vt contenti proprijs, aliena non rapiant: istis, vt defensi puræ tuitionis vmbraculo, propria non amittant. Illis, ne lædendo proximos, diuini furoris in se gloriam prouocent: istis, vt à nefandorum nequitia liberati, gratias semper agentes, in iubilo diuinæ laudis exultent. Quod vtique suauius sacrificium Deo valet offerri, quam de violentorum manibus pupillos eripere, viduas defensare, oppressos erigere, spoliatos, & abiectos in amissos proprij iuris titulos reformare? Hinc enim scriptum est: In iudicando esto pupillis misericors, vt pater, & pro viro matri illorum: & eris tu velut filius Altissimi

Luc. 18. v. 5.
Eccl. 7. v. 17.
Prou. 23 v. 14.
Prou. 13. v. 24.
Eccli 30. v. 1.
Ibid. v. 8.
Eccli. 10. v. 3.
Ibidem. v 1.
Qualis Rex, tales ministri.
Iustitiæ rigor bonis, ac malis vtilis est.
Eccli. 4 v. 10.

obediens, & miserebitur tui magis, quam mater. Quid ergo maius? Quid in humanis operibus excellentius, quam id, pro quo mortalis homo & Dei filius fiat: & Deus illi non paternæ, sed quod maius est, viscera maternæ pietatis impendat? Vt qui stans pro pupillis, & viduis aduersus impiorum nequitias dimicat, ipse tamquam lacteola soboles sub confouentibus se diuinæ pietatis vberibus requiescat.

Sacræ Scripturæ, ac SS. Patrum de plectendis iniquis concors sententia.

In vlciscendis planè, ac legali seueritate plectendis excessibus iniquorum, omnes sibimet vnanimiter concinunt, & in vnius sententiæ decreta concurrunt, & Patres videlicet legis antiquæ, & sancti Doctores Ecclesiæ. In lege namque scriptum est: Maleficos ne patiaris viuere. Et Apostolus inter multa: Siue Regi quasi præcellenti, siue Ducibus tamquam ab eo missis; ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Beatus Augustinus ait: Quæ est vanitas vni parcere, & omnes in discrimen adducere? Polluũtur enim omnes, vno peccante. Et Hieronymus, Qui percutit malos, inquit, in eo, quod mali sunt, & habet causam interfectionis, vt percutiat pessimos, minister Dei est. Item alibi: Homicidas, & sacrilegos punire, non est effusio sanguinis. Et beatus ait Ambrosius: Hostem ferire victoria est, reum æquitas, innocentem homicidium. Quod profectò Sancti de inferenda impijs vltione non dicerent, nisi corporale supplicium etiam animabus eorum aliquatenus crederent profuturum. De quo nimirum, omissis interim alijs, quid Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus sẽserit, breuiter inseramus: Mors, inquit, quæ pœnæ causa infertur pro peccato, purgatio est peccati ipsius, pro quo iubetur inferri. Absoluitur ergo peccatum per pœnam mortis; nec superest aliquid, quod pro hoc crimine iudicij dies, & pœna æterni ignis inueniat. Vbi quis accipit peccatum, & habet illud secum, nec aliquo supplicio, pœnaque diluitur, transit etiam cum eo post mortem: & quia temporalia hic non persoluit, expendet æterna supplicia. Vides ergo, quanto grauius sit accipere peccatum, quam morte multari? Hic enim mors pro vindicta datur, & apud iustum Iudicem non iudicatur bis in idipsum. Vbi autem non est solutum vindicta peccatum, manet æternis ignibus extinguendum. Quibus vtique sancti viri verbis indubitanter asseritur, quia per temporalem pœnam reus absoluitur, & per immunitatem æterni supplicij cruciatibus reseruatur.

Exod 22. v. 18. 1. Pet. 2. v. 13. S. August. S. Hieron. S. Ambros.

Per temporalem pœnam reus ab æterna liberatur. S. Cyrillus. Nahum. 1. v. 9.

Vt autem domesticum tibi, vel vt ita loquar, vernaculum præbeamus exemplum, nemo melius occurrit, quam gloriosæ memoriæ Hugo Dux, & Marchio, qui cum, quo tu, nunc fungeris, obtinuit Principatum. Obtinuit, inquam, vtramq; † Monarchiam, & quam Tyrrhenum videlicet, & quam mare Adriaticum alluit; Sed cum perpenderet, quia propter improbitatem iniustè viuentium, strenue regere vtramque non posset, vltroneæ renunciationis arbitrio, cessit Imperatori † Monarchiã Camerini cum Spoletano Ducatu; iuri vero proprio Tusciã reseruauit. Huius tẽpore Capuanus Princeps, si rite rẽ teneo, dũ

Hugonis Ducis Tusciæ prudentia in renunciando Ducatu.

† Marchiam f

manibus chirotecas vellet adducere, hi, qui aduersus eum conspirauerunt, ei protinus quasi subseruientes, occurrunt, manus eius vtrasque cōplodunt: & mox euaginatis gladijs, eum confodientes, interimunt. Quod mox, vt incomparabiliū virtutum viro, Hugoni videlicet Marchioni, qui dictus est, patenter innotuit, nil moratus Capuanam vrbem numerosis exercituū legionibus circūfudit: eamq; tamdiu bellicis armatorum copijs expugnare non destitit, donec ex ea victoriam caperet, & interfectores Domini sui, digno necis supplicio, trucidaret. De quo nimirum & alia tot virtutum insignia referuntur, vt prolixitate temporum splendida nominis eius fama aboleri nullatenus valeat: sed quasi virens semper ac florens, in ore hominum sollemniter viuat. E quibus & nos scribere nonnulla possumus, quæ forent ædificationi Procerum profutura: sed quia dum nobis dicerentur, singula gestorum verba notare neglexımus, ne quod absit, aliquo fallamur in verbo, scribenda hæc alijs delegamus. Breue tamen, quod audiui de puerili eius ætate, non taceo: † Obertus Marchio pater eius Hugonis Regis naturalis filius extitit: qui nimirum † Guillam maioris Bonifacij Marchionis filiam, coniugali sibi fœdere copulauit. Hic non multo post indignationem primi Ottonis Imperatoris incurrit, ac subinde relicta coniuge, Pannoniam profugus exulauit. Qui cū longo post tempore resumptus in gratiam, redijt: matrem cum grandiuscula iam prole reperiens, admiratus expauit. Negat homo se genuisse, quem conspicit: & zelotypiæ permotus inuidia, fœtæ mulieri obscœnum crimen intendit, nequaquam se tam insperatæ rei perhibet conscium; diffitetur se conceptionis huius nosse mysterium: nec posse fieri, vt se asserat patrem, qui prægnantem non reliquit vxorem. Ad hoc tandem res diutius ventilata protrahitur, vt non aliter, quam per actæ purificationis indicium tam grauis obiectio sopiatur. Hoc igitur ex vtraque parte conuenit, vt in vasta quadam amplissimę domus area conuentus religiosarum fieret personarum: Quibus nimirum in subsellijs suis vndiq; considentibus, puer solus in medio poneretur: & si patrem, quem numquā antea viderat, adiens peteret, ab omni proculdubio matrem suspicione purgaret. Quid plura? Conueniunt Pontifices, adsunt cum Monachis, & Abbatibus inferioris etiam ordinis Sacerdotes: fletur, gemitur, suspiratur, ad cælum oculos erigunt, pugnis pectora mœsta contundunt, profluentibus lacrymis tristia ora perfundunt. Dimissus itaque puer in medio sine papate, vel gerula, cœpit ire: & cum pater sederet inter vulgus, nec ab alijs videretur vlla subsellij varietate distinctus: contemptis omnibus, puer ad eum signanter accessit, eique tamquam notissima familiaritate blanditus, adhæsit. Sic itaque liberauit matrem, dum diuino prouocatus instinctu, petijt genitorem. Hoc igitur modo matri confusio tollitur, patri filius redditur: & vtriusque parentis affectus erga se inuicem in communi sobole reformatur. Omnes ergo, qui aderant, tanto stupefacti miraculo, votiua mentis con-

Zelus in vindicāda Capuani Principis iniuria.

†Vbertus, & Albertus etiā. Conf. schol.
†Vuillam.

Guillæ matris Hugonis innocentia iucūdo miraculo declaratur.

iubilatione, & dignas auctori Deo gratias referentes, exultant.

Prudentissimũ Hugonis Ducis factum.

Hic præterea sæpe dum equitaret, comitum cunctos post se dimittere consueuerat, & vel solus, vel vno contentus asseclа, longius præcedebat; & tunc agricolas, vel opiliones his compellabat affatibus: Quid vobis, inquit, videtur de Marchione isto, quem dicunt? Numquid nõ crudelis, & impius pauperes opprimit, terram dissipat, & cuncta ditionis suæ bona profligat? Ad quod illi, absit, aiunt, absit: falsum est penitus, ô homo, quod loqueris. Non est enim potestas talis super terrã, quæ sic violẽtijs, & rapinis abstineat, quæ in tãta pace, & securitate subiectũ sibi populũ regat. Viuat optamus, viuat illa potestas ad refugium pauperum, prospere floreat ad omnium custodiam subiectorum. Quod ille audiens, exultabat in Domino. Vnde sæpe dicebat: In tanta volo semper erga subiectos, & præcipuè rusticos, mansuetudine viuere: vt annona, quæ caballi mei rodentis ore delabitur à rusticorum porcellis è vestigio colligatur. Porro autem cum de se quid diceretur inquireret, quid aliud, quam nostri Redemptoris imitabatur exemplum? qui nimirum cum omnia proculdubio nosset, à Discipulis tamen, veluti nescius, inquirebat: Quem dicunt homines esse filium hominis? Cui cum illi diuersas hominum opiniones exprimerẽt, addidit: Vos autem quem me esse dicitis? Scilicet vt Rex Angelorum formam daret Rectoribus hominum, quatenus, non quid in os eorum assentatoriè dicatur, attendant; sed quod eorum testimonium apud absentes habeatur, inquirant. Sicque quod in se reprehensibile ex eorum fama deprehenderint, corrigant: ad exequenda vero bona, quæ de se dicere cognouerint, auidius inualescant.

Christus auctor est moderatoribus inquirendi de se aliorum opiniones.

Matt. 16. v. 14.

Hugonis Ducis mors.

Vt autẽ præfati Marchionis etiam finem breuiter perstringamus, cum in extremæ valetudinis languore decumberet, & totius regni lumen extingui, non parua diuersorum ordinum multitudo defleret: venerabilis quidam Episcopus, cuius me ad præsens vocabulum fugit, hoc in ligno, quod in igne tunc ardebat, expressum per quædam litterarum vestigia deprehendit: Hugo Marchio quinquaginta annis vixit. Cumque hoc quasi faustum omen ij, qui aderant, crederent: lignumque hoc esse recuperandæ salutis, erectis in spem cordibus, autumarent, paulo post ipse defunctus est.

† septem.

Hic præterea † sex monasteria in sui iuris possessione construxit, quæ non modo prædijs, ac mancipijs, sed & aureis, & argenteis vasis, diuersis etiam Ecclesiasticis ornamentis, copiosa liberalitate ditauit. In quorum vno, venerabili videlicet, ac religioso, quod ad honorem Dei Genitricis est in Florentina Vrbe constructum, iacet cadauer eius humatum. Cuius obitum cum Augustus, qui tunc habenas Romani regebat Imperij, Otto videlicet tertius agnouisset, quia quondam aduersus eum stimulo mordebatur inuidiæ, protinus in hanc vocem congratulabundus erupit: Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Sed paulo post, eodem scilicet anno & ipse defunctus est. Sic itaque suã improuidus pertulit, qui de morte alterius nequiter exultauit: non

Florentiæ in æde B. Virg. ab eo cõstructa sepelitur.

Psal. 123. v. 7.

attendens

attendens id, quod vir Sapiens ait: Noli de mortuo inimico gaudere, sciens quoniam omnes morimur. *Eccli. 8.v.8.*

Sed & illud annectere non otiosum credimus, quod inter sanctos eiusdem cœnobij Monachos celebri redolere memoria frequenter audiuimus. Aiunt enim, quia præfatus Marchio Marino Abbati, qui monasterium id tunc regebat, per speciem nocturnæ visionis apparuit: atque, vt corpus suum in supinum iuxta consuetudinem volueret, quod in os reclinatum iacebat, admonuit. Quibus profectò visionibus Abbas fidem præbens probare rem voluit, & honesti viri corpus pronum, & in faciem iacens, sicut sibi reuelatum erat, inueniens, reuerenter, vt decebat, in latus alterum supinauit. Nec mirum planè, si vir iste sepulturæ consuetudinem petijt, quam & ipse circa se caput electorum omnium voluit exhiberi. Dicit enim Euangelista Ioannes: Quia Ioseph, & Nicodemus acceperunt corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos Iudæis est sepelire. Hunc tibi prædecessorem tuum, vir eminentissime, quasi speculum statue, aliorumque tibi, qui prauitates hominum per rigorem iustitiæ represserunt, exempla propone. Eripe de violentorum manibus innocentes; superborum, & contra statuta viuentium, erectas frange ceruices. Experiantur te reprobi Principem, non irrideant Sacerdotem. Nocentium fruticum radices euelle, vt fructuosa plantaria possint comas erigere. Sic igitur in agro Domini, qui tibi ad excolendum commissus est, sarculum legitimi vigoris exerce; vt & supernis horreis prouentum centesimi fructus inferre, & dignæ remunerationis nummum ab eo, qui te conduxit, merearis accipere.

Hugo Dux per visum à Marino Abb. petit, vt cadauer eius in supinum voluetur.

Ioan. 19. v. 46.

EPIST. XIII. Ad eumdem Gothifredum Ducem, eiusque Vxorem Beatricem.

ARGVMENTVM.

Petit, vt Abbati S. Ioannis Baptistæ pecuniam largiatur, qua Bibliothecæ emptæ pretium persoluere possit: simulque huiusmodi pietatis operum quanta sit vtilitas, docet.

Domno Gothfredo Marchioni, & Duci, & Beatrici serenissimæ coniugi, Petrus peccator Monachus orationem.

Filius hic noster, Abbas videlicet monasterij S. Ioannis Baptistæ, Bibliothecam emit: sed quia non potest pretium, inopia constrin-

gente, persoluere, necessitate compellitur a me reddendæ quantitatis auxilium flagitare. Sed quod ad præsens mihi non adiacet, ab alijs exigendi licentiam tribuo; quod a nobis, diuitibus scilicet Episcopis, non assequitur; a vobis saltem exiguis, ac pauperculis in aliquo consoletur. Quod si dicit aliquis: mundus aduersum nos furit, bellum ingruit, & vacare nos ad offerenda Deo munera non permittit. Audiat, quia Iosue Dux Israël in deserto pugnabat, & Moyses in monte, manibus in cælum extensis, orabat; sed, sicut Scriptura perhibet, cum remitteret manus Moyses, superabat Amalech: cum vero manus erigeret, corruebat Amalech, & vincebat Israël. Hinc Propheta dicit: Leuate corda vestra cum manibus ad Deum. Cor quippe cum manibus ad Deum leuat, qui dum orationum Deo vota persoluit: ei quoque, vel ad ornamenta Ecclesiarum, vel ad subsidia pauperum rerum suarum dona transmittit. Induamus ergo nobis loricam bonorum operum, & iacula non timebimus impiorum. Vnde Salomon in Prouerbijs, Ne paueas, inquit, repentino terrore irruentes tibi potestates impiorum; Dominus enim erit in latere tuo, & custodiet pedem tuum, ne capiaris. Vnde autem debeamus hanc audaciam mente concipere, præsto subiunxit: Noli prohibere benefacere eum, qui potest; si vales, & ipse benefac; ne dicas amico tuo, vade, & reuertere, cras dabo tibi, cum statim possis dare. Confidendum est ergo, non in ferro, vel armis, sed in operibus pietatis. Ego autem venirem ad vestræ iussionis imperium, nisi senectus incurua tremulum reprimeret gressum. Verumtamen frater hic videat, & perpendat, si me causa rationalis inuitat. Excellentiam præterea vestram humiliter obsecro, vt si quem ad Teutonica loca transmittis, pro charitate nostra ad dominam meam Agnetem Imperatricem hanc Epistolam dirigas.

Exod. 17. v. 11. — *Thren. 3. v 41.* — Eleemosyna est fortis armatura. — *Prou. 3. v. 25.* — *Ibid. v. 27.* — Epist. hæc est 8. huius lib.

EPIST. XIV. Ad Beatricem Ducissam, Gothifredi ducis Tusciæ Vxorem.

ARGVMENTVM.

Beatrici Gothifredi Ducis vxori scribit se magnopere exhilaratum, quod comperisset illam concordi voluntate cum viro suo continentiam seruare. Proponit ei Sanctarum exempla mulierum, easque vt ante oculos habeat, & imitari studeat, hortatur. Hospitalitatem præcipuè in pauperes, & in ecclesias munificentiam ei commendat.

Beatrici excellentissimæ Duci, Petrus peccator Monachus quotidianæ orationis instantiam.

GAUDEO planè, in te, atque gloriosissimo viro tuo, dispositionem omnipotentis Dei vehementer admiror. Qui nimirum dum vos in tam sublimi terrenæ dignitatis arce constituit: & bonorum insuper operum fructus afferre concessit, quid aliud, quam ad mundi miraculum abietes feraces ostendit? Vitis siquidem parua, sed fructifera: abies autem est procera, sed infœcunda. Sed illa quidem, quod minus habet in robore compensat in vuarum profluentium vbertate: ista vero licet nil conferat mensis, erigendis tamen est apta structuris: & quod non delitijs, exhibet ædificijs. Vbi autem duo ista concurrunt, nimirum vt simul & proceritas arboris, & prouentus sit vbertatis, quanto rarior, tanto maiori res est digna miraculo. Hoc igitur in vobis geminæ gratiæ reperitur insigne, & in Deum scilicet humilis, ac sancta deuotio, & erga mundum sublimis potentiæ celsitudo: vt dici non immerito valeatis & vites excelsæ, & abietes fructuosæ. De mysterio autem mutuæ continentię, quam inter vos, Deo teste, seruatis, diu me, fateor, duplex opinio tenuit: vt virum quidem tuum arbitrarer hilariter hoc pudicitiæ munus offerre: te vero gignendo prolis desiderio non hoc libenter admittere. Sed cum gloriosus idem vir nuper mihi ante sacrosanctum corpus beati Apostolorum Principis, intimasset sanctum desiderium tuum, & pudicitiæ perpetuo conseruandæ propositum; fateor, Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, & exultaui vehementer, Iam siquidem solutum est in te illud antiquæ maledictionis elogium, quo primæ mulieri dictum est: Sub viri potestate eris; & ipse dominabitur tibi. Constat planè Saraam castitatis ex tunc iam habuisse propositum, cum id fieret, quod sacra de illa narrat Historia, quia desierant Saraæ fieri muliebria. Et insuper illa dicit: Postquam consenui, & dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo? Quibus vtique verbis perspicuum est, eam castitatis iam tunc tenuisse propositum. Et post hæc dixit Deus ad Abraham: Omnia, quæ dixerit tibi Saraa, audi vocem eius. Ecce, cui prius Abraham imperauerat, & Dominus dicebatur, iam illi per castitatis meritum obedire pręcipitur, vt eius verbis iam in cunctis obediat, qui sibi prius, táquam Dominus imperarat.

Sæcularis potentia, & humilis deuotio raro inueniuntur.

Psal. 121. v. 1.

Gen. 3. v. 16.

Gen. 18. v. 11.

Gen. 21 v. 12.

Vxor merito castitatis, liberatur ab Euæ maledictione.

Cum quo illud etiam salutis exemplum ab eisdem Patriarchis addiscite, vt humanitatis officium non negligatis hospitibus exhibere. De his enim Apostolus cum præmisisset: Charitas fraternitatis maneat in vobis, & hospitalitatem nolite obliuisci; specialiter addidit: Per hanc enim placuerunt quidam Angelis hospitio receptis. Sicut enim sacra tradit Historia: Cum venissent ad Abraham tres viri, festinauit in tabernaculum ad Saraam, dixitque ei: Accelera, tria sata similæ

Hebr. 13. v. 1.

Gen. 18. v. 6.

commisce, & fac subcinericios panes. Deinde sequitur: ipse vero ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum optimum, & cętera. In quibus vtrique sacri eloquij verbis hoc attendendum est, quoniam Abraham, vt humanitatem exiberet hospitibus, non hoc Agar ancillæ pręcepit, non seruis iniunxit, non hoc quibuslibet domus suæ vernaculis imperauit: sed ipse per se potissimum, & vxorem suam, opus pietatis impleuit. Vnde præsto subiungitur: Tulit quoque butyrum, & lac, & vitulum, quem coxerat, & posuit coram eis; ipse vero stabat iuxta eos sub arbore. Ipse vero cum vxore sua ministrabat hospitibus, nec humanitatis obsequium delegandum personis vilibus decernebat. Horum plane sequebatur exemplum & vxor Theodosij Imperatoris, dequa, vt eadem verba subnectam, Tripartita testatur historia: Claudorum, inquit, atque debilium maximam habebat curam. Non seruis, non alijs ministris vtens, sed per semetipsam agens, & ad eorum habitacula veniens, & vnicuique quod opus haberet, præbens. Moxque subiungit: sic etiam per ecclesiarum xenodochia discurrens, suis manibus ministrabat infirmis: ollas eorum extergens, ius gustans, offerens coclearia, panem frangens, cibosque ministrans, calicesque abluens, & alia cuncta faciens, quæ seruis, & ministris mos est sollemniter operari. Væh nobis pigris, desidibus, ac superbis, qui hoc solum à nobis extorquere vix possumus; vt simplices sumptus, & residuas ciborum nostrorum quisquilias in egenorum gremia ventilemus. Si quis autem fortassis assentator assisteret, qui pro regij dignitate fastigij eam à sedulitatis huius ministerio prohiberet, aiebat: Aurum distribuere opus Imperij est: ego autem pro ipso Imperio hoc opus offero, bona mihi omnia conferenti. Nec sufficiebat illi, vt ipsa dumtaxat operibus pietatis insisteret, nisi & Imperatorem, virum videlicet suum, ad eiusdem sanctæ deuotionis † infantiam prouocaret. Vnde & hæc eius verba sunt: Oportet, inquit, te semper Marite cogitare, quid dudum fuisti, quid modo sis. Hæc si semper cogitaueris, ingratus benefactori non eris: sed Imperium, quod suscepisti, legaliter gubernabis, & harum rerum placabis Auctorem. De hac itaque muliere dicere possumus, quia primę mulieri prorsus absimilis, & diuersa loquitur: & contraria, quam illa fecit, operatur. Illa siquidem prohibitum pomum primum comedit, deinde viro, vt & ipse comederet, suasit: ista vero viro suo & imitandæ conuersationis exemplum, & sanctę exhortationis ministrauit eloquium. Illa igitur & agendo, & loquendo, de paradisi possessione virum expulit: ista suum verbis, & operibus reuocauit.

Humana officia in hospites non sunt humilibus personis deputanda.

Ibidem, v. 8.

Vxor Theodosij Imp. operum misericordiæ studiosissima.

Hist. Trip lib. 9. c 31.

Beneficiorum a Deo acceptorum grata.

† instātiam f.

Mariti salutis sollicita.

Gen. 3. v 6.

Bonæ, ac malæ mulieris discrimen.

Noli præterea, Domina mi, noli sicut plerique sæculi potentes, ecclesiastici iuris confiscatione ditescere: sed stude potius, ecclesias tenues prædiorum tuorum collatione ditare. Da terram, & tolle cęlum. Possessiones transitoriæ transferantur in titulos hæreditatis ęternæ. Dicam sane, quod mihi retulit Heinricus, venerabilis Rector cœnobij ad honorem beatarum Virginum Floræ, & Lucillæ in Aretino territo-

Henricus Abb. SS Floræ, & Lucillæ,

rio constituti: Vides ne, ait, Basilicam prope astantem? Illac scilicet nobis iter erat euntibus. Hæc vulgo S. Maria Pauper antiquitus vocabatur. Cumque contingeret, vt Guilla mater egregij Marchionis Hugonis, per confinia ista transiret: accidit etiam, vt huius Ecclesiæ vocabulum ad eius perueniret auditum. Quam mox vt nobilis mulier, & insignis audiuit, indignata nimis, & quasi nauseando fastidiens, Absit, inquit, absit, vt eam vocemus pauperem, quę cęlestis gloriæ genuit largitorem. Absit, inquam, vt in terra pauperis sit digna vocabulo, quæ super Angelos eleuata, diuitias possidet immortales in cælo. Ac protinus intulit: est ne mei iuris hic vlla possessio? Cui responsum est, quod haberet ibi villam, nouem quidem mansionibus ex antiquo more distinctam, quæ postmodum, iuxta modernam consuetudinem, in plurimas est diuisa. Hanc, ait, continuo iure Ecclesia ista possideat, eamque de cætero nemo pauperem appellare præsumat. Talium ergo nobilium esto semper æmula, nec te ad agendum aliquid generositas carnis, sed potius linea prouocet sanctitatis. Friuolum quippè est, Proauorum iactare titulos, gloriosum Sanctorum pręcedentium æquiparare triumphos. Helenam siquidem Constantini Principis matrem stabulariam fuisse Romana tradit historia. Vnde & Eutropij hæc fere verba sunt: Constantio, inquit, mortuo Constanstinus ex obscuriori matrimonio eius filius † de Britannia creatus est Imperator. Cui scilicet assertioni beatus etiam in suis Epistolis adstipulatur Ambrosius. Sed hæc obscuritatem generis tanta prępollentium morum claritate mutauit, vt quamplures reperiantur in orbe Basilicæ nominis eius titulo decoratæ: & quod assequi nequiuerunt Imperatrices præcelsa titulorum generositate progenitæ, hoc stabularia per quamdam, vt ita dicam, nobilis vitæ prosapiam meruit obtinere. Precor igitur, notabilis Domina, & humiliter suggero, sanctarum Principum testimonia collige, conuersationis earum formam tibimet ante ora depinge: vt in earum contemplatione colligas, quid tenere debeas, quid vitare. Nec tam delecteris sublimitate natalium, quam spiritualium decore virtutum: vt quæ nunc apud homines in terrena dignitate præcellis, apud Deum quoque, quod longe gloriosius est, in sanctarum mulierum catalogo conscribaris.

Guillæ Marchionissæ pietas, ac liberalitas in Dei Genitricem.

Gloriosum est Sanctorum præcedentiũ æqui parare triumphos.

Eutrop. hist. lib. 10. † in S. Ambros. de obitu Theod. Imp.

Helena Constantini mater pietate gloriã acquisiuit.

Conf. schol.

Sanctorum exempla nobis ad imitandum proponenda.

EPIST. XV. Ad B. Ducem & Marchionem.

ARGVMENTVM.

Hortatur, vt præsentia contemnens, ad futura tota mentis cogitatione feratur: neque terrenis, quibus affluebat, diuitijs, sit intentus: sed ad cælestia, & sempiterna animum erigat, eaque assidue meditetur.

Domno B. excellentissimo Duci, & Marchioni, Petrus vltimus Monachorum seruus fidelem orationem in Christo.

NON ignoro, præcellentissime Domine, quia si te omnipotens Deus aliquatenus non diligeret, nequaquam tibi tot hominum millia regenda committeret, inimicorum tuorum pedibus tuis colla substerneret, & te præ cunctis Regni potentibus cum tanta gloria sublimaret. Sed iccirco te diuina pietas temporaliter extulit, vt si eius præcepta seruare studueris, per terrena bona ad cælestia prouehat, per temporalia ad æterna perducat. Qua propter, charissime, secundum acutissimi ingenij tui prudentiam, ad cælum respice, breuissimæ huius vitæ terminum tibi ante oculos pone: & cum quo de tam ampla, & diuturna tua villicatione rationem ponere debeas, sollicitus meditare. Quid enim prodest, quemlibet hodie auro, gemmis, & purpura contegi, frequenter militum cuneis constipari; si cras contingit, eum nudum, & reum, omnique solatio destitutum, ad inferni supplicia pertrahi? Quid iuuat, si hodie quis temporali præditus potestate terram faciat sub suis pedibus tremere; & cras mendicus, & pauper, de hoc mundo compellatur exire? Audi quid Salomon dicat: Si centum annis vixerit homo, & in his omnibus lætus factus, reminiscere debet temporis tenebrosi, & dierum malorum, quæ cum venerint, arguunt præterita. Vbi enim sunt modo tot Potentes sæculi, tot inuictissimi Reges, qui cælo videbantur excellere, & totam pæne mundi latitudinem sub suæ potestatis imperio possidere? Non ne si ad eorum sepulchra respicias, totum corpus illud, sub quo mundus tremere cogebatur, vix vnius libræ pondus inuenitur? Hæc igitur, dilectissime, studiose considera, hæc sedula mentis intentione retracta: & non quid es, sed quid in perpetuum futurus es, diligenter examina.

Honoris terreni breuitas considerata, ad illius contemptum nos excitat.

Eccl. 11. v. 8.

Regum potentissimorũ finis.

Non quid sumus, sed quid futuri sumus, considerate debemus.

De Monasterijs autem, quæ nunc tibi vicina sunt, ex Dei parte deprecor, & humiliter peto, vt manum illis tuæ defensionis adhibeas: & ab exercitus multitudine, qui tecum sunt, non deprędari, vel molestari permittas. De Monasterio autem S. Vincentij excellentiam vestram præ omnibus, & super omnia rogo, vt illud specialiter diligas. Prædia, quæ ab inuasoribus detinentur, legali sibi iure restituas, & a cunctis mortalibus protectionis tuæ scuto defendas. In hoc igitur Monasterio euidenter appareat, si apud vestræ celsitudinis aures maius aliquid impetrare mea humilitas valeat.

Monast. S. Vincentij ex Petra pertusa intelligit.

EPIST. XVI. Ad Adelaidem Ducissam, & Marchionissam Alpium Cottiarum.

ARGVMENTVM.

Qua de causa scripserat ad Taurinensem Episcopum, scribit nunc ad Adelaidem Principem fœminam, quæ Subalpinorum Gentes, & Sabaudiæ Regionem, marito mortuo, administrabat: nimirum, vt Clericorum in sua ditione degentium libidinem coërceat, pellicesque eos habere nequaquam patiatur; iustitiam quoque, & pietatem in ecclesias, præsertim in Monasterium Fructuariense, cuius laudes fuse in hac Epistola enarrat, plurimum ei commendat.

Adalaidi excellentissimæ Duci, Petrus peccator Monachus orationis instantiam.

QVidquid de castitatis iniuria, quam eadem regina virtutum à Clericis patitur, venerabili Taurinensi Episcopo scripsi, tibi scribendum ante decreueram, nisi eorumdem Clericorum insugillantium calumniam formidassem. Expostularent enim, ac dicerent: Ecce, quam impie, quam inhumane parat nos iste confundere, qui non cum Episcopis, non cum Ecclesiasticis viris super nostro negotio caute vult, ac modestè disserere: sed quod in sacrario tractandum erat, non veretur fœminis publicare. Hoc itaque metuens, personam mutaui: & quod tibi conceperam, illi potius destinaui. Ille tamen vnius Ecclesiæ cathedram tenet: in ditione verò tua, quæ in duorum Regnorum, Italiæ scilicet, & Burgundiæ, porrigitur non breue confinium, plures episcopantur Antistites. Ideóque non indignum videbatur, vt tibi potissimum de Clericorum incontinentia scriberem, cui videlicet ad corrigendum idoneam sentio non deesse virtutem. Præsertim quod ad laudem Dei dixerim, cum virile robur fœmineo regnet in pectore: & ditior sis bona voluntate, quam terrena potestate. Vnde quia, iuxta Poëtæ gentilis eloquium, *Opus est huic tutore, quem defensorem paro*; hortor, & peto, vt tu Domno iungaris Episcopo; quatenus mutuæ virtutis fulti munimine, furentis in Christum luxuriæ valeatis aciem debellare. Sed dum vos confœderare ad prælium contra diabolum studeo, illud mihi bellum in memoriam reuocatur: quod Debora prophetes, vxor Lapidoth, cum Barach filio Abinoem, habuisse contra Sisaram Ducem exercitus reperitur. De illa quippè legitur: Quia iudicabat populum, ascendebantque ad eam filij Israël in omne iudicium. Ad cuius exemplum tu quoque sine virili Regis auxilio Regni pōdus sub-

Epistola hæc ad Taurinensem Episc. hab. lib. 4 Epist. 3.

Terent. in Eunucho.

Iudic. 4. v. 5.

stines: & ad te confluunt, qui litibus suis imponere legalis sententiæ calculum concupiscunt. Sed satage, vt sicut illa, & tu quoque habites sub palma, inter Rama & Bethel. Rama siquidem interpretatur excelsa: Bethel domus Dei. Habita ergo & tu sub palma, semperque super te Crucis Christi contemplare victoriam: sede etiam inter Rama, & Bethel, vt non solo, hoc est terrenis inhęreas: sed cum Apostolis in cœnaculo, & cum Anna sancta vidua, conuerseris semper in templo.

Luc. 2. v. 37. De qua dicit Euangelista: Quia non discedebat de templo, ieiunijs, & orationibus seruiens, nocte, ac die. Et quia Debora interpretatur apis: tu quoque mellifica, & diuinæ laudis dulcedinem in tuis labijs iugiter

Psal. 118. v. 103 Abelardis humilitas. versa. Quam dulcia, inquit, faucibus meis eloquia tua, super mel, & fauum ori meo. Certè, vt multa prætersam, tāquam ex quodam mellis fauo visa est mihi hæc stilla diffluere, cum hoc verę humilitatis verbum de tuo contigit ore prodire: Quid mirum, Pater, si Deus omnipotens mihi vilissimæ ancillæ suæ quantulamcumque conferre dignatus est inter homines potestatem, qui contemptibili cuilibet herbæ mirabilem aliquando præbet inesse virtutem? Ostendisti ergo te apem, dum faui distillas ex ore dulcedinem, sicut scriptum est: Quia de ore prudentis procedit mel, dulcedo mellis sub lingua eius: fauus distillans labia

Gen. 3. v. 24. eius. Sisara vero exclusio gaudij interpretatur, quod profecto vocabulum inimico humani generis aptissimè congruit, qui primum hominem à paradisi gaudio, quo fruebatur, exclusit. Sed, quia non est huius temporis immorari in enodandis allegoriæ mysterijs; dixit Debora ad

Iudic. 4. v. 6. Barach: Præcepit tibi Dominus Deus Israël, vade, & deduc exercitum in montem Thabor, tollesque tecum decem millia pugnatorum de filijs Neptalim, & de filijs Zabulon: ego autem adducam ad te in locum torrentis Cison Sisaram principem exercitus Iabin, & currus eius atque omnem multitudinem, & tradam eos in manu tua. Dixitque ad eam Barach: Si veneris mecum, vadam: si nolueris venire, non pergam. Quę dixit ad eum: Ibo quidem tecum, sed in hac vice tibi victoria non reputabitur: quia in manu mulieris tradetur Sisara. Quæ nimirum nuda historię verba succincte transcurrimus: ne si figuras exponendo, diutius immoremur, tędium legentibus ingeramus. Hoc

Barach etymon & allegoria. tantum ex his dixisse sufficiat, quia Barach coruscatio interpretatur. Coruscatio verò habet quidem lucem, sed non diutius permanentem; mox enim, vt incipit, desinit. Ita sunt nonnulli Rectores Ecclesiarum, qui quodammodo tunc coruscare incipiunt, cum ad corrigenda mala subiectorum, quasi zelo se vltionis accendunt: sed protinus extinguuntur, quia qualibet aduersitate fracti, vel torpore desidiæ resoluti, cito deficiunt. Vnde & ille Barach desidis, ac resoluti pastoris figu-

Ibid. v. 8. ram gerens, aiebat ad Deboram: Si veneris mecum, vadam: si nolueris venire, non pergam. Quapropter sicut vir ille cum fœmina, Barach videlicet cum Debora, mutuis se fulcientes auxilijs, contra Sisaram pręlium susceperunt, cumque cum suis agminibus, & nongentis falcatis

curribus

curribus funditus debellarunt; ita & vos, tu scilicet, & Taurinensis Episcopus, contra Sisaram, luxuriæ ducem, arma corripite: cumque in filios Israël, hoc est, in clericos Ecclesiæ, dominantem, mucrone pudicitiæ iugulate; quatenus & Episcopus, immo omnes Episcopi, qui in administrationis tuæ finibus commorantur, sacerdotali clericos disciplina coërceant; & tu in fœminas vigorem terrenæ potestatis extendas. Tres quippe tantummodo fœminas Deus nouit: quæ his plures, sunt, in eius adhuc notitiam non venerunt. Nouit enim virgines cum Maria, viduas cum Anna, coniuges cum Susanna. Illorum verò clericorum fœminas, qui matrimonia nequeunt legali iure contrahere, non coniuges, sed concubinas potius, siue prostibula congrue possumus appellare: ideoque quia a Deo non merentur agnosci, de templo Dei merito censentur exclusi. Nam, si soror Aaron Maria, quia Moysi leui sermone detraxit, mox lepra perfunditur, septemque diebus a tabernaculo remouetur, quo iure istæ ingredi permittentur Ecclesiam, quæ eidem Ecclesiæ sordes libidinis inferunt, vasa Domini in proprios vsus asciscunt: &, vt apertius loquar, ministros altaris propriæ luxuriæ ministrare compellunt? Age ergo, esto virago Domini: & quasi Debora cum Barach, hoc est, coniunctis simul Episcopis, Sisaram ad internecionem vsque persequere. Et sicut Iahel vxor Aber, tabernaculi sui clauum super Sisaræ cerebrum posuit, malleoque percussit, & tempus vtrumque transfixit, ita tu signo Crucis diaboli verticem transfode, auctoremq. luxuriæ, qui clericos à cælestibus gaudijs excludit, elide. Talis enim victoria Deum valde lætificat, qui aliquando per fœminas gloriosiori laude triumphat. Iudith quippe continentiæ vidualis exemplum, dum deauratos, ostroque nitentes Holofernis thalamos spreuit, fortioribus armis in mente præcincta, etiam caput ebrium audenter, impresso pugione, truncauit. Quæ etiam, vt hanc meruisset a Domino percipere fortitudinem, diffidentem, ac timidum antea corripuerat sacerdotem, Oziam scilicet, qui Deo quinque dierum præfixerat terminum, ea, qua dignus erat austeritate redarguit, dicens: Non est iste sermo, qui misericordiam prouocet, sed potius qui iram excitet, & furorem accendat. Posuistis vos tempus miserationi Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis ei? Ester dum pro salute populi sui, morti se viriliter obijcit, Aman Israëlitarum sanguinem auidè sitientem, suspendio interire compellit. Mulier sapiens, quæ degebat in Abela, caput Sibæ filij Bochri, ad Ioab militiæ principē proiecit abscissum: & sic imminentis obsidionis auertit a ciuitate periculum. Altera mulier in Thebes fragmen molæ de propugnaculo turris immersit, & Abimelech fortiter oppugnantis caput, cerebrumque simul obtriuit. Abigail vxor Nabal a domo sua cædis interitum remouet, dum viri sui contemnendo stultitiam, irascenti Dauid exenium præbet. Tu quoque a domo tua, & ab his, quibus præmines regionibus, gladium poteris diuini furoris auertere, si, etiam Episcopis negligenti-

Quod fœmininæ genus Deus agnoscat, quod non.

Concubinæ à Templis arcendæ.

Num. 12. v. 10.

Fortissimarū mulierum exempla.

Iudic. 4. v. 10.

Ibid. v. 21.

Iudith. 13. v. 10

Iudith. 8. v. 11.

Ester. 7. v. 10.

2. Reg. 20. v. 22

Iudic. 9. v. 53.

2. Reg. 11. v. 21

1. Reg. 25. v. 27

bus, luxuriam in ipsa Ecclesiastici culminis arce subnixam, elaboraueris expugnare. Hoc enim videtur fieri nunc in finibus Christianorum, quod factum legitur in segetibus Philistinorum. Nam sicut vetus narrat historia: Cepit Samson trecentas vulpes, caudasque earum adiunxit ad caudas, & faces ligauit in medio: quas igne succêdens dimisit, vt huc illucque discurrerêt; quæ statim perrexerunt in segetes Philistinorum. Quibus succensis, confortatæ iam fruges, & adhuc stantes in stipula, concrematæ sunt, in tantum, vt vineas quoque, & oliueta flamma consumeret. Hæc planè historia, licet principaliter designat hæreticos, qui quasi trecentenario numero continentur, quia sanctæ Trinitatis Fidem verbotenus confitentur: sed dum sub velamento orthodoxæ Fidei in prima sermonis sui fronte se palliant, ignem prauæ doctrinæ in posterioribus, quo fruges omnium bonorum operum exurantur, occultant. Quamuis, inquam, per has vulpes designentur hæretici, his tamen incontinentes clerici cum suis pellicibus possunt non inconuenienter aptari: qui quasi solutis pedibus gradiuntur, dum honestatis aliquando speciem simulatè prætendunt. Sed cum accensis facibus combinantur in caudis; quia quasi postposito, &, in quantum valent, occulto igne impudici conglutinantur amoris. Hæ itaque vulpeculæ, igne interueniente, coniunctæ, & libidinis facibus combinatæ, omnia Philistinorum sata consumunt; quia spiritales fructus Ecclesiæ destruunt, & quantum ad se, bona opera fidelis populi, diuinæ indignationis igne succendunt, de quo igne mystice per Psalmistam dicitur: Tradidit grandini iumêta eorum, & possessiones eorum igni, quoniam sicut boni sacerdotes Deo quorumlibet fidelium oblationes, & vota commendant; ita plerumque qui sacris altaribus indigni sunt, horribiliter grauant. Quod autem mali sacerdotes vulpibus comparentur, Ezechiel quoque propheta testatur, dicens: Quasi vulpes in desertis Prophetæ tui erant, Israël. Et de clericis quidem interim ista sufficiant.

Iudic. 15. v. 4.

Hæretici, ac mali sacerdotes vulpibus similes.

Psal. 77. v. 48.

Ezech. 13. v. 4.

De Ecclesijs autem, quæ tibi adiacent, admonerem, ne more prauorum quorumlibet diuitum, earum bona minueres; sed cum te præsente, plures nobiscum colloquerentur Episcopi monasteriorumque Rectores: nullus eorum fuit, qui vel à te, vel à tuis procuratoribus vllam sibi molestiam conquereretur inferri, præter Augustensem dumtaxat Episcopum: qui tamen non à te sibi de suis aliquid imminutum, sed conquestus est potius Ecclesiæ suæ nihil ex tua liberalitate collatum. Fælix, inquam, diues hoc tempore, cui suppares, cônuicanei hoc solum valent crimen inferre. In Fructuariensi certè monasterio, vbi per decem ferè dies hospitium tenui, quàm humanus, quamque suauis tuus principatus esset Ecclesijs, euidenter agnoui: vbi nimirum ita securi sub tuæ protectionis vmbraculo, Deo deseruiunt fratres, ac si sub maternis alis pulli confoueantur implumes. Et quam conuenienter illi loco Fructuariæ est nomen impositum, quod non humani sensus industria,

Fructuarensis monasterij laudatio regularibus dominibus communis.

ſed diuina credimus diſpoſitione prouiſum. Nam, quia Ephraim interpretatur fœcunditas; ille procul dubio mens eſt Ephraim, vbi nimirum veri Iſraëlitę conſiſtunt. Qui dum arua mentium aſſiduis ſacræ Scripturæ ſententijs, quaſi quibuſdam ligonibus, excolunt, vberes illic ſpiritualium ſegetum prouentus erumpunt, qui cæleſtibus horreis angelitus inferantur. Ille, inquam, verè mons eſt Ephraim, vbi robur exercitus, vbi fortium cuneus bellatorum. Ibi contra diabolum aſſiduè geritur infœderabile bellum; & cominus in arma congreditur, hinc agmen Iſraëlitarum, illinc exercitus Chaldæorum. Illic Agag pinguiſſimus per manum ſobrietatis in fruſta conciditur: & Eglon Rex Moab, transfixo femore, caſtitatis gladio trucidatur. Qui Eglon interpretatur vitulus mœroris, vt victimam ſignificet perditionis. Illic Madianitarum Reges, Zebee, & Salmana, veri Gedeonis gladio perimuntur. Illic in Golia, ſuperbiæ caput abſcinditur; in Saul inobedientia reprobatur; in Architofel fraus cum omni ſacrilega duplicitate ſuſpenditur; in Achar filio Charmi, ſuper auaritiam ingens lapidum congeries cumulatur. Ibi Ieſus, non ille Benun, veraciter Amorrhæorum ſuperat Reges, ſuoſque milites facit eorum calcare ceruices. Illic planè Beſelehel de lignis Sethim, qui putreſcere neſciunt, Deo Iſraël arcam fabricat, tabernaculum conſtruit, aureum cum ſeptem lucernis candelabrum erigit; myſtica quoque auro, gemmiſque nitentia ſacerdotum ornamenta componit. Ibi Salomon templum Domino ex lapidibus pretioſis ædificat, tantumque latomis, & cæmentarijs ſilentium imperat, vt non ibi malleum, non ſecurim, non ferramentum aliquod tinnire permittat. Ibi Zorobabel filius Salathiel, & Ioſue filius Ioſedech, cum cætera multitudine virtutum armis accincti, ſic Hieruſalē muros inſtaurant: vt tamen aduerſus hoſtium cuneos opus impedire volentium, pugnare non deſinant. Vtrobique igitur ſolerter intenti, vtrobique parati, dum vna manus exercetur ad murum, altera vibratum tenet iugiter gladium: & dum hinc ædificij ſtructura perficitur, illinc ingruentium hoſtium barbaries propulſatur. Et quid amplius eloquar? Niſi quia illa eſt officina fabrilis, in qua mulieris Euangelicæ drachma quotidie malleis diſciplinæ regularis extunditur, & ſic ad ſui Conditoris imaginem, ad quam principio condita fuerat, reformatur. Et reuera illic mundanæ machinæ faber, cui videlicet, Euangeliſta Marco teſtante, dicebant: Vnde huic hæc omnia, & quæ eſt ſapientia, quæ data eſt illi, & virtutes tales, quæ per manus eius efficiunt? Non ne iſte eſt Fabri filius, & Mariæ, frater Iacobi, & Ioſeph, & Iudæ, & Simonis? Ille, inquam, Fabri filius, qui & ipſe nihilominus Faber, illic proprijs manibus agitat folles, ſeruos ſcilicet ſuos, rerum temporalium mole penitus vacuos, & ab omni terreni amoris humore ſiccatos. De quo Fabro per Eſaiam diuina vox ait: Ecce ego creaui Fabrum ſufflantem in ignem prunas, & proferentem vas in opus ſuum. Vnde & Hieremias, Omnes, inquit, iſti Principes declināt, ambulantes fraudulēter: æs

Ephraim mōtis etymon, & allegoria.

1. Reg. 15. v. 33.
Iudic. 3. v. 22.
Iudic. 8. v. 21.
1. Reg. 17. v. 51
1. Reg. 15. v. 26
2. Reg 17. v. 23
Ioſ. 7. v. 26.
Ioſ. 11. v. 3.
12. v. 2.

Exod. 35. v 30.
36. & deinceps.
3. Reg. 6. v. 7.

1. Eſdra 3 v 2.
2. Eſdra 4. v. 17.

Luc 15 v. 8.
Gen. 1. v. 26.

Marc. 6. v. 2.

Eſa. 54 v 16.
Hier. 6. v. 28.

& ferrũ: vniuersi corrupti sunt: defecit sufflatoriũ: in igne consumptũ est plũbũ frustrà, conflauit conflator, malitiæ enim eorum non sunt cõsumptæ: argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos. Per hos itaque vim Spiritus sancti efflat: vt eorum verbis, vel exemplis in amore Conditoris sui frigida corda feruescant. Illic planè Iesus sæpe ad Discipulos suos ianuis clausis ingreditur: quibus non modo per salutationem pacis præbet alloquium, sed etiam per insufflationem sancti Spiritus influit Sacramentum. In illo cœnaculo Pascha quotidie cũ eisdẽ Discipulis celebrat: & dum virtutẽ mystici sermonis eructat, eos ad ardorem suæ dilectionis inflammat. Operæ pretium est cernere, quomodo examen apum Domini per aluearium suum iugiter huc illucque discurrant: ac diuersis officijs occupatæ, quod illis iniunctum est, certatim implere contendant. Onera siquidem diuersa comportant, mella constipant; illudque nectar includunt, vnde faui miri dulcoris, & gratiæ summi Regis ferculis apponantur. Illic in conspectu Dauid Regis Israël, Sacerdotes, & Leuitæ, simul & Nathinæi, nablis, tubis, † & citharis, cunctisq. musicorum generibus concrepant: ac mystici carminis organa modulantes, excubiarum suarum vices alternãt, dicentes: Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius. Omnipotentem Deum precor, ô Fructuaria, vt ante me de vinculo carnis huius absoluat, quam te ab eo, in quo te vidi, religionis statu deiectam, veraciter audire permittat.

Luc. vlt. v. 36. Ioan. 20. v. 19.

† Cyniris

1. Paral. 15. v. 28. & 16. v. 42.

Psal. 105. v. 1.

De cætero, Venerabilis soror, contende semper de bonis ad meliora conscendere: & sicut per Apostolum prohiberis in incerto diuitiarum sperare; ita etiam noli ex diuinæ clementiæ pietate diffidere. Et quia te noui de iterata coniugij geminatione suspectam; tentatus à Saducæis Dominus de muliere, quæ septem fuerat fratribus nupta, cui foret illorum in resurrectione præ cæteris iudicanda, sic respondit: In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cælo. Nam, si multiuiræ ad Regnum Dei nullatenus pertineret, nequaquam hic Veritas responderet, erunt sicut Angeli in cælo; sed potius diceret: quia erunt sicut maligni spiritus in inferno. In hoc itaque Saluatoris verbo manifeste colligitur, quia si religiosa dumtaxat vita non desit, à Regno cælorum frequentati coniugij pluralitas non excludit. Iesus enim talis est sponsus, vt quamcumque suæ charitatis vlnis amplectitur, protinus in ea floridæ castitatis munditia reparetur. Et hæc loquor, non vt adhibeam multinubis adhuc futuris audaciam: sed, vt iam factis, spei, vel pœnitentiæ non subtraham medicinam. Esto circa delinquentes quadam librati examinis arte discreta; vt nec ad vindictam præcipitanter inferueas, nec ad parcendum sis omnino remissa; quatenus nec ad vlciscendum immoderatus te zelus accendat, nec nimia pietas ab exercendæ te disciplinæ vigore cohibeat. Sane quia mox, vt infertur iniuria, perturbatur animus, vix rectum illico valet promulgare iudicium. Sicut enim intuentis visum aqua, dum quiescit admittit; si turbatur, obtũdit; sic humanus anim⁹ in ipso perturbationis

1. Tim. 6. v. 17.

Mat. 22. v 30. Luc. 20. v 35.

Zelus, ac pietas in Iudice moderata esse debet.

articulo in offensam recti iudicis regulam, & lineam non attendit. Vnde necesse est, vt in posterum sententia differatur, quatenus, æquata iustitiæ lance, iudicium, quod perturbata nequiuerat, mens quieta suspendat. In quo plane non minimum ad ædificationem pertinet intueri, Rex Dauid quam quietus, quã grauis in promulgatione iudicij fuerit, & discretus. Qui nimirum Ioab, & Semei se grauiter offendentes, donec vixit, & in eo ira, vel furor locum habere potuit, æquanimiter tolerauit; cum vero iam propinquaret ad obitum, & nullis olim sopitæ iracundiæ stimulis vrgeretur, præcepit filio, vt post mortem suam in illos vindicaret; tunc videlicet, cum eum humanis iam rebus exemptum, offendentium pœna delectare non posset. Tu, inquit, nosti, quæ fecerit mihi Ioab filius Sarniæ: quæ fecerit duobus Principibus exercitus Israël, Abner filio Ner, & Amasæ filio Iether, quos occidit, & effudit sanguinem belli in pace. Et paulo post: Facies ergo iuxta sapiẽtiam tuam, & non deduces caniciem eius pacifice ad inferos. De Semei vero ait: Habes quoque apud te Semei filium Gera, filij Gemini de Bahurin, qui maledixit mihi maledictione pessima, quando ibam ad castra. Et paucis interpositis, addidit: Deduces canos eius cum sanguine ad infernum. Vbi notandum, quam laudabilis huius viri fuerit, & admiranda discretio; quia quamdiu potuit irasci, noluit vindicare: deficiente vero iam omni furoris, & iræ materia, ne præteriret omnino iustitiam, vltionis exeruit disciplinam. Cum enim vltor non habet aliquid de suo, tunc recto depromitur vindicta iudicio. Vnde Dauid non pascebatur vindicta, quia nec cruciabatur iniuria: non eum zelus fecit immoderatus accensum, nec pietas reddidit inordinata remissum. Sic sic illatam discretus vltor iniuriam, & non remissus indulsit, & non sæuiens vindicauit. Tu quoque, venerabilis soror, & Domina, huius imitare sancti Regis exemplum, vt pietatis, simul atque iustitiæ numquam deseras institutum. Ita tamen, vt, iuxta Apostolicum præceptum, superexaltet misericordia iudicium; & sic omnis iudicij tui calculus ad omnipotentis Dei gloriam tendat; quatenus expleto commissi villicatus officio, is, qui tuum tenet nunc in suis manibus spiritum, de terreno te ad cælestis gloriæ prouehat Principatum. Monasterium præterea Fructuariense, tamquam vere thalamum Iesu, tuæ magis, ac magis cõmendo custodiæ: cui, quæso, ita peruigiles tuitionis tuæ depende semper excubias, vt per te cælestis ille Sponsus tuus in eo suauiter requiescat. Omnipotens Deus te, ac tuos, regiæ scilicet indolis, filios benedicat, eoque non modo ad ætatis, sed etiam sanctitatis incrementa perducat. Domnus autem Adraldus Bremetensis Rector cœnobij, vir videlicet religiosus, & prudens, ex me per te officiosissime salutetur. Qui si vult, vt sibi quoque aliquid scribam, scribendo præcipiat.

Perturbato animo non est ferendum iudicium.

Dauid pietatis, ac iustitiæ exẽplum imitandum.

3. Reg. 2. v. 5.

Ibid. v. 8.

Iacob. 2. v. 13.

Fructuariense cœnobium.

Adraldus Abb. Bremetensis.

EPIST. XVII. Ad Rainerium Marchionem.

ARGVMENTVM.

Rainerium Marchionem, cui pro peccatis eius expiandis, vt Hierosolymam iret, præceperat, cunctantem, & pro excusatione itineris difficultates, & pericula in medium afferentem, ad pœnitentiam sibi iniunctam peragendam, incitare conatur: ac, vt alacriter tam longum iter capessat, nulla esse pericula formidanda, quia Deus piorum hominum curam gerit, exemplis ostendit.

Domno Rainerio clarissimo Marchioni, Petrus peccator Monachus salutem.

INiunxi tibi, vir magnifice, vt pro peccatis, quæ mihi confessus es, Hierosolymam peteres, diuinamque iustitiam longinquæ peregrinationis satisfactione placares, sed tu dum, iuxta Scripturam nescias, quid crastina pariat dies, rem differs in posterum: & dum formidas incertos casus itineris, certum tibi municipium non prouides mansionis, & sic in te completur sententia illa, qua dicitur. Qui obseruat ventum, numquam seminat, & qui considerat nubes, numquam metit. Nos plane quamdam tenemus in huius pœnitentię moderatione distantiam, vt nec omnes passim, qui nobis consilium expetunt, ab hoc itinere compescamus, nec omnibus ire volentibus libera licentiæ fræna laxemus. His enim, qui regulariter viuunt, & vel canonicæ, vel monasticæ religionis legitime iura custodiunt, suademus, vt in ea, qua constituti sunt, vocatione permaneant: nec pro his, quę in humano constituuntur arbitrio, ea, quæ necessaria proponuntur, omittant. Sicut ergo per Ioannem dicitur: Teneant, qui habent: & nemo accipiat coronam eorum. Hos autem, qui vel paludati mundo deseruiunt, vel spiritualis quidem præferunt militiæ titulum, sed professionis suæ non custodiunt institutum, hortamur, vt spiritualis exilij iter arripiant, tremendoque Iudici peregre satisfaciant, cuius intra domesticæ curæ sollicitudines leges, ac mandata non seruant. Et hoc modo vagando quietem, peregrinando patrię sibi prouideant mansionem. Itaque, dilectissime, noli tibi, quæ fingi, vel excogitari possint, aduersa proponere, noli diuersorum casuũ muliebriter infortunia formidare: sed spera in Domino, & fac bonitatẽ. Sępe nimirũ, vbi magis ex humana ratione diffiditur, ibi propensius superna clemẽtia subuenitur: & vbi solatiũ desperam° humanũ, diuinũ plerũq; cernimus adesse pręsidiũ. Et, vt ex eo super quo nunc agimus, loquamur itinere, religiosę vitæ, & honestę grauitatis fratre nostro

Iacob. 4. v. 14. — *Eccl. 11. v. 4.* — Peregrinatio quibus expediat. — *Apoc. 3. v. 11.* — *Psal 36. v. 3.* — In humani solatij diffidẽtia, adest diuina clementia. — Exẽplum diuinæ prouidentiæ in peregrinos.

atque commonacho Richardo referente, didicimus: quod horno octo viri, expleto pij desiderij voto, dum ab Hierosolymis repedarent: sed eos per inhabitabilia gradientes loca, quatriduana iam fames vehementer affligeret, diuinam cœperunt vnanimiter implorare clementiam, vt laborantibus in extrema calamitate succurreret: &, qui dat escam omni carni, sibi quoque saltem quælibet alimenta in tantæ necessitatis articulo non negaret: qui mox, oratione completa, panem in via iacere conspiciunt, & enormis vtique magnitudinis, & miri candoris. Mirantur ad commune spectaculum, non vtique nescij, quia tanti ponderis moles de sarcina nescientis geruli nequaquam potuisset elabi. Tunc supernæ misericordiæ beneficium recognoscunt, & panem diuini muneris, vt erant octo, in totidem partes diuidunt. Ex quo nimirum ita sunt suauiter, ac sufficienter expleti, vt in omni vita sua nullis fuerint dapibus vberius recreati. *Psal. 135. v. 25.*

Idem frater noster Richardus aliud quoque retulit, quod silentio prætereundem esse non arbitror. Ait enim, quod Agius frater noster, vir videlicet ætate grandæuus, & religione conspicuus, dum adhuc esset in sæculo constitutus, orationis studio pergebat ad B. Archangeli Michaëlis Ecclesiam, quæ est iuxta Sipontum, in Gargano monte constructa. Hic cum germano suo, sæculari videlicet viro, vnum dumtaxat equum habebat, cui per alternas vterque vicissitudines insidens, vtcumque laborem itineris temperabat, Sed cum conuiatores suos ad portandas sarcinulas auxilio indigere conspiceret, admonuit fratrem, vt à iumenti vectatione vterque quiesceret, illudq. pro charitate sociorum portandis eorum oneribus publicaret. Porro dum lassati longioris viæ labore quiescerent, ciboq. deficientem stomachum recrearent, præfatus frater Agius panem quidem in poculo vino commiscuit, sed iuxta se ponens, refectionem interim differens, conquieuit. Quibus ita quiescentibus, ecce latrunculi repentino impetu superueniunt, & eorũ omnia cum equo simul diripientes, abscedunt. Vnus autem eorum substitit, & fratris Agij cibum, potumque consumpsit: quem protinus intolerabilis dolor inuasit, & donec omnia compulsus euomeret, ab eius visceribus feralis angustia non recessit. Tunc agili pernicitate subsiliẽs, celeriterque percurrens, socijs persuasit, quia nisi iumentum Dei famulo quantocyus redderent, imminens vltionis diuinæ periculum non vitarent. Qui diuinitus tremefacti, confestim ad Dei hominem redeunt, præsumptionis suæ gementes indulgentiam quærunt, simulque iumentum cum his, quæ nihilominus fuerant ablata, restituunt. Sic itaque diuina pietas ab eorum tuitionis auxilio non elongat, quos in suæ deuotionis obsequio laborare considerat.

Exemplum diuinæ protectionis erga pios peregrinos.

Diuina vltio in latronem.

Frater etiam noster Bonizo, vir videlicet veteranus, & sanctus, qui iam per plurimos annos in Eremo perseuerat, & continentioris vitæ senilis in eo debilitas non relaxat, sicut nobis ipse retulit, dum ab Hierosolymis nauigio remearet, naufragiũ passus est. In tumescentibus

nēpe procellis, naue summersa, omnibusque socijs marini discriminis tempestate peremptis, iste saccum, qui bombacis inuolucro plenus erat arripuit: eique inter fluctiuagos vndarum cumulos præsidens, per tres fere dies, & duas noctes tamquam vir pugnator, marina congradiens, cum morte conflixit. Contigit autem, vt remiges quidam æquora marina sulcantes, eum procul aspicerent, quem ad se pie sublatum, & cibo reficiunt, & humanitatis curas impendunt. Sic ergo qui Paulum die, ac nocte sub pelagi profunditate seruauit illæsum, fratrem etiam hic, ne marina voragine sorberetur, in ipsa compugnantium procellarum continuit alluuione suspensum: & cuius virtute Ionam voracis bestiæ guttur euomuit, eius imperio huic etiam viro, non ad sorbendum, sed ad custodiendum, se se mollis vnda substrauit. Hos igitur, & huiusmodi supernæ misericordiæ flosculos, vir insignis, internis obtutibus adhibe de proprijs quidem, vt dignum est, viribus ambige; de illius autem, qui vbique omnipotens est, indeficua tuitione præsume. Caro quidem degener trepidat, sed ingenuus feruor prompti spiritus inardescat. Egredere, satage, contende. Ille dux erit itineris, qui remunerandæ auctor est voluntatis. Tuum est iter arripere, Dei est quærentis se, vestigia gubernare. Effectum bonis operibus adhibet, qui pij cordis mouet affectum. Et qui hominis ad bene agendum spiritum prouocat, ipse proculdubio piæ intentionis vota consummat.

Exemplũ Monachi peregrini diuinitus a naufragio liberati.

Act. 27. v. 43.
2. Cor. 11. v. 25.
Ione 2. v. 11.

EPIST. XVIII. Ad Guillam Comitissam Rainerij Marchionis Vxorem.

ARGVMENTVM.

Guillam Rainerio Marchioni recenter nuptam, tamquam nouitiam, quid facere debeat, instruit: nempe, vt viduarum, & pupillorum spolia, sicut in domo viri sui sollemne erat, non concupiscat: sed potius curet vniuersa iniquè ablata restitui: ad quas rapinas euitandas in posterum, magnum adiumentum futurum scribit, si agriculturam diligentius exerceri iubeat: eleemosynas quoque, vt largiatur, hortatur.

Guillæ clarissimæ Comitissæ Petrus peccator Monachus orationis instantiam.

QVoniam rei, ex qua conflictus oboritur, melius est gratuitam ignorantiam possidere, quàm de comparanda semper obliuione confligere; iuuenculis mulieribus, quarum formidamus aspectus, tutò litterarum præbemus alloquium. Ego certè qui iam senex sum, anus quidem faciem rugis exaratam, ac lippientium oculorum fluoribus madidam,

madidam, securus intueor, licenter attendo: a venustioribus autem, atque fucatis, sic oculos tamquam pueros ab igne custodio. Infælix quippe cor meum, quod Euangelica tenere mysteria centies perlecta non sufficit, semel aspectæ formæ memoriam non amittit: & ibi vanitatis imaginem obliuio non intercipit, vbi lex diuino descripta digito, non permansit. Sed hæc alias. Nec enim hic describere, quę mihi sunt noxia, sed potius, quæ tibi possint esse salubria, iudicaui. Transisti sane, filia, per nuptialis iura connubij, in domum satis quidem amplam, sed, fateor male moratam: opibus, & dignitate conspicuam, sed deprauata viuendi lege confusam. Frange igitur peruersi ritus regulam, quam inuenisti: tolle confiscationes pauperum, iniustos canones, & illationes inhibe rusticorum: & ad Iosię Regis exemplum, conde noui ordinis institutum. Ille quippe reperit Regnum Iuda idolorum cultibus deditum, & non modo paterni, sed auiti sacrilegij vetusta contaminatione pollutum: sed mox, vt Scriptura testatur, omnia vasa, quæ facta fuerant Baal, in conualle Cedron igne conbussit: aruspices, qui sacrificabant in excelsis, arasque deleuit: contriuit statuas, succidit lucos, altaria polluit, effœminatorum ædiculas prophanauit. Et quia longum est omnia dinumerare, quæ fecit, hoc ad compendium referre sufficiat, quoniam & abominabilia cuncta subuertit, & templum Domini cum legalibus cerimonijs pollucibiliter instaurauit. Tu quoque sancti Regis æmula, repertum destrue vetustæ confusionis ordinem, & salutaris induc innocentię nouitatem. Nam etsi non inueneris illic, quod destruas, idolum: sed inuenisti, quod ęquè plectendum est, auaritiam, quæ testante Apostolo, seruitus est idolorum. Non dulce sapiant in faucibus tuis reculæ pupillorum, altilia viduarum: Domino per Moysen terribiliter intonante, Viduæ inquit, & pupillo non nocebitis: si lęs[illegible] eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, & erunt vxores vestrę viduę, & filij vestri pupilli. Ac si dicatur: Si vos virili solatio destitutos, & orbatos parentibus læditis; & vxores quoque vestras, ac liberos digna mei furoris vltione percutiam: viduas similiter, & pupillos in proximo relinquitis: vt eos quispiam impune valeat lædere, sicut & vos secure confiditis hos quasi sine talione posse vexare. Vt autem hanc Domini sententiam non longinquo, sed ex domestico potius astruamus exemplo, soceri tui, Vguzonis scilicet Marchionis, vterinus frater olim fuit Comes Vbertus, cuius, vxor, dum in castro, quod Sciffena dicitur, habitaret, cuidam viduæ porcum tulit, eoque per coquorum industrias ad edulium præparato, pransura discubuit. Vidua vero, quia victimam sibi reddi iam sępe rogauerat, sed ne hoc quidem, vt patienter audiretur, obtinere potuerat, mulieri sollemniter conuiuanti, dolore transfixa, se mulier obtulit: &, vt tenue saltem frustulum de suo sibi nutrimento porrigeret, postulauit: quia non merueram, inquit, de nutricio ipsi meæ consueto more gaudere, liceat saltem extremi

Mulierum memoria difficile labitur.

Quid faciendum ijs, qui Regni deprauati curam suscipiunt.

Iosiæ Regis zelus, ac iustitia.

4. Reg. 23. v. 4.

Ephes. 5. v. 5.

Pupillorum patronus Deus est.

Exod. 22. v. 22

Exemplum diuinæ vltionis.

Vbertus Comes frater Vguzonis Marchionis.

gustum saporis attingere. Quam petitionem flens, atque superbiens matrona despexit: eique, quia numquam ex illo manducaret, non sine contumeliæ iurgio denunciauit. Sed, o diuina iustitia ad plectendam impietatem, atque superbiam gladio semper vltionis accincta! eodem plane die post prandium, dum præfata Comes in castrensis valli sederet secura crepidine, & saginatis ex aliena calamitate visceribus, nullius ruinę periculum formidaret, repentino mox subsiciuio munitionis ager obruitur, & super infelicem mulierem immensa ruentis promuntorij congeries cumulatur, perstrepentes vndique phalanges hominum confluunt, fossores accedunt, terræ viscera perscrutantur: & dum diuersis ferramentorum generibus collapsa terræ moles hinc inde perfoditur, vix tenue contriti cadaueris vestigium reperitur. Ossium ergo, artuumque particulas, quas non sine magni laboris instantia, vt ita loquar, exculpere potuerunt, sepulturæ tradiderunt. Sic sic diuidi per frusta sui corporis meruit, qui frustum suinæ carnis petenti viduæ denegauit.

Infelix mors Comitissæ, quæ, porcum a vidua sublatum comederat.

Noli ergo, nobilis filia, de rapinis pauperum viuere; sed alimenta per violentias acquisita, tamquam venena serpentium perhorresce. Et cum Apostolus ynumquemque manibus suis laborare præcipiat, vt habeat, vnde tribuat necessitatem patienti: tu fac agriculturis vehementer insisti, vt ad indigentibus præbenda solatia, horrea tua valeant prouentuum benedictione repleri. Enim vero, sicut in libro virorum illustriū legitur, Hilarius Arelatensis Episcopus, vt indigentibus in necessitate succurreret, tanta fuit non modo mentis pietate, sed & proprij corporis anxietate sollicitus, vt agros ipse supra vires suas excoleret, & homo genere clarus, longeq. aliter educatus, ruralibus se laboribus cruciaret. Sed neque ho[illegible]um te sufficiat admoneri, vt aliena non rapias, sed addēdum est insuper, vt quæque compereris ante te prærepta, restituas. Nam & antiquus ille Romanorum dux Scipio, cum Carthaginē victor obtinuisset, cuncta Vrbibus Italiæ, Aphricæ, atque Siciliæ spolia reddidit, quæ scilicet illis a Carthaginensibus olim sublata cognouit. Et quod a suis cultoribus Euangelium nunc extorquere vix sufficit, Euangelio nec dum coruscante, vir Gentilis impleuit. Sed ad hæc forte respondeas, quia nisi vir in his omnibus auctor existat, ad hęc implenda vasculum infirmum non aspirat. Verum plane nec diffitemur, quia cum ad virum mulieris sit diuinitus decreta conuersio, indiget plerumque sexus infirmior auctoritate virili: sed vbi mulier rectius iudicat, dignū est, vt ei vir auctoritatis suæ legibus non obsistat. Pro viro scilicet est hoc iudicium, non contra virum. Ozias plane sacerdos in affutura Domini miseratione quinque dierum terminum statuit, sed hoc iudicium magnanimis illa Iudith corripiens, improbauit: Non est, inquit, iste sermo, qui misericordiam prouocet, sed potius qui iram excitet, & furorem accendat. Abigail quoque dum stulti Nabal sententiā mutat, a suæ domus excidio vibratos Dauid gladios reuocat: quæ nimirum

Ephes. 4. v. 28.

Hilarij Episcopi Arelatēsis pietas admirabilis.

Regum non modo aliena non rapere, sed etiam aliorum fraude direpta, restituere.

Scipionis iustitia Tit. Liu. Dec. 3. lib. 10.

Mulieribus virilibus obediendum.

Iudith. 8.

1 Reg 25 v 34

pro Nabal fecit, dum peruersum eius iudicium seruare contempsit. Manue cum vidisset Angelum, desperare cœpit: sed pusillanimitatem eius eneruiter fluctuantem, vxor erexit: Morte, inquit, moriemur, quia vidimus Deum. Cui mulier, si Dominus, ait, nos vellet occidere, de manibus nostris holocausta, & libamenta non suscepisset. Porro si numquam mulieri vir obtemperare debuisset, nequaquam Abrahæ Dominus diceret; Omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius. Dignum est ergo, vt quidquid per iniustitiam partum, quidquid alijs violenter ablatum, domui, cui nunc præes, adiacere cognoueris, in quantum tibi possibile est, reddere non moreris; ne tibi videatur illud conuenire, quod scriptum est: Qui in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis? Sic ergo, venerabilis filia, domus tuæ mores institue: rapinas pacis, & violentiæ reprime: ministeria diffrænata sub disciplina compesce. Sic, inquam, quæ tibi commissa sunt, in voluntate Dei cuncta dispone: vt peracto breuissimi temporis villicatu, ad hæreditatis æternæ merearis euolare fastigium.

Iudicum 13. v. 22.

Gen. 21. v. 12.

Luc. 16. v. 12.

EPIST. XIX. Ad Blancam ex Comitissa Sanctimonialem.

ARGVMENTVM.

Blancam nobilissimam fœminam, quæ diuitijs, liberis, & charissimis rebus quibusque relictis, in monasterium Deo seruitura secesserat: hac Epistola prudentissimis præceptis, & salutaribus monitis instruit: quid fugiendum ei sit, quid appetendum, quasi digito commostrans. Ac primum quidem rudem adhuc, & inexpertem spiritualium certaminum bellatricem, tanquam telo acerrimo, præmunit: dum eam hortatur, vt paupertatem, & angustias, & tribulationes, quæ Deo *militantibus, perferendæ sunt, fortiter excipiat: & ita sibi persuadeat,* Deo *dilectos varijs in hoc mundo turbinibus tantisper exagitari, donec in felicissimæ patriæ portum ingressi, æterna tranquilitate fruantur. Tum vero eamdem ad perfectiorem statum perducere cupiens, ad Deum amandum tota mentis contentione inuitat. Deinde ad præcauendas, & propulsandas dæmonis insidias, mortis contemplationis ei clypeum demonstrat. Adhuc validioribus armis eam induit, dum extremi iudicij imaginem ex sacræ Scripturæ penetralibus depromptam, ante oculos proponit: &, vt assidue meditetur, inflammat. Postremo timoris præsidio satis, & abunde vallatam ratus, per amoris viam rursus in patriam reducit ad fælicitatem illius sempiternæ contemplationis: quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit,*

Blancæ olim Comitissæ, nunc cælesti Sponso coniunctæ, Petrus peccator monachus iubilum cordis in Spiritu sancto.

AD regales nuptias epulaturus accedo, thalamos auro, gemmisque radiantibus adornatos, videre desidero: nuptialibus saginari dapibus auidissime concupisco. Vndique igitur mystica deferantur exenia: prophetica, simul & Apostolica non desint tam excellentibus nu-
Esa. 3. v. 18. ptijs ornamenta. Euangelicus itaque noster Esaias iam procedat ad medium, & munificus exhibeat, quod parauit: ornatum videlicet calceamentorum, lunulas, torques, atque monilia, armillas, & mitras, discriminalia, & periscelidas, murenulas, & olfactoriola, inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, mutatoria, & pallia, & linteamina, acus & specula & sindones, vittas, atque theristra. Hæc igitur omnia spiritualibus conferenda sunt nuptijs, ac nouæ sponsæ diligenter aptanda, quo veri Sponsi placere possit obtutibus. His nimirum infulis venustata, hac ornamentorum erat varietate composita Regina illa, quam
Psal. 44. v. 10. Psalmista contemplatus, aiebat, Astitit Regina a dextris tuis in vestitu
Ioan 2. v. 2. deaurato circumamicta varietate. Nuptiæ factæ sunt in cana Galileæ: & sicut Euangelista testatur, vocatus est Iesus ad nuptias cum Discipulis suis: sed tamquam pronubus, non vt sponsus: quasi pransurus, non vt nupturus. Istę vero nuptiæ tanto illas priuilegio superant, vt hic Iesus
1. Cor. 6. v. 17. iure credatur, non amicus esse, sed sponsus. Et quoniam, qui adhęret Domino, vnus spiritus est, sponsus iste non modo sponsæ iungitur, sed vnitur, atque ex hac copula non corruptio nascitur, sed integritatis potius clausula reparatur. Illic Iesus aquam conuertit in vinum: hic idem Iesus & vinum semetipsum fecit, & cibum. Cibum videli-
Ioan. 6. v 41. cet, quia ipse est panis viuus, qui de cælo descendit: vinum vero,
Psal. 103. v. 15. quod lætificat cor hominis: Spiritus eius est, de quo iterum dicit:
Psal. 22. v. 5. Poculum tuum inebrians, quam pręclarum est? Spiritus enim Dei hominum mentes inebriat, vt tamquam a suis sensibus alienati, diuitias huius mundi, honores, & gloriam respuant; ad subeunda vero pro Deo quæque dura, vel aspera flammantibus desiderijs inardescant. Hoc musto debriati fuerant, quibus Iudæi vere de-
Act. 2. v. 13. mentes, ac furiosi dicebant: Musto pleni sunt isti. Hoc musto plenus
4. Reg 9. v. 11. erat vir ille de filiis Prophetarum, quem ad vngendum Hieu Regem miserat Elisæus de quo dixerunt vesanè sapientes ad eum: Quid venit insanus iste ad te? Quid autem mirum, si hi, qui puri sunt homines, cum Spiritu diuino replentur, ab huius mundi sapientibus, atque ideo vere desipientibus, iudicentur insani? cum & ipse, qui magister est Angelorum, dictus sit habuisse dæmonium? Immo, vt Marcus Euangelista
Ioan. 8. v. 52. testatur, æstimatus sit etiam fuisse phreneticus: Venit, inquit, domum,
Marc. 3. v. 20. & conuenit iterum turba, ita vt non posset, nec panem manducare; & cum audissent sui, exierunt tenere eum: dicebant enim, quoniam in furorem versus est. Hanc Sancti spiritus ebrietatem & tu, ô venerabilis Domina, sana mente conceperas cum sæculum relinquere decreuisti: & velut columbæ simplicis alas excutiens, ad innocentum, atque sim-

pliciū nidulum conuolasti, tunc dicens: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ,& volabo,& requiescam? Nunc etiam securè decantans: Ecce elongaui fugiens,& mansi in solitudine, expectans eum, qui me saluam faciat à pusillanimitate spiritus,& tempestate. Hæc te nimirum ebrietas impulit, ampla satis, atque vberrimis fœcunda prouentibus iura contemnere; munita turrium, atque castrorum propugnacula declinare: dulcium propinquorum necessitudinem, ac vernaculorum affectus abiicere: quodque horum omnium permaximum est, vnicum filium, eumque ephebum adhuc, atque impuberem, sine coniugalis solatio fœderis abdicare: & quæ constipatis vallata clientum cuneis solebas incedere, iam didicisti in angulo monasterij cum pauperibus spiritu sanctis mulieribus humiliter residere. Hæc te sobria, vt ita loquar, ebrietas docuit, vt pro carbasinis lanea; pro purpureis, atque nitidulis pulla, ac despicabilia eligeres induméta. Hęc te persuasit ebrietas, vt siligineas pollines, ac fercula dapibus referta postponeres, atque ad libræ pensilem te mensuram panis cibarij cohiberes. Hæc te planè perita, & pudica ebrietas incitauit; vt cum primo adolescentiæ flore fueris, viro obeunte, relicta, non tam claris, tamque magnificis procis annueres, non, vt omnia videbantur hortari, thalamos iterares: sed soli iam Christo victuram, mundo te mortuam exhiberes. Enimuerò tamquam perita negociatrix nundinis intenta vænalibus proiecisti mundum, vt acquireres cælum: præuenisti mortem, vt sententiam mortis euaderes: elegisti paupertatem, vt diuitiarum non pereuntium copiam possideres.

Psal. 54. v. 7.
Ibid. v. 9.
Ebrietas spiritualis quid in anima faciat.

Atqui, vt mirabilior tua videatur esse conuersio, non te mundus à se repulit, sed solus ardor diuini Spiritus incitauit. Enimuero, sicut prouidentia diuina disposuit ad educendum de Ægypto Israëliticum populum, tunc est Moyses missus, cum iam Pharao ad opprimendum illum duris operibus fuerat excitatus, quatenus Israëlitarum mentes Ægypto deformiter inhærentes, alius dum vocaret, quasi traheret; alius velut impelleret, dum sæuiret: vt dum plebs in seruitio turpiter figitur, vel malis impulsa, vel bonis prouocata, moueatur. Hoc etiam in populo Dei frequentius agitur, cum prædicatis cælestibus præmijs, sæuire in electos reprobi permittuntur; vt si vocati, ad terram promissionis, exire negligimus, pressuris saltem sæuientibus impellamur. Atque hæc Ægyptus, vita videlicet præsens, quæ nos oppressit blandiens, adiuuet premens: quatenus, quæ, dum foueret, iugo nos seruitutis attriuerat, libertatis viam dum affligit, ostendat. Hęc itaque causa est, quod ab iniustis iusti sinuntur affligi, vt dum futura audiunt bona, quæ diligunt; patiantur etiam mala præsentia, quæ perhorrescunt: atque ad faciliorem exitum, dum amor prouocat, cruciatus impellat. Tibi autem cum vitę huius vndique prosperitas arrideret, non te mundus, qui blandiebatur, impulit; sed speciosus forma præ filijs hominum Christus ad

Quod aliquādo iusti ab iniustis iccirco permittuntur affligi, vt statuant ad Deum vel ex necessitate conuersi.
Exodi 3. & deinceps.
Cur electos in hac vita cruciari permittat Deus.

Psal. 44. v. 3. suæ dotationis amplexum per afflatum sancti Spiritus prouocauit: Sur-
Cant. 2. v. 14. ge, inquit, amica mea, sponsa mea, & veni columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Anima quippè sancta iure Christi amica, & sponsa vocatur: quia illi per Fidem, dilectionemque coniungitur. Sed hęc sponsa quasi adhuc iacet, dum in mundanis actionibus implicatur; tunc surgit, cum ad procinctum diuinæ seruitutis erigitur. Ac si dicat, quæ in sæcularis vitæ mollitie iaces, iam surge, atque ad familiare contubernium meæ contemplationis erigere. Columba mea in foraminibus petræ. Si, iuxta Apostolum, petra
1. Cor. 10. v. 4. Christus est; foramina petræ vulnera sunt Redemptoris, quæ profectò non casu quinque sunt, lanceæ scilicet, & clauorum: sed quia nos fueramus quinque sensuum vulneribus sauciati, per has quinque plagas saluti sumus perpetuæ restituti. Istæ siquidem portæ erant per quas die sabbati Propheta, ne inferrentur onera grauia, prohibebat. In his ergo foraminibus Dei columba consistit: quia sancta quælibet anima totam

Christi quinque vulnerum mysteria.

Hiere. 17. v. 24 propriæ salutis spem in sui Redemptoris passione constituit. Ibi velut ab accipitris incursu defenditur: quia à cunctis malignorum spirituum insidijs custoditur. Ibi planè nidificat, quia illic fœtus bonorum operū coaceruat. De hac petra per Psalmistam dicitur: Montes excelsi ceruis,
Psal. 103. v. 18. petra refugium erinacijs. Quid enim hoc loco per montes, nisi altæ Scripturarum intelligendę sunt profunditates? Hi nimirum qui iam dare contemplationis saltus nouerunt, altos sententiarum diuinarum vertices quasi cacumina montana conscendunt. Ad quæ profectò cacumina, quia infirmi pertingere nequeunt, rectè illic subditur: Petra refugiū erinacijs. Quia videlicet inualidos quosque non intelligentia sublimis exercet, sed sola in Christo Fides humiliter continet. Quod autem illic additur: In cauerna maceriæ, Solent ex lapidibus maceriæ fieri, ad custodiam vinearum, sicut per Esaiam dicitur: Vinea facta est dilecto meo
Esa. 5 v. 2. in cornu in loco vberi, & maceria circumdedit, & circumfodit eam. Quid ergo per maceriam lapidum, nisi præsidium, & excubias intelligimus Angelorum? Quibus videlicet anima in certamine posita, dum vallatur, atque circumdatur, à cunctis aduersantium spirituum tentationibus custoditur. Porro quod sequitur: Ostende mihi faciem tuam: Tunc anima cælesti Sponso faciem suam ostendere dicitur, cum eius speciem internis obtutibus quasi reuelata facie contemplatur; Sonet, inquit, vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora. O quam suaue commercium, immo quam inenarrabilis dulcedo in humanis visceribus oritur! Cum creator, & creatura alternis in se inuicem affectibus delectantur, sicut per Prophetam dici-
Psal. 103 v. 34. tur: Suauis sit ei laudatio mea, ego vero delectabor in Domino.

Angelorum præsidium tētatis præsens.

Et hæc est summa cuiuslibet sanctæ animæ mūndi nexibus expeditæ, atque hic tota versari debet intentio, vt ad amorem Dei per omnium

suorum operum incrementa contendat: & quandoque in veri Sponsi delectabiliter amplexibus requiescat. Sicut enim quis ad hoc Ecclesiastici gradibus initiatur, vt ad sacerdotij culmen attingat: vel potius, vt tua dicamus, ad hoc Virgo dotatione subarratur, vt nubat; ita nimirũ omnes sæculum relinquentes ad hoc debent semper eniti, vt Auctori suo valeant arctius in amore coniũgi. Alioquin quid proderat iugum Ægyptiacæ seruitutis abrũpere, rubrũ mare transire, si terram lactis, ac mellis irriguam numquam daretur intrare? Lac quippe fructus est carnis, mel labitur de supernis. Et quia Redemptor noster de cælo veniens, carnem suscepit ex Virgine, hæc est terra illa viuentium, ad quam debemus intentis semper amoris gressibus festinare. Hunc Sponsum, venerabilis soror, veræ charitatis vlnis amplectere, super hoc iugiter delectare, Delectare, inquam, in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Huius corpus, & sanguinem etiam ore carnis crebrius suscipe, vt hanc eius vocem merito possis audire: Fauus distillans labia tua, sponsa: mel & lac sub lingua tua. Terretur enim aduersarius, cum Christiani labia Christi videt cruore rubentia. Agnoscit enim præsto suæ perditionis iudicium, & diuinæ victoriæ, qua captiuatus est, & obrutus, non tolerat instrumentum. Christus ergo per mysterium suum tibi videatur in ore, & Christus per sui amoris incendium tibi viuat semper in corde; vt congruat etiam tibi, quod sponsa dicit in canticis: Fasciculus myrrhæ, dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur. Quid enim per myrrham, amarissimam videlicet aromatis speciem, qua etiam defunctorum cadauera condiuntur, nisi Christi passio designatur? Quid aliud inter vbera, nisi locus cordis agnoscitur? Quisquis igitur amore continuo Christum in arcano sui cordis amplectitur, quisquis imitandi gratia passionis eius mysterium iugiter meditatur, huic profecto myrrhę fasciculus Christus efficitur: atque, iuxta Scripturę sacrę sententiam, inter eius vbera commoratur. Vnde & idem Sponsus ad sponsam, Pone me, ait, vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum. Sępe nos ob rei memoriam, quam obliuioni tradere nolumus, digito nostro, vel brachio signum aliquod innodamus; vt dum signum frequenter attenditur, res, quam intercipere potuisset obliuio, iugiter in memoria teneatur. Quisquis autem Christum quasi amat, sed operari bona dissimulat, iam quodammodo sponsum super cor signaculum posuit, sed super brachium omnino non posuit. Quisquis vero bonis operibus videtur intentus, sed à diuini amoris torpet incendio frigidus: iam iste sanctitatis imaginem super brachium posuit, sed adhuc in corde Christi signaculũ non expressit. Vt ergo sancta anima Christi charactere vtrobique signetur, tum in corde suo signaculũ ponat, vt amoris eius facibus medullitus inardescat. Ponat etiã consequenter in brachio, vt piis operibus valenter insistat. Signaculum Paulus in corpore suo, velut in brachio, Iesum posuerat, cum

Quod quisque contemptor sæculi ad hoc debet semper eniti, vt perueniat ad amorem Dei.

Terra lacte & melle manans mystice quid.

Psal. 36. v. 4.

Cant 4. v. 11.

Qui freqnẽter S. Eucharistiã suscipit, dæmonibus est terribilis.

Cant. 1. v. 12.

Cant. 8. v. 6.

Quid est habere Christũ, vt signaculũ, super brachiũ, & super cor.

Galat. 6. v. 17. dicebat: Ego stigmata Iesu in corpore meo porto. Signaculum super Ibid v. 14. cor Iesum posuerat, cum alibi gratulabundus aiebat: Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Cuius sanè stigmata expressa gerebat in corpore, eius se signaculum habere gloriabatur in mente. Porro autem, & ipse celestis Sponsus, electum quemque suum sibi signaculũ ponit, eumque grata vice, tamquam ne de memoria deleatur, attendit. Iuxta quod Zorobabel Duci Iudeæ pollicetur, dicens: In illa die suscipiam te, Zorobabel serue meus, & ponam te sicut signaculum in cõspectu meo. Et contra de quodam reprobo Rege Dominus dicit: Si fuerit Iechonias filius Ioacim Regis Iuda, annullus dexter in manu mea, inde euallam eum.

Electos suos Deus quantũ amet. Aggei. 2. v. 24. Hier. 22. v. 24.

Exhortatio, ut in cælestis Sponsi semper amplexibus requiescat. Ad hanc ergo tu, venerabilis soror, assiduè vicissitudinem satage, vt & cælestis Sponsus per amoris sui gratiam te semper accipiat; & tu ab eo, quod absit, per amorem quorumlibet temporalium oculos non auertas; quatenus, & ille te subtiliter intuens, nullamque offensionis illuuiem deprehendens, dicat: Tota pulchra es amica mea, & macula nõ est in te, & tu eius amore inenarrabiliter æstuans, hoc intima voce depromas: Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus, caput eius aurum optimum, guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis. Dilectus siquidem candidus virginitate, rubicundus est passione. Candidus, quia dicit; Ego lilium conuallium. Rubicundus, de quo Ioannes dicit: Qui lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Electus ex millibus, de quo Salomon, Virum, inquit, de mille vnum reperi. Millenarius quippe numerus totius humani generis est intelligenda perfectio, in quo Saluator tamquam passer est vnicus in ædificio. Caput eius aurum optimum; quia caput Christi Deus, qui nimirum sicut aurum metallis; ita, licet incomparabiliter, omnibus superemninet creaturis. Cuius guttur suauissimum dicitur, quia suorum melliflua suauitate verborum, mentes audientium obdulcantur. Quam dulcia, inquit, faucibus meis eloquia tua, super mel, & fauum ori meo. Totus etiam desiderabilis, quia in eum, testante Petro, desiderant Angeli prospicere: vel quia humanitatis eius mysterium omne desiderium accendit in mentibus electorum, vt eos videlicet non modo resurrectionis gloria prouocet, sed ad imitationis exemplum ipsa quoque ignominia passionis inuitet. In hoc igitur Sponso tuo, Venerãda soror, assiduè delectare, in hoc omnia cordis tui vota constitue, in huius semper amplexibus ab omni sopita mundi turbine requiesce.

Cant. 4. v 7. Cant. 5 v. 10. Ibid. v. 16. Cant. 2. v. 1. Apoc. 1. v. 5. Eccl. 7. v 29. Psal. 101. v. 8. 1. Cor. 11. v. 3. Psal. 118. v. 103 1. Pet. 1. v. 12.

Ad cautelam prouocat, vt cõtra tentationis insidias sit semper accincta. Iob 7. v. 1. Sed interim, dum amplecteris Sponsum, caue solerter aduersarium: adhuc enim in salo versaris, nec dum portus statione perfrueris. Procinctus enim iste castrorum non quietis est municipium: via est ista, non patria: ambulamus, & non habitamus. Tentatio enim est vita hominis super terram. Qua propter si tentationum bella desunt, gaude

quidem

quidem, noli tamen nimium secura confidere; sed aduersus repentinos, & inopinatos insidiatorum hostium impetus te vigilanter accinge. Sępe namque nonnulli ad Deum de mundo conuersi, in ipso suæ inchoationis aditu, pacatissimam carnis trăquillitatem, cogitationumque percipiunt; procedente vero tempore, duris tentationum probationibus fatigantur. Quod vtique fieri diuina dispensatione cognoscitur, ne in ipso suæ nouitatis initio tentationum asperitate frangantur. Nam si eos adhuc teneros, ac intimi conflictus ignaros, amaritudo tentationis exciperet, ad ea scilicet, à quibus nec dum longe discesserant, facile remearent. Vnde scriptum est: Cum emisisset Pharao populum, non eos deduxit Dominus per viam terrę Philistijm, quæ vicina est, reputans, ne forte pœniteret eum, si vidisset aduersum se bella consurgere, & reuerteretur in Ægyptum. Ex Ægypto itaque recedentibus, è vicino pugna subtrahitur; quia derelinquentibus sęculum quædam pacis tranquillitas datur, ne in ipsa suæ teneritudinis nouitate turbati, atque conterriti, ad ea, quæ contempserant, reuertantur. Prius ergo securitatis suauitate mulcentur, prius pacis quiete nutriuntur: post cognitam verò dulcedinem, tanto iam tolerabilius tentationum certamina substinent, quanto in Deo altius agnouere, quod ament. Tu ergo sic in his, quæ forte nunc prosperantur, exultes: vt ab his, quæ posterius imminent, non dormites. Esto igitur cauta, & vndique circumspecta: sicque te præbe peruigilem, vt numquam te hostes inueniant oscitantem. Confœderanda sunt quippè aduersum te, & prosapia generis, & flos ętatis: venustas formę, & memoria facultatis abiectę. Ad euitāda sane istorum tela certaminum, nullus mihi videtur validior clypeus, quam meditatio mortis, ac extremi terror examinis.

Cur conuersionis initio Deus tentationes non permittat in suis.

Exod.13. v. 17.

Clypeus validus contra mundi certamina mortis memoria est.

Pensandum quippè est, cum iam peccatrix anima à vinculis incipit carnis absolui, quam amaro terrore concutitur, quantis mordacis conscientiæ stimulis laceratur. Recolit vetita, quæ commisit: videt mandata, quæ negligenter implere contempsit. Dolet indulta pœnitentiæ tempora sese inaniter percepisse: plorat immobilem districtæ vltionis articulum ineuitabiliter imminere. Manere satagit, ire compellitur: recuperare vult perdita: non auditur. Post terga respiciens, totius transactæ vitæ cursum velut vnum breuissimum deputat itineris passum, ante se oculos dirigit, & infinitæ perennitatis spatia deprehendit. Plorat itaque, quia intra tam breue spatium acquirere lætitiam potuit omnium sæculorum: deflet etiam se propter tam breuis illecebræ voluptatem inenarrabilem perpetuæ suauitatis amisisse dulcedinem. Erubescit, quia propter illam substantiam, quæ vermibus erat obnoxia, illam neglexit, quę choris erat Angelicis inserenda. Iam radios mentis attollit, & cum diuitiarum immortalium gloriam contemplatur, eam propter vitæ huius inopiam perdidisse confunditur. Cumque sub se reflectit oculos ad huius mundi conuallem, terramque caliginem, super se miratur æterni luminis claritatem; liquidò comprehen-

De anima cum egreditur, quibus doloribus anxietatibus coarctetur.

dit: quia nox erat, & tenebræ, quod amauit. O si rediuiuum pœnitentiæ tempus mereri potuisset, quam duræ † conuersationis iter arriperet, qualia, & quanta promitteret, quantis se deuotationum vinculis innodaret! Interea dum hebescentes oculi contabescunt, dum pectus palpitat, raucum guttur anhelat, dentes paulatim nigrescunt, & quamdam velut eruginem contrahunt, pallescunt ora, membra cuncta rigescunt: dum hæc itaque, & huiusmodi tamquam vicinæ morti præcedentia famulantur officia, adsunt omnia gesta, simul & verba. Nec etiam ipse cogitationes desunt, & cuncta hæc amarum aduersus Auctorem testimonium reddunt. Coaceruantur omnia ante respuentis oculos, & quæ conspicere refugit, coactus, & inuitus attendit. Adest præterea hinc horrenda dæmonum turba, illinc virtus Angelica. In illo, qui medius est, liquido deprehenditur, cui parti iure possessio vindicetur. Nam si pietatis in eo videntur insignia, inuitationis Angelicæ blanditijs oblinitur, atque harmonicæ melodię dulcedine, vt exeat, prouocatur: quod si eum sinistræ parti meritorum nigredo, & fœditatis squalor adiudicet, intolerabili mox terrore concutitur, repentini impetus violentia perturbatur, præcipitanter inuaditur, ac de miseræ carnis ergastulo violenter euellitur, vt ad æterna supplicia iam cum amaritudine pertrahatur. Iam vero post egressionem de corpore quis explicare valeat, quot armatæ iniquorum spirituum acies in insidijs lateant, quot frementes cunei feralibus telis instructi, iter obsideant: & ne transire libera possit anima, velut militari more constipatæ legiones, oppugnant. Hæc, & huiusmodi frequenter in corde versare, quid est aliud, quam lenocinantia vitæ huius blandimenta respuere, mundo repudium dare, illices motus carnis elidere, solumque perfectionis adipiscendæ propositum indeclinabiliter custodire?

† cõuersionis.

Angeli, & dæmones morientis adsunt.

His addendus est etiam extremi terror iudicij, vt illius amaritudine valeat mundi huius falsa dulcedo contemni. Ad euitandas namque diabolicæ pugnæ molestias valenter assurgimus, si necessitatis vltimæ periculum prouide pertractemus. Nam si repentinus ille, atque terribilis aduentus Christi digne perpenditur, quid erit in mundo, vbi mens humana, vel desipiens delectetur? Ille nempè dies est, ad quem omnis præcedentium sæculorum intentio, ac summa colligitur, cui cuncta sacrarum Scripturarum volumina famulantur, de quo B. Petrus, vt audientium corda digno terrore concuteret, Adueniet, inquit, dies Domini sicut fur, in quo cæli magno impetu trãsient, elementa vero calore soluentur. Vnde & mox subdidit: Cum hæc omnia igitur dissoluenda sint, quales oportet esse vos in sanctis conuersationibus, & pietatibus expectantes & properantes in aduentum diei Domini, per quem cæli ardentes soluentur, elementa vero ignis ardore tabescent? De quo & Iudas dicit Apostolus: Ecce veniet Dominus in Sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes, redarguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus im-

Sententiæ Scripturarum de die Iudicij.

Extremi iudicij memoria vtilis est contra omnes tentationes.

2. Pet 3, v. 10.
Ibid. v. 11.

Iudæ cap. vnico. v 15.

pie egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti sunt contra eum peccatores impij. De hoc & Ioannes in Apocalypsi: Ecce veniet cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt, & plangent se super se omnes tribus terræ. Et Malachias ait: Ecce venit Dominus exercituum, & quis poterit cogitare diem aduentus eius, & quis stabit ad videndum eum? Et paulo post: Ecce dies veniet succensa quasi caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem stipula, & inflammabit eos dies veniens, quæ non relinquet eis radicem, & germen. Et per alium prophetam dicitur: Adhuc vnum modicum est, & ego commouebo cælum & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes Gentes, & veniet Desideratus cunctis Gentibus. Item alius: Iuxta est dies Domini magnus, iuxta, & velox nimis: vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis, dies iræ, dies illa, dies tribulationis, & angustiæ, dies calamitatis, & miseriæ, dies nebulæ, & turbinis, dies tubæ, & clangoris. Vbi notandum, tremendi diem iudicij, quam proxime, quamque perniciter aduentare Propheta considerat, ad cuius agilitatem expressius inculcandam, tot accelerandi nomina coaceruat: vbi scilicet ad auxesim dictionis, bis ponit, iuxta, deinde velox, & nimis: vt liquido doceat, quia oculis Fidei id iam videtur in limine, quod infidelibus, & cæcis corde putatur procul abesse: & isti iam tribunalibus Iudicis quodammodo trementes assistunt, quem illi per diuturnæ longinquitatis absentiam paruipendũt. De hoc vltimæ & irremediabilis necessitatis die prçconatur Esaias, dicens: Ecce dies Domini venit crudelis, & indignatione plenus, & iræ, furorisque ad deponendam terram in solitudine, & peccatores eius conterendos ex ea; quoniam stellæ, & splendor earum non expandent lumen suum, obtenebratus est sol in ortu suo, & luna nõ splendebit in lumine suo; & visitabo super orbem mala, & contra impios iniquitates eorum. Et iterũ, Ecce, ait, validus & fortis Dominus sicut impetus grandinis turbo confrigens, sicut impetus aquarum multarum inundantium, & missarum super terram. Idem alibi: Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius, & grauis ad portandum, labia eius repleta sunt indignatione, & lingua eius quasi ignis deuorans, & spiritus eius velut torrens inundans ad perdendas gentes in nihilum. Qui rursus ait: Eritque repente confestim à Domino exercituum, visitabitur in tonitruo, & commotione terræ, & voce magna turbinis, & tempestatis, & flammæ ignis deuorantis. De quo videlicet igne Petrus ait: Cçli autem, qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt, igni reseruati in die iudicij, & perditionis impiorum hominum. De hoc & Propheta dicit: Auditam faciet Dominus gloriam vocis suæ, & terrorem brachij sui ostendet in comminatione furoris, & flammç ignis deuorantis. De hac etiam vltione tremenda per Moysen Dominus dicit: Gladius meus manducabit carnes. De hac Hieremias ait: Gladius Domini deuorabit ab extremo terræ, vsque ad extremum eius, non est

Apoc. 1. v. 7
Mal. 3. v. 2.
Mal. 4. v. 1.
Aggei 2. v. 8
Sophon. 1. v. 14.
Esai. 13. v. 9.
Esai. 28. v. 2.
Esa. 30. v. 27
Esa. 29. v. 6
2 Pet. 3. v. 7
Esa. 30. v. 30
Deut. 32. v. 42.
Hier. 12. v. 12.

pax vniuersæ carni. Gladius enim deuorare terram dicitur, & pax vniuersæ carni deesse perhibetur: quia quisquis nunc carnaliter conuersatur, vel terrena immoderatius ambire conuincitur, vltimæ districtionis, necesse est, gladio perimatur. De quo nimirum gladio per
Ezech. 21. v. 5. Ezechielem Dominus dicit: Egredietur gladius meus de vagina sua ad omnem carnem ab Austro vsque ad Aquilonem; vt sciat omnis caro, quia ego Dominus eduxi gladium meum de vagina sua irreuocabilem. De hoc vtique gladio & Amos propheta dicit: In gladio morientur
Amos 9. v. 10. omnes peccatores populi mei, qui dicunt, non appropinquabit, & non veniet super nos malum. Hic diuini iudicij terror interiores Nahum prophetæ aures turbauerat, cum dicebat: Vox flagelli, & vox im-
Nahum. 3. v. 2. petus rotæ, & equi frementis, & quadrigæ feruentis, & equitis ascendentis, & micantis gladij, & fulgurantis hastæ, & multitudinis interfectæ, & grauis ruinæ, nec est finis cadauerum. Enim verò de diuino iudicio quid viderit Daniel, manifestè describit, dicens: Aspiciebam
Dan. 7. v. 9. donec throni positi sunt, & Antiquus dierum sedit, vestimentum eius quasi nix candidum, & capilli eius quasi lana munda: thronus eius flamma ignis, rotæ eius ignis accensus: fluuius igneus, rapidusque egrediebatur à facie eius. Et paulò post: Iudicium sedit & libri aperti
Ibidem. v. 10. sunt. Qui nimirum libri, ipsi intelligendi sunt Sancti, quorum nunc meritum ab eis per custodiam humilitatis absconditur: & tamquam volumen codicis, ne legatur, inuoluitur. Tunc autem ad eorum gloriam, vniuersorum oculis aperitur, vt in eis præuaricatores tamquam per digestæ scriptionis articulum, legant diuinæ legis mandata, quæ dum adviuerent, seruare contempserant. Illic iam compelluntur & legere, qui hic per arrogantiæ fastum verba Dei dedignabantur audi-

Sancti viri sunt libri.

Matt. 11. v. 30. re. Illic iugum Domini leue, & onus eius suaue, mitibus, & patientibus fuisse considerant, quod hic superbiæ suæ ceruicibus intolerabile iudicabant. Illic superbum omne confunditur, & quidquid eleuatum fuerat, sub tantæ maiestatis indignatione curuatur. Vnde per Esaiam dicitur: Oculi sublimes hominis humiliati sunt, & incuruabitur alti-
Esai. 2. v. 11. tudo virorum: Exaltabitur autem Dominus solus in die illa: quia dies Domini super omnem superbum, & excelsum, super omnem arrogantem, & humiliabitur: & super omnes cedros Libani sublimes, & erectas, & super omnes quercus Basan, & super omnes montes excelsos, & super omnes colles eleuatos, & super omnem turrim excelsam, & super omnem murum munitum, & super omnes naues Tharsis, & super omne, quod visu pulchrum est: & incuruabitur sublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum, & eleuabitur Dominus solus in die illa, & idola penitus conterentur: & introibunt in speluncas petrarum, & in voragines terræ à facie formidinis Domini, & à gloria maiestatis eius, cum surrexerit percutere terram. Quæ nimirum verba seriatim fortassis exponerem, nisi epistolaris compendij regulam excedere deuitarem. Illud dumtaxat summotenus video perstringen-

dum, quia rebus insensibilibus dies diuini iudicij dicitur imminere: sed per figuras rerum ratione carentium, stoliditas intelligitur hominum reproborum. Cedri quippe Libani sublimes, & erectæ potentes sunt huius sæculi, per excellentiam quidem terrenæ sublimitatis elati, sed bonorum operum fructibus infœcundi. Quercus autem fructus quidem proferunt, sed non quibus homo reficitur: sed vnde sues aluntur. Sues autem immundi intelligendi sunt spiritus, qui spurcis sordentium hominum operibus saginantur. Porrò montes excelsi, & colles eleuati, superbi quique sunt, quasi per aggestū tumidæ cogitationis in alta porrecti: sed frumento, quo valles abundant, cunctisque spiritualium studiorum frugibus alieni. Iam verò turris excelsa, & murus munitus illos insinuat, qui cum peccatores sint, in quadam se velut innocentiæ arce constituunt: seseque defensionis clypeo contegentes, reprehensorum suorum iacula ad se pertingere non permittunt. Tharsis autem exploratio gaudij dicitur. Quisquis enim in hoc sæculo, vnde gaudere possit, explorat, huic superueniens dies Domini quibus perpetualiter amarescat, mœroris, atque tristitię molestias irrogat. Venit etiam dies Domini non super omne, quod pulchrum est, sed super omne, quod visu pulchrum est: quia ille diuini iudicij pondere premitur, qui intrinsecus quidem vitiorum latenter ingruentium deformitate confunditur: foris autem quadam adumbratæ virtutis, vel potius honestatis pulchritudine palliatur. Sed cum plurima suppetant, nos enucleatius exponere ista postponimus: quia prolixioris styli laciniam deuitamus. Exempla quoque de diuini terrore iudicij plura his supersedemus inserere, quia cum huic tremendo examini omnis eloquij cęlestis intentio militet, nos in exaggeratione eius elaborare diutius non oportet. Ad hoc enim pleniter intimandum, etiam si cætera cuncta deessent, sola illa Veritatis verba sufficerent, quibus ait: Erunt dies illi tribulationis tales, quales non fuerunt ab initio creaturę, quam condidit Deus, vsque nunc, neque fient.

Quercus frugiferæ impiorum quomodo significent.

Sues mystici, qui sint, vel intelligantur.

Psal. 64. v. 14.

Contra simulatam pietatem.

Mat. 13. v. 19.

Tu autem, Domina mea, Domina, inquam, mea, immo & Regina, Domino meo, cælesti scilicet Regi, per annulum viuæ Fidei, & arrham sancti Spiritus desponsata: tu itaque hæc, & his similia, quæ de diuini furoris, & indignationis amaritudine, leguntur mundi amatoribus imminere, crebrius perlege, subtiliter meditare: vt hoc velut amaræ confectionis antidoto, sibilos antiqui serpentis, eiusque lethale virus possis euadere. In memetipso quippè frequenter expertus sum: quia cum visceribus meis huius cogitationis amaritudo diffunditur, à cunctis male blandientis mundi, vt ita loquar, humoribus, mentis meæ stomachus exsiccatur. Sæpe enim malignus spiritus, velut auis in ramo arboris, sic in lingua ponitur adulantis: & tanquam per organum vasis, in vas virus effluit, quod lethaliter in audientis interiora transfundit. Tu autem obtura aures male-suadis cantibus Sirenarum, & Scyllææ voraginis prudenter euade naufragium:

Hic admonetur, ne sub pietatis specie ad sæculum reuertatur.

Extremi iudicij memoria mundi blandimenta extinguit.

Dæmon adulantis linguæ, vt auis ramo, insidet.

sicque cor tuum in sancto proposito terror Iudicis figat, vt nequaquam hoc vetus assentatorij fauoris euellat. Antiquus enim ille seductor, qui dudum Euæ per serpentem versutiæ suæ virus inuomuit, adhuc fortassis & tibi tamquam filiæ morem seruans, per aliud suum vasculum sibilabit: Reuertere, inquiens, domũ sub ipso sacræ professionis habitu, rege familiam, expone pie viuendi formã, tene super filium, eiusque coæuos, grauitatis, ac modestię disciplinam, prouide lapsuro non absonam legibus sponsam, nec resilire permittas sibimet obsequentium clientelam. Hæc igitur fabricans nequitiæ spiritus, non curat, qua te ad sęculũ retrahat veste, dummodo confidat, quod per sæculares actus tibi principetur in mente.

Gen. 3. v. 4.

Sacræ professionis habitus.

Porro autem, cum plurima suppetant, id potissimum, quod nobis ante paucos dies contigit, referre congruum iudicamus: Monachus quidam simplicis naturæ, humilisque modestiæ nobis aliquando cohabitaturus adhæsit, ac per octennium fere nobiscum in Eremo non solum caste, sed, iuxta fratrum quoque omnium testimonium, laudabiliter vixit: & quoniam scribendi peritus extitit, non pauca nobis librorum volumina pollucibiliter exarauit. Nuper autem cum obeso vegetus corpore, ac robustior solito videretur, cœpit obstinate deposcere, vt ad suum permitteretur Monasterium remeare. Quod nimirum malignus cordi eius intulit aduersarius, vt perspicue postmodum ipsius rei declarauit euentus. Nam mox, vt, iuxta petitionem, ad suum monasterium est reuersus, cum alio quodam monacho dierum malorum sene, litteris æque perito, atque librario, per femoralis fluxus egestionem cecidit: sicque omne, quod mundus diutius vixerat, repentina scelerATISSIMI criminis contagione fœdauit: neue sine vindicta tam plectibilis culpa transiret, ægritudine mox irruente, decubuit: paucisque deinceps diebus ex hac vita confessus, & confusus exiuit. Sic, sic, igitur, qui stat videat, ne cadat. Et qui solo præcepto cum vxore Loth, post terga respicere non veretur, conspecto saltem salis statunculo, ac Deo desuper vindice terreatur.

De monacho, qui de Eremo ad cœnobium rediens, per immunditiã lapsus, interijt.

1. Cor. 10. v. 12.

Gen. 19. v. 26.

At fortassis è contra dicitur, quia corpusculum tuum gracile nimis, & delicatum, ab ipsis lactantis infantiæ rudimentis esculentissimis, ac pœne regalibus fuit epulis molliter enutritum: nec sororum potes nunc mensulis esse contenta, quę magnificis olim fueras ferculis assueta: sed nec olere quidem, vel communibus cum eis vti potes edulijs, quæ marinas, exquisitasque delitias Indicis assueueras infercire pigmentis. His itaque male-blandientibus suadelis, immo litis melle sagittis ex diabolica pharetra manifestè vibratis, tu discipula Crucifixi prudenter occurre, easque à te conditionis tuæ sedula consideratione repelle. Perpende igitur, quia caro, quæ nunc accuratis dapibus enutritur, paulo post vermibus scaturire compellitur: ipsaque tunc fit esca rodentium, quæ nunc delectabiliter saginatur iucunditate ciborum, ac tanto grauiorem exhalat putrefacta fœtorem,

De sepultura Sophiæ Marchionissæ, & eius fœtore intolerabili.

Mortis memoria carnis & gulæ illecebris medetur.

quanto suauiorem sibi procurauit educata mollitiem. Ecce, dum ista conscribimus, Sophia nobis ad memoriam redit, duorum scilicet Marchionum, Vguzonis soror, Rainerij filia, quę ante hoc fere sexennium, dum sana adhuc esset, & incolumis, Abbatem monasterij Sancti Christophori martyris, vt sibi sepulturam construeret, petijt: illoque renitente, eamque delirare perhibente, difficilius impetrauit. Factumque intra monachorum claustra sepulchrum, mox vt ingressa conspexit, nescio quo iudicio, in ęgritudinem corruit: ac paulo post abortijt, & obijt. Cuius profecto tumulus cum esset gypseus, artificiosisque cæmentariorum studijs vndique communitus, tantam fœtoris illuuiem per continui circiter anni circulum exhalauit, vt tolerari vix posset, nec fratres quiescere in tota illius claustri medietate permitteret. Et cum multa circumquaque sepulchra subsiderent, eademque minora satis impendia percepissent, nullum præter hoc solum, molestias naribus ingerebat: vt luce clarius innotesceret, quoniam humana caro quanto tenerius, ac mollius educatur, tanto deterius, in putredinem, ac nauseam vertitur. Enim vero fratres cum me, cur id fieret, inquisissent; quod videbatur, exposui: Hoc, inquam, vt opinor, ad salutem vestram diuinitus agitur, vt in illo vno corpore, quod tam pulchrũ, venustumque vidistis, quid etiam de cęteris mulieribus in tentatione luxuriæ sentiri debeat, liquido colligatis; quoniam caro illa & tunc putredo veraciter erat, cum ad se spectandum lubricos intuentium oculos prouocabat: quid enim tunc fuerit, nunc euidenter ostendit. Et quælibet hominis caro, quæ nunc virere conspicitur, nequaquam de se post obitum putredinem generat: sed quæ semper fuerat, tunc se tantum modo putredinem manifeste declarat.

Sophia Marchionum Rainerij filia, & Vguzonis soror.

Delicatius nutrita caro mortua magis fœtet.

Luxuriæ efficax remediũ.

Sed ad id, quod asserimus, roborandum congruum est, vt etiam de viua carne proferamus exemplum. Veracis itaque, & honesti viri didici relatione, quod narro: Dux Venetiarum Constantinopolitanæ Vrbis ciuem habebat vxorem, quæ nimirum tam tenere, tam delicate viuebat, & non modo superstitiosa, sed artificiosa vt ita loquar, sese iucũditate mulcebat, vt etiam communibus se aquis dedignaretur ablue re; sed eius serui rorem cæli satagebant vndecumque colligere, ex quo sibi laboriosum satis balneum procurarent. Cibos quoque suos manibus non tangebat, sed ab Eunuchis eius alimenta quæque minutius concidebantur in frusta: quæ mox illa quibusdam fuscinulis aureis, atque bidentibus ori suo, liguriens, adhibebat. Eius porro cubiculum tot thymiamatum, aromatumque, generibus redolebat, vt & nobis narrare tantum dedecus fœteat: & auditor forte non credat. Sed omnipotenti Deo quantum huius fœminæ fuerit exosa superbia, manifesta docuit vlciscendo censura. Vibrato quippè super eam diuini mucrone iudicij, corpus eius omne computruit, ita vt mẽbra corporis vndique cuncta marcescerent, totumque cubiculũ intolerabili prorsus fœtore complerent: nec quispiam tantam perferre narium iniuriam

De Veneti Ducis vxore, quæ prius nimium delicata, demũ toto corpore computruit.

De supplicijs damnatorum.

potuit, non cosmeta, non seruulus, vix vna dumtaxat ancilla, non sine speciei redolentis auxilio, in eius obsequij sedulitate permansit. Eadem tamen raptim accedebat, & protinus fugiens abscedebat. Diutius igitur hoc languore decocta, & miserabiliter cruciata, amicis quoque lętantibus, diem clausit extremum. Quid ergo sit caro, doceat ipsa caro: quodque perhibet mortua, testatur & viua.

De suppliciis damnatorum. Sed, ô vtinam qui eiusmodi sunt, sic pœna temporalis afficeret, vt non eos etiam tartarus expectaret. Illic enim, iuxta quantitatem gaudij retribuitur mensura tormenti: quantoque hic altius per iactantiam tumoris extollitur, tanto illic voracis incendij barathro profundius absorbetur. Vnde est, quod de peruersa anima sub Babylonis specie dicitur: *Apoc. 18. v. 7.* Quantum se exaltauit, & in delitijs fuit, tantum date illi tormenta, & luctus. Et alibi: *Sap. 6. v. 7.* Potentes potenter torméta patientur, & fortibus fortior erit cruciatio. Nam & ipsæ carnales illecebrę, vel cætera vitia, quę hic prauos homines inflammabant, illic in picem, resinamque vertuntur, & vltricibus flammis vires tribuunt. Planè sicut Scriptura dicit, illic *Iob. 10. v. 22.* est vmbra mortis, quæ profecto nihil est aliud, nisi obscuritas † diuisionis; *† visionis.* quia damnatus quisque cum æterno igne succenditur, ab interno lumine tenebratur. Natura vero ignis est, vt ex se ipso & lucem exhibeat, & ardorem: sed transfactorum illa vltrix flamma vitiorum habet ardorem, non habet penitus lucem. *Matt. 22. v. 13.* Vnde est, quod de illo, quem à se repellit, Veritas dicit: Ligate illi manus, & pedes, & mittite eum in tenebras exteriores. Si ignis itaque, qui reprobos cruciat, lumen habere potuisset: is, qui repellitur, nequaquam mitti in tenebras diceretur. *Psal. 57. v. 9.* Hinc etiam Psalmista ait: Super eos cecidit ignis, & non viderunt solem. Ignis enim super impios cadit, sed sol, igne cadente, non cernitur: quia illos, quos gehennæ flamma deuorat, à visione veri luminis cæcat: vt & foris eos dolor combustionis cruciet, & intus pœna cæcitatis obscuret: quatenus, qui Auctori suo corpore, & corde deliquerunt, simul corpore, & corde puniantur: & vtrobique pœnam sentiant, qui dum hic viuerent, prauis suis delectationibus ex vtroque seruiebant. *Ezech. 32. v. 27.* Vnde bene per Prophetam dicitur: Descenderunt ad infernum cum armis suis. *Peccatorum arma quę sint.* Arma quippè peccatorum sunt membra corporis, quibus peruersa desideria, quæ concipiunt, exequuntur. Vnde *Rom. 6. v. 13.* rectè per Paulum dicitur: Neque exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato. Cum armis verò descendere ad infernum, est cum ipsis quoque membris, quibus desideria voluptatis expleuerunt, æterni iudicij tormenta tolerare: vt tunc eos vndique dolor absorbeat, qui nunc suis delectationibus subditi, vndique contra iustitiam iuste iudicantis, pugnant. Quæ tamen supplicia in se demersos, & vltra vires cruciant, & in eis vitæ subsidium extinguendo, seruant: vt sic vitam *Mors damnatorum.* terminus finiat, quatenus semper sine termino cruciatus viuat: quia & ad finem per tormenta properat, & sine fine deficiens, durat. Fit ergo miseris mors sinę morte, finis sine fine, defectus sine defectu: quia &

mors viuit, & finis semper incipit, & deficere defectus nescit. Eant ergo nunc luxuriæ dediti, & ad propriæ carnis arbitrium viuant, vt anima postmodum, & carne simul intereant: nunc medullas mundanæ dulcedinis sorbeant, vt repleti tunc perpetui cruciatus absynthio, totis visceribus amarescant. *Iob. 21. v. 13.* Necesse quippè est, vt illic dentibus strideant, qui hic edacitate gaudebant: illic ab eis irremediabiliter plangitur, à quibus hic voluptuosè ridetur: quique hic olfaciunt nidores aromatum, & acredinem inhiant pigmentorum, illic eos & sulphureus fœtor excruciat, & tetra picei fumi caligo circumdat. Ducunt enim in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. *Num. 14. v. 4.*

Verum hæc illis exaggeranda sunt mentibus, quæ post terga relictam Ægyptum repetunt, quæ sedere super ollas carnium ignobiliter concupiscunt: *Exod. 16. v. 3.* vt his cogitationum fluctibus terrorumque procellis quodammodo mare rubrum fiat, quod eis in medio, ne reuertantur, obsistat. Tu autem, veneranda soror, quæ scilicet Euangelicæ quadrigę, ac rotarum cælestium animalia sequeris, *Ezech. 1. v. 9.* quorum sunt pedes recti, quæque cum ambulant, non reuertuntur, nequaquam, vt pro certo confidimus, Loth sequeris vxorem, sed Annæ potius imitaberis stabilitatem, *Gen. 9. v. 26.* cuius scilicet vultus non sunt amplius in diuersa mutati. *1. Reg. 1. v. 18.* Et quoniam, quod ab adulatore laudatur, ab Ecclesiastica auctoritate cõtemnitur, vtramque hanc perpende sententiam. *Indignum est ad ea, quæ reliquimus, reuerti.* Laudatur peccator in desiderijs suis, & qui inique gerit, benedicitur; hoc adulantis est. *Psal. 9. v. 24.* Maledicti, qui declinant à mandatis tuis; hæc Ecclesiæ vox est. *Psal. 118. v. 21.* Quod autem in reprobos, iuxta quantitatem criminis, æqua sit etiam mensura maledictionis, testatur propheta Dauid, qui nimirum in Iudam Iscariothem triginta maledictiones intulit, sicut ille Dominum triginta argenteis sacrilega venalitate distraxit. Quarum videlicet sicut prima est: Constitue super eum peccatorem; sic extrema est illa: Operiantur sicut diploide confusione sua: *Psal. 108. v. 6. & 29.* quas si quis per Psalmi seriem subtiliter quærat, certum est, quoniam non eas vltro, citroue reperiat. In serie Scripturarũ disce consequenter & ordinem rerum. *Ordinis librorum Scripturæ sacræ mysterium.* Prius enim lex scribitur, deinde historia texitur Iudicum, postremò liber ponitur Regum; quoniam hîc diuinæ legis mandata perficimus, postmodum ad iudicium venimus: ad extremum, si causa non dissonat, cum Christo sine fine regnamus. Hi prouentus afferendi sunt segetum, qui cęlestibus horreis inferantur. Vitis planè si sit ferax vuarum, cuncta pręcellit arbusta siluarum: sin vero sit sterilis, cæteris iudicatur abiectior, ac vilior esse virgultis. Vnde est, quod ad Prophetam diuina vox ait: *Ezech. 15. v. 2.* Fili hominis, quid fiet ligno vitis ex omnibus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna siluarum; numquid tolletur de ea lignum, vt fiat opus: aut fabricatur de ea paxillus, vt dependeat in eo quodcumque vas? Sic profecto Monachus, si ad proferendos fructus boni operis sit intentus, & feruidus, nihil inter homines eo valet esse præstantius, alioquin si frigidus, & infœcundus arescat, ac dormiens stertat, iure tam- *Feruenti monacho nil præstantius: frigido nil vilius.*

quam vilis alga despicitur, & ipsis quoque sæcularibus non æquatur. Si quis vero studijs adipiscendæ perfectionis inseruet, sed adhuc tamen per infirmitatem de prioris vitæ vitijs intus aliquid retinet; sæcularis quispiam, licet religiosus esse comprobetur, & pius, nequaquam est huic per omnia comparandus. Melius quippè est vitiosum aurum, quam æs purum: & pretiosius est hebes margaritum, quàm marmor parium: pallens quoque carbunculus amabilior est, quam cæruleus sit hyacinthus. Tu quoque si, velut in auroræ diluculo constituta, de pristinæ vitæ tenebris adhuc in te aliquid sentis, noli diffidere, peruenire celeriter ad plenitudinem lucis. Caue tantummodo, ne in carnis mollitie requiescas, sed in sanctæ disciplinæ laboribus te vigilanter exerceas.

Monachus medioctiter perfectus, præstātior est sæculari homine, etiam pio.

Vtinam daretur tibi nunc dominum meum videre Dominicū, qui quod nos imperitæ linguæ conamur officio, ipse te efficaciori luculentissimæ vitæ doceret, & informaret exemplo. Hic denique à tribus iam circiter annorum lustris lorica ferrea vestitur ad carnem, duobus autem ferreis circulis in corpore cingitur, duobus item per brachiorum armos arctatur. Sed quia de illo in alijs nostris opusculis iam plura digessimus, nunc quod vix ante sex dies ad nos veniens, retulit, proferamus. Ait itaque: Contigit me nosse, quod scripseris, nouem me vno die Psalteria decantasse cum corporalibus disciplinis: quod certè cum audiui, tremefactus expaui, & conscientia remordente congemui: væh, inquam, mihi, ecce hoc de me, nesciente me, scriptum est: & tamen vtrum hoc à me fieri potuisset, ignoro. Ergo rursus experiar, & an hoc implere potuerim, indubitanter agnoscam. Quarta igitur feria me vestibus exui, & armata scopis vtraque manu, totā noctem ducendo peruigilem, psallere, ac me verberare non destiti, donec die altero, decursis duodecim ex more Psalterijs, die tertiodecimo ad psalmum, Beati quorū vsque reptaui. Porro, quod nobis durum sæpe videtur, & asperū, quā ille puerile deputet, ac despectum, vno doceamus exemplo: Frater quidam cum se scoparum ictibus nimis abhorreret atterere, atque, vt ipse sibimet plagas inferret, atque perferret, grauissimum iudicaret; tandem tamen Domni Dominici crebrius insistentis, adhortationibus acquieuit, ac per modulationem totius Psalterij, & insuper quinquaginta psalmorum, sibimet disciplinam inferre proprijs manibus non cessauit. Erat autem nox illa præcedens Dominicā diem, & B. Michaëlis festiuitatem. Cumque facto mane, ad prædictum senem frater ille venisset, timensque ne de indiscretione redargueretur, quod egerat, per ordinem retulisset; hac ille voce respondit: noli frater, pusillanimis esse, vel pro hac tua, quæ nunc est, infirmitate diffidere; potens est enim Deus ex imis te ad altiora prouehere, & tamquam lacteolæ tuæ conuersationis infantiam ad iuuenilis roboris incrementa firmare. Et adijciens ait: nos etiam primo pedetentim cœpimus, sensimque ad quod nos diuina pietas perducere voluit, licet imbecilles, ac fragiles,

Quod Dominicus duodecim simul Psalteria cum disciplina cātauit, & tertium decimum cœpit.

Eadē hab lib. 1. Epist 19. & Epist. 30. lib. 6 to. huius.

Psal. 31.

Iudicium S. Dominici Loricati de corporis flagellatione.

In corporis flagellatione non debemus nostræ infirmitati diffidere.

educti sumus. Sicque factum est, vt non eum de immoderato feruore, sicut ille timebat, argueret: sed ne desperationi succumberet, tamquam qui minimum quid egerit, animum refoueret. Huius itaque sancti senis exemplo faciendæ disciplinæ, mos adeo in nostris partibus inoleuit: vt non modo viri, sed & nobiles mulieres hoc purgatorij genus inhianter arriperent. Nam & relicta Tethbaldi, sublimis vtique generis, & non infirmæ dignitatis, mihi aliquando retulit, per præfixam huius disciplinæ regulam centum annorum se pœnitentiam peregisse.

Flagellatio purgatorij genus.

Tu itaque libenter audi semper facta bonorum, vel si imitari potes, cumulum tibi perpetuæ retributionis acquirant: vel si impossibilia sunt, vberius te in humilitate custodiant. Erigatur spiritus ad ea quæ promittuntur in patria, vt exiliens paruipendat quidquid asperitatis horret in via. Cum pondus auri radiantis attenditur, labor itineris leuigatur. Vbi loco præmij corona proponitur, stadij cursus alacriter transilitur. Perpende igitur, quam beatus sit, qui, cum tanta reproborum multitudo repellitur, ipse ad nuptiale conuiuium ingredi, cum splendida electorum societate mereatur: quantæ dignitatis sit adesse semper obtutibus Conditoris, contemplari præsentissimæ speciem Veritatis: facie ad faciem Deum cernere, choris Angelicis interesse: vbi sic præsentibus quique gaudijs sunt repleti, vt de futura numquam sint aduersitate solliciti: vbi dum quieta mens incircumscripti luminis amœnitate perfruitur, de suorum quoque conciuium præmijs inenarrabiliter gratulatur. Illic vitæ fontem & sitientes hauriunt, & haurientes sitiunt; quia ibi non potest, vel auiditas passionem gignere, vel satietas fastidire. Ex eo planè, quod Auctori vitę semper assistunt, omnem vim beatitudinis trahunt. Hinc floridæ iuuentutis æterna viriditas, hinc venustas est pulchritudinis, & indeficiēs vigor incolumitatis. Ex illo itaque æternitatis fonte percipiunt, vt æternaliter viuant, ineffabiliter gaudeant: &, quod est longè præstantius, ad eiusdem Conditoris similitudinem conualescant. Sicut enim Ioannes Euangelista testatur: Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est. Tunc mors absorbta est in victoria; omnisque humanæ naturæ funditus corruit corruptela, De hac porro ciuitate Sanctus ille Tobias aiebat: Portæ Hierusalem ex Sapphiro, & Smaragdo ædificabuntur: & ex lapide pretioso omnis circuitus murorum eius: ex lapide candido, & mundo omnes plateæ eius sternentur: & per vicos eius halleluia cantabitur. De hac & Ioannes ait: Quia singulæ portæ eius erant ex singulis margaritis, & platea ciuitatis aurum mundum, tamquam vitrum perlucidum. De qua etiam mox adiecit: Quia non eget sole, neque luna; sed claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius est Agnus. Ibi præterea natura humana, quæ vitiata fuerat, cunctis passionum squaloribus defecata tripudiat; & azima facta, in suæ puritatis, atque sinceritatis munditia perseuerat. Cum spiritu siquidem, & caro spiritualis facta, concordat; ac totus homo sui Conditoris

De cælesti Hierusalem beatitudine sempiterna.

Sanctorum vitæ libēter audiendæ

Cælestis gloriæ perfecta descriptio.

1 Ioan 3 v. 2.

1. Cor. 15. v 54

Tob. 13 v 21.

Apoc. 21. v. 21.

Ibid. v. 23.

arbitrio in nullo penitus dissonat. Tunc impletur, quod sponsæ sponsus eloquitur: Veni sponsa mea, tempus putationis aduenit. Surculus enim cum putatur, remanente quod vtile est, abscinditur quod superfluum est. Sic ex humana natura, manet quidem omne, quod Conditor fecit; tollitur autem, quod diabolus addidit. Illic arcana singulorum patent oculis omniū. Illic omnium mentes in mutui amoris vnione cōflatæ, nulla inuicem varietate dissentiunt; sed in communi voluntatis studio omnes vnanimiter fœderantur. Apud nos, cum vna festiuitas colitur, altera non habetur; illic autem omnium solennitatum semper est coaceruata lætitia, quia illi præsentes assistunt, qui solennitatum sunt proculdubio causa. Deest illic ignorantia, deest impossibilitas; quia in Sapientia, cui vniti sunt, cuncta sciunt: in Omnipotente omnia possunt. Illic reuelata facie contuebimur, quomodo Pater ineffabiliter Filium gignat; quomodo Spiritus sanctus ex vtroque procedat. Illic videbimus, quomodo is, qui nusquam deest, non per partes, sed totus vbique est: quomodo etiam fieri possit, vt & intendat singulis, tamquam vacet ab vniuersis; intendat vniuersis, tamquam vacet à singulis: quomodo is, qui cælestibus præeminet, abyssi fundamenta subsistentet: qui mundi intima penetrat, quomodo exteriora cuncta circumdat. Illic odoris suauitas cūctorum excedit vires aromatū, omnē superat fragrantiam pigmentorum. Illic Beatorum aures harmonicæ dulcedinis organa meloda permulcent. Illic pratis iucunda satis amœnitate vernantibus, candentia lilia numquam decidunt, rosæque purpureæ cum croceis floribus non marcescunt. Et certè de illa cælestis Hierusalē beatitudine sempiterna incomparabiliter plus est in re, quam mens possit humana concipere: plus mente concipitur, quam vllis sermonibus explicetur. Quid ergo plura de illis Beatorum ciuium gaudijs eloquar? Quandoquidem eorum fælicissimæ voluntati cuncta prorsus elementa deseruiunt, & cuncta ad eorum nutum, omnia ad eorum vertuntur arbitrium. Vera quippe est sententia illa, qua dicitur: Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in cælo, & in terra; in mari & in omnibus abyssis. Et quod de capite dicitur, de membris quoque illius dignum est, vt credatur. His te gaudijs, venerabilis soror, Deus omnipotens introducat, ipseque tibi sit præmium, cum assumit, qui factus est pretium, cum redemit. Commenda me Moysi, & Aaron Ducibus tuis, Sanctis videlicet Vitali, & Rodulpho presbyteris: qui videlicet nouerint, quia iccirco, contra morem Epistolæ, titulos inseruimus, vt inelimati, atque prolixi styli duplex fastidium leuaremus.

Cant. 2. v. 12.

Beatæ vitæ status.

Sanctorū beatitudini omnia seruiunt.

Psal. 134. v. 6.

Vit. & Rodul. mem. hab. Epist. 14. lib. 5 to. huius.



BEATI PETRI DAMIANI MONACHI BENEDICTINI, S. R. E. Cardinalis, Episcopi Ostiensis.

Epistolarum Liber VIII. & Vltimus.

Ad Viros Illustres, & alias priuatas personas.

EPIST. I. Ad Cinthium Vrbis Præfectum.

ARGVMENTVM.

Cinthium Præfectum Vrbis extollit iustitiæ, æquitatisque defensorem: & populum sibi commissum non minus verbis, quam exemplo instruentem. Hinc, sumpta occasione de officio Concionatoris disserit. Hortatur postremo eumdem, vt in via, quam semel inceperat, constanter persistat: pauperesque & eum, cui non est adiutor, Ecclesiæque præcipue, facultates tueatur.

Domno Cinthio Vrbis Præfecto, Petrus peccator, Monachus salutem.



PROPRIÆ virtutis audire præconium, sicut vanos in iactantiam erigit, ita bonos, ac sobrios ad gratiam humilitatis accendit: immo magis ad recti operis prouocantur augmentum, dum attolli fauoribus audiunt collata sibi dona virtutum. Heri plane, dum in Ecclesia B. Petri Apostolorum Principis de præsentis tunc Epiphaniæ sollemnitate, prout diuina clementia suggerebat concionaremur ad populum; ita locutus es, non vt Præfectum Reipublicæ, sed potius vt Sacerdotem decebat Ecclesiæ: nec

sæcularis hominis verbum, sed Apostolicę prædicationis audiebatur eloquium. In quo nimirum, quem imitari censendus es, nisi illum, qui Rex, & Sacerdos, & mundum regit per diuinæ virtutis imperium, & semetipsum Patri pro nobis obtulit salutaris hostię Sacramentum? Nos etiam per eiusdem Redemptoris gratiam, cuius membra sumus idipsum quod ipse est, vt essemus accepimus. Vnde Ioannes in Apocalypsi dicit: Qui dilexit nos, & lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo: & fecit nos regnum, & sacerdotes Domino, & Patri suo. Et Petrus, Vos, inquit genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum. Constat ergo quemlibet Christianum esse per gratiam Christi sacerdotem, vnde non immerito debet eius annunciare virtutem. Tu præsertim huius Sacerdotij, & Regni euidenter imitaris exemplum, dum & in tribunalibus legitimæ sanctionis iura promulgas, & in Ecclesia persequeris exhortationis instantiam, astantis populi mentes ædificas. Ego autem, cui per Sacerdotalis ordinis gradum iniunctum est prædicationis officium, vocis incommodum patior, atque ideo ad satisfaciendum plurimæ plebis auribus, non assurgo: sed dum Apostolicæ gratiæ Sacerdotes, Gregorium videlicet, & Ambrosium, fractum stomachum, vocisque defectum conquerentes, attendo, desperatione postposita, mentem in statum viuidæ consolationis attollo: nec erga me deputo tremendi Iudicis iram, quod tam sublimibus viris ad humilitatis arbitror peruenisse custodiam. Illud me potius angit, illud atrocius mei cordis arcana transfigit, quia dum voce raucio, sicut docendi facultate non affluo, sic etiam vel exiguum lucidę conuersationis igniculum non emitto. Perfecto Prædicatori duo sunt permaxime necessaria, videlicet vt sententijs doctrinæ spiritualis exuberet, & religiosæ vitæ splendore coruscet. Quod si Sacerdos quispiam ad vtrumque non sufficit, videlicet vt & vita clarus, & doctrinę facultate sit profluus; melior est vita proculdubio, quam doctrina. Dulcior quippe est fructus operum, quam folia nuda verborum. Et plus valet vitæ claritas ad exemplum, quam eloquentia, vel vrbanitas accurata sermonum. Quamobrem in ipso Dominicæ natiuitatis articulo, sicut Euangelica testatur Historia; pastoribus Angelica virtus apparuit, eosque Dei claritas circumfulsit. Vbi præsto subiungitur: Quia dixit illis Angelus: Nolite timere: ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid. In manifestatione vero, qua Magis quærentibus ostensus est, index eiusdem Redemptoris nostri stella luce quidem radiauit, sed verba non protulit. Quid ergo designatur per Angelum, qui & splendore claruit, & Dominum nunciauit, nisi geminę gratiæ Prædicator, qui scilicet & doctrinæ verba exuberat, & sanctæ religionis splendore coruscat? Quid vero per stellam, nisi simplex quilibet honestæ vitæ Sacerdos innuitur, qui licet affluentis

Christus Rex, & Sacerdos.

1. Cor. 6. v. 15.

Apoc. 1. v. 5.

1. Pet. 2. v. 9.

Christiani sunt Christi Sacerdotes.

Prædicatori necessaria sūt doctrina, & sanctitas vitæ.

Sanctitas morum efficacior eloquentia.

Luc 2 v 10.

Prædicatores perfecti in Angelo Christi Natiuitatis nuncio exprimuntur.

Matt. 2. v. 9.

eloquij facultate non polleat, claris tamen operibus, velut quibusdam laudabilis vitæ radijs, micat: & quos non erudit verbo viuæ conuersationis, infirmat exemplo? Quia ergo Sacerdotes Ecclesiæ sunt cęli, qui enarrant gloriam Dei, necesse est, vt Sacerdos, qui Prædicatoris officio fungitur, & doctrinæ spiritualis imbribus pluat, & religiosæ vitæ radijs splendeat: instar illius Angeli, qui natum Dominum pastoribus nuncians, & splendore claritatis emicuit, & quod euangelizare venerat, verbis expressit. Hinc est, quod per Malachiam dicitur: Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. Quod si non potest esse Angelus, qui per linguam Prædicatoris officium nauiter impleat, sit saltem stella quæ radios sanctę conuersationis emittat. Hoc ipsum siquidem stella splendore suo Magis innotuit, quod lingua loquens Angelus pastoribus nunciauit. Vnde per Danielem dicitur: Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Necesse est tamen, vt clarius per vitæ meritum luceat, qui facundæ prędicationis affluentia non abundat. Hinc est, quod Moysi, qui de semetipso colloquenti Domino dixerat: Obsecro, Domine, nō sum eloquens ab heri, & nudius tertius: & ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ sum; adeo postmodum facies clarificata resplenduit: vt filiorum Israël visus obtunderet, & in eum prę splendoris magnitudine respicere non valerent. Aaron vero, de quo illi diuina voce responsum est: Aaron frater tuus Leuites, scio, quod eloquens sit: nullus supernæ claritatis splendor accessit. Quibus plane dum quid diuinitus iniunctum fuerit solerti meditatione considero, vtriusque munus a te suppleri quadam operis imitatione perpendo. Ego, inquit, ero in ore tuo, & in ore illius: & ostendam vobis, quid agere debeatis; ipse loquetur pro te ad populum, & erit os tuum: tu autem eris ei in his, quę ad Deum pertinēt. Nam dum populi multitudinem Pręfectoria iurisdictione, & iudiciariæ potestatis vigore coërces, quid aliud, quam Aaron officium imples? Et cum eumdem populum ad ea, quæ Dei sanctis exhortationibus prouocas, quid aliud, quam Moysi spirituale propositum pius ęmulator vsurpas? Age igitur, macte virtute, vir strenue, & in agro te Domini tamquam duplex operator exerce: profice, satage, labora: & in his, quæ gloriose cœpisti, gloriosius perseuera. Modo forense litigium examine iustitiæ dirimens: modo seruata mensura tui ordinis, in Ecclesia salutiferę exhortationis verba depromens; modo in his, quę ad Deum pertinent, Moysis vestigia sequere: modo in causarum, negotiorumque sęcularium calculis, Aaron sacerdotis exempla propone. Esto itaque † Beniamin, qui vtraque manu vtaris pro dextera; quatenus sic iurgia tumultuantis populi per disciplinę vigorem reprimas, vt in quātum tui ordinis facultas suppetit, etiam Ecclesiastici status iura componas. Videatur in te, de ore Iesu prodire gladius ex vtraque parte

Prædicatores sola vitæ probitate clari, per stellam Magorum designantur.

Prædicatores sunt cæli.

Psal. 18. v. 1.

Malac. 2. v. 7.

Dan. 12. v. 3.

Vbi doctrina non sufficit, sanctitas abūdet.

Exod. 4. v. 10.

Exod. 34. v. 31.

Exod. 4. v. 14.

Ibidem. v. 15.

Gubernator populorum quos imitari debeat.

Non enim hoc dicit scriptura de Beniamim filio Iacob, sed de Iod filio Gera filij Gemini.

Iudic. 3. v. 15.

† Beniemini.

Apoc. 1. v. 16.

acutus; vt mucro, quo præcingeris & tumentia rebellium corda perterreat, & a peruersorum quorumlibet violentijs, inopes, ac pupillos, & Ecclesiastica præcipue iura, defendat. Sentiant te transgressores legum, violatę iustitiæ vindicem: gaudeant te super se Rectores Ecclesiarum strenuum, atque sollicitum vigilare custodem. Esto Dauid in sanctę discretionis arte discipulus, qui & clementer indulsit se persequentibus veniam, & rigidam tenuit in alienæ cædis vltione censuram. Iudæ quoque Machabæi te pedissequum exhibe, qui ad hoc non cessabat, & fulmineus in hostes irruere, & tumentia tyrannorum colla gladijs vltoribus obtruncare; vt contribules suos ab imminenti sęuientium barbarorum cæde protegeret. Pro tuendis ergo facultatibus Ecclesiarum insœderabiliter dimicans, violentos pauperum oppressores vlciscere; equitatis, atque iustitiæ loricam tene; totum te non domesticæ curæ, sed Reipublicæ constanter impende. Ita superstitem te, & patrem patriæ nuncupet Roma, & idoneum se defensorem habere sancta gratuletur Ecclesia. Post obitum quoque apud vtranque, & memoria tua semper in laude, & nomen sit in benedictione.

1. & 2. Reg. lib. & 1. Machab. lib. passim.

EPIST. II. Ad Eumdem Cinthium Vrbis Præfectum.

ARGVMENTVM.

Eumdem Cinthium reprehendit, quod propter orationis fortasse studium, commissum sibi ius populo dicendi munus non impleret. Ostendit igitur, quam sit laudabile, quantique meriti, iustitiam administrare.

Domno Cinthio Præfecto, Petrus peccator Monachus salutem in Domino.

Dilectissime, qui tantæ dignitatis administras officium, formidabile valde est, si te reddas aliquando torpore desidiæ resolutum. Multas si quidem aduersum te fieri querelas audio ab his, qui negotiorum causas habent; quia videlicet legalis iudicij sanctionem a te obtinere non prȩualent. Audi ergo, quid vir Sapiens dicat: Iudex sapiens iudicabit populum suum, & principatus sensati terræ stabilis erit. Secundum iudicem populi, sic & ministri eius: & qualis rector est ciuitatis, tales & inhabitantes in ea. Quibus † itaque verbis aperte colligitur, quia si tu seruaueris iustitiam ac probe fueris iustus: iusti fient non modo ministri, sed & quique tibi sunt in vrbana plebe subiecti. Caue ergo, ne propter peculiaris orationis studium, quibus insistere forte contendis, disciplinam tam innumerabilis populi, qui tibi commissus est,

Eccli. 10. v. 1.

Qualis est vrbis rector tales in habitantes.

† vtique

est negligens: & propter proprium commodum, communem salutem plebis, quæ iustitiam a te præstolatur, omittas. Scriptum quippe est: Qui conseruat legem, multiplicat orationem: & sacrificium salutare, attendere mandatis. Iustitiam ergo facere, quid est aliud, quam orare? Alibi quoque scriptũ est: Iustitia eleuat † gratias. Et Psalmista Beati, inquit, qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore.

Eccli 35. v. 1 Diuinæ legi seruandæ attendere, salutare est sacrificium.

Memini plane excellentissimum Ducem Gothfredum mihi retulisse; quæ scribo: Auunculus, inquit, meus, æque nomine Gothifredus, præpotens videlicet vir, ad faciendam iustitiam nimis erat intentus, & super subditos sibi populos legalium sanctionum disciplinam, vigoremque tenebat: adeo vt aliquando, congregata coram se plebis innumeræ multitudine, ipse Dux excelsa voce clamaret: Proferat causam suam in medium, qui vult habere iudicium. Cumque hoc præconis officio functus, tertio diceret, & nullus e tanto populo responderet: intellexit omnibus satisfactum, indirempta prorsus, atque sopita omni lite causarum. Tunc equum lętus ascendit, & populum non iurgantem, sed pace mutua perfruentem, cum gaudio dereliquit. Post cuius obitum, vir quidam raptus in spiritu, per soporem ductus est ad infernum, & diuersa pœnarum tormenta conspexit: inter quæ vidit Richardum Verdunensem Abbatem, velut excelsas machinas erigẽtem, & anxium, atque sollicitum, tamquam munita castrorum propugnacula construentem. Hoc enim morbo laborauerat Abbas ille, dum viueret, vt in extruendis inaniter ædificijs, omnes fere diligentiæ suæ curas expenderet, & plurimas facultates Ecclesiæ in friuolis huiusmodi nænijs profligaret. Quod ergo fecit in vita, hoc perferebat in pœna. Is itaque, qui hæc in sopore cernebat, dum hinc inde plurima curiosus attendit, visus est sibi videre Auunculum meum, qui superius dictus est, in aureo subsellio præsidentem. Cui nimirum duo Angeli videbantur assistere, & flabella manibus ventilantes, conabantur æstus in eius facie, more ministrantium, temperare. Cumque, quis esset ille, is, qui hæc videbat, inquireret; responsum est ei: Iustitia. Nimirum, qui iustitiam, dum viueret, fecit, ipsum quoque post mortem, iustitiæ vocabulum meruit. Tu etiam, dilectissime, nauiter officium tibi creditæ administrationis exerce, vt tamquam commissę vineæ te operarium credas, nec a laboris exercitio torpeas, si nummum dignæ remunerationis expectas. Legalium itaque sanctionum seueritas reprimat, quos honestatis pudor ab excessibus iniustitię non coarctat: vigoremque sentiant legis, quos rectitudinis limitem præuaricare conuincit violentia prauitatis: vt dum his, qui tibi subiecti sunt, sua cuique iura seruantur, tibi quoque ministerij tui merces apud Deum digna seruetur.

Prou 14. v. 34 † Gentes. *Psal. 105 v 3* Gothifredus iunior Dux Tusciæ. Gothifredi senioris Ducis iustitia.

Abbatis excelsarum machinarum structoris pœna.

Gothifredi senioris Ducis præmium.

EPIST. III. Ad Albertum virum clarissimum.

ARGVMENTVM.

Albertum quemdam, virum potentia, & nobilitate illis temporibus insignem, ad debitam parentibus exhibendam reuerentiam, hac Epistola cohortatur, propterea quod audierat ab illo matrem non in eo, quo decebat honore, præ vxoris amore, haberi: quod, vt graue crimen, exaggerat.

Alberto clarissimo viro, Petrus peccator Monachus salutem in Domino.

Diuinæ legis mandata proculdubio despicit, qui deferre parentibus paruipendit qui suis genitoribus non obedit, sortis funiculum in terra viuentium non admittit. Quo contra, per Moysen diuina voce præcipitur: Honora patrem tuum, & matrem, vt sis longæuus super terram. Vir etiam Sapiens ait: Qui honorat patrem suum, vitam viuit longiorem: & qui obedit patri, refrigerabit patrem; moxque subiunxit: Qui timet Dominum honorat parentes: & quasi dominus seruiet his, qui se genuerunt, & in opere, & in sermone, & in omni patientia. Iusto plane Dei solet euenire iudicio, vt qui parentibus humiliter subditur: ipse quoque parens effectus, in propriæ sobolis obedientia delectetur. Vnde scriptum est: Qui honorat patrem, iucundabitur in filijs, & in die orationis suæ exaudietur. Merito quippe in suis a Deo precibus exauditur, qui Deum præcipientem exaudiens, parentum suorum legibus subditur. Præterea sicut genitoribus maledicens, dignus est mortis vltione percelli; ita qui reuerenter obtemperat, meretur diuinitus benedici. In lege quippe scriptum est: Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Alibi quoque scriptum est: Honora patrem tuum, vt superueniat tibi benedictio a Domino, & benedictio illius in nouissimo maneat. Vbi mox sequitur: Benedictio patris firmat domos filiorum; maledictio autem matris eradicat fundamenta. Si ergo filiorum domus parentum maledictione destruitur, eorumque benedictionibus stabilitur; cauendum valde est, ne si parentes offendimus, successuram nobis propaginem destruamus.

Exod. 20. v. 12. Eccli. 3. v. 7.

Qui parentibus obedit, filiorum obedientiam meretur.

Ibid. v. 6.

Leuit. 20. v. 9. Eccli. 3. v. 10

Significatum est mihi, nobilissime vir, quia sanctam matrem tuam, vxoris amore, despicis, & contemnis, nullumque sibi dominij ius in domestica rei familiaris ordinatione concedis. In quo scilicet facto, quid aliud, quam naturam ignis cerneris imitari, qui cum ex lignis prodeat, ligna consumit, & in cinerem vertit: lapides autem excoquit, &

Inobediens igni similis.

candidos reddit? Ligna nempe, ex quibus egreditur, quasi matrem nascendo consumit; lapides autem, a quibus extinguitur, ad exhibendam calcis albedinem candidos facit. Cum igitur ignis in lignis ardeat, lapides coquat, contrarios habet in non contrarijs rebus effectus. Nam, & si lapides, & ligna diuersa sint; contraria non sunt, sicut album, & nigrum; quorum in lapidibus vnum facit, alterum in lignis. Clarus illos clarificans, hæc offuscans: cum in illis omnino deficeret, nisi in istis viueret. Vnde bene vir Sapiens ait: Honora patrem tuum, & gemitum matris tuæ non obliuiscaris; memento, quoniam nisi per illos, natus non fuisses, & retribue illis, quomodo & illi tibi. Perpende igitur, quantæ crudelitatis sit, illos despiciendo contemnere, per quos habes & ipsum esse: quantaque dignum sit te genitoribus tuis humilitate submitti, quibus & naturalis essentię substantiam debes: & quod ab illis te non ambigis puerum percepisse, quantopere debeas nunc grata vice senibus redhibere. Vnde scriptum est: Fili suscipe senectam patris tui, & ne contristes eum in vita illius: & si defecerit sensus, veniam da & ne spernas eum in tua virtute. Sed forte dices: Mater mea me frequenter exasperat, duris verbis meum, & vxoris meæ corda perturbat: non possumus tot iniuriarum probra perferre, non valemus austeritatis eius, & seueræ correptionis molestias tolerare. Sed in hoc tibi copiosior merces acquiritur, si dum contumeliam suscipis, gratiam reddis: & dum conuitiorum sale conspergeris, humilitate blandiris. Hinc enim est: Eleemosyna patris non erit in obliuione: nam pro peccato matris restituetur tibi bonum. Cum igitur pro peccato matris bonum restituitur, cur sęuiens, vel iniuste delinquens, non æquanimiter perferatur? Terribile certe est, quod Scriptura dicit: Quam malæ famæ est, qui relinquit patrem: & est maledictus à Deo, qui exasperat matrem. Porro, qui parentes inhonorat, quoniam diuinitus abdicatur, numquid non & in hac vita confunditur? Sed audi Scripturam: Gloria, inquit, hominis ex honore patris sui: & decus filij pater sine honore. Sed dum veterum congerimus testimonia Scripturarum, etiam noui casus apponere non grauemur exemplum: vt saltem ostensa diuinæ iustitiæ vindicta † prætereat, quos mandatorum cælestium cingula non refrænant.

Eccli. 7. v. 29 Cur parentibus obedire teneamur.

Eccli 3. v. 14

Ibid. v. 16. Parentibus nō obedientes in hac vita confunduntur.

Ibid. v 18.
Ibid. v. 13

† non

Pridie nempe post vesperam, ex ore ipsius Alexandri venerabilis Papæ, me contigit audire quod refero; Ardericus, inquit, quidam Mediolanensis vrbis indigena, dum vxore ducta, celebraret nuptiale conuiuium: conquestus est opipator conspersum epulis defecisse pigmentum. Cumque huius rei calumniam sponsus in matrem, non sine quodam iurgij tumore, deuolueret: & cur hanc pateretur inopiam iratus, & contumax inquisisset: mater autem se sufficienter exhibuisse ministris hanc speciem e contrario responderet: ille tandem iracundiæ felle permotus manus inferre non timuit, eique proteruus, ac furiose vesaniens, alapam irreuerenter incussit. Sed, ô diuina Iustitia iracundiam

Alexander II. Papa.

nostram vindicans, sed non irata: in furentis animi rabiem sæuiens, sed quieta: vlciscens impacatæ mentis insaniam, sed tranquilla! Vnde Salomon, Tu autem, inquit Dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas: & cum magna reuerentia disponis nos. Eamdem sane percussoris maxillam, hoc est, sinistram, repente languor inuasit, eumque nimijs vexare doloribus cœpit. Cumque languor in dies perniciosius ingrauesceret, acerrimis dolorum stimulis hominem intolerabiliter fatigaret mugitibus, ac stridoribus eiulare compelleret: tandem mater, quę priuignum senserat in percussura, recognouit filium in natura: & non duritiam, vt ille metuerat, nouercalem, sed maternorum exhibet viscerum pietatem. Iam nempe tumescentis mandibulæ caro turpiter computruerat, iam virus ac sanies per concauam vulneris fistulam distillabat. Cumque misere hominem hinc inde percelleret, & exhalantis corruptela putredinis, & intimi vis doloris; pœnitebat initi connubij, & alterum forte virum iam metuebat vxori: & quam cernebat nouiter nuptam, iam quodammodo quasi biuiram deputabat. Mater itaque periclitanti filio non iustitiæ talionem reddens, sed religiosa potius pietate compatiens, ad Ecclesiam B. Nazarij martyris properat, accumulat vota, offert munera, pauimento prosternitur, orat, obsecrat, anhelat, ac delinquenti filio veniam lacrymabiliter flagitat. Maternis itaque precibus adest diuina misericordia: & quam, vt pro lædente deposceret, inspirauit: etiam & ægrotantem propitiatus exigeret, exaudiuit. Paulo post denique solutis, ac putrefactis vndique carnibus, os de mandibula cecidit: ac protinus, omni dolore fugato, cicatrix occalluit, sicque iam desperatum hominem incolumitati pristinæ diuina pietas reparauit. Hoc itaque modo in vnius hominis facie & diuinæ misericordiæ caracter exprimitur, & humanæ culpæ signaculum retinetur: vt dum exossata facies cernitur, & sanata, euidenter eluceat, & quid filij sæuientis † immeruit, & quid ei apud aures diuinæ clementiæ materna pietas impetrauit. Hæc igitur te, vir clarissime, diuina virtus admoneat, hæc prosilientis in matrem plaga perterreat: & non modo te, sed & serenissimam vxorem tuam a socerina prorsus offensione compescat: quatenus dum honoras parentem, quod est primum in promissione mandatum, transmisso quandoque deserto, cum his, qui veri sunt Israëlitę, terram merearis intrare viuentium.

Matris maxillam percutiẽtis castigatio.

Sap. 12. v. 18.

Piæ matris in filiũ impium clementia.

B. Nazarij mart. virtus.

† deest impietas vel aliud simile verbum.

Exod. 20 v. 12. Deut. 5 v. 16 & Matt. 15. v. 4.

EPIST. IV. Ad Albericum Senatorem, eiusque vxorem Ermilinam.

ARGVMENTVM.

Albericum, & eius coniugem, quibus filius infans recenter mortuus erat consolari nititur: ostendens lætitia potius, quam mœrore excipiendam esse illius mortem: vtpote cum ad sempiternam fœlicitatem ex hac miseriarum valle, sine vllo labore, & certamine translatus sit.

Domno Alberico senatoriæ dignitatis viro, & Ermilinæ coniugi, Petrus peccator Monachus salutem in Domino.

NOueritis, dilectissimi, quia cum communem excellentiæ vestræ filium ad Dei omnipotentis imperium ex hoc sæculo transisse cognouimus, subiti nos mœroris angustia perculit, & tristitiæ non leuis aculeus cor nostrum pia compassione transfixit. Sed cum recepto consilio diligenter examinare rem cœpimus, & nosmetipsos reprehensibiles iudicamus, & sublimitatis vestræ prudentiam mœrorem deponere summissis precibus humiliter suademus. Quid enim boni vestra deuotio in conspectu Dei omnipotentis agere potuit, vt ipse vobis tanti muneris beneficium merito præstitisset? Videlicet vt de semine vestro sobolem ad cælestia Regna transferret, inter Angelos constitueret, stola immortalitatis indueret, ac diademate perpetuæ gloriæ coronaret: proprijs insuper vlnis astringeret, oscula tamquam dulcis pater infigeret, & velut vterinum filium, in illo quietis æternæ thalamo fęliciter collocaret. Ecce nos infęlices, & miseri, quod vtique de me, meisq; similibus, & compeccatoribus loquor, quod ieiunantes, & aduersus malignos spiritus infœderabili concertatione iugiter obluctantes, sperare vix possumus; iste sine vlla sudoris, & laboris instantia, gratis obtinuit: & ad illud beatorum ciuium nuptiale conuiuium sine vllo certaminis, ac fastidij labore peruenit. Huc accedit, quia qui filium de vestris manibus abstulit, & eum plus sibi, quam vobis diligens, in contubernium suæ adoptionis adsciuit, potens est, multò vobis meliorem reddere: & pro vno, multiplicem ex vobis sobolem propagare. Anna nimirum vxor Elcanæ, vnicum filium in tabernaculo ad seruandas legis diuinæ cærimonias iugiter excubare con-

Infantium puerorum mors maximum Dei beneficium.

Qui Deo filiū offert, vteri fœcunditatē meretur.

1.Reg.1.v.27. stituit: eumque sicut Scriptura testatur: Domino velut in fœnore commodauit. Hinc est, quod eadem sancta mulier ad Heli sacerdotem dicit: Oraui, & dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulaui eum: iccirco & ego commodaui eum Domino cunctis diebus, quibus fuerit accommodatus Domino. Cui etiam sacerdos Heli, reddat Dominus tibi semẽ de muliere hac pro fœnore, quod commodasti Domino. Porro, quod pro fœnore commodatur, non simplex summa, sed multiplicata recipitur. Vnde & illic præsto subiungitur: Visitauit ergo Dominus Annam, & concepit, & peperit tres filios, & duas filias. Qui ergo pro vno filio tam vberem prolem reddidit, quãto magis vos in propagando semine de sancti vestri coniugij charitate lætificare potuit; qui filium vestrum non in terreno tabernaculo seruire præcepit, sed potius in illa cælesti Hierusalem ante suæ maiestatis obtutum perpetuo regnare constituit. Facessant ergo, dilectissimi, de oculis vestris lacrymæ, gemitus, & suspiria reprimãtur: lugubria quælibet de vestris vultibus euanescant, & festiua serenitas, deposito prorsus omni mœrore, resplendeat. Dicat itaque sancta prudentia vestra simul cum Rege Dauid: Propter infantem, dum adhuc viueret, ieiunaui, & fleui; dicebam enim: quis scit, si fortè donet eum mihi Dominus, vt viuat infans? Nunc autem, quia mortuus est, quare ieiuno? Numquid potero reuocare eum amplius? Ego vadam magis ad eum; ille non reuertetur ad me. Quamobrem, dilectissimi, omnia doloris, atque mœstitiæ lamenta deponite, solita domui vestræ spiritualis lætitiæ gaudia reparate, mentes vestras ad spem supernæ consolationis erigite: & diuini verberis ictus non solum patienter, & æquanimiter, sed etiam alacriter tolerate. Omnipotens Deus, qui filium vestrum de vestris manibus tollere, & in propriæ dilectionis amplexus dignatus est paterna pietate transferre, multiplex vtique pro vno puero germen attribuat, & insuper numquam morituram bonorum operum sobolem generare concedat.

[Margin notes: Annæ pietas. — 1.Reg.2.v.20. — De infantium filiorum obitu lætandum. — 2.Reg.12.v.22]

EPIST. V. Ad Petrum Senatorem Vrbis.

ARGVMENTVM.

Petrum senatoriæ dignitatis virum, qui Ecclesiam construere aggressus, nescio qua de causa, statim ab incœpto destiterat, ad perficiendum cœptum opus hortatur, ostendens, non esse verum, quod nonnulli garriebant, nullam mercedem ijs tribui à Deo, qui Ecclesias ædificant: cuius rei gratia Salomonis, & aliorum exempla in medium affert.

Domno Petro senatoriæ dignitatis viro, Petrus peccator Monachus salutem in Domino.

ELectorum, ac reproborum commune est, bona quælibet indifferenter incipere: sed electorum est specialiter, quæ benè cœpta sũt, consummare. Isti siquidem in eo, quod inchoant, immobiliter perseuerant; illi, dum se per inconstantiam variant, propositum velociter mutant. Vnde scriptum est: Stultus vt luna mutatur. Cœpisti quidem, dilectissime, Monasterium ædificare, sed antequam sese ad sexquipedalem ferè mensuram muralis structura subrigeret: defecisti; vt merito secundum Euangelicam quis valeat hoc irridere sententiam, qua dicitur: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consumare. Vel illud, quod in libro Neemiæ Tobias Ammonites de Hierusalem, dum reædificaretur, irridens, ait: Ædificent, si ascenderit vulpis; transiliet murum eorum lapideum. Nam dum semiruti pendeant muri, & turpiter interrupti, parietina potius digna sunt dici, quam valeat Ecclesia nuncupari. An putas, vt nonnulli blatterando delirant, nullum mercedis inesse fructum, vel compensationis præmium in Ecclesiasticorum constructione murorũ? Nũquid ignoras quia peracto templo, Salomoni Regi Dominus in somnis apparuit, eiq; non modo sapientiam vltra mensuram capacitatis humanæ, sed & incomparabilem diuitiarum omnium copiam prærogauit? Sapientia, inquit, & scientia data sunt tibi; diuitias autem, & substantiam, & gloriam dabo tibi, ita vt nullus in Regibus nec ante, nec post te fuerit similis tui. Enimuero si Deus omnipotens labores ædificantium Ecclesias suas despicit, quid est, quod tanto studio sibimet tabernaculũ in deserto construi debere, mandauit? An paruipendẽdo, vel negligendo ad Moysen loquitur, dicens: Ecce vocaui ex nomine Beseel filium Huri, de tribu Iuda, & impleui eum spiritu Dei, sapientia, intelligentia, & scientia, in omni opere ad excogitandum quidquid fabrefieri poterit ex auro, & argento, & ære, marmore, & gemmis, & diuersitate lignorum: deditque ei socium Hooliab Achisamec de tribu Dan, & in corde omnis eruditi posui sapientiam: vt faciant cuncta, quæ præcipio tibi. Porro autem qui tanta fieri præcipiebat industria tabernaculum, quod euacuandum in proximo nouerat, quanto magis sibi vult Ecclesiam construi, quæ vsque ad finem sæculi ad salutem omnium Gentium immobiliter perseuerat? Tabernaculum nempe, quod erectum est in deserto, & templum illud, quod constructum est sub Salomonis imperio, vmbra erant, atque figura huius Ecclesiæ, quæ nunc coruscat in populo Christiano. Vnde Moysi dictum est: Omnia fac, sicut tibi mõstratũ est in mõte. Huius scilicet Ecclesiæ auctor, atq; cõstructor

Bona incipere omniũ est, electorum bene cœpta perficere.

Eccli. 27. v. 12.

Luc. 14. v. 30.

2. Esdra 4. v. 3.

Salomon pro templi ædificatione præmio afficitur.

3. Reg. 3. v. 13.

Exod. 25. per totum.

Exod. 31. v. 2.

Templorum ædificationes Deus curat.

Exod. 25. v. 40

Christus est, qui verus est Rex, & Sacerdos. Illud quoque templum cum post peractum reædificaretur excidium, restaurationis eius Principes extiterunt, & Zorobabel, qui fuerat de Regia tribu Iuda, & Iesus filius Iosedech, Sacerdos magnus. Vnde & Aggæus Propheta dicit: Suscitauit Dominus spiritum Zorobabel filij Salathiel, ducis Iuda, & spiritum Iesu filij Iosedech Sacerdotis magni, & spiritum reliquorum de omni populo: & ingressi sunt, & faciebant opus in domo Domini exercituum Dei sui. De hac instauratione per Esaiam dicitur: Ædificabunt, inquit, deserta sæculorum, & ruinas antiquas erigent, & instaurabunt ciuitates desertas, & dissipatas. De hac iterum dicitur: Ecce ego conuertam conuersionem tabernaculorum Iacob, & tectis eius miserebor; & ædificabitur ciuitas in excelso suo, & templum iuxta ordinem suum fundabitur. Ad huius itaque spiritualis templi non ambigitur pertinere structuram, quisquis ad honorem Dei omnipotentis, exteriorem quoque satagit ædificare basilicam.

Aggæi 1. v. 14.

Esa 61. v. 4.

Hier. 30. v. 18.

B. Alphanus Archiep. Salern.

Porro autem, vt ad explendum, quod bene cœpisti, non exhortatio sola verborum, sed & ostensum diuinæ virtutis te prouocet signum; Alphanus Salernitanus Archiepiscopus, vir videlicet verax, ac prudens, in Constantinopolitana se perhibet Vrbe didicisse, quod retulit: Contigit, inquit, Imperatorem, cuius tamen vocabulum non tenebat, aliquando plagam cæcitatis incurrere, cui nulla medicinalis industriæ cura potuit subuenire. Cumque periculum hoc humano studio nullatenus potuisset euadere, aggressus est hoc apud Deum fusis precibus impetrare. Audiuit itaque per somnium, quia si B. Laurentij martyris Ecclesiam peteret, reparati luminis claritatem diuinitus obtineret. Iturus itaque Romam offert votum, iubet parari præsto nauigium, fixum statuit arripiendi protinus itineris institutum. Vxor autem dum paruulis adhuc filijs amissionem formidat Imperij, dum sibi Regiæ dignitatis occasum, dum marini discriminis metuit viro periculum, religiosæ fraudis aggreditur argumentum. Dedit ergo remigibus hoc mandatum, vt nullatenus Romam recta progressione contenderent; sed per diuersos portus, ac litorum stationes subsistendo, ac reprimendo nauigium, iter tantummodo simularent. Sed dum nautę Regem, vt edocti fuerant, varia locorum nomina permutando, deludunt: ac modo in anteriora procedunt, modo per sinuosos flexus, atque reflexus in eadem loca, per quæ processerant, relabuntur; Regina latomorum, ac cæmentorum adhibita multitudine, augustissimam, ac valde mirificam in honorem B. Laurentij construxit Ecclesiam: iuxta mensuram videlicet illius basilicæ, quam præfatus Martyr habet in ipso Romæ suburbio constructam. Dicebat enim: si datum est, vt per B. Laurentium vir meus redeat ad salutem, quidquid Deus Romæ potest, & hic nihilominus potest. Sed dum hinc Imperator per diuersos anfractus, ac stationes litorum spatiando deducitur, illinc per plurimos

Imperatori visus restituitur vxoris pietate in S. Laurētiū mart.

mos artifices operum basilica fabricatur: simul & fabrica mirifice decorata perficitur, & annus impletur. His igitur hoc modo peractis, præfatus Princeps ad mœnia Constantinopolitana reducitur, qui tamen Romam esse, socijs ita perhibentibus, arbitratur. Prouisum est itaque, ac diligétius accuratum; vt nulli, nisi Latine loquentes, assisterent: qui videlicet inquirenti Romam, & B. Laurentij martyris adesse basilicam, suaderent. Ad manus itaque ductus, Ecclesiam Imperator ingreditur, & confestim luce recepta, circumstantes sese conspicere; coniugem, clientes, atque domesticos admiratur.

Venerabili Desiderio Casinensis Rectore cœnobij referente, didici, quod his apicibus annotare curaui: Sanctimonialis, inquit, quę Bella vocabatur, in monasterio B. Petri Apostoli, quod intra mœnia Beneuentanæ vrbis situm est, deguit: quæ dum aduixit, religiosæ vitę tramitem non reliquit. Porrò dum esset desponsata, iuxta natales suos, conspicui germinis viro; vt cælestem susciperet Sponsum, contempsit carnale coniugium. Nuptialium itaque tabularum fœdus abrupit, & monachicum susceptura velamen, ad perpetuę virginitatis Auctorem, & incontaminatæ pudicitiæ thalamos conuolauit. Ab istis igitur rudimentis sanctæ conuersionis districtioris vitæ se lege constrinxit, omnemque carnalis illecebræ molliciem sublimis intentionis pede conculcans, rigidæ seueritatis censura longe aliter educatum corpus edomuit: adeo vt in nudo pauimento membra ieiunijs sæpius attenuata collideret: nullumque sibi, præter solam humum, lectisternium prouideret. Sed, vt de vita huius interim taceam, quod de magistra sua, Offa nomine, quę videlicet eam in sanctimonialis ordinis religione genuerat, & nobiliter educauerat, retulit, breuiter expedire contendam: Ait enim, quia dum nocturno silentio ex more maturius surgeret, & orationibus crebris insistens, sacrosancta altaria cum odore succensi thymiamatis circuiret, quadam nocte thuribulum, sicut solebat, arripuit; ad locum, vbi thus reponebatur, accessit: sed casu quodam, siue collapsam, siue sublatam hanc, sicut sperauerat, speciem non inuenit. Huc accessit, quia vis ventorum quæ tunc inclementius inhorruerat, radiantis lucernæ lumen extinxit. Cumque sollicito spiritu religiosa mulier huc, illucque discurreret: & odoramentum, quod thuribulo superponeret, nullatenus inueniret; repéte quidam inter ipsas tenebras venit, & in manum eius thymiama, quod quærebat, immisit. Quod nimirum per Angelum potuisse fieri, non incongrue possum opinari. Aiebat etiam, quia prædicta mater sua, dum in eo, quo paulò post obijt, depressa languore, decumberet, cernentibus his omnibus, qui coram lectulo propius assistebant; mirabile visu, repente toto corpore sit in aërem subleuata, ibique diu librata perstitit, donec cœptæ orationis vota persoluit. Quæ postquam fæliciter obijt, sanctum corpus eius intra Ecclesiam est sepultum. Super cuius tumulum saccum frumento plenum, rusticus posuit: quem protinus vehementissimo propulsum tur-

Desiderius Abb. Casin. qui & B. Victor III. Papa.

Bellæ sanctimonialis sanctitas.

Offæ item eius magistræ.

Offa sanctimonialis odoraméta perdita per Angelum recipit.

bine, diuina virtus abiecit. Sic itaq; rudis, & imperitus rusticus, sua de puluere coactus est frumenta colligere, dum sancti corporis vasculo dignam noluit reuerentiam exhibere. Cum . . . .

Cætera desunt in MSS.

EPIST. VI. Ad G. virum nobilissimum.

ARGVMENTVM.

Hac Epistola B. Petrus Dam. consolatur ægrotum. Consolationis vero caput est quia tribulationes electis Dei seruis diuinæ prædestinationis sunt signa: quod probat multis, ac præcipue auctoritate S. Iacobi. Monet deinde, vt sedulo caueat à desperatione. Tandem ostendens S. Pauli testimonio, debere nos in ærumnis lætari, ad passionum tolerantiam hortatur.

Domno G. nobilissimo viro, Petrus peccator Monachus fraternæ charitatis obsequium.

ROgasti me, dilectissime, vt consolatoria tibi per Epistolas verba transmitterem: & amarum animum tuum inter tot flagella, quæ pateris, blandis admonitionibus obdulcarem. Sed si prudentię tuæ ratio non obdormiat, præsto est consolatio: cum & ipsa verba ad hereditatem capessendam, te diuinitus erudiri, vt puta filium, indubitanter ostendant. Quid enim apertius eo, quod dicitur: Fili, accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem? Vbi enim timor est, & iustitia, aduersitatis cuiuslibet tentatio, non seruilis est tortura, sed paterna potius disciplina. Vnde & B. Iob inter ipsa verberum flagella, cum diceret: Qui cœpit, ipse me conterat, soluat manum suam, & succidat me; protinus addidit: Et hæc mihi sit cōsolatio, vt affligens me dolore, non parcat. Magna quippe electis Dei est consolatio ipsa diuina percussio: quia per momentanea flagella, quæ perferunt, ad nanciscendam supernæ beatitudinis gloriá, firmæ spei gressibus conualescunt. Sicut enim Scriptura testatur: Non iudicat Dominus bis in idipsum. Praui autem quique, qui se inter verbera ipsa non corrigunt, & si post vitæ huius aduersa, flammis traduntur vltricibus, nequaquam bis iudicantur: quia duplex eorum contritio sic iusto Dei iudicio continuatur, vt hic cœpta, illic infælicius expleatur. Sed sicut duris, & obstinatis flagella gehennalium sunt tantummodo primitiæ tormentorum: sic profecto bonis, & rectis corde eadem flagella cælestium sunt materia præmiorum. Ad hoc enim aurum malleus tundit, vt scoriam faber eijciat: ad hoc lima frequenter eradit, vt vibrantis vena metalli rutilantius enitescat. Vasa siquidem

Eccli. 2. v. 1.

Iob. 6. v 9.

Electis ipsa percussio est consolatio.

Nahum. 1. v. 9

Malis flagella sunt primitiæ tormentorū, bonis materia præmiorum.

figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. Vnde & per Beatum Iacobum dicitur: Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis. Illis quippe iure gaudendum est, quibus & pro malis suis hic afflictio temporalis infertur: & pro bonis, quæ gesserant, præmia in cælo sempiterna seruantur. Fælix sane commercium pressuris hic temporalibus atteri, & in illa postmodum perpetuæ lucis amœnitate lætari: carnis nunc subiacere molestijs, & ad Angelicæ postmodum transferri gloriam dignitatis. Vbi nimirum non languor quemlibet aggrauat, non tremula senectus incuruat, non amissarum rerum damna discrutiant, non acquirendarum æstus inflammat: sed flos perpetuæ iuuentæ viget incolumis, & sic conspicua beatè viuentium species incorruptibiliter vernat: vt viua venustatis gratia iugiter in sua viriditate permaneat: & cum ad nutum cuncta pro desiderijs affluant, non amittendi sollicitudo perturbat, vbi sine fine fruendi securitas perseuerat. Quapropter, charissime, & dulcissime frater, dum verberibus cingeris, dum cælestis disciplinæ tunsionibus castigaris, non mentem desperatio deprimat, non querela murmurationis erumpat, non tristitiæ mœror absorbeat, non impatientem pusillanimitas reddat: sed semper serenitas in vultu, hilaritas in mente, gratiarum actio resultet in ore. Laudanda quippè diuina est dispensatio, quæ ad hoc suos temporaliter verberat, vt perpetuis eos flagellis abscondat: ad hoc premit, vt eleuet, ad hoc secat, vt sanet: ad hoc deijcit, vt exaltet. Qui enim bona agit, & mala suscipit, quidquid sibi iustæ retributionis in terra sub[...]hitur, hoc illi in cęlo multiplicius cumulatur. Porrò autem medici corporum, quos desperant, ad percipienda passim quæque petierint, alimenta relaxant: at quos erigendos esse conijciũt cuncta eis noxiæ delectationis edulia minaciter interdicunt: antidota insuper, & amara propinãt: vt per amaritudinis haustum ad incolumitatis dulcedinem conualescant. Quid ergo mirum, si medicus animarum omnipotens Deus & quos perpetuæ morti cernit obnoxios, viuere delectabiliter sinat: & quos ad vitam eligit, sub districta seueritatis suæ lege constringat? Nam & animalia, quæ in proximo mactanda disponimus, indulgentius victitare permittimus, & largiora illis alimenta præbemus; eorum vero penuriam, & maciem paruipendimus, quæ ad vsum seminis, & ad propagandam sobolem reseruamus. Vites quoque, & quæque fœcundæ arbores putationibus iacent: steriles autem, & quæ ignibus sunt tradendæ, ramis euagantibus, quo liberius, eo diffusius patent. Noli itaque huius vitæ fælicitatem prauis hominibus inuidere, sed condole: immo quia ipsi non dolent, potius ingemisce. Qui nimirum, velut bruta animalia ad macellum, edendo properant, ad gladium lasciuiendo festinant. De tuis autem pressuris, atque molestijs gaude, & totis in Domino visceribus gratulare: quia qui nunc, vt ita fatear, pœnarum inanium leuitate depri-

Eccli. 27. v. 6.
Iacob. 1. v. 2.
Momentaneã tribulanione ęternum præmium acquirimus.
Quid nobis in tribulationibus prçstandum.
Cur Deus suos hic affligat.
De improborum fælicitate dolendum.

meris, remunerandus postmodum, pretiosi auri pondera reportabis: Paulo videlicet pollicente, qui ait: Id enim, quod in præsenti est momentaneum, ac leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Scrutare simpliciter Apostolica verba, & studiose considera: quia quidquid pateris, momentaneum est, & leue: quatenus & quod leue dicitur, æquanimiter feras: & quod momentaneum est, quantocyus euolare confidas. Nec illud etiam te prętereat, quam congrue, quam accurate diuina sibimet verba respondent: vt ad id, quod tribulationis momentaneum, & leue pręmiserat, mox æternum glorię pondus reddendo, subiungat. Perpende igitur, & inuicem confer, tribulationem, & gloriam; momentaneum, & ęternum, leue, & pondus. Gaude ergo, & exulta, quia quod tribulationis substines, momentaneum est, quod gloriæ præstolaris, æternum est. Leue est omne, quod toleras: pondus est, quod expectas. Gaude, inquam, pro tribulatione gloriam; pro leuitate pondus: pro momentaneo recepturus ęternum. Inter pressuras igitur, & ærumnas, ad illum semper oculos erige, qui paratus est post flagella, dulcedinis suæ gremio confouere: qui te post turbines, & procellas in supernæ quietis amœnitate constituet, & ab oculis tuis lacrymas linteo perpetuæ consolationis absterget. Absterget enim Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum. Illud etiam Apostolicum assidua meditatione reuolue, & inter flagella positus, totis in Domino visceribus gratulare: Non solum, inquit, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. His igitur, alijsque Scripturæ diuinæ testimonijs, dilectissime, mentem ad patientiam robora, & gaudium post tristitiam lætus expecta. Ad illud te gaudium spes erigat, charitas feruorem accendat: vt obliuiscatur mens bene ebria, quod extrinsecus patitur: & ad hoc gliscat, & tendat, quod interius contemplatur.

2. Cor. 4. v. 17.

Glorię cælestis spes patientiam generat.

Apoc. 7. v. 17. & 21. v. 4.

Rom. 5. v. 11.

EPIST. XV. Ad Attonem legum doctorem.

ARGVMENTVM.

Attonem quemdam professione iurisconsultum, qui cum Deo se dicatum reliquum vitæ in monasterio acturum verbis conceptis pollicitus esset, fidem impie præstare recusabat: periuriumque suum cauillationibus quibusdam (vt huiusmodi solent homines) & captiosis argumentorum laqueis defendere nitebatur; à tam nefario facinore deterrere conatur, & culpæ magnitudine, & pæna ante oculos proposita.

Attoni causidico, Petrus peccator Monachus salutem in Domino.

Constat te, vir illustris, Domini Mainardi Abbatis manibus sponte commissum, & pro cęlesti desiderio monachicum deuouisse propositum: nunc autem mēte mutata, sicut dicitur, non modo votum violare disponis, sed & id fieri posse, per multas argumētorū versutias cauillaris. Hinc est, quod eumdem Abbatē hoc conspuisse iurgio stomachatus assereris: ostende, inquiens, mihi authenticæ Scripturæ sententiam, qua me, vel mundo digne calumnieris abstractum, vel monasticæ regulæ iure fatearis obnoxium. Vt igitur legis perito viro in primis de forensi iure respondeam, Romanis legibus cautum est: vt quod semel à dante conceditur, nullo modo reuocetur. Cum ergo hæc apud homines iubeatur forma seruari, quanto magis apud Deum debet inuiolabiliter custodiri? Homo itaque non amittit, quod semel accepit; Deus autem possessionis suæ iure fraudabitur? Terrenæ militiæ Duces eos sibi qui militiam professi sunt, vindicant: nos in diuini procinctus arma iuramus, caracterem nobis militiæ cælestis imprimimus, & notam nobis inurere transfugij non timemus? Dedisti Deo non aurum, non equum, non denique alienum, quod extra te, sed temetipsum, & nunc subtrahere niteris? Quam ergo mercem vice tui Domino permutabis? Quam enim commutationem dabit homo pro anima sua? Quamquam Moyses in lege præcipiat: Homo, inquit, qui votum fecerit, & spoponderit Deo animam suam, sub æstimatione dabit pretium: Vbi solerter attendendū est, quod paulo inferius subinfertur: Omne, quod Domino cōsecratur, siue homo fuerit, siue animal, siue ager, non vendi, nec redimi poterit, quidquid enim semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino. Audi etiam, fili mi, quam terribilem in te sententiam vir Sapiens manifestè depromat: Initium, ait, superbiæ hominis, apostatare à Deo, quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor eius: quoniam initium omnis peccati est superbia: qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, & subuertet eum in finem. Ergo, frater mi, iuxta consilium eiusdem Sapientis, Conuertere ad Dominum, & relinque peccata tua: precare ante faciē Dei, & minue offendicula, vbi præsto subiungit: Reuertere ad Dominum, & auertere ab iniustitia tua: & nimis odito execrationem, & cognosce iustitias, & iudicia Dei, & sta in sorte propositionis, & orationis altissimi Dei. Illud etiam eiusdem viri te non prætereat: Non impediaris orare semper, & non verearis vsque ad mortem iustificari: quoniam merces Domini manet in æternum. Illud etiam non obliuiscaris: Non tardes conuerti ad Dominū, & ne differas de die in diem: subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Ecclesiastes etiam dicit: Memento Creatoris tui

Promissum reuocare non licet.

Dei vota, ac promissa violare nefas est.

Matt. 16. v. 26
Leuit. 27. v. 2.
Ibidem. v. 28.
Eccli. 10. v. 14.
Eccli. 17. v. 2?
Ibid. v. 23.
Eccli. 18. v. 22.
Eccli. 5. v. 8
Eccl. 12. v. 1.

in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ, & appropinquent anni, de quibus dicas, non mihi placent. Obtulisti temetipsum Deo, & factus refuga subtraxisti? Deum itaque puerum, & te facis ouum. Nam dum te sibi prius oblatum conaris, quasi ludendo, subducere, videris eum velle velut puerum obgannire. Nolite errare, Deus non irridetur: quæ enim seminauerit homo, hæc & metet. Deludis Auctorem, offendis mendatio veritatem. Porrò, cum Deus sit proculdubio veritas, nullo magis offenditur vitio, quam mendacio. Audi itaque quid in Deuteronomio per Moysen Dominus dicat: Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus: & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum: si nolueris policeri, absque peccato eris, quod autem semel egressum est de labijs tuis, obseruabis, & facies, sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo locutus es. Immò perpende insuper, & hæc quam formidolosa sententia sit, quam per Euangelium Dominus intonat, dicens: Nemo mittens manum suam in aratrum, & respiciens retro, aptus est Regno Dei. Spopondisti, & sponsionem violare non metuis? Vouisti, & votum soluere negligis? Cum Psalmista dicat: Vouete, & reddite. Salomon etiam in Prouerbijs, Fili mi, inquit, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam: illaqueatus es verbis oris tui, & captus proprijs sermonibus tuis. Si ergo manum suam apud extraneum ille defigit, & reddēdæ pro eo rationi sese obnoxium facit, qui pro amico spoponderit: quanto magis tu raciocinium Deo debes, qui non pro alieno, vel extraneo spopondisti, sed temetipsum Deo specialiter obtulisti? Cœpisti quidem diuini amoris igne feruescere, cum te decreuisti militiæ cælestis obsequio mancipare: ardere scilicet per spiritum cœpisti, sed per degenerē carnis ignauiā tepuisti. Vnde per Apocalypsim Ioannis sententia hæc in te diuina dirigitur, cū torpens animus tuus à sancto proposito reuocatur: Vtinā frigidus esses, aut calidus: sed quia tepidus es, & nec frigidus, neque calidus, incipiam te emouere ex ore meo. Sane præterquā cibus euomitur, nulli prorsus vsui cōgruus iudicatur. Tu vero & in Corpus Christi tāquam suauę refectionis epulum traiecisti, dum obseruandis eius excubijs te per astipulationis, & commissionis indicium tradidisti: nunc autē, proh dolor! quasi fastiditus euomeris, dū votum sponsionis infringere, ac violare conaris; non attendens, quod in libro Numeri per Moysen Dominus ait: Si quis virorum votū Domino vouerit, aut se constrinxerit iuramento, non faciet irritū verbū suum, sed omne, quod promisit, implebit. Et quidem in cōspectu hominū laicus es per paludamēti, ac sęcularis habitus speciem; sed in Dei omnipotētis obtutibus à Monacho cecidisti per violatam sacri propositi sponsionem. Corā hominibus stare conspiceris, sed in conspectu Domini cecidisti. Nam, quod tibi fuerat ante cōmissionem licitum, de cætero tibi licere non poterit, dum à melioris pro-

Qui vota non perficit, Deū videtur irridere.

Galat. 6. v. 7

Deut. 23. v. 21.

Luc. 9. v. 62.

Psal. 75. v. 12.

Prou. 6. v. 1.

Apoc. 3. v. 16

Quomodo a Dei ore euomamur.

Num. 30. v. 3.

positi deliberatione succũbis. Sed quia mihi forte non credis, meisque sermonibus fidẽ adhibere contemnis: beatus saltẽ tibi Greg. Papa sufficiat, qui hoc in tertia expositionis homilia super Ezechielem per hæc eadem, quæ supponimus, verba declarat: Sunt, ait, nonnulli, qui bona quidem, quæ nouerunt, operantur, atq; hęc operantes meliora deliberant: sed retractantes meliora, quæ deliberauerant, immutant. Et quidem bona agunt, quæ cœperant: sed à melioribus, quæ deliberauerãt, succumbunt. Hi nimirũ ante humana iudicia stare videntur in opere, sed ante omnipotentis Dei oculos ceciderunt in deliberatione: Vnde fit plerũque: vt & bonũ opus eorũ minus placeat Deo: quia cum per mentis deliberationem in meliori gradu inconstanter ponitur, hoc ipsum cogitationis incõstantia accusat. Sed quia perfecti quique magna se discretionis subtilitate conspiciunt, ne ad deteriora vnquam, vel in opere, vel in cogitatione delabantur: & quantũ quotidie proficiant, incessanter pensant, recte de his dicitur: Non reuertebantur, cum incederent: sed vnũquodque ante faciẽ suam gradiebatur. Tu autem te, mi frater, è contra retrogradum exhibes, dum non cũ sanctis animalibus ante faciem tuã graderis, sed ridiculose post tergũ redire conaris. Nec illud aduertis, quod per Esaiam Dominus dicit: Væh genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis: dereliquerunt Dominũ, blasphemauerunt sanctum Israël, abalienati sunt retrorsum. De quibus & Hieremias: Facti sunt retrorsum, & non ante. Perpende ergo, quia qui retrorsum abalienatur in semine nequaquam & inter sceleratos filios ponitur: illos scilicet, qui nõ cum benedictione dignis in hæreditatis iura succedunt, quibus dictũ est: In hoc vocati estis, vt benedictionem hæreditate possideatis: sed cum eis potius, qui sententiã perpetuæ maledictionis incurrũt, quibus vtique dicitur: Maledicti, qui declinant à mandatis tuis. Expedire te cœpisti, frater, de laqueis huius perniciosi, ac deceptoris mundi, & festinare ad dulcedinem Dei; nunc disponis à Deo recedere & mundi te rursus laqueis implicare? Contra quod Petrus ait: Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitionem Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi, his rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis nõ cognoscere viã iustitię, quam post agnitionem, retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato. Contigit enim eis illud vere prouerbium Canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti. Porrò sicut per Prophetam dicitur: Quam durum, & amarum est dereliquisse te Dominum Deum tuum. Iterumque de te, tuisque similibus: Me, inquit, dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quę continere non valent aquas. Quo contra Paulus admonet, dicens: Videte, fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malũ, incredulitatis, discedendi à Deo viuo, & vero. A Deo plane non receditur gradibus pedum, sed prauorum perpetrationibus operum. Et cũ à celsioris pro-

S. Greg. hom. 3. lib. 1. sup. Ezech.

Bona operã fidem frangentium, Deo minus placẽt.

Ezech. 1. v. 9.

Esa. 1. v. 4

Hier. 7. v. 24.

1. Pet. 3. v. 9.

Psal. 118. v. 21.

1. Pet. 2. v. 20.

Prou. 26 v. 11.

Hier. 2 v. 19.

Ibid. v. 13.

Hebr. 3. v. 12.

Quomodo, & quando a Deo recedamus.

positi sublimitate corruitur, tunc à Deo, qui est vertex, & cardo bonorum omnium, infælix anima separatur. Non sufficit tibi, quia sacri ordinis sponsionem violata fide conaris infringere, nisi & eiusdem peruersæ defensionis audaciam velis, & in alios friuolis quibusdam argumentationibus propagare. Dogmatizas enim, vt arbitror, quia licet quispiam manibus se committat Abbatis, & sacrum polliceatur subire propositum, non prohibeatur huiusmodi sponsionis violare promissum. Ex quibus profecto assertionibus hęresis oritur, nisi conatus iste tuus quantocyus reprimatur. Neque enim mox, vt quis in hæresim labitur, iure protinus hęretici vocabulo denotatur: sed ille dumtaxat hęreticus merito dicendus est, qui tuetur errorem, qui defendit abominabilis perfidiæ prauitatem. Præterea, nec ab re esse credimus, si vel pauca de sacris canonibus exempla ponamus; quatenus ex diuersis auctoritatibus euidenter appareat, quantus auersioni tuæ reluctantis iustitię murus obsistat; vt oberrantibus inconstantiæ tuæ vestigiis nullum pateat prorsus aufugium: sed quocumque te verteris, auctoritatis te lora cohibeant, prauisque conatibus concorditer, atque ideo valenter obsistant. Et dum per anfractus oberrare contendis, obicibus vndique circumpositis, inuitus ad recti tramitis lineam reuertaris. Attende igitur, quid statuerit Chalcedonense Concilium: Qui Monachorum, inquit, vitam expetiuerunt, statuimus, neque ad militiam, neque ad dignitatem aliquam venire mundanam. Sed hoc tentantes, & non agentes pœnitentiam, quominus redeant ad hoc, quod propter Dominum primitus elegerunt, anathematizari. Audi nihilominus, & Leonis Papæ decretum: Propositum Monachi proprio arbitrio, aut voluntate susceptum, deseri non potest absque peccato. Quod enim quis vouit Deo, debet reddere. Vnde, qui relicta singularitatis professione, ad militiam, vel ad nuptias deuolutus est, publicę pœnitentię satisfactione purgandus est: quia & si innocens militia, & honestum esse potest coniugium, electionem tamen meliorem deseruisse, transgressio est. Monachi plane propositum proprio tunc arbitrio suscepisti, cum ad monachicum te transiturum ordinem spopondisti. Hinc est, quod egregius ille vir non ait, quod induit, quis non debet exuere; sed potius ait, quod vouit Deo, debet reddere. Vt euidenter edoceat, quoniam & vouere, est suscipere: & votum frangere proculdubio sacrum propositum violare. Hinc est, quod postmodum non dicit, sacrum habitum deseruisse: sed electionem, inquit, meliorem deseruisse, transgressio est. Hinc est etiam, quod in Toletano Concilio repetitur: Monachum autem paterna deuotio, aut propria professio facit, quidquid horum fuerit, † allegatum tenebit. Proinde his ad mundum reuertendi recludimus aditum, & omnes ad sæculum interdicimus regressus. Sed iam ab his supersedendum est, nedum propositionem nostram pluribus nitimur Scripturarum testimonijs allegare, videamur in epistolari compendio lacinias texere. His igitur tantisper instructus

Hæreticus quis nam dicendus.

Conciliorum decretis religiosæ vitæ propositum relinquentes, damnantur.

Chalced. Cōcil. Act 15. Can. 7. Leonis PP. epi. 90. ad Rusticū Narbon. Ep. apud Grat. 20. q. 3. Propositum.

Conc. Tolet. 4. Can. 48. † f. alligatum.

exemplis,

exemplis diligenter attende, quam plectibilis sit excessus, sponsionem sacri ordinis violare. Quamobrem, dilectissime fili, venenata male blandientium contemne consilia: perniciosa, vel potius mortifera suadentium ridendam perhorresce veniam, & à sibilis antiqui serpentis aures obtura. Sacrum, sicut pollicitus es, non tardes adire propositum; vt non cũ his, qui apostatati sunt, subruaris, quod absit, in pœnam; sed cũ his potius, qui Apostolicam tenuere doctrinam, porrigente manum Christo, quandoque proueharis ad gloriam.

EPIST. VIII. Ad Bonum hominem legis peritum Cænatensem.

ARGVMENTVM.

Hortatur, vt dum secundis rebus vtitur, non præsentis vitæ bona fluxa, & caduca: sed quæ post mortem, æterna futura sunt, assidua cogitatione perpēdat. Præsertim vero extremi iudicij diem ante oculos proponat, in quo & vniuersæ molis huius ruinas: inexorabilis Iudicis rigorem; pœnas hominum sceleri præparatas; seras, ac inanes hominum pœnitentias sæpe sæpius meditetur. Amplificat id multis & Prophetarum, & sanctorum Patrum auctoritatibus. Tandem concludit iterum hortans, vt quas ex Prophetarum & Patrum voluminibus sententias adduxerit, eas in dies meditetur: efficacissimum proinde remedium existimans ad animi vulnera, plagasque sanandas.

Domno Bonohomini prudentissimo iudici, Petrus peccator Monachus fraternæ vinculum charitatis.

NOn ignoro, quia cum mea Epistola Grammaticorum sæcularium manibus traditur, mox vtrum adsit artificiosi styli lepor, attenditur, rhetoricæ venustatis color inquiritur, & captiosos syllogismorũ, atque enthymematum circulos mens curiosa rimatur. Aucupatur nimirum scientiam, quæ inflat; charitatem autem, quæ ædificat, non miratur. Sed iuxta Salomonem: Verba seruorum Dei debent esse quasi stimuli, & quasi claui in altum defixi. Quæ profecto verba iccirco clauis & stimulis comparantur; quia vitam carnalium acutis solent inuectionibus pungere, non malè blandæ delenificę assentationis vnctione palpare. Mea igitur grammatica Christus est, qui homo pro hominibus factus est: & in ipso quidquid potest fratrum meorum ædificationi consulere, hoc solum mea nouit Epistola redolere.* Quapropter, charissime

1. Cor 8. v. 1. Eccles. vlt. v. 1.

Sanctorum verba cur stimulis similia. Sancti viri aliorum potius ædificationi student, quã legibus grammaticorum.

† De die iudicij eadem habentur Ep. 5. lib 4 suprà totidem ferè sententiis & verbis expressa.

frater, nunc tibi dum mundus arridet, dum carnis sanitas feruet, dum prosperitas terrena demulcet, quę post ista sequantur, excogita: & iam quasi transactis, quæ præsto sunt, illud prudentia vestra solerter examinet, quæ præsentibus futura succedant. Quæcunque ergo transitoria sunt altiori consilio iam transisse decerne, & velut ludificatoriæ illusionis somnium deputa: illuc mens tua recurrat, illuc sollicitos acuminis sui oculos dirigat. Quod postquam contigerit, transire non nouit: terribilé quoque vltimi iudicij dié iam in conspectus tui præsentia pone, & repentinum tantę maiestatis aduentum tremefactis visceribus retracta. Nec illum dié putes esse lóginquú, quem Propheta tanto ante nos sæculo vicinum, & veluti iam esset in limine, prædicabat, dicens: Iuxta est dies Domini magnus, iuxta & velox nimis: vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis: dies irę dies illa: dies tribulationis, & angustiæ: dies tenebrarum, & caliginis: dies nebulæ, & turbinis: dies tubę, & clangoris. Pensa, dilectissime, extremum dié Iudicij super corda reproború, qua asperitate vidit Propheta amarescere, quem tot appellationibus nó valuit explicare. Enimuero, vt taceamus nunc de illis numquam finiédis damnationis æternæ supplicijs, & tantummodo si solus ille vltimi diei terror, & horror, vt dignum est, studiosè discutitur, tota mundi huius deceptrix, & falsa fælicitas, ac silutum, vel infructuosa litoris alga iudicatur. Quem enim vox illa non terreat, quis non medullitus cótremiscat, cum audiat ipsum Dominum dicentem in Euágelio: Quia sicut fulgur exit ab Oriente, & apparet in Occidente: ita erit aduentus Filij hominis? Quis inquá, non expauescat: cum eadem Veritas dicat: Quia sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum: & stellæ cadent de cælo, Virtutesque cœlorum mouebuntur? De quo etiam Petrus ait: Adueniet autem dies Domini sicut fur, in quo cæli magno impetu trásiét, elementa vero calore soluentur. Et iterum dicit: Cæli autem, qui nunc sunt, & terra, eodem verbo repositi sunt: igni reseruati in diem iudicii, & perditionis impiorú hominum. Hinc & Iudas Apostolus ait: Ecce, inquit, veniet Dominus in Sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes: redarguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorú, quibus impiè egerunt: & de omnibus duris, quæ locuti sunt cótra eú peccatores impij. O si in palato cordis nostri sapere possit quantæ amaritudinis est, quod per Ioanné dicitur: Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt, & plangent se super omnes tribus terræ. Tunc dissoluentur renes eorum formidine, qui modo non timent: tunc replebuntur viscera eorum amaritudine, qui modo in carnalis illecebrę voluptatibus molliter iacent. Tunc enim sanguineas lacrymas effundentes, incipiét dicere montibus: Cadite super nos: & collibus, operite nos. Tunc enim non est quoquam cófugere: non est latibulum, vbi se quisquam valeat occultare: nimirum cum & inferni portæ panduntur, mors inimica destruitur: puluis, qui putruerat, id est, humana caro, audiens vocem tubę, viuificatur. Iá quos in gremio suo terra susceperat, quos aqua sorbuerat, quos edax

Soph. 1. v. 14.

Iudicij extremi cogitatione mundi fælicitas despicitur.

Matt. 24. v. 27
Ibid. v. 29.
2. Pet. 3 v. 10.
Ibid. v. 7.

Iud. c. vnico. v. 14.

Apoc. 1. v. 7.

Iudicij dies timendus.

Apoc. 6. v. 16.

Luc. 23. v. 30.

Resurrectio mortuorum.

flamma consumpserat, omnes quasi commissum sibi depositum reddunt, & vitæ absque vlla sui diminutione restituunt. Tunc enim terra concutitur, aër repentina tempestate turbatur, tonitrua perstrepunt, coruscationes, & fulgura humana pectora terrore confundunt. Deus enim manifeste veniet Deus noster, & non silebit: ignis in conspectu eius ardebit, & in circuitu eius tempestas valida: aduocabit cælum sursum, & terram: vt discernat populum suum. In die scilicet illa tremenda, cum Angelis, & Archangelis: cum Thronis, & Dominationibus: cum Principatibus, & potestatibus apparebit, cælis coruscantibus, terris ardentibus, cunctis etiam elementis in sui obsequij terrore commotis. Quem diem bene ille eximius prophetarum Esaias denunciat, dicens: Ecce dies Domini veniet insanabilis, dies furoris, & iræ: vt ponat orbem terræ desertũ, & peccatores perdat ex eo: stellæ enim cæli lumen suum non dabunt, & obscurabitur Sol in ortu suo: Luna vero non dabit lumen suum: & mandabo vniuerso orbi mala, & impijs peccatorum: & perdam contumeliam iniquorum, & arrogantiam superborum humiliabo: & erunt, qui relicti fuerint, pretiosi magis, quam aurum ab igne probatum: & homo pretiosior erit, quam lapis sapphirus. Cælum enim quatietur, & terra mouebitur a fundamentis suis propter furorem iræ Domini sabbaoth, in die, qua superuenerit furor eius. Sed & Malachias propheta consona his loquitur, dicens: Ecce veniet Dominus omnipotens, & quis substinebit diem aduentus eius, aut quis portabit conspectum eius? Quoniam ipse ingredietur ignem conflatorium, & sicut paleam ventilantium: & sedebit conflans, & purgans, sicut aurum, & sicut argentum. Et iterum dicit. Ecce dies Domini veniet ardens, vt clibanus, † vt curet eos: & erunt omnes alieni, & omnes, qui faciunt iniquitatem, vt stipulam incendet eos dies illa, quæ veniet, dicit Dominus omnipotens: & non relinquetur radix, neque palmes. Alius vero vir desideriorum ista dicit: Et ecce videbam, & Throni positi sunt, & Antiquus dierum sedebat: & indumentum eius sicut nix candidum, & capilli capitis eius sicut lana munda: Thronus eius ignis exurẽs, fluuius igneus currebat ante ipsum: iudicium constituit, & libri aperti sunt. Et paulo post, Et vidi, inquit, in visu noctis, & ecce in nubibus cæli Filius hominis veniebat, & vsque ad Vetustum dierum peruenit, & in conspectu eius oblatus est: & ipsi datus est principatus, & honor, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient: & potestas eius potestas æterna, quæ non transibit, & regnum eius non corrumpetur. Inhorruit spiritus meus, ego Daniel habitudo mea, & visiones capitis mei conturbabant me. Cum ergo hæc agi cœperint, pandentur sine dubio cæli portæ: immo potius ipsum cælum auferetur e medio tanquam si tabernaculi alicuius velamina colligantur; scilicet vt reparetur, & transformetur in melius. Tunc ergo omnia metus habebit, timorque, ac tremor implebit vniuersa: nimirum cum ille iudicet, qui teste non egeat, qui argumẽta non quærat, qui oratorẽ causę non postulet, sed his omnibus

Signa, quæ in die iudicij terrorẽ incutiẽt hominibus.
Psal.49.v.3.
Christi ad Iudicium aduẽtus qualis.
Esa.13.v.9.
Mal.3.v.2.
† & vret. f.
Mal.vlt.v.1.
Dan.7.v.9.
Iudicis sapiẽtia.

procul amoris, ipse & gesta, & verba, & cogitationes dijudicat, atque in medium collocat: & cuncta; veluti in tabulis quibusdam depicta, oculis eorum, qui commiserunt ea: atque omnibus, qui assistere videtur, ostendet. Quomodo igitur tūc commouebitur, & in metu erit vniuersa creatura? Hinc Esaias ait: Dies vltionis Domini, annus retributionis iudicij Sion: & conuertentur torrentes eius in picem ardentem: die, ac nocte non extinguentur in sempiternum. Quod beatus quoque Iob describit, dicens: Terram tenebrosam, & opertam mortis caligine: terrā miseriæ, & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Hinc & Propheta, Egedientur, inquit, & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati sunt in me; vermes eorum non morientur, & ignis eorum non extinguetur. Quid enim horribilius dici, quid cogitari potest, quam damnationis vulnera suscipere, & dolores vulnerum numquam finire? Hinc per Prophetam dicitur: Descenderunt ad infernum cum armis suis. Arma quippè peccantiū sunt membra corporū quibus peruersa desideria, quę concipiūt, exequuntur. Cum armis ergo ad infernum descendere, est cum ipsis quoque mēbris, quibus desideria voluptatis expleuerunt, æterni incendij tormenta tolerare. Paulus etiam dicit: In reuelatione Domini nostri Iesu Christi de cælo cum Angelis virtutis eius in flamma ignis dantis vindictā ijs, qui nouerunt Deū, & qui non obediūt Euangelio Domini nostri Iesu Christi, qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis eius. Et iterum: Terribilis quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios.

Esa.34.v.8. *Iob.10.v.22.* *Esa.vlt.v.24.* *Ezech.32.v.27* *2.Thess.1.v.8.* *Hebr.10.v.27*

Apud Iudicis maiestatem nullam excusationem habebunt peccatores.

Age ergo, cum ad illud vltimum iudicium venerimus, ab eo scilicet Iudice iudicandi, qui nec falli occultatione criminum potest, nec ad impunitatem promerendam muneris alicuius oblatione corrumpi: cum cœperint omnia secreta reuelari, & non solum actus, ac verba, sed etiam ipsæ cogitationes ostendi: quid faciemus sub tanti Iudicis maiestate? quid excusationis obtendere poterimus? qua nos defensionis arte purgabimus? quæ nobis subuentura est pœnitentia, quam in hac carne contempsimus? quæ nos defensura sunt opera bona, quæ in hac vita non egimus? ad quos Apostolos, aut ad quos alios Sanctos confugituri sumus, quorum exempla, simul ac verba despeximus? An fortè aliqua se fragilitas corporis excusabit? Sed excusationi eorum reclamabunt omnium exempla Sanctorum, qui fragilitatem carnis in carne vincentes, quæ fecerunt, vtique facere nos posse docuerunt: maximè quia cum nec ipsi peccato sua virtute, sed Domini miserantis auxilio, restiterunt: qui se & non quærentibus, vt quęratur: atque, vt in eum credatur, ostendit: & credentes se, ne à peccato vincantur, inuicta protectione defendit. Quid ergo responsuri sunt, si eis Dominus dicat: Si potuistis, quare non restitistis desiderijs peccatorum? si non potuistis, quare meum contra peccatum non quæsistis auxilium? aut vulnerati, quare pœnitendo, non

Sancti accusabunt peccatores.

Matt.22.v.13.

adhibuistis vulneri vestro remedium? Numquid ad hæc non obmutescent? Quid autem excusationis respondeant, non habentibus, dicit: Ligatis manibus, & pedibus mittite eos in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium. Consequens est, vt illic dentes strideant, qui hic de edacitate gaudebant. Pensandum ergo est, & summo studio reuoluendum, qui in illo die terror erit, cum in pœna iam remedium non erit. Quæ illi confusio, cui reatu suo exigente, continget in conuentu omnium hominum, Angelorumque erubescere. Quis pauor eum, quem & tranquillum mens humana non valet capere, etiam iratum videre? De quo bene per Esaiam dicitur: Exaltabitur autem Dominus solus in die illa, quia dies Domini exercituum super omnem superbum, & excelsum, & super omnem arrogantem, & humiliabitur, & super omnes cedros Libani sublimes, & erectas, & super omnes quercus Basan, & super omnes montes excelsos, & super omnes colles eleuatos, & super omnem turrem excelsam, & super omnem murum munitum, & super omnes naues Tharsis, & super omne, quod visu pulchrum est; & incuruabitur sublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum: & eleuabitur Dominus solus in die illa, & idola penitus conterentur: & introibunt in speluncas petrarum, & in voragines terræ, a facie formidinis Domini, & a gloria maiestatis eius, cum surrexerit percutere terram. Nunc peccata delinquentium videt, & tacet: tunc autem loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos, sicut ipse per Prophetam dicit: Tacui, inquit, semper silui, patiens fui, sicut parturiens loquar. Quisquis enim nunc terrenis commodis inhiat, quisquis lasciuæ carnis voluptatibus pascitur, tunc æternæ combustionis igne consumetur, & diuini furoris gladio deuorabitur. Vt enim Propheta dicit: In igne zeli Dei deuorabitur omnis terra, & in gladio eius omnis caro. Illic iam a Domino non potest mereri, quæ petit: qui hic noluit audire, quod iussit. A quibus enim diuina vox in hac vita despicitur, tunc falsa eorum humilitas cum precibus ante ianuam veniens, non auditur: sed dicitur illis: Nescio vos: ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Et iterum Dominus per Salomonem dicit: Vocaui, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret: despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis: ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id quod timebatis, aduenerit: cum irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit: quando venerit super vos tribulatio, & angustia: tunc inuocabunt me, & non exaudiam: mane consurgent & non inuenient me. In quo ergo confidimus? vbi spem adipiscendæ salutis habemus? nunquid in pecuniarum thesauris, quos in arca recondimus? numquid in diuitiarum affluentia, quas intrinsecus vacui, male exterius possidemus? Sed adi Iacobum Apostolum, quanti diuitias hominum faciat, quod meritum in terrenæ substantię

Christi aspectus in iudicio formidabilis.

Esa. 2. v. 11.

Psal. 2. v. 5.

Esa. 42. v. 41.

Sophon 1. v. 18.

Non exauditur in iudicio, qui Deum hic præcipientem aut vocantem non audierũt.

Matt 25. v. 12.

Ibid. v. 41.

Prou. 1. v. 24.

Iac. 5. v. 1.

possessione constituat: Agite, inquit, nunc diuites, & plorate, vlulantes in miserijs, quæ aduenient vobis: diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra a tineis comesta sunt; aurum, & argentum vestrum eruginauit, & erugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis: thesaurizastis enim vobis iram in nouissimis diebus. Et paulo post: Epulati estis super terram, & in luxurijs enutristis corda vestra. Eat nunc infelix homo, & fluxui carnalis illecebræ eneruiter cedat, quem postmodum barathrum gehennalis incendij pestilenter absorbeat: in cornibus se superbiæ nunc arroganter extollat, vt tunc in æterna morte constrictus immortaliter viuat. Quid enim prodest, si hodie satur eructet in conuiuio, & cras marceat fœtidus in sepulchro? Quid iuuat, si se hodie purpureis vestibus induat, & cras pauper, & nudus ad inferna descendat? Heu, heu! quid tunc dicent miseri, cum se viderint & bona temporalia irrecuperabiliter amisisse, & mala sibi perpetua ineuitabiliter imminere? Quæ tunc illis mens erit, cum viderint tempus acceptabile, & diem salutis penitus effluxisse: & illud tempus adesse, in quo nihil boni facere, nullum perditionis suæ remedium valeant inuenire? Quam amara eorum conscientia, quam flebilis eorum poterit esse querela! Tunc enim, sicut Salomon fatetur, flentes, & præ angustia spiritus gementes, dicent: Errauimus a via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis: lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia, aut quid diuitiarũ iactãtia cõtulit nobis? Transierunt omnia illa tamquã vmbra, & tanquã nuncius præcurrens, & tamquam nauis, quæ pertransit fluctuantem aquam, cuius, cum præterierit, non est vestigium inuenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus: aut tamquã auis, quæ pertransuolat in aërem, nullum inuenitur argumentũ itineris illius, sed tantum sonitus est alarum verberans leuem ventum, & scindens per viam itineris aerem, commotis alis transuolauit, & post hoc nullum signum inuenitur itineris eius: aut tamquam sagitta emissa in locum destinatum, diuisus aër continuo in se reclusus est, & ignoratur transitus illius; sic & nos nati continuo desiuimus esse, & virtutis quidem signum nullum valuimus ostendere, in malignitate autem nostra consumpti sumus. Talia dixerunt in inferno ij, qui peccauerunt; quoniam spes impij tamquam lanugo est, quæ a vento tollitur: & tamquam spuma gracilis, quę a procella dispergitur: & tamquam fumus, qui a vento diffusus est: & tamquam memoria hospitis vnius diei prætereuntis.

Ibid. v. 5.

Peccatorum dolor, atque confusio.

2. Cor. 6. v. 2.

Sap. 5. v. 6.

Iniqui viri in die iudicij seipsos accusabunt.

Spes impij qualis.

Idcirco autem, charissime, non tam mea verba, quam sacri eloquij tibi exempla propono; vt & si me rusticè loquentem, digne possit prudentia vestra despicere, vel Sanctorum testimonia diuinitus inspirata, non dedignetur audire. Has igitur, frater charissime, pluresq. alias sacræ Scripturæ sententias intra mentis tuæ armarium collige, quæ inter

falsas mundi diuitias salubrem tibi valeant formidinem generare. Vt enim Salomon ait: Beatus homo, qui semper est pauidus; qui vero mentis est duræ, corruet in malum. Legimus autem, quia nemo potest corrigere, quem Deus despexerit. Homo siquidem homini inaniter loquitur, si per semetipsum Deus interius non loquatur. Tu autem, charissime frater, secundum prudentiæ tuæ ingenium tibi diuinitus datum, vitam tuam subtiliter discute, facta tua semper ante oculos pone, Dei iudicium pertimesce: sicque te vndique sollicita prouisione circumspice, vt cum Iudex aduenerit, non dormientem, sed vigilantem: & non cum fatuis, sed cum prudentibus te valeat Virginibus inuenire; quatenus dum nunc ipse tuus iudex efficeris, nequaquam postmodum iudiceris: & tunc nihil omnino timeas, qui modo timere non cessas. Sed quoniam apud te plus forsitan proficio Deum precando, quam te prædicando, omnipotens Deus te, frater charissime, & nunc in viam iustitiæ misericorditer dirigat, & in tremendo suo iudicio cum Electis ad dexteram positis, partem habere concedat.

Formido iudicij in diuitijs salubris est.

Prou. 28. v. 14.
Eccles. 7. v. 14.

Quis nam securus erit in die iudicij.
Matt. 25. v. 10.

EPIST. IX. Ad Bonifacium Causidicum.

ARGVMENTVM.

Quam longissime inter se distent vera, & fucata felicitas, ostendit: itemque quantum humanarum scientiarum vanitates abhorreant ij, qui diuinæ sapientiæ dulcedine capiuntur. Proinde hortatur illum, ad quem scribit, vt omnino prophanis litteris, diuitijsq. & cæteris, quæ falso a mortalibus bona appellantur, nuncium remittere non potest: saltem illis, tamquam ancillis, & pedissequis, vtatur ad veram sapientiam, fælicitatemq. assequendam.

Prudentissimo viro Bonifacio, Petrus peccator Monachus indissolubile vinculum charitatis.

NOn ignoro, frater, quia cum mea Epistola sæcularium manibus traditur, mox eloquentiæ nitor curiose perquiritur: quam consequens sit dispositionis ordo, tractatur: vtrum rhetoricæ facultatis color eluceat, an & sententias argumenta dialecticæ subtilitatis inuoluant: quæritur etiam, vtrum cathegorici, an potius hypothetici, quæ proposita sunt, per allegationes ineuitabiles astruant syllogismi. Sed hæc & huiusmodi falerata ludibria ij, qui spiritu Dei viuunt, vt reuera friuola, & vana contemnunt: &, sicut Apostolus ait, arbitrantur vt stercora. Qui etiam locutum se esse discipulis perhibet, nõ humanæ sapientiæ verbis, vt non euacuetur Crux Christi. Et quam pulchra,

Humana eloquentia quam parui sit a viris sanctis.

quam vtilis, quam honesta locutio, quæ dum Auctorem suum vento vanæ gloriæ per arrogantiam inflat: Crucem Christi, quæ est mundi salus, euacuat. Tu itaque, dilectissime, in nostris litteris noli prurientem mordacis eloquij sperare salsuginem, noli accuratæ vrbanitatis quærere venustatem; ouina tibi simplicitas placeat, quæ ad Deum prouocat: non serpentina calliditas, quæ lethale virus instillat. Erat, inquit Scriptura, serpens callidior cunctis animantibus terræ. Nam & Dominus, qui inter semen mulieris, atque serpentis, infœderabiles inimicitias posuit, non serpentium, sed pastorem se esse ouium nominauit, & non ait: Serpentes mei; sed oues, inquit, meæ vocem meam audiunt, & ego agnosco eas, & vitam æternam do eis. Porro sapientes sæculi despicabilem iudicant simplicitatem seruorum Dei. Hinc est, quod Moyses dicit: Illicitum est Ægyptijs comedere cum Hebræis, & prophanum putant huiuscemodi conuiuium. Cur autem hoc? Declarat alibi, cum ait: Detestantur, inquit, Ægyptij omnes pastores ouium. Sicut enim Veritas dicit: Filij huius sæculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt. Et ideo serpentina illis calliditas placet, puritatem vero ouinæ simplicitatis abhorrent. Sed ait Dominus Petro: Si diligis me, pasce oues meas, pasce agnos meos. Numquid dicit: pasce vulpeculas meas, pasce dracones meos? Hoc autem iccirco dixerim, dilectissime, vt & tu caueas horridam serpentis astutiam, & sancta prudentia tua inter fatuitatem, & calliditatem sit mediè temperata. Vnde & Iacobus cum serpentinam excluderet sapientiam, dicens: Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica; paulo post quam sapientiam habere debeamus, subiungit: Quæ autem, inquit, desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis, iudicans sine simulatione. Hinc & Paulus ait: Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. De immoderata quippe sapientia per Esaiam dicitur: Peribit sapientia à sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur. Væh qui profundi estis corde, vt a Domino abscondatis consilium, quorum sunt in tenebris opera, & dicunt: Quis videt nos? & quis nouit nos? Per eumdem quoque Prophetam talis sapientia deridetur, Vbi est, inquit, litteratus? vbi legis verba ponderans? vbi doctor paruulorum? populum imprudentem non videbis, populum alti sermonis; ita vt non possis intelligere disertitudinem linguæ eius, in quo nulla est sapientia. Quid autem distet inter spiritualem sapientiam, terrenamq. prudentiam, alibi discernit, cum dicit: Quia non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Et iterum: Prudentia huius mundi inimica est Deo: Legi enim Dei nō subijcitur: nec enim potest. Hinc est, quod, sicut in libro Genesis dicitur, quinque Reges, qui subesse noluerūt Chodorlahomor, a quatuor Regibus superati sunt. Et vbi? in

Marginalia: Philip. 3. v. 8. 1. Cor. 1. v. 17. Gen. 3 v. 1. Ibid. v. 15. Ioan. 10. v. 27. Sapientibus sæculi despicabilis est simplicitas seruorum Dei. Gen 43. v. 32. Gen 46. v. 34. Luc 16. v. 8. Ioan. 21. v. 17. Iacob. 3. v. 15. Sapientiæ cælestis conditiones. Ibid. v. 17. Rom. 12. v. 3 Esai. 29. v. 14. Esa. 33. v. 18. Discrimen inter sapientiam spiritualem, & terrenam. 1. Cor. 1. v. 21. Rom 8 v. 7. Gen. 14. v. 3.

in valle Siluestri, quę nunc est mare salis. Qui sunt enim quatuor Reges, nisi quatuor virtutes, quas Scriptura sacra nominat principales? Quid vero per quinque Reges, nisi totidem sensus corporis, ac per eos exterior scientia designatur? Sicut autem illæ quatuor virtutes velut ex originali matris suæ, rationis scilicet fonte, procedunt; sic isti in terrenæ sapientiæ vanitate, velut in conualle salsuginis, immorantur: ibiq. a suis hostibus sunt prostrati; quia dignum est, vt in anima omnis spiritualis sapientia vincat, & carnalis prudentiæ calliditas pereat. David legitur: Quia fecit sibi nomen, cum reuerteretur capta Syria, in valle salinarum, cęsis duodecim millibus. Verus enim David Christus, fortis scilicet viribus, & pulcher aspectu, in valle salinarum duodecim millia hominum strauit; quia per Apostolos suos de salsa, immo falsa huius mundi sapientia triumphauit. Qui enim duodecim spiritualis prælij bellatores habuit, quasi totidem per eos hominum millia trucidauit, dum stulte sapientes a friuolæ sapientiæ vanitate cóuertit. Quorum videlicet bellatorum vnus ad Corinthios dicit: In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus: nam arma militiæ nostrę non carnalia sunt, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum, consilia corporis destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Porro autem sicut cęlestis sapientia cælestes facit, & legitimos Ecclesiæ filios; ita terrena prudentia terrenos reddit, & spurios. De quibus per Baruch dicitur: Filij quoque Agar, qui exquisierunt prudentiam, quæ de terra est, negotiatores terræ, & Themam, & fabellatores, & exquisitores prudentiæ, viam sapientiæ nescierunt, neque meminerunt semitarum eius. Sęcularem ergo prudentiam assequi cupientes, & spiritualem sapientiam contemnentes, filij sunt Agar, non Sarę: & manzeres facti, Ismaëlitæ iure censendi sunt, non Israëlitæ. Et quoniam Agar aduena interpretatur, ij non sunt sapientiæ filij, sed aduenæ, & peregrini. Nec ex illis sunt, quibus aiebat Apostolus: Iam non estis hospites, & aduenæ, sed estis ciues Sanctorum, & domestici Dei. Tu autem, dilectissime, vt eiusdem te Prophetæ sermonibus alloquar, disce, vbi sit prudentia. Hæc enim in Deo sunt essentialiter constituta, atque ab eo sunt proculdubio requirenda. Sed quia tu in sęculo non imum obtines locum, nec potes prorsus effugere, vt aut sæcularis eloquij cum colloquentibus verba non conferas, aut aliquando de litteratoriæ disciplinę studijs aliquid non attingas, hac tibi discretione vtendum est; vt in sęcularibus quidem te velut hebetem reddas, in spiritualibus vero studijs omnes tuę mentis neruos exerceas: in illis te prębeas negligentem, in his autem omnino viuacem. Quia ergo a temetipso hoc obtinere non potes, vt in mundalis executione negotij omnino careas serpentis astutia, vel hoc satage, vt terrenam prudentiam tuam sapientia spiritualis absorbeat, eamque velut in sui corporis arcana conuertat. Sicut de maleficis

2. Reg. 8. v. 13.

Christus per Apostolos suos de humana sapientia triumphauit.

2. Cor. 10. v. 4.

Sapientiæ cælestis, & terrenæ prudentiæ effectus.

Baruch. 3. v. 22.

Ephes. 2. v. 19.

Baruch. 3. v. 14.

Vera sapiétia, ac virtus in solo Deo sunt.

Qua moderatione studia litterarum præsertim iuris, tractanda sunt.

Pharaonis Scriptura proloquitur: Proiecerunt, inquit, singuli virgas
Exod. 7. v. 12. suas, quæ versæ sunt in dracones, sed deuorauit virga Aaron virgas eorum. Virga quippe Aaron maleficorum virgas absorbuit: quia sapientia Christi, quam illa signabat, omnes huius mundi sapientias annullauit: mundique sapientes sui corporis, quod est Ecclesia visceribus coüniuit. Absurdum præterea est, & satis inhonestum, vt eadem prudentia, eademque subtilitas rebus adhibeatur humanis, quæ spiritualibus impenditur, & diuinis. Hinc est, quod Moysi Dominus ait: Sume tibi aroma-
Exod. 30. v. 34. ta, stacten, & onycha, galbanum boni odoris, & thus lucidissimum, faciesque thymiama compositum opere vnguentarij, mixtum diligenter, & purum. Thymiama quippe ex aromatibus compositum facimus; cum in altari boni operis virtutum multiplicitate redolemus. Quod mixtum & purum sit; quia quanto virtus virtuti iungitur, tanto incensum boni operis sincerius exhibetur. Vbi & bene subiungitur: cumque in tenuissimum puluerem vniuersa contuderis, pones ex eo coram testimonio
Ibid. v. 36. tabernaculi. In tenuissimum puluerem aromata vniuersa conterimus; cum bona nostra quasi in pila cordis occulta discussione tundimus, & si veraciter bona sint, subtiliter retractamus. Aromata ergo in puluerem redigere est, virtutes recogitando terere, & vsque ad subtilitatem occulti examinis reuocare.

Maiori diligentia incumbendum in virtutum, quam disciplinarum studium.

Et notandum, quod de eodem puluere dicitur: Pones ex eo coram testimonio tabernaculi: quia tunc nimirum bona nostra veraciter in conspectu superni Iudicis placent, cum hæc mens subtilius recogitando, conterit, & quasi de aromatibus puluerem reddit. Nec grossum, durumque sit bonum, quod agitur: ne si hoc arcta retractionis manus non comminuat, odorem de se subtilius non aspergat. Hoc plane studium tantaque subtilitatis instantia non rebus est adhibenda terrenis, sed ad hoc tantum habenda est, vt placere valeamus obtutibus Creatoris: nec vt in sæculo videamur insignes, sed vt coram Deo in nostra simus examinatione prudentes. Vnde illic additur: Talem compositionem non
Ibid. v. 37. facietis in vsus vestros, quia sanctum est Domino; moxque subiungitur: Homo quicumque fecerit simile, vt odore illius perfruatur, peribit de populis suis. Quisquis ergo, siue litterarum sæcularium disciplinis, siue rebus quibusque terrenis hoc studium exhibet, quod ad placendum Deo examinationi dumtaxat intimæ principaliter debetur, merito perit; quia thymiama, quod soli Deo debuit, rebus temporalibus, & caducis impendit. Enim vero quod de scientia loquimur, hoc ipsum ex delectatione huius vitæ, necesse est, fateamur. Dignum quippe fuerat, vt terrena prudentia in nobis prorsus aresceret, & spiritualis solummodo sapientia in nobis reflorerer: sicut Apostolus admonet dicens: Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite, vbi Christus est
Coloss. 3 v. 1. in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Dignum nihilominus fuerat, vt hæc vita in nostro corde non viueret,

Nostra studia sint, vt soli Deo placeamus.

sed nobis prorsus emortua, nequaquam mortuos delectaret: sicut idem dicit Apostolus: Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in morte, vt quomodo surrexit Christus per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Sed quia hæc nonnullis præsertim sæcularibus impossibilia sunt, & perfectionis vtriusque fastigium assequi plene non possunt, admonendi sunt, vt quæ non possunt exacte contemnere, secundo saltem loco ea conentur habere. Et quoniam hæc vita plerosque sæculares tamquam vxor substrata delectat, elaborandum est, vt licet eam nequeant præ infirmitate mentis, vt dignum est, odire; nequaquam tamen aggrediantur illam immoderate diligere, vt si nec dum præualent ei repudij dare libellum, pudeat tamen ad comparationem æternæ vitæ amoris illi præbere primatum. Vnde & in lege præcipitur: Si habuerit, inquit, homo vxores duas, vnam dilectam, & alteram odiosam, genueritque ex eis liberos, & fuerit filius odiosę primogenitus, volueritque substantiam inter filios diuidere, non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odiosæ, sed filium odiosæ agnoscet primogenitum, dabitque ei de his, quæ habuerit, cuncta duplicia: Istę enim principium liberorum eius, & huic debentur primogenita. Duæ scilicet hominis vxores, virtus sunt, & voluptas: liuoris, & odij inter se inuicem velut quadam zelotypia dissidentes. Et voluptas quidem ad hanc vitam, virtus ad æternam pertinet gloriam. Illa plane dilecta est, quia virum suum, hoc est, fragilem cuiusque spiritum, malę suada iucunditate demulcet: ista vero dicitur odiosa, quia per arctam, & angustam viam homines ire constituit, & aspera semper, ac dura proponit. Sed filius odiosę nobis primogenitus est: quia virtutem Conditor noster nobis originaliter indidit: voluptas autem, & quælibet carnalis illecebra ex vitio nostrę prauitatis emersit. Sed quia non est istius temporis per singula verba huius præcepti figuram enucleanter exponere, sufficiat hoc ad compendium dicere: vt si non possumus dilectam vxorem, quæ nobis proculdubio noxia est, a thalami nostri societate repellere, studeamus saltem odiosam, quæ sobria est, & honesta, in primogeniti dignitate præferre: quatenus si nobis difficile est, quamtulamcumque saltem huius vitæ dulcedinem non sentire, pręrogetur tamen dominij palma virtuti, relinquatur seruitus voluptati. Illius filius in primogeniti dignitate pręcellat; istius autem filius in subsequela ordinis, & sub disciplinæ semper refręnatione supersistat.

Rom. 6. v. 4.

Sæculares viri quomodo se habere debeant in amore rerum terrenarum, & spiritualium.

Deut. 21. v. 15.

Virtus & voluptas sunt hominis vxores.

Virtutis dulcedo præferenda vitæ huius voluptatibus.

Proles carnis.

Galat. 5. v. 19.

Vis fortassis addiscere, qui vxoris dilectę sunt filij? Paulus inquiratur Apostolus: Manifesta sunt, inquit, opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immunditia, luxuria, idolorũ seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, ęmulationes, irę, rixę, dissensiones, sectę inuidię, homicidia, ebrietas cõmessationes & his similia, q; prędico vobis, sicut prędixi quoniã qui talia

Fructus spiritus. agunt, Regnum Dei non consequentur. Vis enim consequenter audire, quæ sit soboles odiosæ? ausculta, quod subdidit: Fructus autem *Ibid. v. 22.* spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Hic ergo filius tamquam primogenitus duplicia debet habere substantiæ, videlicet vt fructus spiritus corpus, simul & animam regat: atque vtriusque substantiæ, interioris scilicet, & exterioris hominis, iura possideat. Si ergo tibi difficile est, vt vna sis vxore contentus, nec præuales dilectæ, quæ odio habenda est, repudij præbere libellum; fac saltem, vt odiosa, quæ totis viribus amplectenda est, in domo cordis tui dignitatis obtineat principatum. Illa vero, quæ nunc male diligitur, tam diu nouissimum teneat locum, donec fœditatis suæ merito sensim veniat in fastidium, de fastidio funditus vertatur in odium. Filius odiosæ tibi sit primogenitus, eique deferatur obsequium a ceterorum multitudine liberorum. Hinc est, quod Iosue subuersa Iericho imprecatus est, dicens: Maledictus vir coram Domino, qui suscitauerit, & ædificauerit ciuitatem Iericho, in primogenito suo fundamenta illius iacent, & in nouissimo liberorum ponat portas eius. Nam quia per Iericho, quę in lunam vertitur, hæc vita signatur, ille ciuitatem Iericho in primogenito suo suscitat, qui bona præsentis vitę principaliter amat. Et quia Veritas in Euangelio præcipit: Primum quærite Regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis; merito maledictione damnatur quisquis ab hoc præcepto declinare conuincitur, Propheta attestante, qui ait: Maledicti, qui declinant a mandatis tuis. At contra, ille portas Iericho ponit in nouissimo liberorum, qui sic vtitur temporalibus bonis, vt hæc non cum amore possideat, sed ad cælestis gloriæ præmium medullitus inardescat. Qui cælestibus in amore suo terrena supponit, transitoria floccipendit. Hoc itaque faciens, & odiosæ vxoris filium, iuxta mandata legis, efficit primogenitum: & secundum Iosue sententiam, portas Iericho in nouissimo suscitat liberorum. Quo contra, Cain in primogenito suo Henoch condidit ciuitatem, quia futuram non sperabat hæreditatem: & quia se quasi in Iericho huius sęculi præpropere dedicauit, elogium perpetuę maledictionis incurrit. Vnde scriptum est: Hæreditas, ad quam festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit.

Virtutis amor principatum tenere debet in corde.

Iosue 6. v. 26. *Matt. 6. v. 33.* *Psal. 118. v. 21.*

Rebus temporalibus vtendum nobis ad cælestem gloriam comparandam.

Gen. 4. v. 17. *Prou. 20. v. 21.*

Tu itaque, dilectissime, si nec dum solius spiritualis vitæ, velut vnius vxoris thalami vales esse contentus, sed adhuc male blandientis terrenæ conuersationis illecebra teneris astrictus, in domo cordis tui, tamquam primogenitus, amor æternæ vitę præcellat: & tamquam suppar, atque repressa temporalium rerum cura subseruiat. Sicut in Canticis legitur: Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Læua quippe subesse capiti dicitur, cum præsens vita a mente, quæ cogitationum caput est despecta calcatur. Dexteræ vero amplexibus stringitur, qui solius ęternę vitę desiderijs vndiq; delectatur. Plane

Amor æternæ vitæ præcellere debet curæ rerum terrenarum.

Cant. 2. v. 6. & 8. v. 3.

quia & Salomon ait: Da partem septem, necnon & octo; sic præsentem vitam, quæ per septennarium numerum designatur, excurre; vt iam in amore futuræ, quæ per octonarium resurrectionis exprimit gloriã, totis studeas visceribus habitare. Illi perfunctoriam, atque volaticam exhibe curam; in hac perseuerantem, atque perpetuam, sicut æterna est, indeficuæ dilectionis fige sententiam. Porro quod de transitoria vita dicimus, hoc & de exteriori prudentia consequenter admonemus; nimirum vt in animo tuo & temporalis vita, & scientia sæcularis, tamquam mentis calce depressa, subsidat. Amor autem æternæ vitæ, & spiritualis studium sapientiæ, velut in summa cordis tui constitutus arce, præcellat; quatenus dum fragilem hanc vitam cum sua sapientia despicis, repleri diuino spiritu, qui ad æternam te prouocet gloriam, fælici vicissitudine merearis. *Eccl. 11.v.2.*

EPIST. X. Ad Moricum Legum Doctorem.

ARGVMENTVM.

Hortatur, vt à periurio caueat, quod, vt præstare possit, suadet; vt à iureiurando omnino abstineat: remque ipsam simpliciter, iuxta Euangelicam doctrinam, aut affirmet, aut neget. Deinde ad eleemosynæ studium illum inflammare conatur, dum vtilitates, quas eadem suis amatoribus affert, enumerat.

Domno Morico prudentissimo iudici, Petrus peccator Monachus salutem in Domino.

QVia debilem te, dilectissime, ac teneros neruos interioris hominis, tuis visceribus inesse conspicio, plurima Scripturarum præcepta prætereo: ac perexili falce contentus, graue pondus tuis ceruicibus non impono. Et, vt rebus ipsis verborum quoque compendium congruat, hæc eadem pauca, quæ iubeo, succincta nihilominus breuitate perstringo; vt quem grauare metuo ponderibus rerum, in hoc quoque debilitati tuæ prospiciam, dum vtor etiam breuitate sermonum. Hortor igitur, dilectissime, & charitatem tuam reuerenter admoneo; quatenus & iuramentis, quæ à tuis corregionarijs sacrilego ritu frequentantur, abstineas: & indigentibus refrigeria ministrare, in quantum facultas suppetit, non omittas. Ab vno igitur horum te velut ab hiantis barathri submersione prohibeo,

ad alium autem tamquam ad arcem, atque fastigium salutiferæ munitionis impello. Eleemosyna siquidem, vt Tobias ait, ab omni peccato, & à morte liberat: & non patietur, animam ire in tenebras. Sed, vt de iuramentis, sicut præmissa sunt, prius breuiter eloquar. Quisquis iusiurandum peierans violat, a Christi se corpore, quasi per quoddam abscissionis dissidium, separat, & à redemptionis humanæ mysterijs alienat. Nam cum hoc ex more dicatur ab illo, qui iurat: hoc faciam, vel certe non faciam, si me Deus adiuuet: & istud, secundum Euangelium, hoc cum Deo interposita conditione paciscitur; vt si promissa non impleat, à Deo, vel sancto Euangelio vlterius non iuuetur. Et sicut tunc, cum initiatus est Christo, per catechismum sacerdotalis officij abrenunciauerat diabolo, & pompis eius: ita velut retrogradus, ac transfuga, sic Deo, & Euangelio eius abrenunciat, vt in eum quasi suę quodam conuentionis fœdere, de fœdere non confidat. Et sicut Laban inter se, & Iacob aceruum posuit lapidum, & interclusit alterutrum præcauendo meatum; sic iste quodammodo inter se, & Deum ponit, mentiendo, periurium. Signat aduersum se librum Euãgelij, vt eum aperire non possit, dum inter se, & illud, omnem salutis aditum intercludit. De quo videlicet libro per Esaiam dicitur: Et erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti litteras, dicent: lege istum; & respondebit; non possum: signatus est enim. Quis est enim liber ille signatus, nisi sanctum Euangelium mysticis figurarum sententijs obuolutum, & ab humanæ mentis intelligentia procul arcana quadam profunditate remotũ? Hic profecto liber ille est, de quo Ioannes ait: Vidi in dextera Sedentis supra thronum librum scriptum intus, & foris, signatum sigillis septem. Quæ sunt autem sigilla, quibus liber Euangelicus obsignatus dicitur, nisi septẽ illa Sacramenta, quibus vtique totus ordo Dominicæ dispensationis impletur? Videlicet incarnatio Domini, natiuitas, passio, resurrectio, ad cælos ascensio, deinde iudicium, postremo regnum. His itaque sigillis liber Euangelicus ita signatus est, vt nisi eum Christus aperuisset, cuilibet omnino patere non posset. Vnde subiungitur: Ecce, vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum, & soluere septem signacula eius. Quisquis ergo periurat, studiosè perpendat, quia nisi pœnitens, canonice satisfecerit, ita sibi septem sigilla Euangelicæ narrationis occludit; vt nec incarnatio Domini, neque natiuitas, neque passio, vel resurrectio, aut ascensio, iudicium quoque, vel regnum sibi proficere aliquatenus possit. Omnia scilicet hæc à se procul abijcit, & quantumad se in nihilum redigit, qui dum iusiurandum violat cum adiutorio Euangelij, abrenunciat nihilominus etiã auxilio Dei.

Tob. 4. v. 11.

Periurio alienant se homines à Christi corpore, & diuinis mysterijs.

Gen. 31. v. 46.

Esa. 29. v. 11.

Apoc. 5. v. 1.

Septem sigilla libri Euangelici à Christo soluta.

Ibid v. 5.

Periurio nihil prosunt Christi mysteria.

Planè non otiosum credimus, si quod Richardus nostri Monasterij Prior, vir videlicet honestæ vitæ, nobis hesterno die retulerit, attexamus: Vir, inquit, in Perusino territorio nuper ad extrema deueniens, duobus liberis suis, totidemque filiabus patrimonium suum propor-

Richardus Prior monasterij B. Petri Damiani.

tione legauit; vt ercifcundæ hæreditatis maribus quidem relinqueret bissem; fœmineus vero sexus succederet in triennium. Post cuius obitum vnus quoque filiorum eius defunctus est; superstes vero frater parũ putans, quia res defuncti fratris cum sororibus non diuisit, sed vt in earum quoque portiunculam controuersiæ calumniam moueret, adiecit. Quanto nimirum est aucta possessio, tanto magis est possidentis inflammata cupido. Quid plura? Fit forense iudicium, diuersarum partium allegatores accedunt, causidici perstrepunt, mouetur quæstio, calumnia litis intenditur, ab obsistentibus intentio remouetur. Tandem inter partes alterutra deliberatione conuenit, vt presbyter quidam, qui viri contra Germanos fautor erat, se defuncti patris interfuisse iudicio perhibebat, iusiurandum daret, sicque decisionis calculum causa susciperet, omnemque controuersiam vnius hominis testimonium consopiret. Cumque presbyter pro viro contra fœminas iuraturus accederet, iamque manum libro, qui propositus fuerat, applicaret; subito terribilis serpens ex ea, quæ supereminebat, arbore corruit, librumque complexus, spiris squamosi corporis circumcinxit. Mirantur omnes attoniti, & quodam quasi prodigio stupefacti, præsertim presbyter ipse diriguit: & iusiurandum, quod non veritati: sed humanæ gratiæ deuouerat, abiurauit. Sic igitur antiquus hostis, qui virus suæ malitiæ cordi presbyteri, vt contra veritatem iuraret, infudit, adesse se huic iuramẽto per familiarem sibi bestiam visibiliter demonstrauit. Illarum quoque Patruus, qui rem quidem nouerat, sed pro fauore viri, veritatis testimonium supprimebat, mox vt à iudicio recessit, simul cum eo, cui insidebat, equo in præcipitium decidit: quem sibi substratum, bestia toto corpore pæne vsque ad mortem, vehementer allisit. Vt diuina dispositio patenter ostenderet, quia qui constantia spiritus pro veritate stare noluerat, etiam corpore non immerito cecidisset.

Falsum iurantis, & veritaté supprimentis, pœna.

Tu itaque, dilectissime, noli supprimere veritatem, sed eam in omni negotio, & controuersia, iuxta tuum posse, defende. Christum quippe, qui veritas est, negare conuincitur, qui veritati pro humana gratia reluctatur. A periurijs caue, immo si possibile est, ab omni te iuramento compesce. Quia, sicut qui non loquitur, numquam mentitur; ita qui non iurat, impossibile est, vt periurium incurrat. Dicit enim ipsa Veritas: Sit autem sermo vester, est, est, non, non: siquid autem amplius est, à malo est. Caue ergo periurium, ne librum aduersum te redemptionis humanæ compellaris inuenire signatum. Neue, quod simul etiam proposuimus, excidat, eleemosynis animam tuam redime, operibus pietatis insiste. Date, inquit Dominus, eleesynam: & ecce omnia munda sunt vobis. Et iterum scriptum est: Qui dat pauperi, Deo fœnerat. Substenta ergo pauperem, vt tanquam ipse creditor, Deum tibi facias debitorem. Neque enim te omnipotens Deus ad eleemosynam prouocat, tamquam desit sibi, vnde pauperibus suis

1. Ioan. 5. v. 6.

Matt 5 v. 37.

Luc. 11. v. 41.

Prou. 19. v. 8.

Pauperes De permittit ad salutẽ nostrã.

alimenta prouideat; sed iccirco potius illos inopes exhibet, vt tibi redimendi te materiam subministret. Scriptum quippe est: Diuitiæ hominis redemptio eius.

Prou. 13.

Porro autem venerabilis idem frater noster Richardus, qui quod superius dictum est, retulit: hoc etiam quod dicturus sum, sicut fama cõpererat, fideli prosecutione narrauit. Octo, inquit, inopes viri in Hierosolymitano nuper itinere constituti, dum non haberent omnino, quod ederent, hebdomadam totam sine victualis alimoniæ perceptione transegerant: cumque iam diuturna macerarentur inedia, ac viribus effœti, longique itineris molestia tabefacti, iam pæne deficerent, eosque nutantes vix lapsabunda vestigia substinerent; ecce canis obuius dentibus mantele trahebat, in quo panis velut in sacculo latebat inuolutus. Quem panẽ protinus arripientes, cum gratiarum actionibus alacriter se refecerunt: & in fortitudine cibi illius octo dierum iter incessabiliter expleuerunt. Rursumque dum intolerabili postmodum cruciarentur inedia, tres Agareni eorum in itinere, facti sunt comites, singulos panes pro sua viritim substentatione portantes: qui cum nacta refectionis hora, discumberent; duo quidam ex eis ita proprios consumpsere panes, vt Christianis esurientibus nil penitus impertirent; tertius autem vnam, quam portabat ipse buccellam, in nouẽ frusta diuisit: & vna dumtaxat ipse contentus, singulis, qui secum erãt, Christianis, æquales particulas ministrauit. Factũ est postea, dum simul incederent, ecce leones in eos ferociter irruũt, eosque potissimum, qui penes soli consumpserant, signãter inuadunt: quos illico violẽter arpaxant, & cæteris euadentibus, illos tantũmodo immaniter deuorant. Sic nimirũ, sic qui soli mãducauerãt, soli sunt mãducati: & qui sine charitate sua bestialiter alimenta consumpserãt, frementiũ bestiarum sunt immanitate consumpti. Postmodum vero per glareas marini litoris gradientes, enormis magnitudinis piscem reperiunt: quem protinus sabulo propter equites, quos eminus aduentare contemplantur, abscondũt. Et illi quidem propius accedentes, dum recentem super aggestæ glareæ conspiciunt tumulum, quod res erat, arbitrati sunt, occultæ cuiusdam repositionis non deesse mysterium. Incipientes igitur curiosè rimari, tandem diuino nutu suspicati sunt sepulturam esse defuncti. Sicque dũ illi relinquentes cœpta, discedunt: isti defodientes benedictionem diuini muneris in sua protinus alimenta conuertunt......

Exemplum diuinæ prouidẽtiæ in peregrinos.

Agarenus eleemosynæ virtute à Leone liberatur.

Agareni duo, qui eleemosynam negauerant peregrinis, à Leone occiduntur.

Huius epist. finis desid. in M.S.

EPIST.

EPIST. XI. Ad Ciues Florentinos.

ARGVMENTVM.

Florentinos cum suo Episcopo dissidentes, propterea quod illum de Simonia suspectum habebant, ad concordiam reuocare nititur: purgans se, quod cum Florentia esset, cum illo communicasset. Non enim æquum fuisse ait, vt Episcopum sine causa damnaret: præsertim cum crimen, quod ei obijciebatur, non probaretur. Grauiter quoque in quosdam Monachos inuehitur, qui Episcopi eiusdem communionem auersabantur, & in tantam audaciam peruenerant; vt neque Baptismum, neque aliud Sacramentum ab eo collatum, valere affirmarent Quod in hac Epistola confutat, Demum hortatur Florentinos: vt si quid contra Episcopum suum habent, ad Pontificem Romanum deferant, ad quem spectat de huiusmodi rebus sententiam ferre: interim tamen eidem communicent.

Dilectis in Christo Ciuibus Florentinis, Petrus peccator Monachus fraternæ charitatis obsequium.

NVper, vt recolitis, dilectissimi, ad vos venientes, laboriose studuimus inter Episcopum vestrum, vosque componere: & amicitiæ, quæ recissa fuerat, fœdera reformantes, in vos spiritum sequestra pace conflare. Sed quoniam adiuuandi apud vos prædicti Sacerdotis intuitu, plura protulimus, quæ sinistra scilicet interpretatione peruerti, & à turbis valent vulgaribus vitiari; ne & nos indigna notemur infamia; & illi, quod absit, mendacij crimen incurrant; quod ore coram vobis frequenter expressimus, etiam styli currentis articulo commendamus: vt quod audistis ore prolatum, videatis etiam apicibus exaratum: & in verba nostra commentari, vel ab his discrepare, mendax quisque non audeat; dum in nobis & manus scribens, & lingua loquens indissona sibimet vnitate concordant. Anathematizamus itaque, & irrecuperabiliter condemnamus Simoniacam hæresim, primam omnium hæreseorum ex imis diaboli visceribus erumpentem, seseque aduersus nascentis Ecclesiæ regulam exitialiter extollentem. Quæ nimirum adhuc ex ipso diaboli felle progreditur, & in perditionis filios pestilentissime deriuatur. Cuius scilicet auctori per Petrum dicitur: In felle amaritudinis, & in obligatio-

Simoniaca hæresis quam execrabilis.

Act. 8. v. 23 ne peccati video te esse. Quia verò fel columba non habet, Spiritus autem sanctus in columbæ specie super Dominum venit, isque amaritudine fellis intumuit, columbini spiritus capax esse non potuit. *Matt. 3, v. 16.* Quapropter omnes huius nefandæ hæreseos peste corruptos, hæreticos esse indubitanter asserimus: eosque damnabiles, atque à suis arcendos honoribus, iuxta sacrorum Canonum sententias, iudicamus. Verumtamen tantam gratię plenitudinem sanctæ Ecclesiæ inesse confidimus, vt in ea proculdubio & per malos bona, & per inquinatos munda, & per execrabiles Sacramenta conferri posse credamus. Hęc est vere corpus Christi, & iuxta Apostolum, columna, & firmamentũ veritatis. Et hæc non nouiter ex nostra temeritate decernimus, sed ex sanctorum catholicorum Patrum auctoritate iam decreta firmamus. Quod in libello quoque, cui Gratissimus nomen indidimus, multis noui, ac veteris instrumenti testimonijs approbatur. Sed condemnatis omnino Simoniacis, ac indubitanter inter hæreticos deputatis, sicut in præfato libro digessimus, licet eorum Sacramenta ex authentica canonum possent sanctione defendi: vt eos tamen magis, ac magis Synodalis censura confunderet, constitutum est in Romano, sanctę memorię Nicolao præsidente, Concilio: vt quicumque per eos eatenus fuissent in cuiuslibet Ecclesiastici gradus dignitate promoti, in percepti honoris ministerio permanerent: & tunc vero, & deinceps quicumque se pateretur à Simoniaco prouehi, nil penitus ex ea deberet promotione lucrari, & sic ministrandi iura deponeret, tamquam si hęc nullatenus percepisset. Hac itaque ratione iam non modo Simoniacos reprobamus, sed & per eos exhibita Sacramenta contemnimus. Hæc itaque, si obliti non estis, omnia me viuis vocibus proferentem, frequenter audistis. Non enim alia scribimus, quam quæ locuti sumus. Si ergo ego, & vos de Simoniacis, eorumque reprobandis in posterum consecrationibus vna sententia vtique congruimus, cur adhuc inuicem litigamus? Est plane super Episcopo vestro quæstio, quem videlicet nonnulli vestrum opinantur venaliter irrepsisse, nonnulli vero gratis; & per ostium introisse, constantis animi libertate confirmant. Illi turbulentis iurgando conuicijs, quod opinantur, allegant: isti quod scire fatentur, crimen iniectum refellendo, propulsant. Et quis ego sum, qui inter hos compugnantium globos signum manus mittam, & tam ferale scelus homini, antequam canonice probetur, adscribam? Nam licet error semper sit, & vbique vitandus, tolerabilius tamen est, si quis iustificet peccatorem, quam si præiudicet innocentem. Synodus annualiter imminet; Sedes Apostolica cunctis adeuntibus patet. Romanam ergo pulset Ecclesiam quisquis se iustam aduersus Episcopum habere calumniam sperat. Nec enim nos homunciones exigui in andronarum angulis reddere possumus irritum, quod in ipso summo totius mundi cardine non ambigimus institutum. Cernitis itaque me simpliciter hæc sola conscribe-

An Ecclesiæ sacramenta per malos cõferri possint.

1. Tim. 3. v. 15.

Hab. opusc. 6. tom. 3.

Decret Nic. 2. PP ap Grat. 1. q. 1. c de catero.

An sacramenta a Simoniacis suscipere liceat.

Episcoporum causæ ad Romanum pontificem pertinent.

ræ, quæ me præsentes audistis ore proferre. Erubescat ergo fabricator quisque mendacij, qui dum me vidit in causa nutantis controuersiæ non leuiter iudicantem, impudenter elatrat Simoniacæ hæreseos existere defensorem. His igitur paucis rationem me vobis reddidisse sufficiat, ne longior stylus fatigari vos nimia prolixitate compellat.

Hinc ad commonachos meos articulum transfero, à quibus profecto procedere notam hanc iurgandi materiam non ignoro. Dicunt enim, quia ab huiusmodi Sacerdotibus nec chrisma confici, nec potuerunt solemnia celebrari. Et tam hæc impudenter allegant, vt anno orno compulerint in tribus Plebibus sine conspersione chrismatis cathecumenos baptizari. Sed cum Christus proculdubio denominetur à chrismate, nil aliud tollunt Baptismo, nisi Christum, qui chrismatis subtrahunt Sacramentum. Et certè si me forte non fugit, nulla vmquam hæresis in tantam prorupit audaciam, vt Baptismi lauacro chrisma, hoc est, vt à Christiano Christum diuidere præsumpsisset. Quod si contempta propria, ab alia ecclesia furtiue delatum chrisma credatur, sicut à quodam scilicet eorum fautore confingitur: ecce quantum ad illos pertinet, in spiritualibus rebus committitur adulterium, & in sacrilegium vertitur Sacramentum: nimirum dum propriæ Ecclesiæ chrisma proijcitur, & ab aliena clandestinę fraudis ingenio subrogatur. Beatus denique Papa Gregorius in supremo vltimæ homiliæ suæ versiculo sic ait: Sed hæc omnipotens Deus, qui per me in vestris auribus loquitur, per se in vestris mentibus loquatur. Cum igitur hoc librum suum sine concludit, omnipotentem Deum cuncta, quæ in eo scripta sunt, per se locutum euidenter ostendit. Hic itaque, per quem talis inhabitator eloquitur, in homilia de Sacerdotibus facta, per impositionem manus Simoniaci Spiritum sanctum cælitus dari manifestissime confitetur: Qui namque, inquit, sunt in templo Dei hodie, qui columbas vendunt, nisi qui in Ecclesia pretium de impositione manus accipiunt? per quam videlicet impositionem Spiritus sanctus cælitus datur. Vbi adhuc eamdem sententiam replicat, & tamquam tardioribus, vel adhuc dubitantibus rursus inculcat, dicens: Columba ergo venditur, quia manus impositio, per quam Spiritus sanctus accipitur, ad pretium præbetur. Sed quia de his in libro nostro multa conscripsimus, hic in talibus non diutius immoramur: solummodo qui legit, intelligat.

Monachorū quorumdam temeritas.

S. Greg. homil. vlt. super Euang.

Idem homil. 17. super Euāg.

Per Simoniacos S. Spiritus datur.

Hab. lib. hunc opusc. 6. to. 3.

Præterea maior est Ecclesia, quàm Ramatha: maior est Christus, quàm Samuel. Si ergo in Saul, quem malus exagitare spiritus consueuerat, cum venisset in Ramatha, vbi Samuel cum Dauid prophetabat, Spiritus insiluit: ita vt se vestimentis exueret, & nudus tota die, ac nocte, cum cæteris concinens, prophetaret: quid mirum, si Spiritus sanctus in Ecclesia super quemlibet reprobum veniat: & non per eius meritum, sed per eius ministerium in alios charismatis sui dona transfundat? Si, inquam, diuinus Spiritus illum repente corripuit, atque

1. Reg. 16. v. 14 & 19 v. 23. 1. Reg. 10. v. 10

Spiritus sanctus per improbi ministerium dare potest sua charismata.

ab eo per tam diuturni temporis spatium non recessit, qui vas erat omnino diaboli: cumque nequitiæ spiritus non clam, sed aperte per corpus, simul & animam possidebat: quid nouum, si cloacam reprobi cuiuslibet hominis, splendor ille cælestis irradiat, quem tamen nullum squaloris obscœni contagium fœdat? Sed nunc cur ista prosequimur, cum consecrationem Simoniacis nuper fuisse prohibitam superius præfati sumus? Plane quia ijdem ipsi, qui Baptismum fieri sine charismate docuerunt, adhuc aduersus eos, qui ante Synodum gratis à Simoniacis ordinati sunt, sufflat: eosque cum suis ordinatoribus esse hæreticos, dogmatizant: eorumque Missas, & omnia per eos facta facta mysteria, blasphemant, anathematizant, conspuunt, obijciunt, & explodunt, eorumque benedictionibus terribiliter maledicunt, cum dicat Apostolus: Quia maledici Regnum Dei non possidebunt. Et in suis maledictionibus illud Malachiæ prophetæ testimonium adhibent, quo dicitur: Maledicam benedictionibus vestris. Non attendentes, quod Dominus in libro Numeri de Sacerdotibus ait: Inuocabunt nomen meum super filios Israël; & ego benedicam eis. Sacerdos quippe Dominum super hominem verbis inuocat: sed ipse super eum Dominus benedictionem efficaciter format. Effectus itaque benedictionis non in merito sacerdotis constat, sed hũc inuocatio diuini nominis administrat, vt quod ex ore sonat hominis, virtus impleat Creatoris: & per indigni sæpe hominis ministeriũ diuina virtus suum veraciter efficiat Sacramentum. Sed fatui, & imperiti quilibet homines in hoc Prophetæ verbo caligantes errant, nescientes scilicet, quæ loquuntur, vel de quibus affirmant. In sacris quippe Scripturis ita maledictio aliquando pro sterilitate, sicut & benedictio pro rerum temporalium ponitur vbertate. De qua nimirum benedictione in libro Regum dicitur: Benedixit Dominus Obededon, & omnem domum eius. Nunciatumque est Regi Dauid, quia benedixit Dominus Obededon, & omnia eius propter arcam Domini, dixitque: Ibo, & reducam arcam cum benedictione in domum meam. Vnde cum Psalmista præmitteret: Viduam eius benedicens benedicam; vt ostenderet, de qua benedictione diceret, protinus addit: Pauperes eius saturabo panibus. Et alibi: Benedixit eis, & multiplicati sunt nimis. Vbi patenter ostenditur: quia benedixit, hoc est, multiplicauit. Cui simile est, quod filij Ioseph dixerunt ad Iosue: Quare dedisti mihi possessionem sortis, & funiculi vnius, cum sim tantæ multitudinis, & benedixit mihi Dominus? Benedictio igitur aliquando multitudinem, aliquando significat vbertatem. At contra, contemnenti mandata cuilibet reprobo per Moysen dicitur: Maledictum horreum tuum, & maledictæ reliquiæ tuæ: maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuę, vnde paulo post: Mittet Dominus super te famem, & esuriem. Quamobrem & in hoc Malachiæ testimonio, vt non intelligamus maledictionis, vel anathemathis ia-

1. Cor. 6. v. 10.

Malac. 2. v. 2

Num. 6. v. 27

Sacerdotalis benedictionis effectus procedit à virtute diuina.

Maledictio, & benedictio in sacra Scriptura quomodo accipiantur.

2. Reg. 6. v. 12.

Psal. 131. v. 15.

Psal. 106. v. 38.

Ios. 17. v. 14.

Deut. 28. v. 17

Ibid. v. 20.

Malac. 2. v. 2.

culum intorqueri: sed famis, & inopiæ supplicium intentari: præmittit, dicens: Si nolueritis, inquit, ponere super cor, vt deris gloriam nomini meo, mittam in vos egestatem; moxque subiungitur: Et maledicam benedictionibus vestris. Cum ergo egestatem præmittit, quid maledictionibus intelligi velit, luce clarius innotescit. Ac si dicat si contempseritis præcepta mea, in vestris cordibus ponentes, quod præcipuè pertimescitis, sub egestatis vos & inopiæ, faciam penuria suspirare: vt ipsa vos terræ vestræ sterilitas feriat, dum in proferendis bonorum operum frugibus vitium vos sterilitatis accusat: & inopia vos cruciet corporum, qui videlicet alimenta negligitis animarum. Et, vt hoc eiusdem Prophetæ verbis adhuc clarius approbemus, longe postmodum dicit: Gens tota inferte omnem decimam in horreum meum, & sit cibus in domo mea: & probate me super hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem vsque ad abundantiam. Porro si maledictionem anathematis illic Dominus voluisset intelligi, non diceret: Maledicam benedictionibus vestris: sed potius: Maledicam vobis, qui scilicet benedicere non merentes, audetis. Et vt, quod dicimus, etiam ex Euangelio manifestissime comprobemus, nil aliud ficulneæ dixisse Dominus legitur, nisi hoc solum: Iam non amplius in æternum quisquam fructum ex te manducet. Quæ nimirum verba Petrus maledictionem appellauit, cum ei postmodum dixit: Rabbi, ecce ficulnea, cui maledixisti, aruit. Talis etiam maledictio primo homini data est, cui dictum est: Maledicta terra in opere tuo, quæ spinas, & tribulos germinabit tibi. Sed & ista sterilitatis maledictio benedictionem vbertatis excludit, sicut in Pharaonis somnio vaccæ vaccas, & spicæ deuorant spicas. Sicut ergo hic præcepta seruantibus, non aliam, quam benedictionem promittit abundantiæ, ita illic non seruantibus, è contrario maledictionem minatur inopiæ; alioquin vero quo pacto Deus omnipotẽs sacerdotali malediceret benedictioni, quã virtus sui consecrat nominis? Cum enim, sicut superius dictum est, super quem nomen Domini inuocatur, indubitanter ab ipso Domino benedicitur, quomodo consequens est, vt eam benedictionem Dominus maledicat, per quam ipse hominem per inuocationem sui nominis benedicit? Hinc est, quod auctoritas canonum etiã à pestilentioribus hæreticis baptizatos prohibet iterum baptizari; ne videlicet nomen Dei, quod inuocatum est super illos, videatur annullari, vel in irritum duci. Quisquis præterea dum Sacerdotes quoslibet obtrectationibus lacerat, eorum nihilominus, & Sacramenta blasphemat. Quid etiam beatus Iudas Apostolus de blasphemantibus in Epistola sua loquatur, attendat: Nam cum præmisisset de quibusdam, quia dominationem spernunt, maiestatem autem blasphemant, præsto subintulit: cum Michael, inquit, Archangelus cum diabolo disputans, altercaretur de Moysi corpore, non est ausus

Malac.3.v.10. *Matt.21.v.19.* *Marc.11.v.21.* *Gen.3.v.18* *Gen.41.v.20.* Can. Apost. 46 & dist. 32. cap præter §. sciendum sententialiter. Qui sacerdotes lacerant, sacramenta blasphemant. *Iud. c. vnic. v.9*

iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit: Imperet tibi Dominus. Si ergo summus in Angelis diabolus blasphemię iudicium non præsumpsit inferre: quomodo non pauescit homo Sacramenta, quę virtute sancti Spiritus plena sunt, irridere? Nam cum Veritas dicat: Qui peccat in Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque hic, neque in futuro; timendum valde est, ne illum ab eis constet offendi, sine quo peccatorum offensione queat relaxari.

Matt. 12. v. 32.

Sed cur de sola Sacerdotum, siue Sacramentorum obtrectatione conquerimur, cum ab eis omnia pœne dilacerari, omnia conspui, omnia dicantur irrisione publica subsannari? Non est, inquiunt, Papa, non Rex, non Archiepiscopus, neque Sacerdos. Vnde factum est, sicut dicitur, vt mille circiter homines his nugis, nænijsque decepti, sine Sacramento Dominici corporis & sanguinis ex hoc mundo recesserint. Opinantur enim per huius temporis Sacerdotes, nullam in Sacramentis posse fieri veritatem: sed & quamplures reperiuntur Ecclesiæ, quas non modo suis ingressibus indignas ducunt, sed nec salutationis quidem obsequio idoneas arbitrantur. Nam & salutare despiciunt, quas vtique dedicatas ab indignis, nescio quibus, Episcopis suspicantur. Enimuero, vt Lucas narrat, ait Paulus: Cæsarem appello. Cui Festus, Cæsarem, inquit, appellasti: ad Cæsarem ibis. Estne scelerațior Papa, quam Nero? Credimus Monachos istos sanctiores esse, quam Paulum? Cum ergo Paulus, qui tertij cæli tribunal ante conscenderat, Neroniano conspectui non sit dedignatus assistere; quis est Monachus, qui pro suæ sanctitatis arrogantia Sedis Apostolicę debeat iudicium reprobare? vbi scilicet non hominis meritum, sed Ecclesiasticæ dignitatis attenditur institutum. Ipsi quippè in angiportuum angulis iudicant, & Synodalia iura detrectant, dijudicant Monachos, clericalia cuncta corrodunt: & solis laicis, qui videlicet acrius, ac mordacius insequendi sunt, parcunt. Vident Monachum incedentem: aspice, inquiunt, vnum Scapulare. Presbyterum, vel Episcopum abire prospiciunt, Barbirasos se videre fatentur. A quibus etiam si benedictio quæritur, nullatenus respondetur: protinus auertunt oculos, asserentes scilicet eos, quibus respondeatur, indignos. Nos etiam si cum peccatoribus communicamus, & simul vescimur, obtrectationum mox sale conspergimur, laceramus, parique cum illis sententia damnationis inuoluimur: immo nos, nos, inquam, & ipsissimi sumus, qui eorum indigni iudicamur alloquio, qui eorum sociale contubernium non meremur. Sed hęc non Monachorum est regula, sed superstitio Pharisæorum. Murmurabant, inquit Euangelista, Scribæ, & Pharisæi, dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Et hæc est radix, & tota materia, vnde feralis in Dominum furor Iudaici liuoris incanduit: hinc in mortem eius viperini fellis malitia conspirauit: Nimirum, quia se putabant legalium cerimoniarum esse custodes: Dominum autem ar-

Act. 25. v. 12
2. Cor. 12. v. 4.
Luc. 15. v. 2.
Origo Iudaici furoris in Christum.

guebant amicum publicanorum, & sabbata violantem. Delectat me cum Domino meo hanc perferre calumniam: & malo cum illo in domo Leui carnaliter viuere, quam in tabernaculis peccatorum, hoc est, cum sanctis Deo repugnantibus, habitare. Qui nimirum spreta regula Christianorum, Stoicorum dogma sequuntur, dum esse prorsus æqualia omnia peccata definiunt. Nos autem inter Dauid sanctum, reprobumque Saulem Ionathan medium constituimus: Qui licet Saulem veritatis, ac Fidei sinceritatis transcendat: Dauid tamen merita, pietatemque non ęquat. Admonendi sunt itaque fratres nostri, ne nimis iusti, nimis sint sapientes. De quorum primo Salomon, Noli, inquit, esse nimium iustus: de secundo dicit Apostolus: Noli plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Mala sapientia, quam caligo erroris obnubilat: bona simplicitas, quę à Catholicæ Fidei tramite non declinat. Odiosa sanctitas, quæ in hæresim illabitur: & dum per triti itineris ductum dedignatur incedere, per anfractus, & ruinosa deuia compellitur oberrare. Nimia certe immunditia in hęreticæ contagionis illuuiem Nouatianos, qui & Cathari dicuntur, immersit: nimia sanctitas Luciferianos, tamquam perniciosos palmites, ab Ecclesiastici corporis vnitate pręcidit: Qui dum prohibent non licere, quod licet: ac per hoc iactant se defensores esse iustitiæ, hostes adiudicantur Ecclesię: vt sibimet extrinsecus, velut ranæ in paludibus, garriant, qui dum inessent, importune vociferantes, omnia confundebant. Huiusmodi quippè genus hominum ranis, siue locustis merito comparatur: quia sicut Ægyptum illa tunc animalia percusserunt, ita per hos nunc vastatur Ecclesia. Nam de locustis Scriptura dicit: Quia operuerunt vniuersam superficiem terræ, vastantes omnia: moxque subiungitur: Deuorata est igitur herba terræ, & quidquid pomorum in arboribus fuit. Locustæ siquidem vniuersam terræ superficiem vastant, & herbas cum pomis arborum deuorant: cum detractores quilibet, vel infirma nostra, quasi herbas humilium: vel sicut fructus arborum, opera perfectorum dilacerando, corrodunt, & liuido mordacis inuidiæ dente consumunt. Contra quos dicit Apostolus: Capite nos, neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circumuenimus. Et alibi exprobrans, ait: Inuicem mordetis? inuicem læditis? Videte ne ab inuicem consumamini. Sed cum nos, in sacro videlicet ordine constituti, deberemus esse vænatores Dei, sicut per Hieremiam dicitur: Mittam vænatores meos, & vęnabuntur; nos relicta præda sæcularium, nudatis dentibus, inuicem ringimus: &, quasi rabidæ caniculæ, mutuis nos morsibus laceramus. Reprimatur iam pręsumptio tumida, exęquet se fratribus sanctitas onerosa. Qui vult esse sanctus, sit sibi coram Deo, nec per arrogantiam fratri præferatur infirmo. Catulus itaque, cuius erat officium extraneos pellere, nequaquam, contemptis illis, aggrediatur domesticos lacerare: ne qui quietus poterat dormire sub tęcto, exclusus foribus, compellatur † naubare sub diuo.

Psal. 83. v. 11.
Stoicorum opin. Cicero Para. 3.
Eccl. 7. v. 17.
Rom. 12. v. 3.
Nimia sapientia ac indiscreta sanctitas periculo & errori proxima.
Nouatianorũ, & Luciferianorum hęreses.
Conf. schol.
Exod. 10. v. 15.
2. Cor. 7. v. 2.
Galat. 5. v. 15.
Hier. 16. v. 16.
Finis huius Epist. videtur imperfectus.
† f. cubare.

EPIST. XII. *Ad Hermisindem sanctimonialem.*

ARGVMENTVM.

In huius Epistolæ fragmentis scribens ad Hermisindem, contra superbos inuehitur: varijsque sacrarum litterarum testimonijs ostendit, superbiæ fundamentis innixos, citò corruere.

Hermisindi Sanctimoniali . . . . Petrus peccator Monachus . . . . .

Gen. 11. v. 2. CVM proficiscerentur de Oriente, inuenerunt campum in terra Sennaar, & habitauerunt in eo; dixitque alter ad proximum suum: venite, faciamus lateres, & coquamus eos igni; habueruntque lateres pro saxis, & bitumen pro cæmento. Porro autem cum Christus
Zach. 6. v. 12. vere sit Oriens Propheta testante, qui ait: Ecce vir Oriens nomen eius; de Oriente veniunt, qui à Christi consortio male viuendo, vel
Sennaar etymon, & allegoria. proximos lacerando, recedunt. Sennaar autem interpretatur excussio dentium, siue fœtor eorum. In campo igitur Sennaar habitabant, qui non constituti in arce virtutum, sed potius in conualle vitiorum, & dentes excutiunt, vt proximos suos detractionibus quasi mordicus rodant: & fœtores emittunt, dum in cœnosæ conuersationis squaloribus cõputrescunt: sed eorum dentes Deus omnipotens excutit, dum
Gen. 11. v. 9. peruersorum quorumlibet & facta, simul & verba confundit. Vnde & illic dicitur: Iccirco vocatum est nomen eius Babel, quia ibi confusum est labium vniuersæ terræ, & inde dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum. Recte ergo dicitur,
Ibidem, v. 4. quia superbi illi homines, ac vanæ gloriæ captatores nimirum dicentes ad alterum: Venite, faciamus nobis ciuitatem, & turrem, cuius culmen pertingat ad cælum: & celebremus nomen nostrum, antequam diuidamur in vniuersas terras; habitauerunt in campo Sennaar, quod apud nos, sicut dictum est, sonat excussio dentium, vel fœtor eorum, quoniam peruersi quique dum contra diuinæ legis mandata superbiunt, dum aduersus Deum ceruicem cordis arroganter attollunt, & proximis nonnumquam damnabiliter detrahunt, & ipsi procliuius in obscœnæ vitæ sterquilinio volutantur. Et de excus-
Psal. 3. v. 8. sione quidem dentium per Dauid dicitur: Tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa, dentes peccatorum contriuisti. Et alibi:
Psal. 57. v. 7. Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum, molas leonum confrin-
Joel. 1. v. 17. get Dominus. De fœtore quoque eorum alius Propheta dicit: Com-
Esa. 3. v. 24 putruerunt iumenta in stercore suo. Et Esaias, erit, inquit, pro suaui odore

odore fœtor. Enimuero quisquis vult ædificium condere, quod facile ruinæ non sit obnoxium, necesse est, eum non lateres, & bitumen habere, quæ repente dissiliant; sed lapides potius, ac saxa, quæ parietes erigant: & calcis, ac sabuli cæmẽtum, quod ipsos parietes inuiolata lapidũ compage constringat. Quod ergo iam dicti Babylonij lateres pro saxis, & bitumen habebãt pro cæmento, carnalis vitę significant ædificiũ, ad vim ventorum, vel impetum fluminum quantocyus obruendum. Vrbes illæ tabernaculorum, quas Pharao luto, paleaque construxit: nimirum luto, quod inquinat; palea, quæ destinatur ad flammas; Phithon, & Ramesses sunt non sine mysterio nuncupatæ. Phiton siquidem interpretatur, os abyssi, vel subito. Quisquis enim, iuxta Pauli sentẽtiam, supra fundamentum, quod est Christus Iesus, ligna, fœnum, stipulam, nunc ædificat; quale cuiusque opus sit, ignis probabit: & quo magis in altum hæc carnalis vitæ structura subrigitur, tanto procliuius veluti in abyssi voraginem mersa, subito dissipatur. Vnde scriptum est: Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Bene ergo dicitur, & os abyssi, & subito; quia de carnalis vitæ, quæ per eum innuitur, culmine non segniter, sed cito corruitur: & illud est os abyssi, quod ascensus videbatur esse fastigij, Propheta testante, qui ait: Deiecisti eos, dum alleuarentur. Ramesses vero pabulum dicitur, vel tinea. Pabulum namque diaboli sunt omnes reprobi, quibus ille tamquam lupus ouibus vescitur, eorumque pernicie velut epulis saginatur. De quibus etiam per Dauid dicitur: Sicut oues in inferno positi sunt, & mors depascet eos.

Exod. 1. v. 11. *1. Cor. 3. v. 12.* *Iob. 21. v. 13.* *Psal. 72. v. 18.* Pabulum diaboli sunt improbi. *Psal. 48. v. 15.*

Dixit Dominus ad Moysen: Proiice virgam, quam in manu gestas, in terram: & proiecit, & factus est serpens. Expauit illico Moyses, & fugit; & ait illi Dominus: Apprehende caudam eius; & apprehendit, factaque est iterum virga. Cuncti liquido nouimus, quia serpens suasit homini mortem: ergo mors à serpente. Quid autem virga, nisi Christus, de quo Propheta dicit: Quia egredietur virga de radice Iesse? Virga itaque in serpentem, Christus in mortem. Moyses autem expauit, & fugit, quia suspenso in Cruce, vel moriente Domino: omnis ille Apostolorum numerus tremefactus, expauit: & à certæ spei, ac firmæ Fidei soliditate recessit. Quia vero cauda extrema pars est corporis, quid, nisi finem Dominicæ significat passionis? Moyses igitur caudam apprehendit, & nihil ei in virga vltra serpentis apparuit; quia completo Dominicæ passionis, Crucisque mysterio & fidelis quisque tunc ad Fidem rediit; & Christus, consumpta morte, idipsum in se, quod fuerat: per resurrectionis gloriam reparauit. Tollens Aaron thurribulum: cucurrit per mediam multitudinem, quam vastabat incendium: & stans inter mortuos, ac viuentes, thymiama obtulit: sicque desæuiens plaga cessauit. Quem sane Aaron, nisi Redemptorem nostrum signabat? Ipse namque quoniam ad currendam

Exod. 4. v. 3. *Gen. 3. v. 4.* *Esa. 11. v. 1.* Dominicæ Resurrectionis mysteriũ. *Num. 16. v. 48* *Psal. 18. v. 6.*

viam, quasi gigas exultauit, arrepto passionis suæ thurribulo, inter mortuos, ac viuentes occurrit: & obiectu Crucis suæ, in qua thymiama sacri corporis concrematum est, & Agnus ille cælestis assatus est, viuos ac mortuos separauit: ignisque perniciem ab eis, quasi quidam interueniens murus, exclusit; vt vorax flamma deglutiat infideles quosque, de quibus scriptum est: Nunc ignis aduersarios consumit: & iusti, qui Fide viuunt, incendium damnationis euadant. Quorum mortuorum, atque viuentium iam & ipsi latrones noscuntur fuisse primitiæ, inter quos Dominus crucifixus est, quorum alter electus, alter est merito perfidiæ reprobatus. Hoc itaque thymiama sacrificij salutaris, atque singularis, quod in ara Crucis oblatum est Deo Patri, mons ille fortitudinis inter mortuos, viuentesque portauit; cum odorem suæ notitiæ per fideles, & infideles effudit. Vnde est illud in Canticis: Vnguentum effusum nomē tuum. Et Apostolus: Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Iesu, & odorem notitię suæ semper manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo in ijs, qui salui fiunt: & in ijs, qui pereunt, alijs quidem odor mortis in mortem; alijs odor vitæ in vitam. Pactus quidem est Saul maiorem filiam suam Merob, Dauid dare vxorem; sed cum tempus aduenisset, quo dari sibi debuisset, non ei data est, sed alij coniuncta est viro. Dilexit autem Michol filiam Saul alteram Dauid eamque sibi vxorem coniunxit. Merob quippe interpretatur de multitudine; Michol autem aqua, vel ex omnibus. Et quid per Merob, nisi illa duntaxat infidelium turba signatur, quæ est de multitudine, quę repellitur? Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. Quid autem per Michol, nisi sancta figuratur Ecclesia, à qua videlicet omnes oriuntur Electi, vel quæ ex omnibus constat Electis: quæ licet filium nō genuerit, hic tamē intelligentiæ eius sterilitas non obsistit? Aliud quippe mysterium est, quia Regi Dauid est in coniugalitate cōiuncta, aliud, quia perstitit infœcunda. Aliud, quia Christi Domini est sortita coniugium; aliud, quia fœcunditatis non meruit donum, sed pertulit in Israël sterilitatis opprobrium. Hanc sane Dauid superbi Regis Saul sibi filiam iunxit, dum fortis manu Iesus, ac merito desiderabilis, eam de superbi huius mundi Principis obsequio sustulit, sibique confœderationis intimæ glutino coüniuit. Quam videlicet Michol, quæ sancta Electorum est Ecclesia, superbus ille Saul, hoc est, malignus spiritus, cum Merob auferre minime valet; quia fidelis custos irreuocabiliter eam suæ dilectionis obstrinxit amplexibus, qui in Euangelio clamat: Oues meæ vocem meam audiunt, & non peribunt in æternum, & non rapit eas quisquam de manu mea.

Qui contempta terrenæ conuersationis, concupiscentiæque structura, spiritalis ædificij fabricam construunt, hi quasi lateres in lapidem vertunt: & non in arena mundanæ spei, sed in petra Fidei, quæ Christus

Marginal notes: Crucis sacrificium. — Heb. 10. v. 27. — Cant. 1. v. 2. — 2. Cor. 2. v. 14. — 1. Reg. 18. v. 20 — Matt. 20. v. 16 — Michol Ecclesiæ figura. — Ioan. 10. v. 28. — 1. Cor. 10. v. 4.

est, atria numquam lapsura, constituunt. Vnde per Esaiam dicitur: Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus: Sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus. Lateribus quippe candentibus, & lapidibus quadris ædificat, quisquis vitiorum, voluptatumque lasciuiam districtioris vitæ rigore castigat, qui legem carnis lege spiritus superat, qui fortitudinem corporis animi virtute demutat. Vnde rursus per Esaiam dicitur: Qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem. Nam dum non assumunt, sed mutabunt, dixit: patenter innotuit, aliam esse fortitudinem, quæ deponitur: aliam, quæ nouiter inchoatur. Hinc Electis per Psalmistam dicitur: Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes, qui speratis in Domino. Hinc Salomon ait: En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël. *Esa. 9. v. 10.* *Esa. 40. v. 31.* *Psal. 30. v. 25.* *Cant. 5. v. 7.*

Inebriauit me absynthio. Ebrius quippe, quod tolerat, velut arrepticius pæne, vel mente captus, ignorat. Quilibet ergo peruersus dum mũdi lucra phrenetice concupiscit, qui tot laboribus premitur, ea quæ patitur, mala non sentit: quoniam ad cuncta delectabiliter ducitur, in quibus pœnaliter fatigatur. *Thren. 3. v. 15.*

Sicut oues in inferno positi sunt, & mors depascet eos. Oues habet Christus, quas ad amœna virentia caulis cælestibus introducat: oues habet, & ille rugiens, quas insatiabili cruentus ore deglutiat. Qui bene mors dicitur, quia cum sit auctor mortis, ad inferendum nobis interitũ crudeliter efferatur. Vnde Ioannes: Et ecce, equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi mors. *Psal. 48. v. 15.* *Apoc. 6. v. 8.*

EPIST. XIII. Ad Sororem suam.

ARGVMENTVM.

Rogatus à Sorore, de mundi interitu, Antichristi aduentu, & Iudicio supremo disserit: cuius quidem iudicij diem semper ante oculos habendam esse ait.

Dulcissimæ sorori Ill. Petrus peccator Monachus humilem in Domino seruitutem.

QVod à me, Soror charissima, petis notũm fieri tibi; quid antẽ mundi creationem, &c. *Eadem est hæc Epist. quæ & 16. lib. 6. tom. huius.*

EPIST. XIIII. Ad Sorores suas Rodelindam, & Sufficiam.

ARGVMENTVM.

Rodelindam, atque Sufficiam, ambas marito orbatas, ad seruandam non solum corporis, sed etiam mentis, ab omni labe intactam puritatem, cogitationesque immundas omni studio euitandas, hortatur. Quod vt facilius præstare possint, patientiam in tribulationibus, orationem sine intermissione: frequentem, & sinceram confessionem: mansuetudinem in inimicos, & contumeliosos: misericordiam in pauperes: & denique curarum sæcularium ablegationem maximo eis adiumento futuras esse, testatur.

Charissimis in Christo sororibus Rodelindæ, atque Sufficiæ, Petrus peccator Monachus intimæ germanitatis affectum.

VBeres diuinæ dispensationi gratias refero, dum vos, fama discurrente, comperio, & in virtutum spiritualium feruere vnanimiter studijs, & tamen diuersis mundi subiacere pressuris. Nota siquidem est regularis illa supernæ iustitiæ linea, qua inuisibilis Arbiter eos in hac vita temporalis ærumnæ flagellis erudit, quibus tradere perpetuæ hæreditatis iura disponit, eosque tamquam seruos duris verberibus afficit, quos iam per occultæ cautionis edictum, vt reuera filios in patrimonium capessendæ propriæ possessionis adsciuit. Quisquis enim dum recta agit, successibus affluit, dignum profecto est, vt eius cor formido concutiat; ne dum meritis suis recompensari conspicit temporalia, minora fortasse, vel nulla redhibeantur æterna. At qui bona operatur, & flagellis atteritur, certus iam non immerito de retribuenda sibi bona, conferta, & coagitata laborum suorum mensura lætatur, quia tanto post in patria creuisse summam crediti fœnoris inuenit, quanto prius in via, nec stipendium quidem momentaneę prosperitatis accepit. Hinc est, quod per B. Iacobum dicitur: Omne gaudiū existimate, fratres mei, cū in tētationes varias incideritis. Hinc & Salomō ait: Quē diligit Dominus, corripit: flagellat autem omnē filiū, quem recipit. Non igitur immerito gaudet, qui in sancta conuersationis itinere constitutus, dum se flagellis considerat vltoribus cingi, in sortem filiorum Dei se non ambigit adoptari. Hoc tantum sollicita consideratione cauendum est, ne inter ipsa rectitudinis opera quibus

Tribulatio signum est diuinæ dilectionis, & pignus cælestis gloriæ.

In prospera fortuna timēdum.

Iacob. 1. v. 2.

Prou. 3. v. 12.

debetur vtique præmium, admisceamus etiam quædam praua, licet minima, quibus irrogetur saltem temporale supplicium. Vnde & Petrus ait: Nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Quisquis ergo, vel aliena cupidus appetit, vel maledicis in quempiam verbis excedit, quia digne patitur, passionis suę præmium non meretur. *1. Pet. 4. v. 15.*

Vos autem, dilectissimæ, quia soluto coniugali vinculo, vidualem continentiam profitentes, non modo ad immortalis Sponsi copulam transmigrastis, sed & incentiua omnia carnalis illecebræ mirandi feruoris instantia reprimere, immo crucifigere decreuistis, & vosmetipsas ab inferenda prorsus læsione compescite, & illatas ab alijs æquanimiter tolerate. Vt quia Redemptor & mala non fecit, & Crucem pertulit: iam in vobis eiusdem summi Sponsi arra fœderalis appareat, dum vię eius & vita vestra concordat. Et si enim Agnum non valetis sequi, quocumque ierit, tamquam virgines, sufficiat eum vobis imitari per viam patientiæ, qui profecto per mortem transijt in resurrectionem vitæ. Et ne diuturna fortasse molestia vobis ingerat tędium, Euangelica illa Anna vestræ viduitati proponatur exemplum. Quæ nimirum, Scriptura teste, septenni coniugio fruita, iam vsque ad octoginta quatuor annos in viduitate processerat: verumtamen quæ tam prolixum, tam annosum viuendi tempus accepit, numquid vel vacando fabulis, vel delitiose viuendo, curuatrices anilis æui molestias temperauit? Sed continentiæ longæuitate præmissa, protinus Euangelista subiungit: Quia non discedebat de templo, ieiunijs, & obsecrationibus seruiens, nocte, ac die. Quid, quæso, hæc mulier faceret, si adhortationes Apostolicas legeret: Orate sine intermissione: præsertim si ipsum Dominum prouocantem nos ad studium continuæ orationis audiret? Porro, quia antequam Euangelium discere potuisset, impleuit: prophetica Dominum inspiratione cognoscere, atque, vt ita fatear, Euangelista facta, eius meruit præsentiam nunciare. Sicut legitur: Quia hęc ipsa hora superueniens, confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Hierusalem. Hanc itaque egregiam viduam quasi signaculum quoddam vobismetipsis solerter imprimite, vt veræ viduitatis mereamini præmium reportare. Illud Apostolicum iugi memoria retinentes, quo dicitur, Quæ autem vere vidua est, & desolata sperauit in Domino, & perstitit in oratione noctę, ac die. Illud autem, quod sequitur, audirę non indigetis: quia per Dei gratiam sollicita prouisione cauetis: Quæ autem in delitijs agit, viuens mortua est. Plane si vxoresque quælibet mortalibus viris placere summo desiderio satagunt, quanto vigilantius, quantoque subtilius sanctę viduæ debent interioris hominis speciem decusando, componere; vt inuisibilis Sponsi decoræ valeant obtutibus apparere? Nam, sicut idem ait Apostolus, quæ innupta est, sollicita est, quæ sunt Domini, vt sit sancta corpore, & spiritu quæ autem nupta est, sollicita est, quę sunt mundi, quomodo placeat

Viduę sequuntur Agnum per patiētiam.
Apoc. 14. v. 4.
Anna est viduarum exemplum.
Luc. 2. v. 36.
Ibid. v. 37.
1. Tess. 5. v. 17.
Anna meruit esse Christi Euangelista.
Luc. 2. v. 38.
1. Tim. 5. v. 5.
Ibid v. 9.
Viduarum studiū debet esse, vt placeāt Deo.
1. Cor. 7. v. 34

viro. Sollicita est nupta, ne in aliquo displiceat viro post paululum morituro; quanto solertius studendum est viduæ placere cælesti sponso per sæcula regnaturo? Studet nupta, vt virum suum faleratæ compositionis forma demulceat: quanto magis enitendum est viduæ, vt in conspectu Dei sanctis virtutibus, tamquam rutilantibus margaritis, ornata nitescat? Contendit illa, vt venusti vultus appareat, vt decori eius nullius fœditatis næuus obrepat; quanto cautius sanctæ viduæ satagendum est, ne mens eius implacabilis odij, vel turpis concupiscentiæ squalore sordescat? Illud denique arctius mentibus vestris infigite, illud sedula meditatione versate, quod dicitur, vt sit sancta corpore, & spiritu. Quid enim prodest castitas corporis, quid castigatio, vel afflictio carnis, si desit puritas, & munditia cordis? Beati siquidem mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt. Hinc est, quod animæ noxia cogitanti, sub typo Hierusalem per Hieremiam dicitur: Laua, inquit, a malitia cor tuum Hierusalem, vt salua fias; vsquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? Noui sane, & satis, superque expertus sum, quia quo remotius a mundi negotijs, vel seculari conuersatione seceditis, eo molestius importuno cogitationum ingruentium strepitu laboratis; præsertim cum in vobis euidenter impleatur, quod prophetice per mysterium dicitur: Frater iniquus supplantauit me, & omnis amicus fraudulenter incedit in me.

Ibid. v. 34. Nil prodest castitas corporis sine mētis puritate. *Matt 5. v. 8.* *Hier. 4. v. 14.* Cogitationes impuræ molestius affligunt conuersationē sæcularem fugientes. *Hier. 9. v. 4.*

Qua propter si inter vberes bonorum operum segetes, quas excolere non cessatis, quidam compungentium cogitationum vepres ex illa fortassis pressurarum radice nascuntur, sarculum protinus salutiferæ confessionis, ac propriæ correptionis arripite, & virosum germen de rure cordis vestri radicitus extirpate. Qua de re bene per Prophetam diuina vox præcipit, dicens: Nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas. Quid autem sit, quod præmisit, mox aperit cum subiungit: Circumcidimini, inquit, Domino, & auferte præputia cordium vestrorum, viri Iuda, & habitatores Hierusalem. Nouale igitur nouant, qui cordis agrum, licet iam ante proscissum, crebris adhuc piæ confessionis vomeribus sulcant: & male læta passionum carnalium germina, quia semel excisa renasci, ac pullulare nō desinunt, acuto semper propriæ correptionis, & pœnitentiæ ligone recidunt. Si igitur nouale nouatur, super spinas non seritur; quia crebris confessionum, atque correptionum vomeribus insulcati, horrentia cogitationum dumeta recidimus, vt in munda cordis planitie piæ conuersationis semina conspergamus. Quod nimirum iccirco viris Iuda, & habitatoribus Hierusalem specialiter exequendum esse præcipitur: vt ij præcipue aduersus internorum motuum bella confligere moneantur, qui, contempto mundi turbine, & in confessione veritatis sunt stabiliter fixi, & visioni summæ pacis vigilanter intenti. Quod etiam vobis aptissime congruit,

Sacramentalis confessio remedium puritatis. *Hier. 4. v. 3.*

quæ ad Deum, accenso mentis desiderio, medullitus æstuantes, sęuientis mundi mala perfertis, quia blandimentis illecebras non amastis. Et quoniam versutus artifex ad referendas inferentibus contumelias vos nequit accendere, cauendum vobis summopere est, ne vel latenter in eorum possit odium concitare: & quia longo iam tempore vobiscum dimicans, Deo pro vobis stante, in campo operis coactus est perdere, prouidendum est, ne in ipsa cogitationis domo per remissæ securitatis inertiam valeat obtinere: vt quarum videlicet manus sunt extrinsecus mundę per innocentiam, cor oculis Dei cruentum machinetur exhibere per iram; cum Dominus per Prophetam legales cerimonias implentibus, dicat: Quis quęsiuit hæc de manibus vestris? manus vestræ sanguine plenæ sunt. Quod nimirum illis dixit, quorum cor malitia plenum esse prouidit.

Non solum manus, sed etiam cor ab impuritate custodiẽdum.

Esa. 1. v. 15.

Quia igitur, dilectissimę, vita vestra tam sancta, tam honesta, tamque districta esse perpenditur, vt quantum ad opera nequaquam nostræ exhortationis indiga videatur, vt tamen & nostro stylo quilibet in ędificatione vestra pateat locus, ad ipsa mentis arcana recurrimus, vbi necesse est, vt quanto quis fuerit in virtutibus eminentior, tanto sit in cauenda tentatione subtilior. Callidus enim hostis idipsum sæpe vertit in materiam pugnæ, quod factum est causa victoriæ. Huc accedit, quod ipse omnipotens Deus in mentibus habitat Electorum. Licet enim & in castis corporibus habitare credendus sit, dicente Apostolo: Corpus vestrum templum in vobis est Spiritus sancti, quem habetis a Deo; menti tamen specialis eius sedes adscribitur, quę subiecto corpori quadam regiminis auctoritate principatur. Sicut idem dicit Apostolus: Spiritum sanctum in cordibus nostris habitare per Fidem. Nimirum, vt sicut anima corporis membra viuificat, sic & ipsa a Deo viuificata subsistat. Si igitur in mentibus vestris dignum Deo vultis cubile construere, studiose contendite ipsas mentes omni simultatis, & odiorum fomite, omni denique malitiæ labe purgare.

1. Cor. 6. v. 19.

Ephes. 3. v. 17.

Regem sane quis excepturus hospitio, quid prodest si tota domus atria diuersis toreumatibus instruat, si per laquearia quæque carbasina vela suspendat? Si omnia certe munda, & nitida oculis aduentantis exhibeat, solum autem cubiculum, vbi ille requieturus ingreditur, sordidum reperiens, perhorrescat? Quia ergo vos per assiduę orationis instantiam, per quotidiana fere ieiunia, per candorem pudicitiæ matronalis, corpora vestra in sancta munditia custoditis, erga cogitationes quoque districtam semper sollicitudinem exhibete: vt quoniam cælesti Sponso thalamum in vestra mente construitis, nil ibi fœdum esse, nihil inordinatum, quod eius oculos possit offendere, permittatis. Lux enim vera tenebras odij non inhabitat,

Non potest Deus in corde habitare, in quo odium latet.

& Princeps pacis impacatæ mentis hospitium non requirit. Enim vero non ignoratis quasdam carnaliter conuersantes, diuersas inter dentes aromatum, ac pigmentorum species terere, vt viris suis iucundius valeant redolentis fragrantiæ nitore placere. Lingua quoque vestra, & labia a diuinis laudibus numquam sint otiosa: sed semper Psalmos, semper orationes, velut aromata terendo, reuoluite, vt in conspectu Dei non immerito possitis odorem suauitatis offerre. Illud etiam vos non latet, quia puellæ in domo parentum cum puberes adolescere, cum iam nubilibus incrementis cœperint propinquare, scientes, quia paterna substantia masculini sexus hæredibus permaxime reseruetur, capsidilia sibi, quædamque marsupiorum receptacula comparant: vt quæque potuerint hinc inde corradere, his studeant cautius infercire: quatenus ad nuptiales thalamos transeuntes, tanto minus apud extraneos erubescere compellantur, quanto eas ex paterna domo congestarum opum ditior copia comitatur. Vos itaque, quæ ad cælestes nuptias firmę spei gradibus festinatis, non paruam partem vestræ substantiæ in tuto loco reponite, vt ad immortalem Sponsum sine vlla debeatis confusione transire: marsupium autem, vbi hæc tutissime reponantur, sinus est pauperum, substentatio miserorum. Hoc nimirum fidele est depositarium sine vllo prorsus detrimento, quod susceperat, redditurum. Nolite ergo sic ramanentibus cuncta relinquere, vt negligatis etiam vobismetipsis, paulo post hinc emigrantibus, prouidere: quod si facultas non suppetit, si egestas vos rei familiaris angustat, qui minuta Viduæ diuitum muneribus prætulit, vestra quoque munuscula, vel perexigua intra gazophylacium exauditionis suæ non ingratus admittit. At si & hæc, quod non credimus, omnino defuerint, pias lachrymas, profundos gemitus, alta suspiria, vos offerre sufficiat: vltro etiã quidquid sapitis, quidquid potestis, quidquid viuitis, quidquid est, quod spiratis, in ara vestræ deuotionis imponite: & sic vosmetipsas Deo, quod holocaustis omnibus maius est, sacrificium adolete. Horrete itaque colloquia sæcularium, carnalium deuitetur aspectus, vestra denique non omnibus ianua pateat: donec aduentus causa discatur, nonnullis prohibeatur accessus. Iudith etiam illa sancta vobis viuendi sit norma, & vidualis continentiæ disciplina. De qua videlicet sacra Scriptura testatur his verbis: Quia in superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur, & habens super lumbos suos ciliciũ; ieiunabat omnibus diebus vitæ suę, præter sabbata, & Neomenias, & festa domus Israël. Considerandum plane quantis hęc vidua fuerit digna pręconijs, quę tanto igne diuini æstuabat amoris. Porro autem vidualis officij limite non contenta, ad hoc vsque in sancta religione processerat: vt iam non sola, sed & cum ancillis suis fieret Eremita; de domo communi reclusorium fecit, & in populosa Vrbe amor artifex solitudinem reperit. Quantis illa mundanæ prospe-

Diuinæ laudes sunt aromata in labijs iustorum.

Pauperes sunt fidele diuitiarum depositarium.

Luc. 21. v. 3.

Pauperes quid Deo debent offerre.

Viduæ carnalium colloquia, & aspectus vitare debent.

Iudith 8. v. 5.

Iudithæ laudatio.

Amor diuinus in populosa vrbe solitudinem reperit.

prosperitatis dotibus affluebat, quę nimirum blande lenocinantis secundas sibi illicere nuptias poterant. Sicut enim sacra narrat Historia: Erat eleganti aspectu nimis, cui vir suus reliquerat diuitias multas, & familiam copiosam, ac possessiones armentis boum, & gregibus ouium plenas: & , quod his omnibus est longè præstantius, dicitur etiam, quia erat in omnibus famosissima, quoniam timebat Deum valde, nec erat, qui loqueretur de illa verbum malum. Sed quando ista procos admitteret, dum puellarum quoque eius alloquium cuipiam facilè non pateret; quo pacto ambiret vestium cultum, cuius assiduè terebat membra cilicium? an fortasse lautioribus epulis esset intenta, quam quotidiana macerabat inedia? Sed ad hæc fortassis obijcitis, quia facile se exercere in virtutibus poterat, quæ tot prosperis vndique successibus affluebat, at quibus viuere vtcumque deest, virtutum vitam ducere quomodo libet? Facile scilicet abstinemus oblatis, auidius plerumque solemus inhiare subductis. Fateor plane, quia spontanea oblatio lætificat offerentem, coactiua necessitas tabescentem obnubilat voluntatem. Sed esto quia Iudith diuitis causamini vobis copiam debaberi; numquid paupercule illius Moabitidis, Ruth videlicet, exilium, calamitates, famem, sitim, laborum intolerabilium patientiam ignoratis? Numquid vobis pro pudicissimæ viduitatis aliquádiu honestate seruanda,† ad tantam illam deuenisse penuriā, vt resides spicas post metentiū terga colligeret, & virga cadens, non dicam virili, sed humano destituta prorsus auxilio, ipsa quod collegerat, trituraret. Nimirū ex qua tantorū Regum soboles fuerat processura, tamquā vile mancipiū, seruilibus operibus videbatur addicta. Inter tot autē pressuras, atque angustias coarctata virtutes animi non deseruit: & inopis quidem vitę pondus, quo premebatur, ęquanimiter tulit: ab intimę vero nobilitatis culmine vtpute digna Dauid proaua, degenerare indignum duxit. Socrui reuerentiam dignam exhibuit, matronalē pudicitiā tenuit, defuncto viro fidē seruauit, idolis deditā patriā, parentesq; deseruit, & ad cultū veri Dei sine vllo doctoris magisterio nobilis proselyta trāsiuit. Ecce igitur Iudith prospera, quibus in vita fulciebatur, abijciens: Ruth aduersa, quibus premebatur, amplectens: vtraque scilicet mente vna, licet diuersa fortuna, vni Deo non immerito placuit. Quia nec aduersis ista succubuit: nec in prospera suimet obliuiscens, sese illa deiecit. Sed illa tolerabat, quibus abundabat; ista fruebatur, quę patiebatur. Vtraque nimirū de mundanæ inconstantiæ alternitatibus asserens, Sicut tenebræ, inquit, eius, ita & lumen eius. Et cū vna contenta sit primis, altera nuptijs sit aptata secūdis, licet Ruth thalamos iterauerit, a castitatis tamē habitu non recessit, quia vidualis continētia in coniugalem pudicitiā non libidine carnalis illecebræ, sed diuina potius est dispositione mutata. Quid autem de ipsa beatissima Dei Genitrice cōmemorem, quæ & terrenarū opum copias non possedit, & immanissimi doloris amaritudinem pertulit? Cui nimirū vere prędictum est: Et tuā ipsius animā pertrāsibit gladius. Si enim omnipotens Deus huius

Ibid. v. 7.

Ruth. 1. v. 15.
Pauperate nō excusamur a Dei seruitio.
Ruth. 2. v. 3.
† locus mutilus.

Nec aduersæ, nec prosperæ res a Dei amore nos impedire possunt.
Psal. 138. v. 12.

Luc. 2. v. 35.

vitę prospera magni penderet, nullatenus ipsam singularem, ac perpetuam Virginem, ex qua incarnari dignatus est, affici doloribus permisisset. Quapropter & vos, iuxta B. Petri sententiam, eadem cogitatione armamini, & mala mundi per patientiã vincite: quæ profecto non ignoratis, omnes Electos ab ipsa humani generis origine pertulisse. Vnde dicit Apostolus: Quia per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnũ Dei. Enim vero non incredibile est, quia si hęc vita vobis blandita mitesceret, a cęlestis desiderij cursu vos aliquatenus retardaret: & mens vestra eotenus a Deo frigesceret, quo in æstu rerũ temporaliũ requiem inueniret. Ideo igitur diuina dispensatio in huius vitæ salo procellosis hinc inde turbinibus, & quodãmodo violentis ventorũ furentium flatibus vos fluctuare permittit; vt mens vestra auidius ad superna desideria trãseat, dum inter ima non inuenit, vbi delectabiliter requiescat. Agar namque prosperis fulta, contra dominam tumuit: afflicta postmodum, & in solitudinibus exul oberrans, alloquium Angeli læta promittentis, accepit. Rachel donec sterilitatis infortunio laborauit, vero Deo reuerentiam digni cultus exhibuit; postquã autẽ, edito Ioseph, fœcunditatis meruit donum, Laban patris furata est idolũ. Vos etiã si iuxta votum erecta in cumulũ vnda prosperitatis attolleret, vel admissi cuiusquam piaculi naufragium absorberet, aut certe a litore quietis intimæ mentes vestras fluxa lętitia procul abduceret. † ...

[1. Pet. 4. v. 1. | Act. 14. v. 21 | Affligit Deus Electos suos, vt cælestia appetant: terrena despiciant. | Bona tribulationis. | Gen. 16. v. 11. | Gen. 31. v. 19.]

Vnde vos hortor, & solerter admoneo, ne diuinis beneficijs inueniamini, quod absit, ingratæ: sed gubernatori vestro Deo dignas semper gratias agite. Qui nimirum peccandi vobis materiam subtrahens, tamquã a noxijs vos prohibet alimentis, vt ad robur æternæ prouehat incolumitatis. Flagellis vos durioribus cingit, verberibus erudit; vt margarita sua nunc limet, & poliat, quæ postmodum sine tinnitu securis, & mallei, vel cuiuslibet ferramẽti sonitu, in templi cęlestis ædificio ponat. Igitur, dilectissimę, cum vobis ex huius mundi turbinibus frementior tempestas ingruerit, cum illata ab aduersarijs iniuria vos contumeliosa percellit, orationis illico latibulum petite, ad fletus, & lamenta concurrite, atque ab æstu persequẽtium ad lacrymarum protinus refrigerium festinate: vt dum mens vestra foris non inuenit, vbi valeat secura quiescere, se intra se colligens, ab omni studeat mundani strepitus perturbatione sopire. Neque vos ab orationis studio fletus ariditas frangat, videlicet mox vt conamini, lacrymæ non erumpant. Ieiunij nãque, cui vos districtius inhæretis, hæc esse natura dignoscitur, vt cum multos prouectuum fructus accumulet, interdũ tamen & iras accendat, & lacrymas minuat. Et de ira quidẽ, quia per ieiuniũ crescat, manifesta est Esaiæ sentẽtia, qua dicit: Ecce, inquit, ad lites, & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impie. Quod autem longo ieiunio lacrymæ subtrahantur, testatur Iosephus, qui cũ vindictã, quæ Hierusalẽ, & persecutoribus Domini a Vespasiano, & Tito Principibus est irrogata, narraret, inter cætera vltriciũ pœnarũ genera, hoc etiã addidit, dicens: Sed nec planctus, inquit, ex

[† | 3. Reg. 6. v. 7. | In afflictionibus ad preces & lacrymas confugiendũ. | Ieiunio sæpe ira accenditur & lacrymæ minuuntur. | Esa. 58. v. 4.]

more defunctis exhibebatur, aut luctus; quia hoc sibi totũ vindicauerat fames, sed nec ariditas inediæ humorem cuiquam reliquerat lacrymarũ. Vnde cum visibiles lacrymas non potestis ex oculis carnis exprimere, sufficiat vobis excessus proprios intra contriti cordis arcana deflere. Ibi tenebras admissi reatus aspicite: & quia dignum est, quod patimini, ipsę quoque sententia recti examinis iudicate. Lux namque inter tenebras conualescit: & Lucifer, qui in die oculos fugit, in nocte radios proprij splendoris expandit. Nos itaque si verã lucem in cordibus nostris oriri volumus, non nos lucem esse fingamus, sed reatus nostri tenebras, veraciter agnoscamus: & tunc leue nobis videbitur omne, quod patimur: quia valde grauius esse perpendimus, quod meremur. Notandũ autem quia sicut qui non vident, acutius audiunt; vt tamquã viuacitas sensus quæ vni mẽbro subtrahitur, ad aliud cumulatius transferatur, ita nonnulli calcata luxuria, in auaritiam acrius inardescunt: & humana concupiscẽtia dũ a libidinis voluptate cõpescitur, maioribus viribus in acquirendarũ opũ se porrigit appetitũ. In vobis autẽ simul frigescat amor diuitiarũ cum ipso desiderio nuptiarũ vt liberalitas vestra pie ferueat adiuuandis egenis, non inextinguibiliter ęstuet ditandis auaris. Absit autem vt nummus viro in vestri cordis amore succedat, sed potius pro carnalibus delitijs spirituales epulæ mẽtes vestras delectabiliter pascant: videlicet diuinorum verborũ assidua meditatio, psalmus, bona cogitatio, pij operis frequentatio, expectatio mortis, spes futuri sæculi & cętera his similia: quibus nimirũ mens salubriter pascitur, & vt reuera cælestibus epulis anima saginatur. Sed dũ vestrę charitatis allocutionẽ longius protraho, Epistolaris cõpendij metas excedens, vt ita loquar, breuem, non breuiter scribo. Enimuero dum non vrbanitati propriæ, sed vestræ potius ædificationi consulere gestio, prolixius loquens, loquẽdi regulam non obseruo. Denique mihi quoque non modice præstatis, si consummari in sanctarum virtutũ perfectione contenditis. Qui enim Lazarum fidelium Sororum precibus resuscitatum fuisse non ambigo; ipse quoque de peccatis ad innocentiã reformari per vestra merita, si iuxta Fidem fuerint digna, confido. Amator animarum pius, & omnipotens Deus, & me vestris orationibus in rectitudinem dirigat, & vos meis adhortationibus ad altiora perducat. Sit nomen Domini benedictum.

Fl. Ioseph. de bell. Iud.

Consideratio pœnæ peccatis debitæ, tribulationes frangit.

Ioan. 11. v. 33.

Finis Epistolarum B. P. Damiani, S. R. E. Cardinalis Episcopi Ostiensis, ex ordine S. Benedicti Doctoris disertissimi, ac sanctissimi.

D. Constantinus Gaëtanus, Siculus, Syracusanus, Monachus Casinensis.

Et exultabit lingua mea iustitiam tuam, Deus.



INDEX SCRIPTVRARVM VETERIS TESTAMENTI, QVÆ HOC OPERE citantur & interpretantur.

EX GENESI.

1. Dixit Deus: Fiat lux. 143
1. 2. Spiritus Dei ferebatur super aquas. 541. 549
1. 5. Factum est vesperè & manè dies sextus. 142
ibid. 7. Diuisit quoque Deus aquas, quæ erant sub firmamento, ab eis quæ erant super firmamentum. 541
1. 31. Vidit Deus cuncta quæ fecerat & erant valde bona. 233
2. 1. 2. Compleuitque Deus die septimo opus suum quod fecerat: & requieuit die septimo ab vniuerso opere quod patrarat. 142
2. 3. Benedixit Deus diei septimo & sanctificauit illum, quia in ipso cessauerat ab vniuerso opere suo. 146
2. 25. Erat itaque nudus, & non erubescebant. 453
3. 1. Erat serpens callidior cunctis animantibus terræ. 712
3. 5. Scit Deus, quòd in quocumque die comederitis ex eo, haud dubium, quin ponto aperientur oculi vestri, 64
Ibid. Eritis sicut Dÿ scientes bonum & malum. 106. 350. 512.
3. 6. Vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum: & pulchrum oculis, aspectúque delectabile. 64
3. 7. Cumque cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata 453
ibi. 10. Vocē tuam audiui in paradiso, & timui, eò quod essem nudus, & abscondi me. 453. 514
3. 11. Quis enim indicauit tibi, quòd nudus esses, nisi quod ex ligno de quo tibi præceperam ne comederes, comedisti? 454
3. 12. 13. Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. 68
3. 16. Sub viri potestate eris, & ipse

dominabitur tibi. 651

3.18. *Maledicta terra in opere tuo, quæ spinas & tribulos germinabit tibi.* 139. 725

4. 7. *Si rectè offeras, & rectè non diuidas, peccasti.* 345

4. 9. *Numquid custos fratris mei sum ego?* 78

4. 10. *Ecce vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* 357

5. 4. *Adam genuit Seth, Seth genuit Enos, Enos genuit Cainam, Cainan genuit Malalehel, Malalehel genuit Tareth, Tareth genuit Hencoh.* 442

6. 6. *Pœnitet me fecisse hominem.* 223

8. 9. *Cum non inuenisset vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad Noë in arcam.* 549

9. 2. *Terror vester ac tremor sit super cuncta animantia terræ, & super omnes volucres cæli, cum vniuersis quæ mouentur super terram: Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt.* 268

9. 20. *Cœpit Noë vir agricola exercere terram, & plantauit vineam.* 543

ibid. *Bibensque vinum inebriatus est, & nudatus est in tabernaculo suo.* 543

10. 25. *In diebus Phaleg diuisa est terra.* 614

11. 2. *Cum proficiscerentur de Oriente, inuenerunt campum in terra Sennaar, & habitauerunt in eo: dixitque alter ad proximum suum: venite, faciamus lateres, & coquamus eos igni: habueruntque lateres pro saxis, & bitumen pro frumento.* 728

ibid. 4. *Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrem, cuius culmen pertingat ad cælum: & celebremus nomen nostrum antequàm diuidamur in vniuersas terras.* 728

ibid. 9. *Iccirco vocatum est nomen eius Babel, quia ibi confusum est labium vniuersæ terræ, & inde dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum.* 728

12. 1. *Veni in terram, quam monstrauero tibi.* 536

14. 7. *Egressi filij Israel venerunt ad fontem judicij, hic est Cades, & interfecerunt omnes principes Amalech, & Amorrhæos, qui habitabant in Asason Thamar.* 369

14. 23. *Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum, possessorem cæli & terræ, quod à filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua sunt.* 122

15. 10. *Cùm sol occumberet, sopor irruit super Abraham, & horror magnus, & tenebrosus inuasit eum.* 67

15. 10. *Qui tollens vniuersa hæc, diuisit ea per medium, & vtrasque partes contra se altrinsecus posuit, aues autem non diuisit.* 67

15. 11. *Cum Abraham Deo sacrificium de pecoribus deuotus offerret, descenderunt volucres super cadauera, & abigebat eas Abraham.* 212. 453

ibid. 17. *Cum ergo occubuisset Sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans.* 67

18. 1. *Apparuit ei Dominus in conualle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso feruore diei.* 471. 514

18. 6. *Cum venissent ad Abraham tres viri, festinauit in tabernaculum ad Saraam, dixitque ei: Accelera, tria sata similæ commisce, & fac subcinericios panes.* 651. 652

ibid. *Ipse verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, optimum.* 652

ibid. 8. *Tulit quoque butyrum, & lac, & vitulum quem coxerat, & posuit coram eis, ipse verò stabat juxta eos sub arbore.* 652

18. 20. 21. *Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis: descendam, & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est, ita vt sciam.* 5. 251

18. 21. *Desierant Saraæ fieri muliebria.* 651

ibid. *Postquam consenui, & Dominus meus vetulus est voluptati operam dabo?* 651

18. 27. *Loquar ad* Dominum *meum, cùm sim puluis & cinis?* 77

19. 22. *Festina igitur, & saluare ibi, quia non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc.* 223

19. 23. *Sol ortus est super terram, & Loth ingressus est Segor.* 471

21. 12. *Omnia quæ dixerit tibi Saraa, audi vocem eius.* 651. 667

23. 6. *In electis sepulturis nostris sepeli mortuum tuum, nullúsque te poterit prohibere.* 300

ibid. *Appende pecuniam, & suscipe sepulturam.* 300

25. 5. *Dedit Abraham omnem hæreditatem filio suo Isaac: filijs autem concubinarum dedit munera, & segregauit eos à filio suo Isaac.* 177. 402

25. 27. *Simplex habitat in tabernaculis.* 70. 71

27. 27. *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* 248. 462. 525

28. 20. *Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, erit mihi Dominus in Deum.* 504.

31. 14. Numquid *habemus residui quidquam in facultatibus, & in hæreditate domus patris nostri?* 134

ibid. 15. *Nonne quasi alienas reputauit nos, & vendidit, comeditque pretium nostrum?* 134. 135

ibid. 40. *Die noctúque æstu vrebar, & gelu: fugiebat somnus ab oculis meis, sic per viginti annos seruiui tibi in domo tua.* 135.

32. 2. *Castra Dei sunt.* 409.

36. 24. *Iste est Ona, qui inuenit aquas calidas in solitudine, dum pasceret asinos Sebeon patris sui.* 187

34.2.3. *Dinam Liæ filiam cùm vidisset Sichen, filius Hemor Henæi princeps terræ illius, adamauit, & rapuit, & dormiuit cum ea, vt opprimens virginem: & conglutinata est anima eius cum ea, tristemque blanditijs deliniuit: eamque tam impatienter amauit, vt non modo se, sed & omnes suæ ciuitatis masculos circumcideret, vt eius dumtaxat potuisset coniugium obtinere.* 108

35.18. *Egrediente anima* Rachel *præ dolore, & imminente iam morte, vocauit nomen filij sui Benoni, id est filius doloris mei, Pater verò appellauit eũ Benjamin, id est filius dexteræ.* 217

38.9. *Onam introiens ad vxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur.* 483

ibi.10. *Iccirco percussit eum Dominus, eò quod rem detestabilem faceret.* 283

43.32. *Illicitum est Ægyptijs comedere cum Hebræis, & profanũ putant huiuscemodi conuiuiũ* 712.

45.26. I*oseph filius tuus viuit, & ipse dominatur in tota terra Ægypti* 421.

46.34. *Detestãtur Ægiptij omnes pastores ouium* 712.

49.6. In *concilio eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorũ non sit gloria mea: Quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum* 108.

49.9. C*atulus leonis Juda.* 249

49.11. *Lauit in vino stolam suam, & in sanguine pallium suum* 139.

49.26. *Benedictiones Patris tui confortatæ sunt, benedictionibus Patris eius,* 305.

EX EXODO.

2.12. V*Idit virum Ægyptium percutientem quemdam de fratribus suis, quem illico percussum abscondit sabulo.* 181.

3.5. *Ne appropies huc, solue calceamentum de pedibus tuis. Locus enim in quo stas, terra sancta est* 302.

3.14. *Ego sum qui sum, Et hæc dices itaque filijs Jsrael, Qui est misit me ad vos.* 224. 227. 243.

4.3. Dixit *Dominus ad Moysen: Projice virgam quam in manu gestas, in terram: & projecit, & factus est serpens.* Expauit *ilico Moyses, & fugit. Et ait illi Dominus:* Apprehende *caudam eius, & apprehendit, factáque est iterum virga* 729.

4.10. *Obsecro Domine non sum eloquens ab heri & nudius-tertius; & ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum* 687.

4.14. *Aaron frater tuus Leuites, scio quod eloquens sit: nullus supernæ claritatis splendor accessit* 687.

Ibid. 15. *Ego ero in ore tuo, & in ore illius: & ostendam vobis quid agere debeatis: ipse loquetur pro te ad populum & eris os tuum*

tuum, tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent. 687
4.24. *Cúmque esset in itinere in diuersorio Moyses, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* 411
ibi.25. *Tulit ilicò Sephora acutissimam petram, & circumcidit præputium filij sui.* 411
5.17. *Vacatis otio, & idcirco dicitis, eamus, & sacrificemus Domino.* 468
5.21. *Videat Dominus & iudicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone, & seruis eius.* 5
7.12. *Proiecerunt singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones & deuorauit virga Aaron virgas eorum.* 714
8.19. *Digitus Dei est hoc.* 491
9.31.32. *Linum & hordeum læsum est, eò quod hordeum esset virens, & linum jam folliculos germinaret: triticum autem & far non sunt læsa, quia serotina erant.* 74
10.15. *Operuerunt vniuersam superficiem terræ, vastantes omnia.* 727
ibid. *Deuorata est igitur herba terræ, & quicquid pomorum in arboribus fuit quæ grando dimiserat.* 74.727
13.17. *Cum emisisset Pharao populum, non eos eduxit Dominus per viam terræ Philisthijm, quæ vicina est, reputans ne fortè pœniteret eum, si vidisset aduersum se bella consurgere, & reuerteretur in Ægyptum,* 673
13.18. *Ascenderunt filij Israel cum virtute sua.* 155
15.18. *Dominus regnabit in æternum, & vltra.* 231
16.3. *Vtinam mortui essemus per manum Domini in Ægypto quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panes in saturitate.* 546
16.15. *Quod cùm vidissent filij Israel, dixerunt ad inuicem: Manhu?* 469
16.31. *Gustus eius erat quasi simila cum melle.* 547
17.11. *Cum remitteret manus Moyses superabat Amalech: cum vero manus erigeret, corruebat Amalech, & vincebat Israel.* 71.650
18.18. *Stulto labore consumeris.* 387
20.3. *Non habebis deos alienos* 141
ibid.7. *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* 142.491
ibid. 8. *Memento vt diem sabbati sanctifices.* 142.491
20.12. *Honora patrem tuũ & matrem, vt sis longæuus super terram.* 142. 690
20.13. *Non occides.* 493
20.14. *Non mœchaberis.* 492
ibid.15. *Non furaberis.* 493
ibid.16. *Non falsum testimonium dices.* 493
ibid. 17. *Non concupisces vxorem proximi tui.* 493
ibid. *Non concupisces rem proximi tui.* 494
20.24. *Altare de terra facietis mihi.* 149
20.25. *Si leuaueris super eum cultrum tuum, polluetur.* 412
20.26. *Ne ascendas per gradus ad altare meum.* 290
21.24. *Oculum pro oculo.* 61
22.18. *Maleficos ne patiaris viuere.* 646
22.22. *Viduæ & pupillo non nocebitis: si læseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego exaudiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus percutiámque vos gladio, & erunt vxores vestræ viduæ, & filij vestri pupilli.* 665
23.8. *Ne accipias munera, quæ excæcant etiam prudentes, & subuertunt verba iustorum.* 122
23.20. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem paraui. Obserua eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia*

non dimittet cum peccaueris, & est nomen meum in illo. Quod si audieris vocem eius, & feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te, præcedètque te Angelus meus. 142

24.14. *Habetis* Aaron *& Vr vobiscum, si quid natum fuerit quæstionis referetis ad eos.* 285

25.28. & 37.23. *Moyses fecit in tabernaculo septem lucernas cum emunctorijs suis: & vasa vbi quæ emuncta sunt extinguantur, de auro purissimo.* 393

25.40. *Vide, omnia facito secundum quod tibi monstratum est in monte.* 407 695

30.34. *Sume tibi aromata, stacten, & onicha, galbanum boni odoris, & thus lucidissimum, faciesque thymiama compositum opere vnguentarij, mixtum diligenter, & purum.* 714

ibid. 36. *Cumque in tenuissimum puluerem vniuersa contuderis, pones ex eo coram testimonio tabernaculi.* 714

ibid. 37. *Talem compositionem non facietis in vsus vestros quia sanctũ est Domino.* 714

ibid. *Homo quicumque fecerit simile, vt odore illius perfruatur, peribit de populis suis.* 714

31. 2. *Ecce ego vocaui ex nomine Beseleel filium Huri de tribu Juda, & impleui eum spiritu Dei, sapientia, intelligentia, & scientia in omni opere ad excogitandum quicquid fabre fieri poterit ex auro, & argento, & ære, marmore & gemmis & diuersitate lignorum: dedique ei sociũ Hooliab Achisamec de tribu* Dan, *& in corde omnis eruditi posui sapientiã: vt faciant cuncta quæ præcipio tibi.* 695

31.14. *Custodite diem Sabbati. Omnis homo, qui non obseruauerit diem Sabbati, peribit anima illa de populo suo.* 142

32.10. *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra populum istum, & deleam eos, faciámque te in gentem magnã.* 459

32.17. *Occidat vnusquisque fratrem, & amicum & proximum suum.* 641.

32.26.27. *Siquis est Domini iungatur mihi Congregatique sunt ad eum omnes filij Leui, quibus ait: Hæc dicit Dominus Deus Jsrael. Ponat gladium vir super femur suum: ite & redite de porta vsque ad portã castrorum, & occidet vnusquisque fratrem, & proximũ, & amicum suum.* 10

ibid. 29. *Consecrastis manus vestras hodie Domino, vnusquisque in filio, & fratre suo, vt videtur vobis benedictio.* 10. 641

ibid. 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* 459

33.13. *Si inueni gratiam ante te, ostende mihi temetipsum manifestè, vt videam te.* 489

34.28. *Stetit ergo ibi cum Domino Moyses quadraginta dies, & noctes, panem non comedit, & aquam non bibit, & scripsit in tabulis verba fœderis decem.* 303

35.5. *Separate apud vos primitias Domino, omnis voluntarius, & proni animi offerat eas Domino: aurum, & argentum, & æs, hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum & byssum, pilos caprarum & pelles arietum rubricatas, ligna Setim & oleũ, ad luminaria concinanda* 600

36.3. *Cum instarent operi, quotidie mane vota populus offerebat.* 600

ibid. *Plus offert populus quàm necessarium*

est. 600
ibid. *Iussit ergo Moyses praeconis voce cantari: Nec vir nec mulier quicquam offerat vltra in opere Sãctuarij.* 600

EX LEVIT.

4. 2. *ANima quae peccauerit per ignorãtiã de hostia, & de vniuersis mãdatis Domini, quae praecepit vt non fierent, quippiam fecerit: si sacerdos qui est vnctus, peccauerit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino.* 366
6.22. *Offerat similam calidam in odorem suauissimum Domino sacerdos, qui patri iure successerit.* 364
8.35. *Donec ritus sacrificij compleatur, die ac nocte manebitis in tabernaculo, obseruantes custodias Domini ne moriamini.]* 326
10.1. *Arreptis Nadab & Abiu filij Aaron thuribulis suis, posuerunt ignem & incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis praeceptum non erat.* 362.410
ibid. 2. *Et egressus ignis à Domino, deuorauit eos, & mortui sunt coram Domino.* 362.410
10.9. *Vinum, & omne quod inebriare potest, non bibetis, tu & filij tui, quoniam intrabitis tabernaculum testimonij, ne moriamini: quia praeceptũ est sempiternum in generationes vestras vt habeatis scientiã discernẽdi inter sanctũ & prophanũ, inter pollutum & mundum.* 327
ibid. 17. *Cur non comedistis hostiã pro peccato, & in loco sancto, quis Sancta sanctorũ est, & data est vobis, vt portetis iniquitatem multitudinis, & rogetis pro ea in conspectu Domini?* 334.364
15.31. *Docebitis filios Israel, vt caueant immunditiam, & non moriantur in sordibus suis cũ polluerint tabernaculum meum quod est inter vos.* 327
19.18. *Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* 190
19.30. *Sabbata mea custodite, & Sanctuarium meum metuite.* 143
20.9. *Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.* 690
21.10. & deinc. *Pontifex inter fratres suos, super cuius caput fusum est vnctionis oleum, & cuius manus in sacerdotio consecratae sunt, vestitusque eius est sanctis vestibus, caput suum non discooperiet, vestimẽta non scindet, & ad omnem mortuum non ingredietur omnino: super Patre quoque suo, & Matre non contaminabitur neque egredietur de Sanctis, ne polluat sanctuarium Domini, quia oleũ sanctae vnctionis Dei sui super eum est.* 306
ibid. 13. *Virginem ducet vxorem, non viduam, non repudiatam, & sordidam, atque meretricem non accipiet sed puellam de populo suo, ne commisceat stirpem generis sui vulgo gentis suae, quia ego Dominus, qui sanctifico eum.* 307.308.321
21.21. *Omnis qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedat offerre hostias Domino, nec panes Deo suo.* 325
ibid. 23. *Velum non ingrediatur, nec accedat ad altare, quia maculam habet, & contaminare non debet sanctuarium meum.* 325
22.3. *Omnis homo qui accesserit de stirpe vestra ad ea, quae consecrata sunt, & quae obtulerunt filij Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino.* 325
22.24. *Omne animal quod vel cõtritis, vel contusis, vel sectis ablatisq. testiculis est, non offeretis Domino.* 321

26.10. *Comedetis vetustissima veterum, & vetera nouis superuenientibus proijcietis.* 150

ibid.11. *Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abijciet vos vltra anima mea, & ambulabo inter vos, & ero vester Deus, vosque eritis populus meus.* 150

27.2. *Homo qui votum fecerit, & spoponderit Deo animam suam, sub æstimatione dabit pretium.* 701

ibid.28. *Omne quod Domino consecratur, siue homo fuerit, siue animal, siue ager, non vendi nec redimi poterit: quicquid enim semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino.* 54.701

EX NVMERIS.

1.49. *Tribum Leui noli numerare, neque pones summam eorum cum filijs Israel: sed constitues eos super tabernaculum testimonij, & cuncta vasa eius, & quidquid ad cerimonias pertinet: ipsi portabunt tabernaculum, & omnia vtensilia eius, & erit in ministerio, ac per gyrum tabernaculi metabuntur.* 156.407

ib.52. *Metabūtur autem castra filij Israel, vnusquisque per turmas & cuneos.* 407

ibid.53. *Porro Leuitæ per gyrū tabernaculi figant tentoria.* 407

2.33. *Leuitæ autem in tribubus familiarū suarum non sunt numerati cum eis.* 156

3.6.7. *Applica tribum Leui, & fac stare in conspectu Aaron sacerdotis, vt ministrent ei, & excubent & obseruent quidquid ad cultum pertinet multitudinis, coram tabernaculo testimonij, & custodiāt vasa tabernaculi seruientes in ministeriū eius: dabisque dono Leuitas Aaron, & filijs eius, quibus traditi sunt à filijs Israel.* 84

3.12. *Ego, ait Dominus, tuli Leuitas à filijs Israel: pro omni primogenito, qui aperit vuluam in filijs Israel, eruntque Leuitæ mei.* 84.321

3.41. *Tolle Leuitas mihi pro omni primogenito filiorum Israel. Ego sum Dominus: & pecora eorum pro vniuersis primogenitis pecorum filiorū Israel.* 406

ibid. 45. *Tolle Leuitas pro primogenitis filiorum Israel, & pecora Leuitarū pro pecoribus eorum: eruntque Leuitæ mei. Ego sum Dominus, in præceptis meis ambulent.* 406

5.21. *His maledictionibus subjacebis. Det te Deus in maledictionem, exēplúmque cunctorum in populo suo: putrescere faciat femur tuum, & tumens vterus tuus dirumpatur. Ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem tuum; & vtero tumescente putrescat femur.* 332

6.27. *Inuocabunt nomē meū super filios Israel; & ego benedicam eis.* 724

8.9. *Applicabis Leuitas coram tabernaculo fœderis, conuocata omni multitudine filiorum Israel. Cúmque Leuitæ fuerint coram Domino, ponent filij Israel manus suas super eos, & offeret Aaron Leuitas munus in conspectu Domini à filijs Israel, vt seruiant in ministerio eius.* 321

11.6. *Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi māna.* 63.550

11.8. *Frangebat populus illud mola, siue terebat in mortario, coquens in olla, & faciens ex eo tortulas saporis quasi panis oleati.* 547

11.16. *Congrega mihi septuaginta viros ex senioribus Israel, quos tu audisti, quòd senes populi sint, ac magistri,*

& duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum: & auferā de spiritu, tradāque eis, vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris. 17 . . 273

14.2. *Ducebant in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descenderunt.* 681

16.15. *Tu scis quòd ne asellum quidem vmquam acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum.* 123

16.48. *Tollens Aaron thuribulum, cucurrit per mediam multitudinem quam vastabat incendium: & stans inter mortuos ac viuentes, thymiama obtulit, sicque desæuiens plaga cessauit.* 729

18.20. *Ego sum hæreditas eorum.* 84

21.5. *Deest panis, non sunt aquæ. Anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo.* 63

25.4. *Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra Solem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Israel.* 8.370

ibid.5. *Occidat vnusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor.* 8

ibid. 11. *Phinées auertit iram meam à filijs Israel, quia zelo meo commotus est contra eos vt ipse non delerem eos in zelo meo.* 9

ibid. 13. *Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi, quàm semini illius, pactum sacerdotij sempiternũ, quia zelatus est pro Deo suo, & expiauit scelus filiorum Israel.* 9.180

25.14.15. *Erat nomen viri Israelitæ, qui occisus est cum Madianitide, Zambri filius Salu, dux de cognatione & tribu Simeonis.* 8

ibid. *Porro mulier Madianitis quæ pariter interfecta est, vocabatur Cozbi filia Sur principis nobilissimi Madianitarum.* 8

26.63. *Hic est numerus filiorum Israel, qui descriptus est à Moyse & Eleazaro sacerdote, inter quos nullus fuit eorum, qui antea numerati sunt à Moyse & Aaron in monte Sinai. Prædixerat enim Dominus, quòd omnes morerentur in solitudine.* 156

29.12. *Quintadecima die mensis septimi, quæ vobis erit sancta, ac venerabilis, omne opus seruile non facietis in ea, sed celebrabitis solemnitatem Domino septem diebus.* 376

ibid. 25. *Die octauo, qui est celeberrimus, omne opus seruile non facietis in eo.* 376

30.3. *Si quis virorũ vouerit Domino: aut se constrinxerit juramento, non faciet irritum verbum, sed omne quod promisit implebit.* 435.702.

31.3. *Armate ex vobis viros ad pugnam, qui possint vltionem Domini expetere de Madianitis.* 367

31.15. *Cur fœminas reseruastis? nonne istæ sunt quæ deceperũt filios Israël ad suggestionem Balaam, & præuaricari fecerunt vos in Domino super peccato Phegor?* 331

31.17. *Ergo cunctos interficite: quicquid est generis masculini, etiam paruulos: & mulieres quæ nouerunt viros in coitu jugulate.* 641

32.3. *Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra.* 421

32.17. *Nos armati & accincti pergemus ad prælium ante filios Israel, donec introducamus eos ad loca sua: paruuli nostri, & quicquid habere possumus erunt in vrbibus muratis propter habitatorum insidias: non reuertemur in domos nostras, vsquequo pos-*

sideant filij Israël hæreditatē suam, nec quidquam quærimus trans Iordanem, quia iam habemus possessionem nostram in Orientali eius plaga. 35
33. Arioth respicit Beelsephon. 158.
ibid. Et castrametati sunt ante Magdalum 159
33.1. Et hæ mansiones filiorū Israel ex quo exierunt de terra Ægypti cum virtute sua in manu Moysi & Aaron 156.
ibid.2. Et scripsit Moyses profectiones eorum per verbum Domini. 156

EX DEVTERON.

4.14. Dominatur Excelsus in regno hominū, & cui voluerit ipse dat illud. 2
4.24. Deus ignis consumens est. 170
5.12. Non concupisces rem proximi tui. 589
5.16. Honora patrem tuum, & matrem. 142
5.27. Omnia quæ præcepit nobis Dominus, & audiemus, & faciemus. 464
5.30. Vade, & dic eis, reuertimini in tentoria vestra: tu verò hic sta mecum, & loquar tibi omnia mandata, cerimonias, atque iudicia. 472 495
5.31. Tu sta hic mecum, vt loquar tibi omnia mandata, & cerimonias, atque iudicia. 302
6.4. Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est. 143.490
8.3. Dedit tibi Dominus cibum manna, quod ignorabas tu, & patres tui, vt ostenderet tibi quòd non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod egreditur ex ore Dei 159. 468 469
ibid.4. Vestimentum tuum, quo operiebaris nequaquam vetustate defecit, & pes tuus non est subtritus. En quadragesimus annus est, vt recogites in corde tuo quia sicut erudit homo filium suum, sic Dominus Deus tuus erudiuit te, vt custodias mandata Domini Dei tui, & ambules in viis eius, & timeas eum. 469
16.19. Non accipies personam, nec munera, quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorū. 122
16.20. Iustè quod iustū est exequeris. 126
18.1. In terra eorum nihil possidebitis: nec habebitis partem inter eos. Ego pars & hereditas tua in medio filiorum Israel. 80
18.15. Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, quem, vt meipsum audietis. 565
20.6. Quisquis est homo, qui plantauit vineam, & necdum fecit eam esse communem, & de qua vesci omnibus liceat, vadat, & reuertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, & alius homo eius fungatur officio. 86
21.15. Si habuerit homo vxores duas, vnam dilectam, & alteram odiosam, genueritque ex eis liberos, & fuerit filius odiosæ primogenitus, volueritque substantiam inter filios suos diuidere: non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odiosæ, sed filium odiosæ agnoscet primogenitum, dabitque ei de his quæ habuerit, cuncta duplicia: iste est enim principium liberorum eius, & huic debentur primogenita. 494.715
23.21. Cum votum voueris Domino Deo tuo non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus: & si moratus fueris reputabitur tibi peccatum: si nolueris polliceri, absque peccato eris, quod autem semel egressum est de labijs tuis, obseruabis & facies, sicut promisisti Domino

Deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo locutus es. 702
25.2. *Si eũ qui peccauerit iudices viderint, plagis prosternent, & coram se facient verberari.* 562.601
ibid. *Pro mensura peccati erit & plagarum modus, ita vt quadragenarium numerum dumtaxat non excedant, ne fœde laceratus ante oculos tuos obeat frater tuus.* 562.601
25.13. *Non habebis in sacculo diuersa pondera, maius & minus: nec erit in domo tua modius maior & minor.* 334
28.1. *Si audieris vocem Domini Dei tui, vt facias atque custodias mandata eius, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus.* 309
28.17. *Maledictum horreum tuum, & maledictæ reliquiæ tuæ: maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ.* 724
ibi.20. *Mittet Dominus super te famem & esuriem.* 724
29.19. *Cumque audierit quisquam verba iuramenti huius, benedicat sibi in corde suo dicens: Pax erit mihi, & ambulabo in prauitate cordis mei, & assumat ebrius sitientem, & Dominus non ignoscat ei, sed tunc quàm maxime furor eius fumet, & zelus contra hominem illum: & sedeant super illum omnia maledicta, quæ scripta sunt in hoc volumine & deleat nomen eius sub cælo, & consumat eum in perditionem ex omnibus tribubus Israel, iuxta maledictiones, quæ in libro legis huius ac fœderis continentur.* 329
32.42. *Gladius meus manducabit carnes.* 675

EX IOSVE.

5.15. *QVid Dominus meus loquitur ad seruum suum?* 302
6.26. *Maledictus vir coram Domino, qui suscitauerit & ædificauerit ciuitatem Ierico. In primogenito suo fundamenta illius iaceant, & in nouissimo liberorum ponat portas eius.* 464.716
7.13. *Anathema in medio tui est Israel, non poteris stare contra hostes tuos, donec deleatur ex te, qui hoc contaminatus est scelere.* 508
17.14. *Quare dedisti mihi possessionem sortis, & funiculi vnius: cum sim tantæ multitudinis, & benedixit mihi Dominus?* 724
17.15. *Si populus multus es, ascende in syluam, & succide tibi spatia in terra Pherezai, & Raphaim, quia angusta est tibi possessio montis Ephraim.* 591
ibid.16. *Non poterimus ad montana conscendere, cum ferreis currib. vtantur Chananæi, qui habitant in terra campestri.* 591
ibid. *Populus multus es & magnæ fortitudinis, non habebis sortem vnam, sed transibis ad montem, & succides tibi atque purgabis ad habitandum spatia: & poteris vltra procedere cum subuerteris Chananæum, quem dicis ferreos habere currus, & esse fortissimum.* 591
18.3. *Vsquequò marcetis ignauia, & non intratis ad possidendam terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis?* 272
22.22. *Fortissimus Deus Dominus, ipse nouit si præuaricationis animo hoc altare construximus.* 9

EX IVDIC.

1.7. *SEptuaginta Reges amputatis summitatibus manuũ & pedũ, colligebãt reliquias ciborũ sub mẽsa mea, sicut feci alijs, ita reddidit mihi Dominus.* 464.500
4.5. Debora *iudicabat populum, ascendebantque ad eam cuncti*

filij Israel in omne iudicium. 655.
4.6. Praecepit tibi Dominus Deus Israel, vade, & duc exercitum in montem Thabor, tollesque tecum decem millia signatorum de filijs Neptalim, & de filijs Zabulon: ego autem adducam ad te in locum torrentis Cison Sisaram Principem exercitus Iabin, & currus eius, atque omnem multitudinem, & tradam eos in manu tua. Dixitque ad eam Barach: si veneris mecum, vadam: si nolueris venire, non pergam. Quae dixit ad eum: ibo quidem tecum, sed in hac vice tibi victoria nõ reputabitur; quia in manu mulieris tradetur Sisara. 656
8.21. Tu surge, & irrue in eos, quia iuxta aetatem robur est hominis. 172
9.15. Egressus est ignis de rhamno, & deuorauit Cedrum Libani, 137
ib.17. Quia stetit Ioatham in vertice montis Garizim, eleuatáque voce clamauit. Audite me viri Sichem, ita vt audiat vos Deus. Ierunt ligna, vt vngerent super se Regem, dixeruntque Oliuae, impera nobis. Quae respondit: Numquid possum deserere pinguedinem meam, qua & dij vtuntur, & homines: & venire, vt inter ligna promouear? Dixeruntque ligna ad arborem ficum: Veni, & super nos regnum accipe. Quae respõdit eis: Numquid possum dulcedinem meam deserere fructúsque suauissimos: & ire vt inter caetera ligna promouear? Locuta sunt quoque ligna & ad vitem: Veni & impera nobis. Quae respondit: Num possum deserere vinum meum quod laetificat Deum & homines, & inter ligna caetera promoueri? 138
ibid. Dixerúntque omnia ligna ad rhamnum, Veni, & impera nobis: Qui respondit eis: Si vere regem me vobis constituistis, venite, & sub vmbra mea requiescite. 138
9.20. Egrediatur ignis ex eo, vt consumat habitatores Sichem, & oppidum Mello: egrediaturque ignis de viris Sichem, & de oppido Mello, & deuoret Abimelech. 140
9.48. 49. Abimelech audiens viros turris Sichimorum pariter conglobatos ascendit in montem Selmon cum omni populo suo, & arrepta securi, praecidit arboris ramum, impositumque ferens humero, dixit ad socios: Quod me videtis facere, citò facite. 175
9.49. Igitur certatim ramos de arboribus praecidentes, sequebantur ducem, quibus circumdantes praesidium succenderunt: atque ita factum est, vt fumo & igne mille hominum necarentur, viri pariter ac mulieres, habitatorum turris Sichem. 175
ib.51. Erat autem turris excelsa in medio ciuitatis, ad quam confugerant viri, simul ac mulieres, & omnes Principes ciuitatis, clausa firmissime janua, & super turris tectum stantes per propugnacula. 175
9.53. Ecce mulier fragmentum molae desuper iaciens, illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum eius. Qui vocauit cito armigerum suum, & ait ad eum: Euagina gladium tuum, & percute me, ne forte dicatur quod a foemina interfectus sum: qui iussa perficiens interfecit eum. 176
13.42. Morte moriemur, quia vidimus Deum. 667
ibid. Si Dominus nos vellet occidere, de manibus

manibus nostris holocausta & libamenta non suscepisset. 667
15.4. *Cepit Samson trecentas vulpes, caudasque earum adiunxit ad caudas, & faces ligauit in medio: quas igne succendens dimisit, vt huc illucque discurrerent: quæ statim perrexerunt in segetes Philistinorum. Quibus succensis confortatæ iam fruges & adhuc stantes in stipula, concrematæ sunt in tantum, vt vineas quoque & olueta flamma consumeret.* 658
15.15. *Samson maxillam asini, quæ iacebat arripuit, & in ea mille Philistæos occidit.* 513
17.6. *In diebus illis non erat Rex in Israel, sed vnusquisque quod sibi videbatur rectum, agebat.* 642
18.23. *Quid tibi vis? cur clamas?* 152
ibid.24. *Deos meos, quos feci mihi tulistis, & sacerdotem, & omnia, quæ habeo, & dicitis, Quid tibi est?* 152
20.18. *Quis in exercitu nostro Princeps certaminis contra filios Benjamin?* 411
ibid. *Judas sit Dux vester.* 411

EX I. REGVM.

1. 8. *ANna cur fles, & quare non comedis, & quamobrem affligitur cor tuum? numquid non ego melior sum, vel quàm decem filij?* 633
ibid.18. *Vultus eius non sunt amplius in diuersa mutati.* 244.681
1.27. *Oraui, & dedit mihi Dominus petitionem meam: quam postulaui eum, iccirco & ego commodaui eum Domino, cunctis diebus quibus fuerit accommodatus Domino.* 694
ibid. *Reddat Dominus tibi semen de muliere hac pro fœnore, quod commodasti Domino.* 694
2.10. *Visitauit ergo Dominus Annam, & concepit, & peperit tres filios, & duas filias.* 694
2.21. *Erat peccatum puerorum grande nimis coram Domino: quia detrahebant homines à sacrificio Dei.* 586
2.22. *Dormiebant cum mulieribus quæ obseruabant ad ostium tabernaculi.* 10
ib.23.24. *Quare facitis res huiusmodi, quas ego audio, res pessimas, ab omni populo? nolite filij mei, non est enim bona fama quam audio, vt transgredi faciatis populum Domini.* 10 514
2.25. *Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Deum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* 364
ibid.29. *Hæc dicit Dominus: Quare calce abijcitis victimam meam, & munera mea, quæ præcepi, vt offerrentur in templo; & magis honorasti filios tuos quàm me?* 10
ib.30.31. *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* 10
ibid. *Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui.* 10
3.13.14. *Prædixi ei, quod iudicaturus essem domum eius in æternum, & propter iniquitatem, eò quòd nouerat indignè agere filios suos, & non corripuit eos: icicrco iuraui domui*

Heli quod non expietur iniquitas domus eius victimis, & muneribus vsque in æternum. 11.640

4.18. Cecidit de sella retrorsum, iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus est. 303

8. Declinauerunt post auaritiam, acceperunt munera, peruerterunt iudicium. 122

8.6. Displicuit sermo in oculis Samuelis, eò quòd dixissent, Da nobis Regem, vt iudicet nos. 421

8.46. Ecce ego: vocasti enim me. 556

10.8. Septem diebus expectabis, donec veniam ad te, & ostendam tibi quæ facias. 470

11. 2. Habeto nos fœderatos, & seruiemus tibi. 469

ibid. In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros ponámque vos opprobrium vniuerso Israeli. Dixeruntque ad eum seniores Iabes: Concede nobis septem dies, vt mittamus nuncios in vniuersos terminos Israel, & si non fuerit, qui defendat nos, egrediemur ad te. 469

11.6. Cum venisset dies crastinus, constituit Saül populum in tres partes, & ingressus est media castra in vigilia matutina, & percussit Ammon vsquedum incalesceret dies. 470

ibid.8. Fuerunt filiorum Israel trecenta millia: virorum autem Iuda triginta millia. 470

ibid.9. Sic dicetis viris qui sunt in Iabes Galaad: cras erit vobis salus, cùm incaluerit sol. 471

12.3. Ecce præsto sum: loquimini de me coram Domino & Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim, aut asinum, si quemquam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuiuspiam munus accepi, & contemnam illud hodie, restituámque vobis. 51.122

13.1. Filius vnius anni erat Saül, cum regnare cœpisset, duobus autem annis regnauit super Israel. 273

13.14. Quæsiuit sibi Deus virum iuxta cor suum. 396

13. 19. Faber ferrarius non inueniebatur in omni domo Israel. 519

13.19. Cauerant enim Philistæi, ne forte facerent Hebræi gladium aut lanceam. 519

ibid.20. Descendebat ergo omnis Israel ad Philistijm, vt exacueret vnusquisque vomerem suum, & ligonem, & securim, & sarculum. 519

ibid.21. Retusæ itaque erant acies vomerum, & ligonũ & tridentium, & securium, vsque ad stimulum corrigendum. 619.642

15.24. Peccaui quia præuaricatus sum sermones Domini, & verba tua, timens populum, & obediens voci eorum. 556

15.26. Pro eo quòd abjecisti sermonem Domini abiecit te Dominus, ne sis Rex 641

15.28. Sic scidit Dominus regnum Israel à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te. 615

16.1. Contristatúsque est Samuel, & clamauit ad Dominum tota die illa. 556.

ibid. Vsquequo tu luges Saul cum ego proiecerim eum, ne regnet super Israel? 556

16.14. Insiluit spiritus Domini malus in Saul. 57

18.8. Cum mulieres Israelitarum ludentes in cistris, & lætitia tympanis canerent, Percussit Saul mille, & Dauid

decem millia: iratus est Saul nimis, & displicuit in oculis eius iste sermo. 380

ibid.10. *Post diem autem alterum inuasit spiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus suæ.* 380

ibid.11. *Tenebat Saul lanceam, & misit eam, putans quòd configere posset* David *cum pariete.* 381

18.25. *Sic loquimini ad David? Non habet necesse* Rex *sponsalia, nisi tantum centum præputia Philistinorum, vt fiat vltio de inimicis Regis.* 135.

19.32. *Veni vt requiescas mecum in Jerusalem.* 192

21.24. *Non habeo panes laicos, sed tantum panem sanctum. Si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus, manducent.* 178

25.10. *Hodie increuerunt serui qui fugiunt Dominos suos.* 611

28.21. *Ecce obediuit ancilla tua voci tuæ, & posui animam meam in manu tua, & audiui sermones tuos, quos locutus es ad me: Nunc ergo audi & tu vocem ancillæ tuæ, & ponam coram te buccellam panis, vt comedens conualescas, & possis iter facere.* 190

30.26. *Accipite benedictionem de præda hostium Domini.* 190

EX II. REGVM,

2.1. *Num ascendam in vnam de ciuitatibus* Iuda? 112

2.26. *Num vsque ad internecionem tuus mucro desæuiet?* 14

ibid.27. *Viuit* Dominus, *si locutus fuisses mane, recessisset populus persequi fratrem suum.* 14

3.14. *Redde vxorem meam Michol, quam despondi mihi centum præputijs Philistijm.* 135

6.12. *Benedixit* Dominus *Obededon, & omnem domum eius. Nunciatumque est Regi David, quia benedixit* Dominus *Obededon, & omnia eius propter arcam* Dominis, *dixitque: Ibo & reducam arcam cum benedictione in domum meam.* 724.

6.20. *Quàm gloriosus hodie fuit Rex Israel, discooperiens se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus est, quasi si nudetur vnus de scurris.* 456.636

ibid.22 *Viuit Dominus quia ludam ante Dominum, & vilis fiam plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis.* 456

6.23. *Igitur Michol filiæ Saul non est natus filius vsque in diem mortis suæ.* 456 636

8.13. *Fecit sibi nomen, cum reuerteretur capta Syria, in valle salinarum, cæsis duodecim millibus.* 713

8.18. *Iraiarites erat sacerdos David.* 273

ibid. *Filij autem* David *erant sacerdotes.* 273

10.2. *Faciam misericordiam cum Annon filio Naas sicut fecit pater eius mecum misericordiam.* 471

12.13. *Peccaui Domino.* 50.556

ibid. *Transtulit* Dominus *peccatum tuum, non morieris.* 50

12.22. *Propter infantē, dū adhuc viueret, ieiunaui & fleui: dicebam enim: Quis scit si forte donet eum mihi* Dominus, *vt viuat infans?* 694

2.27. *Dimicaui aduersum Robath, & capienda est vrbs aquarum: nunc igitur congrega reliquam partem populi: & obside ciuitatem, & capeeam: ne cum a me vastata fuerit vrbs, nomini meo adscribatur victoria.* 485

12.31. *Populum quoque eius adducẽs, serrauit, & circumegit super eos ferrata carpenta: diuisitque cultris, & transduxit in typo laterum.* 131

16.7. *Egredere, egredere vir sanguinum & vir Belial.* 610

16.10. *Quid mihi & vobis filij Saruiæ? dimitte eum, vt maledicat mihi: Dominus præcepit ei vt malediceret Dauid: & quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit?* 611

17.19. *Cumque venisset Dauid in castra Madiã, Sobi filius Naas & Machir filius Amihil, & Berzellai Galaadites obtulerũt ei stratoria, & tapetia.* 191.192

ibid. *Dederunt etiam vasa fictilia, frumentum & hordeum, farinam & fabam, & lentem, & frixum cicer & mel, & butyrum, oues etiam & pingues vitulos.* 192

18.8. *Fuit autem ibi prælium dispersum super faciem omnis terræ, & multo plures erant, quos consumpserat saltus de populo, quàm ij, quos vorauerat gladius.* 275

ibid.9. *Accidit autem vt occurreret Absalon seruis Dauid sedens in mulo: cúmque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum & magnam, adhæsit caput eius quercui, & illo suspenso inter cælum & terram, mulus cui insederat pertransijt* 275

19.29. *Tu & Siba diuidite possessiones.* 171

19.34. *Quot sunt dies annorum vitæ meæ vt ascendam cum rege in Ierusalem?* 192.193

ibid.35. *Numquid vigent sensus mei ad discernendum suaue, & amarum? aut delectare potest seruum tuum cibus & potus, vel audire possum vocem cantorum & cantatricum.* 193

19.36. *Cur seruus tuus sit oneri Domino meo Regi?* 192

ibid. *Paululum procedam famulus tuus ab Iordane tecum.* 36.192

19.37. *Obsecro vt reuertar seruus tuus, & moriar in ciuitate mea, & sepeliar iuxta sepulchrum patris mei, & matris meæ. Est autem seruus tuus Chamaan: ipse vadat tecum Domine mi Rex, & fac ei quod tibi bonum videtur.* 36.472

20.3. *Cúmque venisset Rex Dauid in Ierusalem, tulit decem concubinas suas, quas reliquerat ad custodiendam domum, & tradidit eas in custodiam: nec est ingressus ad eas, sed erant clausæ vsque in diem mortis suæ, in viduitate viuentes.* 193

21.22. *Ij quatuor nati sunt de Arapha in Geth, & ceciderunt in manum Dauid, & seruorum eius.* 274

24.4. *Sicut lux auroræ, oriente sole, mane vsque nubibus rutilat, & sicut pluuijs germinat herba de terra.* 616

ibid.5. *Cuncta salus mea, & omnis voluntas, nec est quidquam ex eo quod non germinet.* 616

24.19. *Emit ergo Dauid aream, & boues argenti siclis quinquaginta.* 275

EX III. REGVM.

2.5. TV nosti quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ, quæ fecerit duobus Principibus exercitus Israel, Abner filio Ner, & Amasiæ filio Iether, quos occidit, & effudit sanguinem bellun pace. 277. 661

ibid. Facies ergo iuxta sapientiam tuam, & non deduces canitiem eius pacificè ad inferos. 661

ibid. 8. Habes & Semei apud te filium Gera filij Gemini de Bathurim, qui maledixit mihi maledictione pessima, quando ibam ad castra: 277. 661

ibid. Deducesque canos eius cum sanguine ad infernum. 277. 661

4. 32. Locutus est tria millia parabolarum & fuerunt carmina illius quinque millia. 620

ibid. Disputauit etiam super lignis à cedro, quæ est in Libano, vsque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete: & disseruit de iumentis, & de volucribus, & reptilibus, & piscibus. 620

6. 7. Domus autem cùm ædificaretur lapidibus, de dolatis atque perfectis ædificata est: & malleus, & securis, & omne ferramentum non sũt audita in domo, cùm ædificaretur. 92. 631

7. 45. Omnia vasa quæ fecit Hiram Regi Salomoni in domo Domini, de aurichalco erant, 181

7. 46. In campestri regione Iordanis fudit ea rex in argillosa terra inter Sochot & Sarthan. 39. 1. 1.

8. 36. Tu solus nosti corda omnium filiorũ hominum. 623

10. 12. Non erat argentum, nec vllius pretij putabatur in diebus Salomonis. 622

ibid. Classis Regis per mare cum classe Hiram semel per tres annos ibat Tharsis, deferens inde aurum & argẽtum. 622

ibid. 25. Offerebãtur ei vasa aurea, & argentea. 622

ibid. 29. Egrediebatur quadriga ex Ægipto sexcentis siclis argenti, & equis centum quinquaginta. 622

11. 31. Achias pallium suum in duodecim partes scidit, & dixit ad Jeroboã: Tolle tibi decem scissuras. Hæc enim dicit Dominus Deus Israel: ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus. 615

14. 6. Ingredere vxor Jeroboam, cur aliam te esse simulas? 513

17. 1. Viuit Dominus ante cuius conspectũ sto. 303

17. 9. Vade in Sareptam Sidoniorum, ibi præcepi mulieri viduæ, vt pascat te. 295

ibid. 18. Quid mihi & tibi vir Dei? ingressus es vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum. 295

19. 11. Egredere, & sta in monte coram Domino. 303

19. 10. 14. 18. Altaria tua Domine destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio, & relictus sum ego solus. Cui Dominus, Dereliqui, inquit, mihi septem millia in Israel, quorum genua non sunt curuata Baal. 68

20. 36. In sermone Domini percute me. 13

ibid. Quia noluisti audire vocem Domini, ecce recedes à me, & percutiet te leo. 13

ibid. Cumque paululum recessisset ab eo, inuenit eum leo, atque percussit. 13

20. 42. Hæc dicit Dominus: Quia dimisisti virum morte dignum de manu

tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius: 13.638
21.2. *Da mihi vineam tuam, vt faciam mihi hortum olerum, quia vicina est, & propè domum meam.* 358
ibid.3. *Propitius sit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorũ tibi.* 358
21.27. *Achab scidit vestem suam, & operuit cilicio carnem suam, jejunauitque & dormiuit in sacco & ambulabat demisso capite. Factúsque est sermo Domini ad Eliam Thesbitem, dicens: Nónne vidisti Achab humiliatum coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius.* 503.504
22.10. Rex *Israel & Iosaphat Rex Iuda, sedebat vnusquisque in folio suo, vestiti cultu Regio in area, juxta portam Samariæ, & vniuersi Prophetæ in eorum conspectu mendacia prophetabant.* 503
22.17. *Non habent Dominum isti: reuertatur igitur vnusquisque in domũ suam in pace.* 642

EX IIII. REGVM.

1.8. *Vir pilosus, & zona pellicea accinctus renibus.* 449
3.3. *Quare congregauit Dominus tres Reges hos, vt traderet eos in manu Moab?* 637
ibid. *Viuit Dominus exercituum, in cuius conspectu sto, quòd si non vultum Josaphat Regis Iuda erubescerẽ, nec attendissem quidem te, nec respexissem.* 637.638
4.11. *Quid venit insanus iste ad te?* 668
4.13. *In medio populi mei habito.* 584
5.17. *Obsecro concede mihi seruo tuo, vt tollam onus duorum burdonum de terra.* 149
5.17. *Non enim faciet vltra seruus tuus holocaustum, & victimam Dÿs alienis, nisi Domino.* 149
5.23.26. *Nónne cor meum in præsenti erat, quando reuersus est homo de curru suo in occursum tibi?* 125.189
5. *Nunc ergo accepisti argentum, & vestes, vt emas oliueta, vineta, & oues, & boues, & seruos & ancillas: sed & lepra Naamon adhærebit tibi, & semini tuo vsque in sempiternum.* 125.590
6.16. *Plures nobiscum sunt quàm cum illis.* 435.
8.25. *Joram genuit Ochoziam, Ochozias genuit Ioas, Ioas genuit Amasiã, Amasias genuit Oziam, qui & alio nomine dicitur, Azarias.* 444
17.19. *Vna quæque gens fabricata est Deum suum, posuerùntque eos in fanis excelsis quæ fecerunt Samaritæ: Gens & gens in vrbibus suis, in quibus habitabant.* 361
17.26. *Nunciatumque est Regi Assyriorũ: Gentes quas transtulisti, & habitare fecisti in ciuitatibus Samariæ, ignorant legitima Dei terræ: & immisit in eos Dominus leones, & ecce interficiunt eos, eò quòd ignorent ritum Dei terræ.* 148.149.361
ibid. 27. *Ducite illic vnum de Sacerdotibus, quos inde captiuos adduxistis, vt habitet cum eis, & doceat eos legitima Dei terræ.* 365
ibid. 33. *Cùm Dominum colerent, Dÿs*

quoque suis deseruiebant juxta ritum Gentium. 148

ibid. 41. *Fuerunt igitur Gentes istæ timentes Deum, sed nihilominus & idolis suis seruientes.* 361

22.19. *Dominus misit ad Josiam Regem Iuda, per Holdam uxorem Sellu: Pro eo quod audisti verba voluminis, & perterritum est cor tuum, & humiliatus es coram Domino auditis sermonibus contra locum istum, & habitatores eius, quod videlicet fierent in stuporem, & in maledictum, & scidisti vestimenta tua, & fleuisti coram me, & ego audiui, ait Dominus: iccirco colligam te ad Patres tuos, & colligeris ad sepulchrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus sum super locum istum.* 390

23.4. *Iosias omnia vasa, quæ facta fuerãt Baal, in conualle Cedron igne cõbussit: aruspices qui sacrificabant in excelsis, arasque deleuit: contriuit statuas, succidit lucos, altaria polluit, effœminatorum ædiculas profanauit* 665

23.29. *Ascendit Pharao Necho Rex Ægypti contra Regem Assyriorum ad flumen Eufratem, & abijt Iosias Rex in occursum eius, & occisus est in Magedo cùm vidisset eũ.* 390.

25.9. *Princeps enim coquorum destruxit muros Ierusalem.* 590

EX I. PARALIP.

9.19. *HI sunt Choritæ super opera ministerij, custodes vestibulorum tabernaculi, & familiæ eorũ per vices castrorum Domini custodientes introitum.* 9

15.28. *Applica tribum Leui, & fac stare in conspectu Aaron Sacerdotis, ut ministrent ei, & excubent, & obseruent, quidquid ad cultũ pertinet multitudinis coram tabernaculo testimonij.* 303

EX II. PARALIP.

3.1. *DEdit ergo Dauid Ornam pro loco, siclos auri iustissimi ponderis, sexcentos: & ædificauit ibi altare Domino.* 275.

3.17. *Vnam columnam à dextris, & alteram posuit à sinistris.* 168

ibid. *Eam quæ à dextris erat, vocauit Iachim, hoc est firmitas; & quæ ad læuam Booz, hoc est in robore.* 168

ibid. *Nec non & quasi catenulas in oraculo, & superposuit eas capitibus colũnarum.* 168

6.18. *Si cælum, & cæli cælorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc, quam ædificaui tibi,* 229

8.14. *Constituit Salomon juxta dispositionẽ patris sui Dauid officia sacerdotum in ministerijs suis, & Leuitas in ordine suo, ut laudarent & ministrarent coram sacerdotibus juxta ritum uniuscuiusque diei, & janitores in diuisionibus suis per portam & portam.* 407

19.2. *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia jungeris, iccirco iram Domini merebaris: sed bona opera inuenta sunt in te eo quod abstuleris lucos de terra Iuda, & præparaueris cor tuum, ut requireres Dominum Deum Patrum tuorum.* 638

EX I. ESDRÆ.

2.62. *QVæsierũt scripturam genealogiæ suæ, & non inuenerunt,*

& ejecti sunt de sacerdotio. 308. 328. 364

ibid. 63. Dixit Athersatha eis, ut non comederent de sanctis sanctorum, donec surgeret Sacerdos Dei doctus atque perfectus. 328

EX II. ESDRÆ.

4.3. AEdificent, si ascenderit vulpis, transiliet murũ eorum lapideũ. 695

EX TOBIA.

2.10. Contigit ut quadam die fatigatus a sepultura veniens domũ, jactasset se juxta parietem, & obdormisset: atque ex nido hirundinum dormienti illi calida stercora insisterent super oculos eius, fierétque cæcus. 185

3.13. Benedictum est nomen tuum Deus Patrum nostrorum, qui cùm iratus fueris, misericordiam facis, & in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui inuocant te. 378

4.11. Eleemosina ad omni peccato, & à morte liberat: & non patietur, animam ire in tenebras. 718

11.13.14. Tunc sumens Tobias de felle piscis, liniuit oculos patri suo, moxque cœpit albugo ex oculis eius, quasi membranum oui egredi, statimque visum recepit. 186

EX IVDITH.

8.5. IN superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur, & habens super lumbos suos cilicium: jejunabat omnibus diebus vita sua præter sabbata, & Neomenias, & festa domus Israel. 736

8.6. Erat eleganti aspectu nimis, cui vir suus reliquerat diuitias multas, & familiam copiosam, ac possessiones armentis boum, & gregibus ouiũ plenas. 737

8.7. Erat in omnibus famosissima, quoniam timebat Deum valde, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum. 737

8.12. Non est iste sermo qui misericordiam prouocet, sed potius qui iram excitet, & furorem accendat. Posuistis vos tempus miserationi Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis ei? 657

9.2.3. Domine Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione sua, & denudauerunt femur virginis in confusionem & dedisti mulieres illorum in prædam, & filias eorum in captiuitatem, & omnem prædam in diuisionem seruis tuis, qui zelauerunt zelum tuum. 109

EX ESTHER.

13.11.& 12. Domine Rex omnipotens, in ditione tua cũcta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati. Tu enim fecisti cœlum, & terram, & quicquid cæli ambitu continetur: Dominus omnium tu es, nec est qui resistat majestati tuæ. 244

EX IOB.

5.2. TV autem Domine cum tranquilitate judicas. 379

6.9. Qui cœpit, ipse me conterat, soluat manum suam, & succidat me: Et

hac

hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore non parcat. 698
7.1.*Tentatio est vita hominis super terram.* 672.
10.22.*Terram tenebrosam, & opertam mortis caligine: terram miseriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo: sed sempiternus horror inhabitat.* 680.708
19.17.*Halitum meum vxor exhorret.* 208
21.13.*Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* 440.729
25.5.6.*Stellæ non sunt mũdæ in conspectu eius, quanto magis homo putredo & filius hominis vermis?* 77
31.13.*Si cõtempsi subire iudicium cum seruo meo.* 51
36.13.*Simulatores & callidi prouocant iram Dei.* 368
37.2.*Audiet auditionem in terrore vocis eius, & sonum de ore illius procedentem.* 287
39.25.*Equus Dei odoratur bellum, & cum audierit buccinam, dicit, Và!* 163
39.34.*Leuiter locutus sum.* 577
40.16.17.*Sub vmbrâ dormit in secreto calami, & locis humentibus. Protegunt vmbræ vmbram eius, circundant eum salices torrentis.* 180. 331. 397
ibid.18.*Ecce absorbebit fluuium, & non mirabitur, habet enim fiduciam quod influat Iordanis in os eius.* 180
40.26.*Numquid implebis sagenam pelle eius, & gurgustium piscium capite illius?* 248
41.25.*Princeps est super omnes filios superbiæ.* 455.470

EX PSALMIS.

1.4.*Non sic impij, non sic: sed tam quam puluis, quem proijcit ventus a facie terræ.* 181
2.5.*Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo cõturbabit eos.* 340.709
3.8.*Tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa, dentes peccatorum contriuisti.* 728
5.5.*Mane astabo tibi, & videbo.* 224
5.7.*Odisti omnes, qui operãtur iniquitatem perdes eos qui loquũtur mendacium* 279
6.8.*Turbatus est præ ira oculus meus.* 378
7.3.*Nequando rapiat vt leo animã meam: dum non est qui redimat, neque quĩ saluum faciat.* 41
8.9.*Pecora campi, volucres cæli, & pisces maris.* 248
8.8.9.*Omnia subjecisti sub pedibus eius: oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi. Volucres cæli & pisces maris: qui perambulant semitas maris.* 73
9.2.*Dum superbit impius, incenditur pauper.* 61
9.24.*Laudatur peccator in desiderijs suis, & qui iniquè gerit benedicitur.* 134 681
9.38.*Desideria cordis eorum exaudiuit auris tua.* 484
11.7.*Eloquia Domini, eloquia casta, argentum.* 622
13.1.*Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.* 85. 140.400
13.3.*Venenum aspidum sub labijs eorũ.* 268
13.*Corrupti sunt & abominabiles facti sũt in voluptatibus suis.* 180.398
17.11.*Ascendit super Cherubin & volauit: volauit super pẽnas ventorũ.* 255
17.45.*Populus quem non cognoui, seruiuit mihi: ab auditu auris obediuit mihi.* 258

18.5. *In omnem terram exiuit sonus eorum & in fines orbis terræ verba eorum.* 261

18.9. *Iustitiæ Domini rectæ, lætificantes corda præceptum: Domini lucidum, illuminans oculos.* 378

21.7. *Ego autem sum vermis, & non homo* 255

21.13. *Vituli multi, & tauri pingues obsederunt me, & tu patienter audisti.* 172

21.17. *Foderunt manus meas, & pedes meos.* 232

21.28 *Reminiscentur & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ: & adorabuntur in conspectu eius omnes patriæ gentium.* 507

22.5. *Poculum tuum inebrians quam præclarum est.* 668

26.4. *Unam petii à Domino, hanc requiram.* 548

28.1. *Afferte Domino Filij Dei, afferte Domino filios arietum.* 165.

28.19. *Sola vexatio dat intellectum.* 437

29.12. *Conuertisti planctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccum meum & præcinxisti me lætitia: vt cantem tibi gloria mea, & non pungar* 299.506

30.21. *Abscondes eos in abdito vultus tui: à conturbatione hominum. Proteges eos in tabernaculo tuo a contradictione linguarum.* 482

30.25. *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum: omnes qui speratis in Domino.* 731

31.1. *Beati quorum remissa sunt iniquitates & quorum tecta sunt peccata.* 250.

31.9. *Facti sunt sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* 492

32.6. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius, omnis virtus eorum* 287

32.9. *Dixit & facta sunt, mandauit, & creata sunt.* 242

33.9. *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus.* 193.367

36.4. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* 671

36.35. *Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut Cedros Libani: & transiui, & ecce non erat.* 227

37.5. *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: & sicut onus graue grauatæ sunt super me.* 373

ibid.7. *Incuruatus sum, & humiliatus sum vsquequaque.* 373

40.10. *Etenim homo pacis meæ, in quo sperabam: magnificauit aduersum me supplantationem.* 191

41.3. *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* 59.144.145

42. *Tu es Deus meus, & fortitudo mea.* 168

43.22. *Quoniam propter te, morte afficimur tota die.* 153

44.3. *Speciosus forma præ filijs hominum: diffusa est gratia in labijs tuis.* 70.261

44.10. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumamicta varietate.* 668

44.14. *Omnis gloria eius filiæ Regum abintus.* 502.623

ibid.15. *In fimbrijs aureis circumamicta varietate.* 503

45.11. *Vacate & videte, quoniam ego sum Dominus.* 491

48.8. *Non dabit Deo placationem suam, nec pretium redemptionis animæ suæ.* 343

48.13. *Sicut oues in inferno positi sunt, & mors depascet eos.* 432.729.731
49.3. *Deus enim manifestè veniet: Deus noster, & non silebit. Ignis in conspectu eius ardebit, & in circuitu eius tempestas valida.* 338.707
50.16. *Libera me de sanguinibus Deus.* 629
54.7. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ: & volabo, & requiescam?* 669
ibid. 9. *Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine, expectans eum qui me saluum faciat, à pusillanimitate spiritus, & tempestate.* 669
56.5. *Filij hominum dentes eorum, arma & sagittæ: linguæ eorum machæra acuta.* 219.390.425
57.6. *Sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas: quæ non exaudit voces incantantium, & veneficia quæ incantantur à sapiente.* 62
57.7. *Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum: molas leonum confringet* Dominus. 728
57.9. *Super eos cecidit ignis, & non viderunt Solem* 680
58.12. *Deus meus ostende mihi bona inter inimicos meos, ne occidas eos, nequando obliuiscantur legis tuæ.* 191
ibid. *Disperge illos in virtute tua.* 191
59.9. *Meus est Galaad, & meus est Manasses.* 548.
60.4. *Deduxisti me, quia factus es spes mea, turris fortitudinis à facie inimici.* 210
62.2 *Sitiuit in te anima mea: quàm multipliciter & caro mea.* 603
62.10. *Introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt.* 252
63.4. *Qui exacuunt vt gladium linguas suas.* 268
64.24. *Valles abundabunt frumento.* 109
65.5. *Terribilis Deus in concilijs super filios hominum.* 42.330
67. *Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant à facie eius qui oderunt eum: sicut deficit fumus, deficiant.* 534
67.15. *Nunc dealbabuntur in Selmon.* 162
67.16. *Mons coagulatus, mons pinguis.* 165.
67.18. *Currus* Dei *decem millibus multiplex, milla lætantium:* Dominus *in illis in Sina, in sancto.* 612
67.19. *Resurrexi, & adhuc sum tecum.* 232
67.27. *In Ecclesijs benediciteDeo Domino: de fontibus Israel.* 288
67.36. *Mirabilis Deus in sanctis suis* 98.
ibid. *Ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ.* 98
68.16. *Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum: neque vrgeat super me puteus os suum.* 78
68.22 *Dederunt in escam meam fel.* 232
69.4. *Auertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi, Euge, euge.* 560
71.6. *Et inimici eius terram lingent.* 431
72. 11 *Quomodo scit* Deus*: & si est scientia in Excelso?* 240.
72.18. *Dejecisti illos dum alleuarentur.* 103.136.234.348.729
72.26. *Pars mea Dominus.* 80.84
72.90. *Posuerunt in cœlum os suum, & lingua eorum transiuit super terram.* 390
73.10. *Vt quid Deus improperauit inimicus: irritat aduersarius nomen tuum in finem?* 368
73.14. *Tu confregisti caput draconis magni, & dedisti eum in escam populo Æthiopum.* 73

75.1. Notus in Iudæa Deus: in Israel magnum nomen eius. 191
ibid.2. Et factus est in pace locus eius. 191
75.9. Terra tremuit & quieuit, dum exurgeret in iudicio Deus. 328
75.12. Vouete & reddite. 702
76.7. Exercitabar, & spiritum meum scopebam. 564
77.48. Tradidit grandini iumenta eorum, & possessiones eorum igni. 658
80.4. Canite initio mensis tuba in die insigni solemnitatis vestræ. 375
82.6. Quoniam cogitauerunt consensum in vnum, aduersum testamentum disposuerunt. 410
82.7. 8. 9. Tabernacula Idumeorum, & Ismaelitæ, Moab & Agareni, Gebal & Ammon, & Amalech, & alienigenæ cum habitātibus Tyrum. Etenim Assur simul venit cum illis. Facti sunt in susceptionem filijs Loth. Fac illis sicut Madiam & Sisaræ, sicut Iabin in torrente Cison. Disperierunt in Endor. &c. 431
ibid.13. Hæreditate possideamus Sanctuarium Dei. 430
83.11. Melior est dies vna in atrijs tuis super millia. 232
83.12. Misericordiam & veritatem diligit Deus. 279.611
84.3. Remisisti iniquitatem plebi tuæ, operuisti omnia peccata eorum. 250
84.11. Misericordia & veritas obuiauerūt sibi. 279
87.7. Posuerunt me in lacu inferiori: in tenebris, & vmbra mortis. 275
89.4. Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna quæ præterijt. 231
90.13. Super aspidem & basiliscum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem. 473
93.7. Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. 242
95.5. Omnes Dij gentium dæmonia. 148
95.11. Lætentur cæli, & exultet terra. 612
100.1. Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. 279
101.28. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. 145
101.29. Filij seruorum tuorum habitabunt ibi. 145.374
102.1. Benedic anima mea Dominum, & omnia interiora mea nomini sancto eius. 160
ibid.3. Qui sanat omnes languores tuos: qui redimit de interitu vitam tuam. 160
103.2. Confessionem & decorem induisti. 615.
103.18. Montes excelsi ceruis, petra refugium herinacijs. 60.670
103.34. Suauis sit ei laudatio mea, ego vero delectabor in Domino. 670
105.1. Confitemini Domino quoniam bonus 660
105.1. Quoniam in sæculum misericordia eius. 391.660
105.3. Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore. 644.689
106.38. Benedixit eis, & multiplicati sunt nimis. 724
108.6. Constitue super eum peccatorem. 113.681
ibid.29. Operiantur sicut diploide confusione sua. 113.681
111. Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi. 589.
114.8. Qui eripuit animam meam de morte, oculos meos à lachrymis. 48

115.1. *Credidi propter quod locutus sum.* 166
117.12. *Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis.* 167.171
117.18. *Castigans castigauit me Dominus, & morti non tradidit me.* 368.526
11∠.22 *Factus est in caput anguli* 412.443
118.21. *Maledicti qui declinat à mandatis tuis.* 148.379.681.703.716
118.96. *Latum mandatũ tuum nimis.* 368.
118.103. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine super mel & fauũ ori meo?* 163.550.558.656.672
119.5. *Heu me, quia incolatus meus prolongatus est!* 158
120.6. *Per diem Sol non vrat te: neque Luna per noctem.* 389
121.1. *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi.* 651
123.7. *Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* 648
125.6. *Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua: Venientes autem venient cum exultatione, portãtes manipulos suos.* 393
131.9. *Sacerdotes tui induãtur iustitiam.* 274.306.471
131.15. *Viduam eius benedicens, benedicam pauperes eius saturabo panibus.* 724
131.17. *Dirupisti Domine vincula mea: tibi sacrificabo hostiam, laudis.* 35
132.1. *Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in vnum.* 163
132.15. *Viduam eius benedicens, benedicam.* 138
133.2. In *noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.* 304
134.6. *Omnia quæ voluit* Dominus *fecit in cælo, & in terra, in mari & in omnibus abyssis.* 233.429.684
135.25. *Qui dat escam omni carni.* 202.663
137.2. *In conspectu Angelorum psallam tibi.* 302
138.12. *Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* 167.737
140.2. *Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* 373
140.4. *Non declines cor meum in verba mala: ad excusandas excusationes in peccatis.* 78
140.5. *Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me:* 186
140.5. *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* 134.186
142.6. *Anima sicut terra sine aqua tibi.* 59
143.11. *Qui proferunt in cœlum os suum: quorum os loquutum est vanitatem.* 268
145.7. *Facie judicium omnibus injuriam patientibus.* 6
845.8. Erigit *elisos, & soluit compeditos.* 226
150.4. *Laudate Dominum in tympano, & choro,* 514

EX PROVERBIIS.

1.4 N*On proderunt diuitiæ in die vltiõnis: justitia autem liberabit à morte.* 590
1.10. *Fili mi, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis.* 134
1.23. *Conuertimini ad correptionem meam, en proferam vobis spiritum meum.* 521
1.24. *Vocaui, & renuistis, extendi manũ meam, & non fuit qui aspiceret: despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo vos cum vobis id quod timebatis aduenerit: Cùm irruerit repentina calamitas, &*

interitus quasi tempestas ingruerit. Quando venerit super vos tribulatio, & angustia, tunc inuocabunt me, & non exaudiam. Mane consurgent, & non inuenient me. 341.709

ibid. 29. Mane consurgent & non inuenient me eò quod exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec acquieuerint consilio meo, & detraxerint vniuersæ correptioni meæ. 521.

3.11. Disciplinam Domini, fili mi, ne abijceas nec deficias cùm ab ipso corriperis: quem enim diligit Dominus corripit: & quasi pater in filio cōplacet sibi. 521

3.12 Quem diligit Dominus, corrigit: flagellat autem omnem filium quem recipit. 732

3.18. Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam, & qui tenuerit eam, beatus. 146

3.25. Ne paueas repentino terrore irruentes tibi potentias impiorum. Dominus enim erit in latere tuo, & custodiet pedem tuum ne capiaris. 336. 545.650

ibid. 27. Noli prohibere benefacere eum qui potest: si vales, & ipse benefac: ne dicas amico tuo, vade & reuertere, cras dabo tibi, cum statim posis dare. 650

4.24. Remoue à te os prauum, & detrahentia labia sint procul à te. 184.

5.12. Cur detestatus sum disciplinam, & increpationibus non acquieuit cor meum, nec audiui vocem docentium me, & magistris non inclinaui aurem meam? 521

6.1. Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum animam tuam: Illaqueatus es verbis oris tui, & captus proprijs sermonibus tuis: Fac ergò quod dico tibi fili mi, & temetipsum libera, quia incidisti in manus proximi tui: discurre, festina, suscita animum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. 335.702

6.3. Discurre, festina, suscita amicum tuū, ne dederis somnum oculis tuis, ne dormitent palpebræ tuæ. 366

7.21. Irretiuit eum multis sermonibus, & blandicijs labiorum protraxit illū: statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciuiens & ignorans, & nescit quòd ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta jecur eius, velut si auis festinet ad laqueum, & nescit quia de periculo illius agitur. 528

9.1. Sapientia immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam. 193

ibid. 3.5. Misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis. 193

10.1. Filius Sapiens lætificat patrem, filius vero stultus mœstitia est matris suæ. 586

ibid. 5. Qui congregat in messe, filius sapiens est, qui autem stertis in æstate, filius confusionis. 586

11.21. Manus in manum non erit innocens malus 381

11.23. Præstolatio impiorum furor. 380

12.1. Qui diligit disciplinam, diliget sapiētiam, qui autem odit increpationes, insipiens est. 183.521

12.7. Verte impios, & non erunt. 236

12.11. Qui operatur terram suam, saturabitur panibus: qui sectatur otium,

replebitur egestate. 591
138. *Diuitiæ hominis redemptio eius.* 358
720.
13.24. *Qui parcit virgæ, odit filium suum: qui autem diligit illum instanter erudit.* 521.645
14.34. *Justitia eleuat Gentes, nec dubium quin ad cœlum.* 538.689
14.29. *Qui patiens est, multa gubernatur prudentia, qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam.* 521
15.8. *Victimæ impiorum abominabiles Domino.* 343
15.31. *Auris quæ audit increpationem vitæ, in medio sapientium commorabitur: qui verò abijcit disciplinam despicit animam suam.* 342.
521.
ibid. 32. *Qui abijcit disciplinam, despicit animam suam: qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis.* 346.
16.24. *De ore prudentis procedit mel.* 171
16.26. *Anima laborantis laborat sibi, quia compellit eum os suum.* 117
17.10. *Plus proficit correptio apud prudentem, quàm centum plagæ apud stultum.* 346.521
17.11. *Semper jurgia quærit malus: angelus autem crudelis mittitur contra eum.* 521
17.12. *Expedit magis vrsæ occurrere, raptis fœtibus, quàm fatuo confidenti sibi in stultitia sua.* 523
18.9. *Qui mollis, & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis.*
637
18.12. *Ante ruinam exaltatur cor.* 384
18.21 *Mors & vita in manu linguæ.* 268
19.18. *Erudi filium tuum, ne desperes: ad interfectionem eius ne ponas manũ tuam.* 521
16.25. *Si corripueris sapientem, intelliget disciplinam.* 346.521
20.1. *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas: quicumque his delectatur, non erit sapiens.* 544.591.
592.
20.21. *Hæreditas, ad quam in principio festinatur, in nouissimo benedictione carebit.* 401.494.716
21.9. *Melius est habitare in angulo domatis quàm cum muliere litigiosa, & in domo communi.* 379
21.17. *Qui diligit epulas in egestate erit: qui amat vinum & pinguia, non ditabitur.* 591
21.19. *Melius est habitare in terra deserta, quàm cum muliere rixosa & iracunda.* ibid.
22.24. *Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso: ne forte discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ.* 184.379
523
23.3. *Non intuearis vinum quando flauescit, cum splenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè, sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet.*
540
23.13. *Noli subtrahere à puero disciplinã; si enim percusseris eum virga non morietur: tu virga percutis eũ, & animam eius de inferno liberabis.*
184.523
23.14. *Percute filium tuum virga, & liberabis animam eius à morte.*
645
23.29. *Cui vah? cuius patri vah? cui rixæ? cui foueæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? nonne his qui morantur in vino, & student calicibus epotandis?* 540
24.11.12. *Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses.* 336
396.

24.14. *Si dixeris, vires non suppetunt, qui inspector est cordis, ipse intelligit.* 366
24.22. *Cum detractoribus ne commiscearis, quoniam repente veniet perditio eorum, & ruinam vtrorumque quis nouit?* 560
24.27. *Prapara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum, vt postea ædifices domũ tuam.* 375. 590
24.30. *Per agrum hominis pigri transiui, & per vineam viri stulti: & ecce totum repleuerunt vrticæ: operuerunt superficiem eius spinæ, & maceria lapidũ destructa erat.* 374 375. 590.
25.18. *Jaculum & gladius, & sagitta acuta homo, qui loquitur contra proximum suum testimonium falsum.* 425
25.20. *Sicut acetum in nitro; ita qui cantat carmina cordi peruerso.* 62
25.27. *Qui mel multum comedit, non est ei bonum.* 639
26.4. *Vita stulto respondere juxta stultitiã suã, ne similis ei efficiaris.* 448
26.6. *Claudus pedibus, & iniquitatem bibens, qui mittit verba per nuncium stultum.* 85
ibid. 5. *Quomodo pulchras frustra habet claudus tibias, sic indecens est in ore stultorum parabola.* 85.
26.8. *Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij, ita qui tribuit insipienti honorem.* 85
ibid. 9. *Quomodo si spina nascatur in manu temulenti, sic parabola in ore stultorum.* 86
26.11. *Canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti.* 703
26.18.19. *Sicut noxius est qui mittit lanceas & sagittas in mortem: sic vir qui fraudulenter nocet amico suo, & cum fuerit deprehensus, dicit: Ludens feci.* 251
27.5.6. *Melior est manifesta correctio quàm amor absconditus. Meliora sunt vulnera diligẽtis, quàm fraudulenta oscula odientis.* 183. 521. 595
28.6. *Melior est pauper in simplicitate sua: quàm diues prauis itineribus.* 590
28.12. *Leo cibum fastidit hesternum, & escæ propriæ reliquias auersatur.* 250
28.13. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* 183
28.14. *Beatus vir, qui semper est pauidus, qui autem mentis est duræ, corruet in malum.* 368. 711
28.16. *Qui odit auaritiam, longi fient dies eius.* 590
28.20. *Qui quærit ditari, non erit innocens.* 124.
ibid. 22 *Vir qui festinat ditari, & alijs inuidet, ignorat quòd egestas superueniet ei.* 590
29.1. *Viro qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus superueniet interitus, & eum sanitas non sequetur.* 183. 188. 523. 595
29.8. *Qui dat pauperi, Deo fœnerat.* 719
ibid. 17. *Erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delicias animæ tuæ.* 523
29.21. *Qui delicatè à pueritia nutrit seruũ suum, postea illum sentiet contumacem.* 523
29.22. *Vir animosus parit rixas, & vir iracundus effodit peccata.* 379
30.5. *Omnis sermo Dei ignitus clypeus est sperantibus in se.* 336. 545
30.15. *Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes; Affer, affer.* 63
30.30. *Leo nullius pauescit occursum,* 249
31.4. *Noli Regibus, ô Lamuel, noli Regibus dare vinum, quia nullum secretum est vbi regnat ebrietas: ne forte bi-*

te bibant, & obliuiscantur judiciorum & mutent causam filiorum pauperis. 544

31.13.19.& 21 Quæsiuit lanam, & linum, & operata est consilio manuum suarum. Digiti eius apprehenderunt fusum: Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus. 274

EX CANTICIS.

1.2. VNguentum effusum nomen tuum. 73

1.4. Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem: nolite me considerare quod fusca sum, quia decolorauit me Sol. 152

1.5. Posuerunt me custodē in vineis, vineā meam non custodiui. 252

1.6. Vbi pascis, vbi cubes in meridie. 5 4.

1.10. Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento. 623

1.10. Similitudines auri faciemus tibi cum distinctionibus argenti, quo ad vsque Rex in accubitu suo est. 224

1.12. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. 310.603.632.671

1.15. Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus: lectulus noster floridus. 261. 632

2.1. Ego flos campi, ego lilium conuallium. 536.672

2.6. Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. 218 716

2.9. Dilectus meus respicit per fenestram, respicit per cancellos. 268

2.12. Veni sponsa mea: tempus putationis aduenit. 684

2.13. Surge amica mea, sponsa mea, & veni columba mea in foraminibus petræ, & in cauerna maceriæ. 621.670

ibid.14. Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, quia vox tua dulcis. 621.670

2.15. Capite nobis vulpes paruulas quæ demoliuntur vineas. 252

3.4. Inueni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam. 630

3.7. En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiūt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. 545

4.1. Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet. 186

ibid. Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de Galaad. 186

4.2. Fauus distillans labia tua sponsa: mel & lac sub lingua tua. 550

4.4. Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium 301.545

4.7. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. 623.672

4.8. Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. 623

4.11. Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua: & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. 171.627.671

ibid.15. Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano. 550

5.2. Ego dormio, & cor meum vigilat. 250.473.

5.7. En lectulus Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel 731.

5.10. Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. 254. 672.

ibid. 16. *Caput eius aurum optimum, guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis.* 672

5.12. *Oculi eius sicut columbæ super riuos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident juxta fluēta plenissima.* 167

5. 16. *Guttur eius dulcedo, & totus concupiscentia.* 171

5. 16. *Guttur dilecti mei suauissimum, & totus desiderabilis.* 627

6.3. *Pulchra es amica mea, suauis & decora, sicut Hierusalem.* 503. 623

7.1. *Quid videbis in Sunamite, nisi choros castrorum?* 301

8.3. *Laua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* 218. 716

8.6. *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.* 671

EX SAPIENTIA.

1.1. *Diligite justitiam qui judicatis terram.* 644

1.4. *In maleuolam animam numquam introibit Sapientia.* 193

1.5. *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu.* 370

1. 6. *Durissimum judicium his qui præsunt, fiet.* 478

1.7. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarū, & hoc quod cōtinet omnia.* 229

1.7. *Scientiam habet vocis.* 162

1.13. *Mortem Deus non fecit.* 225

2.1. *Exiguum & cū tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, & nō est qui agnitus sit reuersus ab inferis: quia ex nihilo nati sumus, & post hæc erimus, quasi non fuerimus.* 227

2.3. *Extinctus cinis erit corpus nostrū, & spiritus diffundetur tanquā mollis aër, transiet vita nostra tanquā vestigia nubis, & sicut nebula dissoluetur, quæ fugata est à radio Solis: nomen nostrum obliuionem accipiet, & pertenuis vmbræ transitus est tempus nostrum.* 227

2.6. *Venite, & fruamur bonis, quæ sunt, & vtamur creatura tanquam in juuentute celeriter.* 489

2.7. *Vino pretioso & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis: coronemus nos rosis antequam marcescant.* 367

2.8. *Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra, nemo nostrum sit exors luxuriæ nostræ: vbique relinquamus signa lætitiæ.* 489

2.12. *Opprimamus virū justum, quia contrarius est operibus nostris.* 108

2.18. *Virum stultum interficit iracundia, & paruulum occidit inuidia.* 379

2. 20. *Morte turpissima condemnemus eum.* 455

4.3. *Spuria vitulamina non dabunt radices altas.* 177. 324

4.10. *Senectus venerabilis est, non diuturna, nec numero annorum computata. Cani sunt autem sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata placens Deo.* 90

4.10. *Factus dilectus & viuens inter peccatores, translatus est. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam eius. Propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatis.* 90

4.13. *Consummatus in breui expleuit tempora multa. Placita enim erat Deo anima illius.* 90. 234.

5.6. *Tunc flentes, & præ angustia spiritus gementes, dicent, Errauimus à via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis: lassati sumus in via iniquitatis &*

perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Quid profuit nobis superbia, aut quid diuitiarum iactãtia contulit nobis? 341.710.

5.9. Transierunt omnia illa tanquam vmbra, tamquam nuncius præcurrens, & tanquam nauis que pertransijt fluctuantem aquam, cuius cùm pertransierit vestigium non est inuenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus 234. 341. 710.

ibid. Aut tamquam auis quæ transuolat in aere, non vllum inuenitur itineris illius argumentum, sed tantum sonitus est alarum verberans leuẽ ventum, & scindens per viam itineris aerem, commetis alis transuolauit, & post hoc nullum signũ inuenitur itineris eius. 234. 341. 710.

ibid. 13. Aut tamquam sagitta emissa in locum destinatum, diuisus aër continuò in se reclusus est, & ignoratur transitus illius. 234 341.710

5.14. Sic & nos nati cõtinuo desiuimus esse & virtutis quidem signũ nullum valuimus ostendere, in malignitate autẽ nostra cõsumpti sumus 710

5.15. Spes impij tamquam lanugo est, quæ à vento tollitur: & tamquã spuma gracilis quæ à vento dispergitur, & tamquam fumus qui à vento diffusus est: & tamquã memoria hospitis vnius diei prætereũtis. 234

6.7. Potentes potenter tormenta patientur, & fortibus fortior erit cruciatio. 680.

6.13. Clara est semper, & numquam marcescet sapientia: & facile videtur ab his, qui diligũt illam: & inuenitur ab his qui quærũt illam, præoccupat eos, qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat. 518

7.1. & deinceps Sum & ego mortalis homo similis hominibus, & ex genere terræ: nõ illius qui prior factus est, & in ventre matris figuratus sum caro, decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine ex semine hominis, & delectamento somnij conuenientis: & ego natus accepi communem aerem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans, in inuolumentis nutritus sum, & curis magnis. Nemo enim ex Regibus aliud habuit Natiuitatis initium. 279.629

ibid. Vnus ergo introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus. 629

7.11. Ecce feci tibi secundum sermones tuos & dedi tibi cor sapiens & intelligens, in tantum vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post surrecturus sit. Sed & hæc quæ non postulasti, dedi tibi diuitias scilicet, & gloriã: vt nemo fuerit similis tui in Regibus cunctis retro diebus. 459

7.16. In manu illius & nos, & sermones nostri, & omnis sapientia, & operum scientia, & disciplina. 234

7.17. Deus enim dedit mihi horum, quæ sunt, scientiã verã, vt sciã dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorũ: initium & consummationem, & medietatẽ temporũ, vicissitudinum permutationes, & cõmutationes hominũ: anni cursus, & stellarũ dispositiones: naturas animaliũ & iras bestiarũ: vim ventorum & cogitationes hominum: & quæcumque sunt absconsa & improuisa didici. 623

7.21. Quia omniũ est artifex, omnẽ habet virtutem, omnia prospiciens. 229

7.27. Cũ sit vna omnia potest, & permanens ipse innouat omnia. 229

9. 1. *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* 75.,621

9. 19. *Nam per sapientiam sanati sunt, quicunque placuerunt tibi Domine ab initio.* 515. 621

11. 23. *Tanquam momentum stateræ, sic ante te est orbis terrarum, & tanquam gutta roris ante lucani.* 227.

12. 15. *Cum sis justus, justè omnia disponis: ipsum quoque, qui non debet puniri condemnas.* 277

15. 3. *Nosse enim te, consummata justitia est: & scire justitiam, & virtutem tuam, radix est immortalitatis.* 518

18. 18. *Tu autem Dominator virtutis cum tranquillitate judicas, & cum magna reuerentia disponis nos: Subest enim tibi cùm volueris, posse.* 224. 692.

EX ECCLESIASTE ET ECCLESIASTICO.

1. 1. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* 368

1. 7. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat.* 230

1. 13. 14. *Hanc occupationem pessimam dedit Deus filys hominum, vt occuparentur in ea. Vidi quæ fiunt, cuncta sub Sole, & ecce vniuersa vanitas, & afflictio spiritus.* 62

1. 18. *Sicut vas aureum, vel argenteum sæpe malleus percutit, sæpe lima hinc inde poliendo circumdat, vt clariùs fiat: sic iterata tentatio, constantis & non cedentis animæ rubiginem purgat.* 165

2. 1. *Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* 698.

2. 11. *Cúmque me conuertissem ad vniuersa opera, quæ fecerunt manus meæ: & ad labores, in quibus frustra sudaueram: vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi.* 62.63

2. 16. *Vah his qui perdiderunt sustinentiam.* 185. 255. 599

3. 1. *Omnia tempus habent, & suis spatijs transeunt vniuersa sub cælo.* 415.

ibid. 5. *Tempus flendi, & tempus ridendi, tempus plangendi, tempus saltandi, tempus amplexandi, & tempus longè fieri à complexibus.* 415.

3. 7. *Qui honorat patrem suum, vitam viuet longiorem: & qui obedit patri, refrigerabit patrem.* 690

ibid. *Qui timet Dominum honorat parentes: & quasi Dominus seruiet his, qui se genuerunt, & in opere, & in sermone, & in omni patientia.* 690.

ibid. *Qui honorat patrem, jucundabitur in filijs, & in die orationis suæ exaudietur.* 690

3. 10. *Honora patrem tuum vt superueniat tibi benedictio à Domino, & benedictio illius in nouissimo maneat.* 690

3. 13. *Gloria hominis ex honore patris sui: & dedecus filij pater sine honore.* 691.

3. 14. *Fili suscipe senectam patris tui, & ne contristes eum in vita illius; & si defecerit sensus, veniam da, & ne spernas eum in tua virtute.* 691.

ibid.3. *Rex insipiens perdet populum suum:*
3.15. *Qui fecit quæ factura sunt.* 227
ibid.16. *Eleemosyna patris non erit in obliuione: nam pro peccato matris restituetur tibi bonum.* 691
ibid.18. *Quàm malæ famæ est qui relinquit patrem: & est maledictus à Deo qui exasperat matrem.* 691
3.22. *Maiora te ne quæsieris, & altiora te ne scrutatus fueris.* 227
4.10. *In judicando esto pupillis misericors, vt pater, & pro viro matri illorum, & eris tu velut filius Altissimi obediens, & miserebitur tui magis quàm mater.* 645.646
4.36. *Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, & dandum collecta.* 585.
5.1. *Noli attendere ad possessiones iniquas, & ne dixeris, est mihi sufficiens vita: nihil enim proderit in tempore vindictæ.* 123
5.8. *Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* 701
5.9. *Auarus non impletur pecunia, & qui amat pecunias fructus non capit ex eis.* 123.588
ibid. *Vbi sunt opes multæ, multi & qui comedunt eas.* 123.588
ibid.11. *Dulcis est somnus operanti, siue multum siue parum comedat. Saturitas autem diuitis non sinit eum dormire.* 588
5.12. *Sed sunt diuitiæ conseruatæ in malum Domini sui.* 111
6.10. *Est amicus socius mensæ, & non permanet in die necessitatis.* 255
7.1 *Quid necesse est homini, maiora se quærere, cum ignoret quid conducat sibi in vita sua, numero dierum peregrinationis suæ, & temporis quod velut vmbra præterit.* 300
7.3. *O mors bonum est judicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus defectæ ætate.* 300.501
7.3. *Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij.* 300
7.6. *Melius est à sapiente corripi: quàm stultorum adulatione decipi.* 525
7.10. *Ira in sinu stulti requiescit.* 379
7.12. *Cum viro religioso tracta de sanctitate, & cum justo de justitia.* 441
ibid. 15. *Cum viro sancto assiduus esto, quemcumque cognoueris obseruantem timorem Dei.* 441
7.17. *Noli esse nimium justus.* 645.727
7.29. *Virum de mille vnum reperi.* 672
7.29. *Honora patrem tuum, & genitum matris tuæ non obliuiscaris: memento quoniam nisi per illos, natus non fuisses, & retribue illis, quomodo & illi tibi.* 691
7.40. *Semper memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* 301
8.8. *Noli de mortuo inimico gaudere, sciens quoniam omnes morimur.* 649
9.1. *Sunt justi & sapientes, quorum opera in manu Domini, & tamen nescit homo vtrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta.* 350
9.10. *Quodcumque potest manus tua instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec scientia erit apud inferos, quò tu properas.* 391
10.1. *Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti.* 147
10.1. *Iudex sapiens judicabit populum suum, & principatus sensati stabilis erit.* 645.688
ibid. 2. *Secundum judicem populi, sic & ministri eius: & qualis est Rector ciuitatis, tales & inhabitantes in ea.* 645.688

ibid. 3. *Rex insipiēs perdet populum suum: & ciuitates inhabitabuntur per sensum prudentem.* 645
10.4. *Si ascenderit super te spiritus potestatem habentis, locum tuum ne dimiseris.* 506
10.9. *Auaro nihil est scelestius. Nihil est iniquius quam amare pecuniam.* 124.
10.9. *Quid superbis terra & cinis?* 124. 630.
10.10. *Si retusum fuerit ferrum, & hoc non vt prius, sed hebetatum erit, multo labore exacuetur, & post industriam sequitur sapientia.* 519
10.11. *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit.* 184
10.14. *Initium superbiæ hominis, apostatare à Deo, quoniam ab eo qui fecit illum, recessit cor eius, quoniam initium omnis peccati est superbia: qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, & subuertet eum in finem.* ibid.
10.20. *In cogitatione tua Regi ne detrahas, & in secreto cubilis tui ne maledixeris diuiti, quia auis cæli portabit vocem tuam, & qui habet pennas annunciabit sententiā.* 617.
11.2. *Da partem septē, necnon & octo:* 717
11.4. *Qui obseruat ventum, numquam seminat, & qui considerat nubes, numquam metit.* 662
11.4. *In vestitu ne glorieris vmquam, & in die honoris tui ne extollaris.* 505
11.10. *Aufer iram de corde tuo, & amoue malitiam à carne tua.* 385
11.18. *Si centum annis vixerit homo, & in his omnibus lætus factus, reminiscere debet temporis tenebrosi, & dierum malorum, quæ cum venerint, arguunt præterita.* 654
12.1. *Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ, & appropinquent anni de quibus dicas, Non mihi placent.* 702
12.13. *Finem loquendi omnes pariter audiamus: Deum time, & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo.* 76
12.13. *Quis medebitur incantatori à serpente percusso?* 62
12.19. *Diuitiæ conseruatæ in malum Domini sui. Pereunt enim in afflictione pessima: generabit filium qui in summa egestate erit.* 123
14.3. *Viro cupido & tenaci sine ratione & substantia: & homini liuido ad quid aurum? iniustè aliis congregat, & in bonis illius alius luxuriabitur.* 124
14.15. *Sicut egressus est nudus de vtero matris suæ, sic reuertetur, & nihil auferet secum de labore suo.* 123
15.1. *Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ.* 271
ibid. *Et confringatur rota super cisternam, & reuertatur puluis in terram suam, vnde erat.* 271
17.21. *Conuertere ad Dominum, & relinque peccata tua: precare ante faciem Dei, & minue offendicula.* 701.
ibid. 23. *Reuertere ad Dominum, & auertere ab iniustitia tua: & nimis odito execrationem, & cognosce iustitias, & iudicia Dei, & sta in sorte propositionis, & orationis altissimi Dei.* 701
18.1. *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul.* 227
18.22. *Non impediaris orare semper, & non verearis vsque ad mortem iustificari: quoniam merces Domini manet in æternum.* 701

19. 2. *Vinum apostatare facit etiam sapientes.* 543. 544
19.21. *Melor est homo, qui deficit sapientia, & deficiens sensu in timore, quàm qui abundat sensu, & transgreditur legem Altissimi.* 517
20.30. *Qui operatur terram suam, inaltabit aceruum frugum: & qui operatur justitiam, ipse exaltabitur.* 374.
20.31. *Exenia & dona excæcant oculos iudicum: & quasi mutus in ore auertit correptiones eorum.* 122
21 28. *Labia imprudētium stulta narrabunt, verba autem prudentium statera ponderabuntur.* 561
ibid. 29. *In ore fatuorum cor eorum, & in corde sapientium os illorum.* 561.
22.6. *Musica in luctu importuna narratio est.* 152
24. 5. *Ego ex ore Altissimi prodiui.* 290.
24.8. *Gyrum cœli circuiui sola.* 229
24.27. *Spiritus meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & fauum.* 287
27.2. *Propter inopiam multi loquuti sunt, & qui quærit locupletari auertit oculum suum.* 127
27.6. *Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.* 60.165.698. 699.
27.12. *Stultus vt Luna mutatur.* 695
28. 1. *Qui vindicari vult, à Deo inueniet vindictam, & peccata illius seruans reseruabit.* 384
ibid. 2. *Relinque proximo tuo nocenti te, vt tunc deprecanti tibi peccata soluantur.* 384
ibid. 3. *Homo homini seruat iram, & à Deo quærit medelam. Jn hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur.* 384. 385.
ibid. 5. *Jpse dum caro sit, reseruat iram & propitiationem petijt à Deo.* 385.
ibid. *Quis exorauit pro delictis illius?* 385.
ibid. 6. *Memento nouissimorum, & desine inimicari: memorare timorem Domini, & non irascaris proximo.* 385
28.15. *Susurro & bilinguis maledictus est, multos conturbauit pacem habentes.* 184
28.21. *Flagelli plaga liuorem facit, plaga autem linguæ comminuet ossa.* 69.
ibid. 28. *Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam: & oris tuo facito ostia, & seras auribus eius.* 184.
28.28. *Obstruatur os iniqua loquentium, & sepiantur aures spinis à versipellium mendacijs detractorū.* 171
30. 1. *Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella.* 645
ibid. 8. *Equus indomitus euadit durus, & filius remissus euadet præceps. Lacta filiū tuū, & pauentē te faciet: lude cum eo & contristabit te.* 645
30.8. *Non corrideas illi, ne doleas: & in nouissimo obstupescent dentes tui.* 645.
32.1. *Ducem te constituerunt: noli extolli, sed esto in illis, quasi vnus ex ex illis.* 51
33.25. *Cibaria, & virga, & onus asino: panis, & disciplina, & opus seruo.* 170.523
ibid. *Laxa manus illi, & quærit libertatem.* 170
ibid. 26. *Iugum & lorum curuant collum durum, & seruum inclinant operationes assiduæ.* 170
ibid. 28. *Seruo maleuolo tortura &*

compedes. Mitte illum in operationem ne vacet. 170

34.21. *Immolantis ex iniquo oblatio est immunda, & non sunt beneplacitæ subsannationes iniustorum.* 343.

ibid.23. *Dona iniquorum non probat altissimus, nec respicit in oblationibus impiorum, nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur pro peccatis.* 343.588

34.28. *Vnus ædificans, & alter destruens, quid prodest illis nisi labor? Vnus orans, & vnus maledicens: cuius vocē exaudiet Deus?* 588

35.1. *Conseruat legem, multiplicat orationem: & sacrificium salutare attendere mandatis.* 689

37.12. *Cum viro religioso tracta de sanctitate, & cum justo de justitia.* 132.

37.13. *Cum emptore tracta de venditione, cum viro liuido de gratijs agendis, cum impio de pietate, cum honesto de honestate.* 132

38.25. *Sapientiam scribe in tempore otij, & qui minoratur actu, ipse percipit eam.* 148.

41.1. *O mors quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantijs suis, viro quieto, & cui justitiæ directæ sunt in omnibus, & adhuc valenti capere cibum.* 300

vlt. 2. *Verba seruorum Dei debent esse quasi stimuli, & quasi claui in altum defixi.* 705

EX ESAIA.

1. 2. *Filios genui, & exultaui, ipsi autem spreuerunt me.* 190

1. 4. *Vah genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis: dereliquerunt Dominum, blasphemati sunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum.* 703.

1. 6. *Omne caput languidum, & omne cor mærens: à planta pedis, vsque ad verticem non est in eo sanitas.* 2.7.

1. 12. *Cum veneritis ante conspectum meum, quis quæsiuit hæc de manibus vestris, vt ambularetis in atrijs meis? Ne afferatis vltra sacrificium frustrà. Incensum abominatio est mihi.* 327

ibid. 15. *Cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam.* 327

ibid. *Quis quæsiuit hæc de manibus vestris? manus vestræ sanguine plenæ sunt.* 735

1. 17. *Subuenite oppresso,* 437

1. 18. *Judicate pupillo, defendite viduam.* 51.437

1. 18. *Venite & arguite me.* 714. 51. 387. 618.

1. 18. *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, vt lana alba erunt.* 162

1. 23. *Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* 122

ibid. 24. *Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* 122

2. 2. *Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes.* 165.166

2. 4. *Judicabit Gentes, & arguet populos multos.* 523

ibid. *Et conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces.* 523

2.11. *Oculi sublimes humiliati sunt, & incuruabitur altitudo virorum:* 676.679

ibid. *Exaltabitur autem Dominus solus in die illa: quia dies Domini, super omnem superbum, & excelsum, super omnem arrogantem, & humiliabitur: & super omnes cedros Libani sublimes, & erectas, & super omnes quercus Basan, & super omnes naues Tharsis, & super omne, quod visu pulchrum est: & incuruabitur sublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum, & eleuabitur Dominus solus in die illa, & idola penitus cōterentur: & introibunt in speluncas petrarum, & in voragines terræ à facie formidinis Domini, & à gloria majestatis eius, cum surrexerit percutere terram* 340.676.709.

3.16. *Pro eo quòd eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum, ibant & plaudebant, ambulabant, & pedibus suis composito gradu incedebant, decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & pallia, linteamina, & acus, & specula, & sindones, & vittas & theristra: & erit pro crispanti crine caluitium, & pro fascia pectorali cilicium: pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, & fortes tui in prælio.* 333.668

3.24. *Erit pro suaui odore fœtor.* 629.

4.1. *Quoniam acceperunt septem mulieres virum vnum.* 278

5.1. *Væh qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, vsque ad terminum loci: numquid habitabitis in medio terræ soli vos?* 123.124.

5.2. *Vinea facta est dilecto meo in cornu in loco vberi, & maceria circumdedit, & circumfodit eam.* 670

5.6. *Mandabo nubibus ne pluant super terram imbres.* 248

5.7. *Vinea Domini Sabaoth domus est Israel.* 139

5.22. *Væh qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem?* 544

5.23. *Væh qui justificatis impium pro muneribus, & justitiam justi aufertis ab eo.* 123

ibid. 24. *Propter hoc sicut deuorat stipulam lingua ignis, & flammæ calor esurit, sic radix eorum quasi fauilla erit, & germen eorum, vt puluis ascendet.* 123

6.2. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, & ea quæ sub ipso erant, replebant templum.* 302

ibid. *Seraphin stabant subter illud.* 302.

ibid. *Sex alæ vni, & sex alæ alteri.* 449.

ibid. *Duabus velabant faciem, & duabus velabant pedes, & duabus volabant.* 349

6.5. *Væh mihi, quia vir pollutus labijs ego sum, quoniam in medio populi polluta labia habentis ego habito.* 411.424

ibid. *Maledictus vir qui non habuerit semen in Israel.* 416

9. 4 *Virgam humeri eius superasti, sicut in die Madian.* 211

9. 6. *Vocabitur Deus fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis, Admirabilis Consiliarius, ad Principatus amplificationem, pacémque infinitam in solio regnoque Dauidico, ad id iure iustitiáque condendum & stabiliendum in omnem deinceps aeternitatem.* 191. 500.

9.9. *Puer natus est nobis, filius datus est nobis.* 274

9. 10. *Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus aedificabimus: Sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus.* 173

9. 18. *Succensa est quasi ignis impietas, veprem, & spinam vorabit: & succendetur in densitate saltus, & conuoluetur superbia fumi.* 490

10.23. *Verbum abbreuiatum faciet Dominus.* 570

11.1. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiae & timoris &c.* 726

11. 4. *Percutiet terram virga oris sui.* 287

ibid. *Et spiritu labiorum suorum interficiet impium.* 287. 507

11.6. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hado accubabit: vitulus, & leo, & ouis simul morabuntur, & vacca vrsusque compascentur, concubantibus eorum pullis. Et leo more boum pallea vescetur, & ludet super aspidis foramen lactens infans, superque viperae cauernam deliciulus puer manum suam agitabit.* 248.

13. 9. *Ecce dies Domini venit crudelis & indignatione plenus, & ira furorisque ad deponendam terram in solitudine, & peccatores eius conterendos ex ea: quoniam stellae & splendor earum non expandent lumen suum, obtenebratus est Sol in ortu suo, & luna non splendebit in lumine suo: & visitabo super orbem mala, & contra impios iniquitates eorum.* 675. aliter

13,9. *Ecce dies Domini veniet insanabilis, dies furoris & irae: vt ponat orbem terrae desertum, & peccatores perdat ex eo: stellae enim caeli lumen suum non dabunt, & obscurabitur Sol in ortu suo: Luna verò non dabit lumen suum: & mandabo vniuerso orbi mala, & impijs peccatorum: & perdam contumeliam iniquorum, & arrogantiam superborum humiliabo: & erunt, qui relicti fuerint pretiosi magis quàm aurum ab igne probatum: & homo pretiosior erit, quàm lapis sapphirus. Caelum enim quatietur, & terra mouebitur à fundamentis suis propter furorem irae Domini Sabaoth in die qua superuenerit furor eius.* 338. 339. 707.

14.13. *In caelum conscendam, super astra caeli exaltabo solium meum* 485. 615.

ibid. *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, & similis ero Altissimo.* 485

19.19.20. *In die illa erit altare Domini in medio terrae Aegypti, & titulus juxta terminum eius Domini. Et erit in signum, & in testimo-*

nium Domino exercituum in terra Ægypti. 149

19.25. *Deus, opus manuum mearum tu es, hæreditas mea Israël.* 406

20.2. *Vade solue saccum de lumbis tuis, & calceamenta tolle de pedibus tuis.* 457.504

ibid. *Et fecit sic, vadens nudus, & discalceatus.* 457

22.23. *Manducemus & bibamus: cras enim moriemur.* 609

23.4. *Non parturiui, & non peperi, & non enutriui iuuenes, nec ad incrementum perduxi virgines.* 321

24.2. *Et erit sicut populus, sic sacerdos.* 307

25.7. *Præcipitauit Dominus in sancto mōte faciem dominatoris tenebrarum, & eum, qui dominatur cunctis populis.* 510

26.12. *Omnia enim opera nostra operatus es in nobis.* 233.234

28.2. *Ecce validus & fortis Dominus sicut impetus grandinis turbo confringens, sicut impetus aquarum multarum inundantium & missarum super terram.* 675

29.6. *Eritque repente confestim à Domino exercituum, visitabitur in tonitruo, & commotione terræ, & voce magna turbinis, & tempestatis, & flammæ ignis deuorantis.* 675

29.11. *Et erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati, quem cùm dederint scienti literas, dicent.* 718

29.11. *Lege librum istum: & respondit. Non possum: signatus est enim.* 547. 718.

29.13. *Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longe est à me. Estque eius erga me religio humanæ doctrina disciplina.* 177

29.14. *Peribit sapientia à sapientibus eius & intellectus prudentium eius abscondetur.* 712

30.9. *Populus enim ad iracundiam prouocans est, & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei.* 188.

30.10. *Qui dicunt videntibus, nolite videre & aspicientibus nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores, auferte à me viam, declinate à me semitam, cesset à facie mea sanctus Israel.* 134

30.27. *Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius, & grauis ad portandum: labia eius repleta sunt indignatione, & lingua eius quasi ignis deuorans, & spiritus eius velut torrens inundans, ad perdendas gentes in nihilum.* 675

30.30. *Auditam faciet Dominus gloriã vocis suæ: & terrorem brachij sui ostendet in comminatione furoris, & flamma ignis deuorantis. Nam Dei voce pauefiet Assyrius ferientis fuste, ac quacumque fixa transibit virga, quam illi Deus incutiet, tympana cytharaque audientur, eoque baculo vehementia prælia decernet.* 675.

33.15. *Qui excutit manus suas ab omni munere, & aurem ne sanguinem audiat obstruit, oculosque ab iniuria videnda continet, is altè habitabit rupium munitionibus armatus, suppetente ei victu, aquáque perdurante.* 119. 127.133

32.15. *Qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, & claudit oculos ne videat malum, iste in excelsis habitabit.* 367
33.18. *Vbi est litteratus? vbi legis verba ponderans? vbi doctor paruulorum? populum prudentem non videbis, populum alti sermonis: ita vt non possis intelligere disertitudinem linguæ eius, in quo nulla est sapientia.* 712
34.4. *Cælum in die iudicij plicabitur sicut liber.* 143
34.8. *Dies vltionis Domini, annus retributionis judicij Sion: & conuertentur torrentes eius in picem ardentem, die ac nocte non extinguentur in sempiternum.* 708
37.22. *Subsannauit te virgo filia Sion, post te caput mouit filia Hierusalem.* 109
ibid. 24. *In multitudine quadrigarum mearum ego ascendam altitudinem montium, juga Libani.* 109
ibid. 28. *Habitationem tuam & egressum tuum, & introitum tuum cognoui, & insaniam tuam contra me: cum fureres aduersum me, superbia tua ascendit in aures meas.* 109.
ibid. *Ponam ergo circulum in naribus tuis, & frænum in labijs tuis, & reducam te in via per quam venisti* 109.
38.12. *Dum adhuc ordirer succidit me.* 348.
40.3. *Vox clamantis in deserto.* 274
40.6. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni: aruit fœnum, & flos eius cecidit: qui autem seruat verbum Domini, manet in æternum.* 634
40.9. *Super montem excelsum ascende tu, qui Euangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, qui Euangelizas Jerusalem.* 138
40.12. *Cælum metitur palmo, & omnem terram pugillo concludit.* 229
40.17. *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo: & quasi nihilum, & inane reputatæ sunt ei.* 227
40.31. *Qui confidunt in Domino; mutabunt fortitudinem.* 731
41.17. *Egeni & pauperes quærunt aquas, & non sunt: lingua eorum siti aruit. Ego Dominus exaudiam eos, Deus Jsrael non derelinquam eos.* 518
ibid. 18. *Aperiam in supinis collibus flumina, & in medio camporum fontes: ponam desertum in stagnum aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum.* 518
41.23. *Priora annunciate mihi, & nouissima quæ futura sunt, & dicam, quia dij estis.* 350.508
42.14. *Tacui, semper silui, patiens fui, sicut parturiens loquar.* 340. 709
43.10. *Ante me non est formatus Deus, post me non erit.* 231
43.20. *Dic tu iniquitates tuas vt justificeris.* 266
44.3. *Effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam:* 248. 470.
ibid. *Effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam: & germinabunt in te herbas, quasi salices iuxta præterfluentes aquas* 147. 248.
45.7. *Ego Dominus formans lucem, & creans tenebras: faciens pacem, & creans malum.* 223
45.14. *Viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt, & post te ambulabunt colligendi vinculis.* 164

46.1. *Vtinam dirumperes cœlos, & descenderes, & liquefierent montes à facie tua!* 164

46.8. *Redite præuaricatores ad cor.* 103

47.8. *Et nunc audi hæc delicata, & habitans confidenter, quæ dicis in corde tuo: ego sum, & non est præter me amplius, non sedebo vidua, & non videbo sterilitatem: venient tibi hæc duo subito in vna die, sterilitas & viduitas.* 457

49.8. *Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adjuui te.* 390

49.18. *Viuo ego, dicit Dominus, quia his omnibus velut ornamento vestieris.* 139.179.274.

50.2. *Iniquitates vestræ diuiserunt inter me & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret.* 327.328.

50.6. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus, & conspuentibus in me.* 232

50.11. *Ite in lumine ignis vestri, & in flamma quam accendistis.* 373

51.23. *Ponam illum in manu eorum, qui te humiliauerunt, & dixerunt animæ suæ: incuruare, vt transeamus.* 301

52.5. *Per vos nomen Dei blasphematur.* 586.

52.6. *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipse qui loquebar ecce adsum.* 205.

52.7. *Quàm speciosi pedes Euangelizantium pacem, euangelizantium bona.* 85

52.15. *Quibus non est annunciatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent.* 221

53.2. *Non erat ei neque species, neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus: & desiderauimus eum despectum, & nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem, & quasi absconditus est vultus eius, & despectus, vnde nec reputauimus eum.* 455.

53.4. *Nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum.* 455

53.4.5. *Verè languores nostros ipse tulit, & peccata nostra ipse portauit.* 254.

53.5. *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, cuius liuore sanati sumus.* 276

53.8. *Propter scelus populi mei, percussi eum, & dabit impium pro sepultura, & diuitem pro morte sua.* 276.

53.9. *Peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius.* 254

54.16. *Ecce ego creaui fabrum sufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus suum.* 267. 519. 659

ibid. *Et ego creaui interfectorem ad disperdendum omne vas quod factum est.* 267

ibid. 17. *Et omnem linguam resistentem tibi in iudicio judicabis.* 267

56.3. & deinceps. *Non dicat Eunuchus, Ecce ego lignum aridum, quia hæc dicit Dominus Eunuchis, Qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ volui, & tenuerint fœdus meum: dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus.* 251

56.11. *Omnes in viam suam declinauerũt, vnusquisque ad auaritiam suã à summo vsque ad nouissimum.* 123

57.7. *Numquid super his non indignabor?* 129.

ibid.8. *Quia iuxta me te discooperuisti, & suscepisti adulterum.* 129

ibid.15. *Auferte offendicula populi mei, quia haec dicit Dominus excelsus, & sublimis, habitans aeternitatem in excelso, & in sancto habitans, & cum contrito & humiliato spiritu, vt viuificet spiritum humilium, & viuificet cor contritorum.* 129.

57.16. *Non in aeternum litigabo, neque vsque ad finem irascar: quia spiritus è facie mea egredietur, & flatum ego faciam.* 267

57.17. *Propter iniquitatem auaritiae eius iratus sum, & percussi eum, & abscondi, & indignatus sum, & abijt vagus in via cordis sui.* 123

58.4. *Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impie.* 738.

58.7. *Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagósque induc in domum tuam, cum videris nudum operi eum.* 5 5

58.11. *Implebit Dominus splendoribus animam tuam, & ossa tua liberabit: & eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cuius non deficient aquae.* 188

ibid.14. *Tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudinem terrae, & cibabo te haereditate Iacob patris tui.* 188

59.21. *Spiritus meus qui est in te, & verba mea quae posui in ore tuo, non recedant de ore tuo & de ore seminis tui vsque in aeternum.* 286

61.4. *Aedificabunt deserta saeculorum, & ruinas antiquas erigent, & instaurabunt ciuitates desertas, & dissipatas.* 696

61.10. *Induit me Dominus vestimento salutis, & indumento laetitiae circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsa ornata monilibus suis.* 632

62.3. *Et eris corona gloriae in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.* 624

62.5. *Gaudebit sponsus super sponsam: & gaudebit super te Deus tuus:* 630. 632.

62.11. *Gaude & laetare filia Sion, praedica filia Ierusalem, quoniam rex tuus venit mansuetus & saluans.* 261.

65.12. *Pro eo quod vocaui, & non respondistis, locutus sum, & non audistis, & faciebatis malum in oculis meis, & quae nolui elegistis: propter hoc ecce serui mei comedent, & vos esurietis: ecce serui mei bibent, & vos sitietis : ecce serui mei laetabuntur, & vos confundemini: ecce serui mei laudabunt prae exultatione cordis, & vos clamabitis prae dolore, & prae contritione spiritus vlulabitis.* 516 229

66.1. *Caelum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum.* 146

66.2. *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & mansuetum, & trementem sermones meos?* 145.389. 491.549

66.9. *Numquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus?* 320

66.24. *Egredientur & videbunt cadauera virorum, qui praeuaricati sunt in me:* 708

ibid *Vermes eorum non morientur, & ignis eorum non extinguetur.* 178, 340. 708.

EX HIEREMIA.

1.5. *Priusquam te formarem in vtero, noui te: & antequam exires de vulua sanctificaui te, & Prophetam in Gentibus dedi te.* 513.

1.15. *Ecce ego conuocabo omnes cognationes regnorum Aquilonis, ait Dominus: & venient, & ponent vnusquisque solium suum in introitu portarum Ierusalem, & super omnes muros eius in circuitu, & super vniuersas vrbes Juda. Et loquar judicia mea cum eis, super omni malitia eorum qui dereliquerunt me.* 395

2.13. *Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* 559.703

2.16. *Filij Mempheos & Taphnes constuprauerunt te vsque ad verticem.* 103.

2.19. *Quam durum & amarum est dereliquisse te Dominum Deum tuum?* 703.

3.1. *Si vir dimiserit vxorem suam, & illa recedens duxerit virum alterum, numquid reuerteretur ad eam vltra? Numquid non contaminata & polluta vocabitur mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me dicit* Dominus. 226.333.

4.3 *Nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas.* 374.734

ibid. *Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordiũ vestrorũ viri Iuda, & habitatores Hierusalẽ.* 734

4.14. *Laua Ierusalem à malitia cor tuum, vsquequò morabuntur in te cogitationes noxiæ?* 370.734

5.3. *Percussisti eos, nec doluerunt: attriuisti eos, & noluerunt accipere disciplinam.* 257.377

5.8. *Saturaui eos, & mœchati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur: equi amatores in fœminas emissarij facti sunt: vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat.* 112.327.492.

ibid. 9. *Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? & in gentem talem non vlciscetur anima mea?* 112

6.7. *Sicut frigidam facit cisterna aquam: sic frigidam facit malitia animam.* 24

6.13. *Omnes enim auaritiæ student, à minimo vsque ad maximum.* 64

6.20. *Vt quid mihi thus de Sabba affertis, & calamum suaueolentem de terra longinqua? Holocausta vestra non sunt accepta, & victimæ vestræ non placuerunt mihi.* 327

6.28. *Omnes isti Principes declinant, ambulantes fraudulenter: æs & ferrum: vniuersi corrupti sunt: defecit sufflatorium: in igne consumptum est plumbum, frustra conflauit conflator, malitiæ enim eorum non sunt consumptæ: argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit illos.* 377.660

7.24. *Facti sunt retrorsum, & non ante.* 703.

8.7. *Attendi, & auscultaui: nemo quod bonum est loquitur.* 268

8.15. *Expectauimus pacem, & non est bonum: tempus curationis, & ecce turbatio.* 59

8.64. *Attendi, & auscultaui, nemo quod bonum est loquitur.* 268

9.4. *Frater inimicus fraudulenter incedit in me.* 734

9.15. *Ecce ego cibabo eos absynthio, &*

potabo eos felle. 103

9. 20. Audite mulieres verbum Domini, & assumant aures vestræ sermonem oris mei, docete filias vestras lamentum, & vnaquæque proximam suam planctum, quia ascendit mors per fenestras vestras, ingressa est domos vestras, dispergere paruulos de foris, iuuenes de plateis. Et cadet morticinum hominis quasi stercus, super faciem regionis, & quasi fænum post tergum metentis, & non est qui colligat. 332.

10. 21. Pastores multi demoliti sunt vineam meam, conculcauerunt partem meam, dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis, posuerunt eam in dissipationem. 108

12. 9. Numquid auis discolor hæreditas mea? numquid auis tincta per totum? 107

ibid. 10. Venite, congregamini omnes bestiæ terræ, properate ad deuorandum. 107. 108

12.12. Gladius Domini deuorabit ab extremo terræ, vsque ad extremum eius, non est pax vniuersæ terræ. 675.676.

13. 1. Vade, inquit Dominus, & posside tibi lumbar lineum, & pone illud super lumbos tuos. 179.396

ibid. Surgens vade ad Eufratem, & absconde illud ibi in foramine petræ. 179.395.

ibid. 4. Surge, & vade ad Eufratem, & tolle inde lūbar. Et abij ad Eufratē, & tuli lumbar de loco, vbi absconderam illud: & ecce computruerat, vt nulli vsui aptum esset. 179. 396.

ibid. 6. Et ait Dominus, sic putrescere faciam superbiam Iuda, & superbiam Ierusalem multam, populum istum pessimum, qui nolunt audire verba mea, & ambulant in prauitate cordis sui: & erunt sicut lumbar istud quod nulli vsui aptatum est. 179.396.

ibid. 11. Sicut enim adhæret lumbar ad lumbos viri, sic agglutinaui mihi omnem domum Israel, & omnem domum Iuda, vt esset mihi in populum, & in nomen, & in laudem, & in gloriam, & non audierunt. 179.396.397

13. 22. Propter multitudinem iniquitatis tuæ reuelata sunt verecūdiora tua, polluta sunt plantæ tuæ. 107

ibid. 23. Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut Pardus varietatem suam, & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum. 107

ibid. 25. Hæc sors tua, pársque mensuræ tuæ apud me, dicit Dominus, quia oblita es mei, & confisa es in mendacio. 107

13.25. Quia oblita es mei, & confisa es in mendacio, & ego nudaui femora tua contra faciem tuam, & apparuit ignominia tua, adulteria tua, & hinnitus tuus, scelus fornicationis tuæ super colles, in agro vidi abominationes tuas. 332

14.19. Sperauimus pacem, & non est bonum: quæsiuimus bona, & ecce turbatio. 348

15.10. Væ mihi, mater mea, quare me genuisti virum rixæ, virum discordiæ in vniuersa terra? Non fæneraui, nec fænerauit mihi quisquam: omnes maledicunt mihi. 107

16.16. Mittam eis multos venatores, & venabuntur eos, de omni monte, & de omni colle. 256.727

17.9. Prauum est cor hominis & inscrutabile, & quis hominum cognoscet illud.

illud? 171

17.11. *Perdix fouit quæ non peperit: fecit diuitias, & non in iudicio: in dimidio dierum suorum relinquet eas, & in nouissimo suo erit insipiens.* 507

ibid.12. *Solium gloriæ altitudinis à principio, locus sanctificationis nostræ, expectatio Israel.* 507

20.14. *Maledicta dies in qua natus sum: dies in qua peperit me mater mea, non sit benedicta. Maledictus vir qui annunciauit patri meo, dicens: Natus est tibi puer masculus, & quasi gaudio lætificauit eum. Sit homo ille, vt sunt ciuitates, quas subuertit Dominus, & non pœnituit eum. Audiat clamorem mane, & vlulatum in tempore meridiano, qui non me interfecit à vulua, vt fieret mihi mater mea sepulchrum, & vulua eius conceptus æternus.* 102.103

20.17. *Fuisset vtique conceptus meus, conceptus æternus: abortisset mater mea, non peperisset, & abortum potius funderet, quàm sobolem genuisset.* 113

22.10. *Sepultura Asini sepelietur putrefactus, & projectus extra portas Jerusalem.* 330

22.24. *Si fuerit Jechonias filius Joacim Regis Iuda, annulus dexter in manu mea, inde euellam eum.* 672

22.29.30. *Terra, terra, terra, audi sermonem Domini. Hæc dicit Dominus: Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur.* 102

23.1.2. *Vah Pastoribus, qui disperdunt, & dilacerant gregem pascuæ meæ, dicit Dominus. Ideò hæc dicit Dominus Deus Israel ad Pastores, qui pascunt populum meum: Vos dispersistis gregem meum, & ejecistis eos, & non visitastis eos: ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum.* 104

23.9. *Contritum est cor meum in medio mei & contremuerunt omnia ossa mea: factus sum quasi vir ebrius, & quasi homo madidus à vino à facie Domini, & à facie verborum sanctorum eius.* 103

ibid.10. *Quia adulterijs plena est terra, quia à facie maledictionis luxit terra, arefacta sunt arua deserti.* 103.

ibid. 11. *Propheta nãq; & sacerdos polluti sunt, & in domo mea inueni malũ eorum, dicit Dominus.* 103.327

ibid.12. *Iccirco via eorum erit quasi lubricum in tenebris: impellentur enim & corruent in ea: afferã enim super eos mala, annum visitationis eorum. Prophetabant in Baal, & decipiebant populum meum Israel, & in Prophetis Jerusalem vidi similitudinem adulterantium, & iter mendacij.* 103

ibid.15. *Ecce ego cibabo eos in absynthio, & potabo eos felle. A prophetis enim Ierusalem est egressa pollutio super omnem terram.* 327

23.19. *Ecce turbo Dominicæ indignationis egredietur, & tempestas erumpens super caput impiorum veniet: non reuertetur furor Domini vsque dum faciat, & vsque dum compleat cogitationem cordis sui.* 106

23.24. *Cælum & terram ego impleo.* 229

23.29. *Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus: & quasi malleus conterens petram?* 130.176.

28.15. *Non misit te Dominus, & tu confidere fecisti populum istum in*

mendacio, iccirco hæc dicit Dominus: Ecce emittam te à facie terræ, hoc anno morieris. 209
29.17. Ecce ait Dominus, mittam in eos gladium, & famem, & pestem, & erunt in maledictionem, & stuporem, & in sibilum, & in opprobrium. 395
ibid.19. Eo quòd non audierint verba mea, quæ misi ad eos per seruos meos Prophetas, & de nocte consurgens, & mittens. 395
30.18. Ecce ego conuertam conuersionem tabernaculorum Iacob, & tectis eius miserebor: & ædificabitur ciuitas in excelso suo, & templum juxta ordinē suum fundabitur. 596
31.1. & Verbum quod factum est ad Jeremiam à Domino dicens: Vade ad domum Rechabitarum, & loquere eis, & introduces eos in domū Domini, in vnam exedrā thesaurorum & dabis eis bibere vinum. 544
dein-
ibid. Et posui coram filijs domus Rechabitarum scyphos plenos vino, & calices, & dixi ad eos: bibite vinū. 544
ibid. Qui responderunt, non bibimus vinū: quia Ionadab filius Rechab pater noster præcepit nobis dicens: Non bibetis vinum vos, & filij vestri vsque in sempiternum. 544
31.34. Nemo dicet, Agnosce Dominum: omnes enim cognoscent me à maximo vsque ad minimum, dicit Dominus. 622
ibid. Et omnium peccatorum tuorum jam memor non ero. 226
32.8. Factum est verbum Domini ad me, dicens: Ecce Ananehel filius Sella patruelis tui veniet ad te dicens: Eme tibi agrum meum qui est in Anatoth, tibi enim competit ex propinquitate, vt emas eum. 357
ibid. 9. Intellexi autem quod verbum Domini esset, & emi agrum ab Ananehel filio patruelis mei, qui est in Anatoth, & appendi ei argentum septem stateres, & decem argenteos. 357
ibid.10. Et scripsi in libro, & signaui, & adhibui testes, & appendi argentum in statera, & accepi librum possessionis signatum, stipulationes, & rata, & signa forinsecus: 357.
35.18. Pro eo quod obedistis præcepto Jonadab patris vestri, & custodistis omnia mandata eius, propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: non deficiet vir de stirpe Jonadab filij Rechab stans in conspectu meo cunctis diebus. 544
48.10. Maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine. 10.335
50.31.32. Ecce ego ad te superbe, dicit Dominus, quia veniet dies tuus, tempus visitationis tuæ: & cadet superbus, & corruet, & non erit qui suscitet eum. 109
51.25. Ecce ego ad te mons pestifer, ait Dominus, qui corrumpis vniuersam terram, vt extēdam manum meam super te, & euellam te de petris, & dabo te in montem combustionis, & non tollent de te lapidem in angulum, & lapidem in fundamenta: sed perditus in æternum eris. 109.

EX THRENIS.

3. SPinis peccatorum suorum circumdederunt me. 140.488
3.24. Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea expectabo eum. 406
3.26. Bonum est præstolari cum silentio salutare Domini. 631
3.36. Vt peruerteret hominem in judicio suo, Dominus ignorauit. 277
ibid.37. Quis est iste qui dixit, vt fieret.

Domino non jubente, Domino dicit non jubente, non tamen prohibente. 277
3.38. *Ex ore Altissimi non egredientur nec bona, nec mala* 276.277
3.41. *Leuate corda vestra cum manibus ad Deum.* 650
3.53. *Cecidit in lacum miseriæ vita mea: perempta est in iniquitatibus meis anima mea.* 392
4.4. *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* 547
4.5. *Nutriebantur in croceis: amplexati sunt stercora.* 364
4.20. *Spiritus oris nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris, cui diximus: In vmbra tua viuemus in Gentibus.* 166

EX BARVCH.

3.14. *TV autem disce vbi sit prudentia.* 713
ibid. 22. *Filij quoque Agar, qui exquisierunt prudentiam, quæ de terra est, negociatores terræ, & Themam, & fabellatores, & exquisitores, prudentiæ, viam sapientiæ nescierunt, neque meminerunt semitarum eius.* 713

EX EZECHIELE.

1.7. *PEdes eorum, pedes recti.* 269. 481.681.
1.9. *Non reuertebantur cum incederent: sed vnumquodque ante faciem suam gradiebatur.* 681.703
2.5. *Domus exasperans est.* 368
2.18. *Versa est mihi domus Israel in scoriam.* 486
3.8. *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum: & frontem tuam duriorem frontibus eorum, vt adamantem, & vt silicem dedi faciem tuam: ne timeas, neque metuas à facie eorum.* 335.336
7.7.8.9. *Venit tempus, propè est dies occisionis, & non gloriæ montium. Nunc de propinquo effundam iram meam super te, & judicabo furorem meum in te, & judicabo te juxta vias tuas, & imponam tibi omnia scelera tua, & non parcet oculus meus, neque miserebor, sed vias tuas imponam tibi, & abominationes tuæ in medio tui erunt: & scies, quia ego sum Dominus, percutiens te.* 113.
7.19. *Argentum eorum foras projicietur, & aurum eorum in sterquilinium erit: argentum eorum & aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini, animam suam non saturabunt, & ventres eorum non implebuntur: quia scandalum iniquitatis eorum factum est, & ornamenta monilium suorum in superbiam posuerunt.* 111.123
8.9. *Ingredere, & vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic. Et ingressus vidi, & ecce omnis similitudo reptilium, & animalium abominatio, & vniuersa idola domus Israel depicta erant in pariete in circuitu per totum.* 129
13.4. *Quasi vulpes in desertis Prophetæ tui erant Israel.* 68
15.2. *Fili hominis, quid fiet ligno vitis ex omnibus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna syluarum? numquid tolletur de ea lignum vt fiat opus: aut fabricabitur de ea paxillus, vt dependeat in eo quodcumque vas?* 681
16.10. *Vestiui te discoloribus, & calciaui te hyacintho, & cinxi te bysso, & indui*

te sutilibus, & ornaui te ornamento. 274.503
ibid. Et vestita es bysso & polymito, & multis coloribus, 274
16.33. Omnibus meretricibus dantur mercedes, tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis. 104
18.23. Numquid enim voluntatis meæ
& 33. est mors impij, dicit Dominus?
2. Sed volo vt conuertatur & viuat. 225.
20.32. Neque cogitatio mentis vestræ fiet, dicentium, Erimus sicut Gentes, & sicut cognationes terræ, vt colamus ligna, & lapides. Viuo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in manu forti, & brachio extento, & in furore effuso regnabo super vos & educam vos de populis, & congregabo vos de terris, in quibus dispersi estis, & subijciam vos sceptro meo. 329
21.5. Egredietur gladius meus de vagina sua ad omnem carnem ab Austro vsque ad Aquilonem, vt sciat omnis caro, quia ego Dominus eduxi gladium meum de vagina sua irreuocabilem. 676
21.9.10. Gladius, gladius exacutus est, & limatus. Vt cædat victimas, exacutus est, vt splendeat limatus est, vt sit in manu interficientis. 105
ibid. 10.11. Qui moues sceptrũ filij mei, succidisti omne lignũ, & dedi eũ ad læuigãdũ, vt teneatur manu. Iste exacutus est gladius, & iste limatus est, vt sit in manu interficientis. 105
ibid. 25.26. Tu autem prophane, impie dux Israel, cuius venit dies in tempore iniquitatis præfinita, hæc dicit Dominus Deus: Aufer cidarim, tolle coronam: nonne hæc est quæ humilem subleuauit, & sublimem humiliauit? 105
ibid. 28. Mucro, mucro, euagina te ad occidendum, lima te vt interficias, & fulgeas. 105
ibid. Reuertere, reuertere ad vaginam tuam in locum in quo creatus es: in terra natiuitatis tuæ judicabo te, & effundam super te indignationem meam, & iram furoris mei sufflabo in te. 105
22.18. Omnis domus Israel mihi versa est in scoriam. 377
23.20. Vt carnes asinorum, carnes eorum. 21.
23.24.25. Venient super te instructi curru, & rotâ populorum multitudo, lorica, & clypeo, & galea armabuntur contra te vndique, & dabo coram eis judicium, & judicabunt te judicijs suis, & ponam zelum meum in te, quem exercebunt tecum in furore, nasum tuum & aures tuas præcident, & quæ remanserint, gladio concident. 115.
23.25.29. Nouissimum tuum deuorabitur igni, & denudabunt te vestimentis tuis, & tollent vasa gloriæ tuæ, & requiescere faciem scelus tuum à te, & fornicationem tuam de terra Ægypti: quia hæc dicet Dominus: Ecce ego tradam te in manus eorum, quos odisti, in manus, de quibus satiata est anima tua, & agent tecum in odio, & tollent omnes labores tuos, & dimittent te nudum & ignominia plenum, & reuelabitur ignominia fornicationum tuarum. 115
23.35. Posuisti me post corpus tuum. 324. 414.
28.13. Omnis lapis pretiosus indumentum eius. 455
32.22. Ibi Assur cum armis suis. 176. & sepulchra eius. 182

32.27. *Descenderunt ad infernum cum armis suis.* 680.708

34.16. *Quod perierat requiram: & quod abjectum fuerat reducam, & quod confractũ fuerat alligabo: & quod infirmum fuerat consolidabo.* 489.

EX DANIELE.

1.17. *Dedit illis Deus scientiam & disciplinam in omni libro & sapientia: Danieli autem dedit intelligentiam omnium visionum & somniorum, itaut Babyloniorum sapientes ad eorum prudentiam non attingerent, eosque magi, arioli, vel aruspices in mysteriorum cælestium reuelationibus non æquarent.* 515

2.21. *Ipse mutat tempora, & transfert regna.* 1

3.47. *Erupit, & erecta est super fornacem cubitis quadraginta nouem* 546.

4.27. *Respondénsque Rex ait: Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, & in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* 209.484.485

4.29. *Dominatur excelsus super regnum hominum, & cuicumque voluerit dat illud.* 616

ibid. 29. *Et ecce cum adhuc sermo esset in ore Regis, vox de cælo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex, Regnum transijt à te, & ab hominibus te ejicient, & cum bestijs atque feris erit habitatio tua.* 209

5.28. *Diuisum est regnum tuum, & datum est Medis & Persis.* 615

7.9. *Aspiciebam donec throni positi sunt, & Antiquus dierum sedit, vestimentum eius quasi nix candidum, & capilli eius quasi lana munda: thronus eius flamma ignis accensus: fluuius igneus, rapidusque egrediebatur à facie eius.* 339. 676.707.

ibid. 10. *Judicium sedit, & libri aperti sunt.* 339.676.707

7.10. *Millia millium ministrabant ei: & decies centena millia assistebant ei.* 75.302.

7.11. *Et vidi in visu noctis, & ecce in nubibus cæli filius hominis veniebat, & vsque ad vetustum dierum peruenit, & in conspectu eius oblatus est, & ipsi datus est principatus, & honor, & regnum, & omnes populi, tribus & linguæ ipsi seruient: & potestas eius potestas æterna quæ non transibit, & regnum eius non corrumpetur. Inhorruit spiritus meus, ego Daniel, hebetudo mea, & visiones capitis mei conturbabant me.* 339.707

7.25. *Sermonem contra Excelsum loquetur, & sanctos Altissimi conteret: & putabit, quod possit mutare tempora, & leges: & tradentur in manu eius, vsque ad tempus & tempora, & dimidium temporis.* 510

ibid. 26. *Iudicium quippe sedebit, vt auferatur potentia, & conteratur, & dispereat vsque in finem.* 510.

12.3. *Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates* 687.

13.5. *Quia egressa est iniquitas de Babylone à senibus judicibus, qui videbantur regere populum.* 105

EX OSEA.

1.2. *Vade, sume tibi vxorem fornicationum, quia fornicans fornicabitur terra à Domino.* 307

ibid. 4. *Quoniam adhuc modicum, &*

... visitabo sanguinem Iezrahel, super domum Iehu, & requiescere faciam regnum domus Israel, & in illa die conteram arcum Israel in valle Iezrahel. 307
4.1. Non est veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei id terra: maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt. 247
4.3. In bestias agri, & in volucres cœli, sed & pisces maris congregabuntur. 248
4.6. Quia scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi: & oblita es legis Dei tui, obliuiscar & ego filiorum tuorum: & secundum multitudinem eorum sic peccauerunt mihi, gloriam eorum in ignominiam commutabo, peccata populi mei comedunt, & ad iniquitatem eorum subleuabunt animas eorum: & erit sicut populus, sic sacerdos; & visitabo super eum vias eius, & cogitationes eius reddam ei. 365
7.3. In malitia sua lætificauerunt Regem, & in mendacijs suis Principes: omnes adulterantes, quasi clybanus succensi sunt à coquente. 247.
ibid. 7. Omnes calefacti sunt quasi clybanus, & deuorauerunt iudices suos: omnes Reges eorum ceciderunt, non est in eis, qui clamet ad me. 247
13. 10. Vbi est Rex tuus Israel? maxime nunc saluet te in omnibus vrbibus tuis: & Iudices tui, de quibus dixisti, Da mihi Regem & Principes. 247
ibid. 11. Dabo tibi Regem in furore meo, & auferam in indignatione mea. 247.
13. 14. Ero mors tua, ô mors. 225. 253.
ibid. Morsus tuus ero inferne. 253
vlt. 6. Ero quasi ros. Israel germinabit quasi lilium, & erumpet radix eius vt Libani: conuertentur sedentes in vmbra eius: viuent tritico, & germinabunt quasi vinea mea: memoriale eius sicut vinum Libani. 147

EX IOELE.

1.17. Compútruerunt jumenta in stercore suo. 180.397. 728.

EX AMOS.

3.12. Quomodo si eruat Pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ: sic eruentur filij Israel qui habitant in Samaria. 247.
4.7. Plui super ciuitatem vnam, & super ciuitatem alteram non plui. Pars vna super quam non plui, aruit. 247
9.10. In gladio morientur omnes peccatores populi, qui dicunt, Non appropinquabit, & non veniet super nos malum. 676

EX ABDIA.

c. vnic. 3. Superbia cordis tui extulit te habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum. Qui dicis in corde tuo: Quis detrahet me in terram? 112.
ibid. 4. Si exaltatus fueris vt aquila, & si inter sydera posueris nidum

tuum, inde detraham te dicit Dominus. 112

EX IONA.

2.8. *CVm angustiaretur in me anima mea Domini recordatus sum, vt veniat ad te oratio mea, ad templum sanctum tuum.* 378

ibid. 20. *Ego autem in voce laudis immolabo tibi: quæcumque voui reddam pro salute mea Domino.* 378.

EX NAVM.

1.2. *DEus æmulator, & vlciscens Dominus, & habens furorem: vlciscens Dominus in hostes suos, & irascens ipse inimicis suis.* 110.

1.9. *Non iudicat Dominus bis in idipsum* 698.

3.2. *Vox flagelli, & vox impetus rotæ, & equi frementis, & quadrigæ feruentis, & equitis ascendentis, & micantis gladij, & fulgurantis hastæ, & multitudinis interfectæ, & grauis ruinæ, nec est finis cadauerum.* 676

EX ABACVCH.

1.10. *ESca eius electa.* 332

2.6. *Vah ei qui multiplicat non sua vsquequo, & aggrauat contra se densum lutum.* 123

ibid. 9. *Vah qui congregat auaritiam malam domui suæ, vt sit in excelso nidus eius, & liberari se putat in die mali.* 123

3. 2. *Dum conturbatus fueris, in ira misericordiæ memor eris.* 296

EX SOPHONIA.

1.14. *IVxta est dies Domini magnus: iuxta & velox nimis. Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ, dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris.* 338.675.706

1.18. *In igne zeli Domini deuorabitur omnis terra, & in gladio eius omnis caro.* 340.709

EX AGGÆO.

1.6. *COngregauit diuitias, & misit eas in sacculum pertusum.* 408. 637.

1.14. *Suscitauit Dominus spiritum Zorobabel filij Salathiel, ducis Iuda, & spiritum Iesu filij Iosedech sacerdotis magni, & spiritum reliquarum de omni populo: & ingressi sunt, & faciebant opus in domo Domini exercituum Dei sui.* 696.

2.8. *Adhuc vnum modicum est, & ego commouebo cælum & terram, & mare & aridam, & mouebo omnes Gentes.* 675

2.8. *Et ecce veniet desideratus cunctis gentibus.* 105.675

2.12.13. 14.15. *Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Interroga sacerdotes legem dicens: Si tulerit homo carnem sanctificatam in ora vestimenti sui, & tetigerit de summitate eius panem, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum, numquid sanctificabitur? Respondentes autem sacerdotes, dixerũt: Nõ. Et dixit Aggæus: Si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his, nũquid cõtaminabitur? Et respõdentes sacerdotes dixerũt. Contaminabitur. Et respõdit Agg. & dixit: Sic popul⁹ iste, & sic gẽs ista ante

faciem meam, dicit Dominus, & sic omne opus manuum eorum, & omnia, quæ obtulerunt ibi, contaminata erunt. 53
2.24. In illa die suscipiam te Zorobabel serue meus, & ponam te sicut signaculum in conspectu meo. 672

EX ZACHARIA.

2.6. O, O, fugite de terra Aquilonis. 247
ibid. 7. O Syon fuge, quæ habitas apud filiam Babylonis. 247
3.2. Vidi, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius super caput ipsius, & septem lucernæ eius super illud. 118
3.3. Iesus erat indutus vestibus sordidis, & stabat ante faciem Angeli. Qui respondit, & ait ad eos, qui stabant coram se, dicens: Auferte vestimenta sordida ad eo. 298. 505
ibid. Et dixit ad eum: Ecce abstuli à te iniquitatem tuam, & indui te mutatorijs, & dixit: Ponite cidarim nudam super caput eius. 298. 299. 505.
3.9. Ecce lapis quem dedi coram Jesu. Super lapidem vnum septem oculi sunt. 102.117.174.
4.2 Vidi, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius super caput ipsius, & septem lucernæ super illud .102.
6.12.13. Ecce vir Oriens nomen eius, & subter eum orietur, & ædificabit Templum Domino, & ipse extruet Templum, & portabit gloriam, & sedebit, & dominabitur super solium suum, & erit sacerdos super solio suo. 118.728
14.20. In die illa erit, quod super frænum equi est, Sanctum Domino vocabitur. 309.339
ibid. Et erũt lebetes in domo Domini quasi phialæ coram altari, & erit omnis lebes in Hierusalem, & in Iuda sanctificatus Domino exercituum. 310.

EX MALACHIA.

1.7. O Sacerdotes qui despicitis nomen meum, & dixistis: In quo despeximus nomen tuum? offertis super altare meum panem pollutum. 327
2.2. Maledicam benedictionibus vestris. 724.725.
2. 2. Si nolueritis ponere super cor, vt detis gloriam nomini meo, mittam in vos egestatem. 725
2.3. Ecce ego proijciam in vobis brachium, & dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum. 327
2.7. Labia Sacerdotis custodiunt scientiam & legem requirunt ex ore eius, quia Angelus Domini exercituũ est. 687
3.2. Ecce venit Dominus exercituum, & quis poterit cogitare diem aduentus eius, & quis stabit ad videndum eum. 339.675.707
3.3. Quoniam ipse ingredietur ignem conflatorium, & sicut paleam ventilatum: & sedebit conflans & purgans, sicut aurum, & sicut argentum. 339.707
3.6. Ego Deus, & non mutor. 244
3. 7. Reuertimini ad me, & ego reuertar ad vos, dicit Dominus. 333.595
3.10. Gens tota inferte omnem decimam in horreum meum, & sit cibus in domo mea: & probate me super hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem vsque ad abundantiam. 725
4. 1. Ecce dies Domini veniet ardens vt

elybanus, vt vrat eos, & erunt omnes alieni, & omnes qui faciunt iniquitatem, vt stipulam incendet eos dies illa, qua veniet, dicit Deus omnipotens: non relinquetur radix, neque palmes. 339.675.707

EX II. MACHAB.

2.4. Erat in ipsa Scriptura quomodo tabernaculum & arcam jussit Propheta diuino responso ad se facto, comitari secum, vsquequò exijt in montem, in quem Moyses ascendit, & vidit Dei claritatem: & veniens ibi Hieremias, inuenit locum speluncæ & tabernaculum, & arcam, & altare incensi intulit illuc, & ostium obstruxit, 276.

INDEX SCRIPTVRARVM NOVI TESTAMENTI.

EX MATTHÆO.

1. 8. IORAM genuit Oziam. 444

1. 17. Ab Abraham vsque ad Dauid generationes quatuordecim. A Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim. A transmigratione Babilonis vsque ad Christum, generationes quatuordecim. 155 343.

1.18. Antequâm conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto. 415

3.10. Omnis arbor que non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. 139

3.12. Zona pellicea circa lumbos eius. 449

3. 17. Hic est filius meus in quo mihi complacui. 143

4. 23. Qui curat omnem languorem, & omnem infirmitatem. 226

5. 4. Beati mites quoniam possidebunt terram. 397

5. 5. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. 393

5.8. Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt. 186.734

5.13. Vos estis sal terræ. Quod si sal euanuerit, in quo salietur? 120. 405. 409.

5.17. Non veni legem soluere, sed adimplere. 254

5.18. Vt ne vnus quidem apex, aut vnum Jota de lege prætereat, quin omnia fiant. 164

5.19. Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum: Qui autem fecerit & docuerit magnus vocabitur. 351

5. 22. Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio: qui autem dixerit Racha, reus erit concilio: qui autẽ fatue, reus erit gehennæ ignis. 385.

2.27.28. Audistis, quia dictum est antiquis: non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia quicumque viderit mulierem ad concupiscendum

eam, jam mœchatus est eam in corde suo. 370.494
5.37. Sit autem sermo vester, est, est, non, non: si quid autem amplius est, à malo est. 719
5.39. Si percusserit tibi maxillam, præbe ei & alteram: Si angariauerit te mille passus, vade cum eo duo alia millia. 351
6.1. Videte ne faciatis iustitiam vestram coram hominibus, vt videamini ab eis. 589
6.2. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. 136.420
6.9. Pater noster qui es in cœlis. 401
6.19. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur: & vbi fures effodiunt, & furantur. 412
6.21. Vbi thesaurus tuus: ibi & cor tuum, 84
6.24. Nemo potest duobus Dominis seruire. 80.148.361.477
6.33. Primum quærite regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis. 464.494.716.
7.2. In qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis. 642
7.6. Nolite sanctum dare canibus. 12
7.11. Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quanto magis pater vester de cœlo dabit Spiritum bonum petentibus. 285
7.16. Numquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus. 485
7.18. Non potest arbor mala fructus bonos facere. 308.485
7.26. Omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto qui ædificauit domum suam supra arenam, & descendit, & venerũt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina eius magna. 181
8.26. Vulpes foueas habent, Filius hominis non habet vbi reclinet caput suum. 80.128.252.
9.25. Et cum ejecta esset turba, intrauit, & tenuit manum eius, & surrexit puella. 148
10.3. Si vos persequuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. 352
11.12. A tempore Ioannis Baptistæ regnũ cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud 565.624
11.13. Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem. 565
10.20. Non enim vos estis qui loquimini: sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. 285
11.28. Venite ad me qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. 451.477.
11.29. Discite à me quia mitis sum & humilis corde. 580
11.30. Jugum meum leue, & onus meum suaue. 767
12.5. Aut non legistis, quia Sacerdotes in templo sabbatum violant, & sine crimine sunt? 373
12.32. Qui peccat in Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque hic, neque in futuro. 726
12.34. Ex abundantia cordi os loquitur. 63
12.36. De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die judicij. 267.393
13.27. & deinceps. Domine nónne bonum semen seminasti in agro tuo, vnde ergo habet Zizannia? 433
ibid. Vis imus & colligimus ea. 433
ibid. Sinite vtraque crescere vsque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus, Colligite primum zizannia, & alligate ea in fasculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum. 433

13. 32. *Cum autem creuerit, maius est omnibus oleribus, & fit arbor, ita ut volucres cœli veniant, & habitent in ramis eius.* 249

13. 33. *Ego enim ostendam illi quanta oporteat pro nomine meo pati.* 161

13. 34. *Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis.* 621

13. 52. *Omnis scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patri familias, qui profert de thesauro suo noua & vetera.* 254. 255

15. 1. *Omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum mittitur.* 258

15. 13. *Omnis arbor quam non plantauit Pater meus cælestis, eradicabitur.* 333.

16. 17. *Quam commutationem dabit homo pro anima sua?* 701

ibid. *Beatus es, Simon Barjona, quia caro & sanguis non reuelabit tibi, sed Pater meus qui est in cælis.* 284

16. 18. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* 117. 181.

16. 19. *Tibi dabo claues Regni cælorum & quodcumque ligaueris siue solueris super terram, ligabitur & soluetur in cælis.* 359

ibid. 23. *Vade post me Sathana, scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum,* 359 641.

16. 24. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum sibi, & tollat crucem suam, & sequatur me.* 80

18. 6. *Qui scandalizauerit vnum ex his pusillis, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* 587

18 7. *Væ illi per quem scandalum venit.* 354.

18. 15. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum: si te audierit, lucratus es fratrem tuum: si te non audierit, adhibe tecum duos vel tres testes.* 50. 569.

18. 16. *Vt in ore duorum vel trium stet omne verbum.* 2. 50. 81

18. 21. *Domine quoties peccauerit in me frater meus, & dimittam ei? vsque septies?* 351

19. 12. *Sunt Eunuchi qui se castrauerunt propter regnum cælorum.* 251

19. 21. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia tua, & da pauperibus, & veni, sequere me.* 80

20. 16. *Multi sunt vocati: pauci verò electi.* ibid.

21. 19. *Jam non amplius in æternum quisquam fructum ex te manducet.* 725.

21. 33. *Quidam paterfamilias plantauit vineam.* 139

21. 44. *Omnis qui ceciderit super lapidem confringetur, super quem verò ceciderit, conteret eum.* 176. 210

22. 13. *Ligatis manibus & pedibus mittite eos in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium.* 340. 680.

22. 30. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cælo.* 660.

23. 6. *Amant primos recubitus in cœnis & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.* 134

23. 10. *Ne vocemini magistri.* 420

23. 13. *Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* 209.

23. 15. *Væ vobis, qui circuitis mare & aridam, vt faciatis vnū proselytum, & cum factus fuerit, facitis eum filiū gehennæ duplo quàm vos.* 256

23.27. *Vah vobis Scribæ & Pharisæi, qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ foris apparent hominibus speciosa, intus autem plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia.* 320.477.

24.27. *Sicut fulgur exit ab Oriente, & apparet in Occidente: ita erit aduentus filij hominis.* 338.706

ibid.29. *Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, virtutésque cælorum mouebuntur.* 338.706

24.36. *De die autem illo, vel hora nemo nescit neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater.* 223

25.4. *Prudentes virgines acceperunt oleũ in vasis suis cum lampadibus.* 394

25.12. *Nescio vos.* 709

ibid.41. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.* 709

26.4. *Concilium fecerunt, vt Jesum dolo tenerent, & occiderent.* 108

26.9. *Tu autẽ cùm jejunas vnge caput tuũ.* 520.

26.38. *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* 602

vlt.19. *Ite, docete omnes Gentes.* 420

EX MARCO.

.320. *VEnit domum, & conuenit iterum turba, itaut non possent nec panem manducare: & cum audissent sui, exierunt tenere eum: dicebant enim, quoniam in furorem versus est.* 668

4.24. *Eadem mensura qua mensi fueritis remetietur vobis.* 208

6.2. *Vnde huic hæc omnia, & quæ est sapientia quæ data est illi, & virtutes tales, quæ per manus eius efficiuntur? Nonne iste est Fabri filius & Mariæ, frater Jacobi, & Ioseph, & Judæ, & Simonis?* 659

6.8. *Ne quid feratis in via nisi virgam tãtum, non peram, non panem, neque in Zonis æs.* 83

6.8. *Neque æs in zonis habentes, neque duabus tunicis induti, sed sandalis calciati, virgam tantummodo gestantes.* 410

8.33. *Vade post me Sathana, scandalum es mihi: quia non sapis quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.* 641

11.21. *Rabi, ecce ficulnea cui maledixisti, aruit.* 725

11.25. *Nec pater vester dimittet vobis peccata vestra, si non remiseritis vnusquisq; fratri suo de cordibus vestris.* 190.

13.19. *Erunt dies illi tribulationis tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ, quam condidit Deus, vsque nunc, neque fient.* 677

14.34. *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* 602

16.15. *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* 249.

EX LVCA.

1.11. *APparuit illi Angelus Domini stans à dextris altaris incensi.* 302.

1.14. *Erit tibi gaudium & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt.* 372.

1.17. *Præibit eum in spiritu & virtute Eliæ, vt conuerteret corda patrum in filios, & incredulos ad prudẽtiam justorum.* 502

1.23. *Factum est vt impleti sunt dies officij eius, abijt ad domum suam.* 325. 376.

ibid.24. *Post hos autem dies concepit Elizabeth vxor eius.* 325

1.28. *Aue Maria gratia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* 198.

2.10. *Dixit illis Angelus: Nolite timere: ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid.* 686
2.14. *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* 1. 14. 295. 595.
2.35. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* 737
2.36. *Anna septenni conjugio fruita iam vsque ad octoginta quatuor annos in viduitate processerat.* 733
ibid. 37. *Non discedebat de templo, jejunijs, & obsecrationibus seruiens, nocte ac die.* 656. 733
ibid. 38. *Hæc ipsa hora superueniens, confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Hierusalem.* 733
3.11. *Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas similiter faciat.* 565
6.19. *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* 286
6.20. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* 590.
6.25. *Vah vobis qui ridetis, quoniam flebitis.* 393
6.30. *Si quis tibi quod tuum est tulerit, ne repetas.* 351
6.39. *Numquid potest cæcus cæcum ducere?* 451
6.48. *Omnis homo qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domũ suam supra petram. Descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat super firmam petram.* 181.
7.25. *Quid exiſtis in desertum videre? Hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt.* 502
9.6. *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* 397. 398
9.23. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* 539
9.26. *Qui me erubuerit, & meos sermones: hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in majestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum.* 458
9.56. *Nescitis cuius spiritus estis: Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.* 352
ibid. *Et abierunt in aliud castellum.* 352
9.58. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: Filius hominis non habet vbi caput suum reclinet.* 549
9.62. *Nemo mittens manum suam in aratrum, & respiciens retro, aptus est Regno Dei.* 180. 463. 702
10.1. *Designauit Dominus septuaginta, & misit illos binos ante faciem suam, in omnem ciuitatem & locum quò erat ipse venturus* 149. 173.
10.4. *Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta.* 410
10.17. *Reuersi sunt septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo.* 485
ibid. *Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem.* 485
11. *Pulsate, & aperietur vobis.* 160
11.20. *Si in digito Dei eijcio dæmonia, profecto peruenit in vos regnum Dei.* 489. 490.
11.23. *Qui non est mecum, aduersus me est: & qui non colligit mecum, disper-*

git. 83.408

[illegible] leemosynam, & ecce omnia [illegible] vobis. 719

[illegible] quia abstulistis claues sa[illegible] scientiae, sed ipsi non introistis, & insuper alios introire volentes prohibuistis. 352

12.13. Ait quidam de turba ad Iesum, Magister dic fratri meo, vt diuidat mecum haereditatem. 83.408

ibid. 14. Homo, quis me constituat Iudicem aut diuisorem super vos? 83

12.19. Anima, habes multa bona reposita in annos multos, requiesce, comede, bibe, epulare. 157

ibid. 20. Stulte haec nocte repetent animam tuam à te: quae autem parasti, cuius erunt? 157

12.24. Videte & cauete ab omni auaritia, quia non in abundantia cuiusquam vita eius est ex his, quae possidet. 83

12.34. Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. 412

12.46 Veniet Dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua nescit, & diuidet eum, partemque eius cum infidelibus ponet. 614

12.49. Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat? 410

13.1. Docente Domino aderant quidam ipso in tempore nunciantes illi de Galilaeis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificijs eorum. 211

13.7. Succide illam, vt quid etiam terram occupat? 420

13.7. Super decem & octo homines turris Siloe cecidit, & occidit eos. 210

13.13. Discedite à me operarij iniquitatis, quia nescio vos. 453

13.21. Fermentum tollens mulier commiscuit in farinae satis tribus, donec fermentatum est totum. 161

13.32. Ite, dicite vulpi illi. 252

14.8. Ne recumbas in primo loco. 420

14.10. Amice, ascende superius. 328

14.18. Rogo te, habe me excusatum. 192.

14.30. Hic homo coepit aedificare, & non potuit consummare. 695

14.33. Omnis qui non renunciauerit omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus. 80

15.2. Murmurabant Scribae & Pharisaei dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. 726

15.7. Gaudium est eis super peccatore poenitentiam agente. 333

15.12. Da mihi portionem quae me contingit. 408

16.8. Filij huius seculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt. 712.

16.12. Qui in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis? 667.

16.19. Epulabatur ille splendide. 234

16.26. Quia inter nos & vos Chaos magnum firmatum est. 166.

19.14. Nolumus hunc regnare super nos. 179.

19.23. Serue nequam, quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, vt ego veniens, cum vsuris exegissem illam? 18.19.44

19.40. Joseph ab Arimathia, & Nicodemus acceperunt corpus Jesu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos Judaeis est sepelire. 520

20.33. In resurrectione neque nubent neque nubentur: sed erunt sicut Angeli Dei in caelo. 660.

21.34. Cauete, ne grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius saeculi. 310.367.477

22.28. Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. 599

ibid. 29. *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum.* 599
22.32. *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* 256
23. 50. *Dicent montibus, Cadite super nos, & collibus operite nos.* 706
24.21. *Nos enim sperabamus quod esses redempturus Israel.* 4
24.49. *Ecce ego mitto promissum Patris mei in vos.* 285

EX IOANNE.

1.2. *Omnia per ipsum facta sunt.* 223.227.232.242.
ibid. *Et sine ipso factum est nihil.* 227. 231.233.242.
1.4. *Quod factum est in ipso vita erat.* 224.
1.29 *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* 128.377.498.
ibid. *Et audierunt duo discipuli loquentem, & sequuti sunt Jesum.* 498
2.2. *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: & vocatus est Iesus ad nuptias cum Discipulis suis.* 668
3.18. *Qui autem non credit, jam iudicatus est.* 369
3.20. *Omnis qui mala agit, odit lucem: & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius: qui autem facit veritatem, venit ad lucem.* 371
4.32. *Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis.* 261
5.24. *In iudicium non venit, sed transit de morte in vitam.* 369
5.46. *Si crederetis Moysi, crederetis vtique & mihi: de me enim ille scripsit.* 565
6.41. *Ego sum panis viuus qui de cælo descendi.* 206.554.603.668
6. 54. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* 389
ibid. *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* 389
ibid. 61. *Et iam non cum illo ambulabant.* 389
7.16. *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.* 289
7.16. *De die illa neque Angeli sciunt in cælo, nec ipse Filius, nisi solus Pater.* 389.
8.7. *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* 411
8.25. *Ego principiũ, qui & loquor vobis.* 217.
8.26. *Qui me misit mecum est.* 210
8.34. *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* 373
8.42. *Ego enim ex Deo processi, & veni.* 290.
8.58. *Antequam Abraham fieret ego sum.* 244
9.5. *Ego sum lux mundi.* 210
9.39. *Ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant: & qui vident, cæci fiant.* 490
10 1. *Qui intrat per ostium, Pastor est ouiũ, qui autem intrat aliundè, fur est & latro.* 107.133
10.10. *Fur non venit, nisi vt furetur, & mactet, & perdat.* 104
10.18 *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* 254
10. *Oues meæ vocem meam audiunt: & ego agnosco eas, & vitam æternam do eis.* 128. 712.730
10.30. *Ego & Pater vnũ sumus.* 223.286.
12.32. *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* 261
11.9. *Nonne duodecim horæ sunt diei?* 145.
12.16. *Vbi sum ego, illic & minister meus erit.* 166
12.25. *Nisi granũ frumenti cadens in terram mortuũ fuerit, nullum fructũ*

[illegible] 4[illegible]3 [illegible]47
12.[illegible] [illegible] exaltatus fuero a terra v-
[illegible] traham ad me[illegible]sum. 429
12.35. Ambulate dum lucē habetis. 390
12.44. [illegible] me credit, non in me credit,
[illegible] eum qui me misit. 289
12.4[illegible] [illegible] lux in mundum veni, & om-
nis qui credit in me, in tenebris non
maneat. 378
13.1. Cum dilexisset suos, in finem dilexit
eos. 257
13.34. Hoc est præceptum meum, vt diliga-
tis inuicem. 378
14.6. Mea doctrina non est mea, sed eius
qui misit me. 390
14.16. Ego rogabo Patrem, & alium Pa-
racletum dabit vobis, vt maneat
vobiscum in æternum, Spiritum ve-
ritatis. 285
14.23. Si quis diligit me, sermonem meum
seruabit, & Pater meus diliget
eum. & ad eum veniemus, &
mansionem apud eum faciemus.
549.
ibid. 26. Paracletus autem Spiritus san-
ctus quem mittet Pater in nomine
meo, ille vos docebit omnia. 285.
286.
15.3. Iam vos mundi estis propter sermo-
nem, quem loquutus sum vobis. 76
15.4. Manete in me, & ego in vobis. 145
15.5. Ego sum vitis vera, & vos palmites.
139.
15.19. Si de mundo fuissetis, mundus quod
suum erat diligeret: sed quia de
mundo non estis, propterea odit vos
mundus. 167.247
15.26. Cum venerit Paracletus, quem
ego mittam vobis à patre, Spiri-
tum veritatis qui à patre procedit,
ille testemonium perhibebit de me
28.289
16.6. Quia hæc locutus sum vobis, tristi-
tia impleuit cor vestrum: sed ego
veritatem dico vobis, expedit vo-
bis vt ego vadam. si enim non
abiero, Paraclesus non veniet ad
vos: si autem abiero, mittam eum
ad vos. 631
16.8. Spiritus sanctus arguet mundum
de peccato, & de justitia, & de
judicio. 538
ibid. De Iustitia autem, quia ad Patrem
vado, & jam non videbitis me.
538
16.14. Ille me clarificabit, quia de meo
accipiet. 286
16.21. Mulier cum parit tristitiam habet,
quia venit hora eius: cum autem
peperit puerum, jam non meminit
pressuræ propter gaudium, quia
natus est homo in mundum. 603
17.3. Ego sum qui sum. 224
17.20. Non pro his autem rogo tantum,
sed & pro eis qui credituri sunt in
me per verbum ipsorum, vt omnes
vnum sint, sicut tu pater in me, &
ego in te, vt & ipsi in nobis vnum
sint. 143
ibid. 23. Ego in eis, & tu in me, vt sint cō-
sumati in vnum. 143
18.9. Quia quos dedisti mihi, non perdidi
ex eis quemquam. 256.257
19.46. Ioseph & Nicodemus acceperunt
corpus Iesu, & ligauerunt illud
linteis cum aromatibus, sicut mos
est Iudæis sepelire. 649
20.12. Accipe Spiritum sanctum. 287
21.17. Si diligis me, pasce oues meas, pasce
agnos meos. 712

EX APCT. AOST.

1.7. Non est vestrum nosse tempora
vel momenta, quæ Pater posuit
in sua potestate. 223
2.2. Factus est repente de cœlo sonus tan-
quam aduenientis Spiritus vehe-
mentis. 287
2.13. Musto pleni sunt isti. 668

2.24. *Quem Deus suscitauit à mortuis solutis doloribus inferni.* 602
2.33. *Dextera igitur Dei exaltatus, & promissione Spiritus sancti acceptâ à Patre, effudit hoc donum quod vos videtis, & auditis.* 287
3.19. *Pœnitemini igitur, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra* 394.
4.19. *Si iustum est in conspectu Dei, vos potius audire quàm Deũ, iudicate.* 14
4.32. *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.* 82.407
Ibid.34. *Quia quotquot possessores agrorum, aut domorum erant vendẽtes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.* 83.357.408.
Ibid.35. *Diuidebatur autem singulis, prout cuique opus erat.* 83.408
4.35. *Nec quisquam eorum quæ possi..e- & dein ceps. bat, aliquid suum esse dicebat: sed erant illis omnia communia* 82. 86.
ibid. *Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium Resurrectionis Iesu Christi Domini nostri, & gratia magna erat in omnibus illis.* 30
ibid. *Nec enim quisquam egens erat inter illos.* 86
5.3.4. *Cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, vt fraudares de pretio agri? Nonne m[a]nens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Nõ es mentitus hominibus, sed Deo.* 83
5. *Veniens Angelus Domini per noctem, aperiens ianuas carceris, & educens eos, dixit: ite & stantes loquimini in templo, plebi, omnia verba vitæ eius.* 245
5.29. *Obedire magis oportet Deo, quàm hominibus.* 14
8.3. *Saulus deuastabat Ecclesiam per domos intrans, & trahens viros, & mulieres tradebat in custodiã.* 217
8.20. *Pecunia tua tecum sit in perditione.* 111
8.23. *In felle arundinis, & in obligatione peccati video te esse.* 722
8.31. *Putásne intelligere quæ legis? Respõdit, & quomodo possum, nisi aliquis ostenderit mihi?* 547
9.5. *Durum est tibi contra stimulũ calcitrare.* 462.642
10.5. *Mitte viros in Ioppem, & accersi Simonẽ, qui cognominatur Petrus.* 284.
10.7. *Surge Petre, macta, & manduca.* 49.
10.48. *Cum ad Cornelium, Gentilem videlicet hominem, fuisset ingressus, aduersus eum quæstio facta est ab his, qui erant ex circũcisione fidelibus, quòd ad alienigenas introisset atque cum eis comedere præsumpsisset, insuper & in baptismate recepisset.* 49
12. *Occidit Herodes Iacobum fratrem Ioannis gladio.* 607
ibid. *Erat autem dies Azymorum* 607
12.8. *Præcinge te, & calcea te caligas tuas.* 449
12. *Cum præcederet eum Angelus de carcere ad portam ferream, vltro aperta est eis.* 245
14.10. *Dij similes facti hominibus descenderunt ad nos.* 422
ibid.12. *Sacerdos Iouis qui erat ante ciuitatem Tauros, & coronas ante ianuas offerens cum populis, volebat sacrificare.* 422
14.21. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* 38

Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus? sed per gratiam Domini Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi. 525

16. *Subitò terræmotus factus est magnus, ita vt mouerentur fundamẽta carceris, & confestim aperta sunt ostia omnia, & vniuersorum vincula soluta sunt.* 245

17.28. *In illo viuimus, mouemur, & sumus.* 234

20.26. *Mũdus ego sum à sanguine omniũ vestrum.* 346

20.35. *Beatius est magis dare, quàm accipere.* 585

21.11. *Virum, cuius hæc zona est, Iudæi in Ierusalem alligabunt, & tradent in manus Gentium.* 449

25.12. *Cæsarem appello.* 726

ibid. *Cæsarem appellasti: ad Cæsarem ibis.* 726

EX EPIST. PAVLI, AD Romanos.

1.10. *Memoriam vestri facio semper in orationibus meis: obsecrans si quomodo tandem aliquãdo prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos.* 218

1.14. *Sapientibus & insipientibus debitor sum.* 141

1.21. *Cum cognouissent Dominum, non sicut Dominum glorificauerũt, aut gratias egerunt: sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratũ est insipiens cor eorum.* 490.464

1.32. *Non modo talia facientibus, sed & consentientibus par pœna debetur.* 333.334

2.21. *Qui ergo alium doces, teipsum non doces? qui prædicas non furandum, furaris? qui dicis non mœchandum mœcharis? qui abominaris idola, sacrilegium facis? qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras? Nomen enim Dei per vos blasphematur in Gentibus.* 177 352.

2.24. *Per vos nomen Dei blasphematur* 586.

4.17. *Qui fecit ea quæ non sunt.* 227

4.25. *Quicũque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in morte: Et quomodo surrexit Christus per gloriã Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* 605

5.10. *Cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo propter mortẽ filij eius.* 382.

5.11. *Non solum, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes, quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* 700

6.4. *Consepulti enim sumus, cum illo per Baptismum in morte, vt quando surrexit Christus per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* 715

8.5. *Si complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus.* 453

6.8. *Si autem mortui sumus cum Christo credimus quia simul etiam resurgemus cum ipso.* 447.448.451.453

6.13. *Nolite exhibere membra vestra arma iniquitatis peccato.* 386.680.

7.18. *Mi autem misero velle quidem adiacet: perferre autem non inuenio.*

enī inuenio in carne mea bonū. 60.

7.23. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducētem in lege peccati, quæ est in membris meis. 7 324.325

8.2. Lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati & mortis. 380

ibid.3. Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnē, Deus filium suum misit in similitudinē carnis peccati, & de peccato dānauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis. 380.

8.7. Prudentia huius mundi inimica est Deo: Legi enim Dei non subijcitur, nec enim potest. 712

8.7. Prudentia carnis mors est: prudentia spiritus, vita & pax. 207

8.8. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. 148

6.13. Neque exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato. 680

8.9. Qui spiritum Christi non habet, hic non est eius. 187

8.20. Vanitati creatura subiecta est. 491

ibid.21. Nam & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatē gloriæ filiorum Dei. 505

8.28. Diligentibus Deum omnia cooperātur in bonum. 90

8.32. Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. 276 563.

ibid.36. Æstimati sumus, vt oues occisionis. 153

9.3. Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sūt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ. 423

10.4. Finis enim legis ad iustitiam Christus omni credenti. 76

10.10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. 166

19.15. Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem. 139

11.20. Noli altum sapere, sed time. 163. 506.

12.13. Non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. 712

12.5. Noli plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. 727

13.3. Vis non timere potestatem, fac bonū, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time. Non enim sine causa gladium portat. 640.

13.4. Non sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram Dei, qui malum agit. 352.616.649

14.4. Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Suo enim Domino stat aut cadit: stabit autem, potens est enim Deus statuere illum. 578

15.4. Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: vt per patientiam & consolationem scripturarum spē habeamus. 353.410. 420.562.582.611

15.4. Vt per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus. 582.

15.18. Habeo gloriam in Christo Iesu ad Deum: in obediētia Gentium, verbo & factis, in virtute signorum & prodigiorum, in virtute Spiritus sancti, ita vt ab Ierusalem per circuitum vsque ad Illyricum repleuerim Euangelio Christi. Sic autem hoc prædicaui Euangelium, non vbi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem: sed sicut scriptū est: Quibus non est annun-

ciatum de eo videbunt, & qui non audierunt, intelligent. 220.221

EX I. AD CORINTH.

1.4. Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Iesu, quia in omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientia, ita vt nihil vobis desit in vlla gratia. 276
1.11. Significatum est mihi de vobis, fratres mei, ab his qui sũt Cælestes, quia contentiones inter vos sunt. Hoc autem dico, quod vnusquisque vestrum dicit. Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Christi. Diuisus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis? 428
1.18. Verbum crucis pereuntibus quidem stultitia est: his autem qui salui fiunt, id est nobis, virtus Dei est. 454
1.21. Quia non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. 424.620.712
1.24. Christus Dei est virtus, & Dei sapientia. 242.243
1.25. Quod stultum est Dei sapientius est omnibus hominibus. 424
2.2. Nihil cogitaui me scire inter vos, nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum. 166
2.10. Spiritus sanctus omnia scrutatur etiam profunda Dei. 286
2.14. Deo autẽ gratias, qui dedit nobis victoriã in Christo Iesu Domino nostro: & odorem notitiæ suæ manifestauit per nos in omni loco. 261
2.15. Spiritualis autẽ iudicat omnia, ipse autem à nemine iudicatur. 145.161
3.11. Quia fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, Christus Iesus. 374.632
3.12. Qui suprà fundamentum, quod est Christus, ligna, fœnum, stipulam ædificat, quale cuiusque opus sit, ignis probabit. 729.
3.16. Templum Dei quod estis vos, & Spiritus sanctus habitat in vobis 146.
3.17. Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. 326
3.22.23. Omnia enim vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue hic mũdus, siue vita, siue præsentia, siue futura, omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei. 76
4.3. Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die. 425
4.5. Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te vnum verum Deum, & quem misisti Iesum Christũ. 224
5.6. Modicum fermẽtum, totam massam corrumpit. 578
5.7. Pascha nostrum immolatus est Christus. 374.
5.8. In Azymis sinceritatis & veritatis. 558.
6.3. Nescitis quia Angelos iudicabimus, quanto magis sæcularia. 447.448
6.10. Nihil habentes, & omnia possidẽtes. 86
6.10. Maledici Regnum Dei non possidebunt. 724
6.13. Esca ventri, & venter escis: Deus autem & hunc & illas destruet. 550.592
6.14.15. Quæ est enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fidelis cũ infideli? Quis autem consensus templo Dei cum idolis. 11.84

6.15. *Nescitis quoniam corpora vestra membra Christi sunt.* 326
Tollam membra Christi, & faciam membra meretricis, absit. 11
6.16. *Qui adhaeret meretrici, vnũ corpus efficitur.* 11.
6.17. *Qui adhaeret* Domino, *vnus Spiritus est.* 374.627.668
6.19. *Corpus vestrum templum in vobis est spiritus sancti, quem habetis à* Deo. 326.735
7.1. De *quibus scripsisti mihi bonum est homini, mulierem non tangere.* 416.
7.2. *Propter fornicationem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquaeque virum suum habeat. Vir vxori debitum reddat, & vxor viro.* 177.326.498.416.428
7.5. *Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu, ad tempus, vt vacetis orationi.* 326
ibid.5. Reuertimini in idipsum ne tẽtet, vos Satanas propter incontinentiã vestram. 417
7.6. Hoc *secundum indulgentiam, non secundum imperium dico.* 344
ibid.7. Si se non continent nubant. 417
7.24. *Quae innupta est, sollicita est quae sunt* Domini, *vt sit sancta corpore & spiritu: quae autem nupta est, sollicita est quae sunt mundi, quomodo placeãt viro.* 733
7.29. *Velo vos omnes esse sicut ego.* 416. 417.498
ibid. 32. Qui sine vxore est, sollicitus est, quae Domini sunt, quomodo placeat Deo. *Qui autẽ cum vxore est, sollicitus est quae sunt mundi, quomodo placeat vxori.* 326
9.10. *Debet enim in spe, qui arat, arare, & qui triturat in spe fructus percipiẽdi.* 463
9.26. *Ego autem sic curro non quasi in incertum, sic pugno, non quasi aërem verberans.* 218.545.
9.27. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo* 562.563.592
9.27. *Ne cum alijs praedicauerim, ipse reprobus efficiar.* 552
10.4. *Petra Christus est.* 670
10.11. *Nos, in quos fines saeculorum deuenerunt.* 373
ibid.12. Qui stat, videat ne cadat. 678.
11.1. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* 457
10.11. *Haec in figura contingebant illis.* 156
11.1. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* 145
11.3. *Caput Christi Deus.* 672
11.16. *Si quis vult contentiosus esse, nos cũ eiusmodi consuetudinem non habemus.* 570
11.31. *Si nosmetipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur.* 404
12.7. *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meae* Angelus *Satanae qui me colaphizet.* 163
13.12. *Nunc enim videmus eum in speculo, & in aenigmate: tunc autem facie ad faciem: & nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* 162.224
14.38. *Qui ignorat, ignorabitur.* 77.360.
15.5.6. *Visus est Cephae. Et post haec illis vndecim, deinde apparuit Apostolis omnibus.* 159.160
15.10. *Gratia Dei sum id, quod sum: & gratia eius in me vacua non fuit: sed abundantius illis omnibus laboraui: non ego autem, sed gratia* Dei *mecum.* 220
15.14. *Si Christus non resurrexit inanis est ergo praedicatio nostra.*

ibid. 15. Inuenimur autem & falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus aduersus Deum, qui se suscitauerit Christum, quem non suscitauit, si mortui non resurgunt. 90
15. 24. Cum tradiderit regnum Deo & Patri. 223.224
15. 32. Ieiunemus & sacras vigilias celebremus, vt in festiuitate cælesti sine fine victuri, feliciter epulemur. 609
15.55. Vbi, est ô mors, victoria tua? vbi est stimulus tuus? 253
16. 5. Veniam ad vos cum Macedoniam pertransiero. 219
16.13. Vigilate, state in fide, viriliter agite. 185.186
16.22. Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema. 592

EX II. AD CORINT.

1.14. Spiritus iniquitatis transfigurat se in Angelum lucis. 160
1.23. Nam fide statis. 538
2.11. Non ignoramus astutias eius. 249
2.14. Deo autem gratias, qui semper triũphat nos in Christo Iesu, & odorem notitiæ suæ semper manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo in ijs qui salui fiunt, & in ijs qui pereunt: alijs quidem odor mortis in mortẽ, alijs odor vitæ in vitam. 367.730
3. 6. Qui idoneos nos fecit ministros noui testamenti. 163
3. 17. Vbi spiritus Domini, ibi libertas. 448
4.7. Habemus enim thesaurum istum in vasis fictilibus. 636.
4.17. Id enim quod in præsenti est momẽtaneum ac leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 154.700
5. 19. Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. 143.547
6.2. Ecce nunc tẽpus acceptabile, ecce nunc dies salutis. 390.475
6.14. Quæ est participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? 330.559
6.15. Aut quæ societas Christi & Belial? Qui consensus temploDei cũ idolis? 148.330
7.2. Capite nos, neminem læsimus, neminem corrupimus: neminem circumuenimus. 727
9.9. Non est Deo cura de bobus. 266
10.3. In carne enim ambulantes, non secundũ carnẽ militamus: nã arma militia nostræ non carnalia sunt, sed potẽtia Deo, ad destructionem munitionum, consilia corporis destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. 552.713
10.10. Sicut Angelum Dei excepistis me, testimoniũ enim vobis perhibeo, quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi. 423
11.2. Despondi enim vos vni viro. Virginem castam exhibere Christo. 226
11.13. Nam eiusmodi Pseudoapostoli sunt operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi, quorum finis erit secundum opera eorum. 458
11.19. Libenter suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes. 454
11.20. Sustinetis enim si quis vos deuorat, si quis vos decepit. 253
11 24. Ter virgis cæsus sum, & quinquies quadragenas vna minus accepi. 562 575
12.14. Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos. 218
12.14. Non debent filij thesaurizare pa-

rentibus, sed parentes filijs. 153
13. *Cum autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli.* 165
13.3. *An experimẽtum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?* 219.

EX EPIST. AD GALAT.

1.1. *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem, qui suscitauit eũ à mortuis.* 219.184.
1.8. *Licet Angelus de cælo euangelizet vobis præter quàm quod euangelizaui, anathema sit.* 433
ibid. 11. *Notum vobis facio, fratres, Euangelium, quod euangelizatum est à me, quia non est secundum hominẽ: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Domini nostri Iesu Christi.* 220
1.15. *Cum autem complacuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filium suum in me, & euangelizarem eum in Gentibus, continuo non acquieui carni & sanguini.* 218
1.18. *Veni Hierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum dies quindecim.* 284
2.8. *Qui operatus est Petro in Apostolatu circumcisionis, operatus est mihi inter Gentes.* 149
2.11. *Cum venisset Petrus Antiochiã, & dein in faciem ei restiti, quia reprehensibilis videbatur. Prius enim quàm venirent quidam à Iacobo, cum Gentibus edebat: cùm autem venissent, subtrahebat & segregabat se, timens eos, qui ex circumcisione erant.* 524
Præceps.
ibid. *Et simulationi eius consenserunt cæteri Iudæi, ita vt & Barnabas duceretur, ab eis in illam simulationem.* 524
ibid. *Sed cum vidissem quòd non rectè ambularent in veritate Euangelij, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu cùm Iudæus sis, Gentiliter viuis, & non Iudaicè quomodo Gentes cogis Iudaizare?* 524
2.20. *Viuo autem iam non ego, viuit vero in me Christus.* 250.448
2.20. *Qui dilexit me, & tradidit seipsum pro me.* 563
3.3. *Sic stulti estis, vt cum spiritu cœperitis, nunc carne consumemini.* 454
3.9.10. *Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham. Quicumque autem ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.* 194
4.6. *Quoniam estis filij Dei, misit Deus Spiritum filij sui in corda vestra clamantem, Abba Pater.* 287
4.20. *Vellem me esse apud vos modo, & mutare vocem meam.* 218
4.24. *Hæc enim sunt duo testamenta.* 463
5.15. *Si mordetis, & comeditis inuicem: videte, ne ab inuicem consummamini.* 493.727
5.17. *Quia caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem.* 747.621
5.19. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissentiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietas, comessationes, & his similia quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniã qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* 252.715.716
ibid. 22. *Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* 375.716

6.8. *Qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* 375

6.14. *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* 309.672

6.17. *Ego stigmata Iesu semper in corpore meo porto.* 3.8.539.672

EX EPIST. AD EPHES.

2.4. *Propter mūdi charitatem suā, qua dilexit mundum, Filium suum misit.* 353

2.14. *Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum.* 143

2.19. *Iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues Sanctorum, & domestici Dei.* 139.713

3.17. *Spiritum sanctum nostis in cordibus habitare per fidem.* 735

3.18. *In charitate radicatus & fundatus.* 538

4.8. *Ascendit in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* 254

4.10. *Qui descendit, ipse est & qui ascēdit super omnes cælos, vt adimpleret omnia.* 155

4.13. *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* 143

4.17. *Nolite locum dare diabolo.* 164

4.19. *Desperantes, semetipsos immunditiæ tradiderunt.* 328

4.24. *Expedit vetus homo noster intereat, & nouus qui secundum Deū creatus est, ad obtinendam terram viuentium conualescat.* 156

4.26. *Sol non occidat super iracundiam vestram.* 379

4.28. *Qui furabatur, iam non furetur, sed laboret manibus suis, vt habeat vnde tribuat necessitatem patiētibus.* 493.663

4.30. *Nolite contristare Spiritum sanctū in vobis, in quo signati estis.* 326

4.31. *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cū omni malitia.* 380

5.1. *Estote imitatores Dei sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos,* 145

5.5. *Omnis fornicator, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.* 12

5. 5. *Auaritia, idolorum seruitus.* 361.665

5.8. *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autē lux in domino.* 143.541

5.18. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* 544

5.25. *Viri diligite vxores vestras, sicut Christus Ecclesiam.* 416

5.27. *Vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiā, non habentem maculam, neque rugam.* 274

6.2. *Quod est primum mandatum in promissione.* 142

6.11. *Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli, quia non est vobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem: sed aduersus Principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, cōtra spiritualia nequitiæ in cælestibus. Propterea accipite armaturam Dei.* 545

6.13. 16. & 17. *State succincti lumbos vestros in veritate, & induti lorica iustitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis, in omnibus sumentes scutum Fidei, in quo possitis tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis accipite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei.* 61.131.176.218.352 545.519.563.631.

vlt.1. *Filij obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim iustum est: honora patrem, & matrem, quod est mandatum primum in promissione, vt benè sit tibi, & sis longæuus super terram.* 462

EX EPIST. AD PHILIPP.

1.19. *SCio, quia hoc mihi prouenit in salutem per vestram orationem, & subministrationem Spiritus Iesu Christi.* 287

1.21. *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* 448

1.23. *Coarctor autem è duobus, desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne, necessarium est propter vos.* 164.301

2.19. *Spero in Dominum Iesum, Timotheum cito me mittere ad vos, vt ego bono animo sim, cognitis quæ circa vos sunt.* 218.219

2.21. *Omnes quærunt quæ sua sunt, & non quæ Iesu Christi.* 2

2.29. *Excipite illum cum omni gaudio in Domino, & eiusmodi cum honore habetote.* 423

3.7. *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror velut stercora.* 307

3.13. *Ego me non arbitror comprehendisse, vnum autem quæ retro sunt obliuus sequor ad brauium supernæ vocationis: sequor si comprehendam.* 463.481.

3.18. *Multi enim ambulant quos sæpe dicebam vobis: nunc autem & flens dico, inimicos Crucis Christi, quorum finis interitus, & quorum Deus venter est, & gloria in confusione eorum.* 361.592.602

4.1. *Itaque, fratres mei charissimi, gaudium meum, & corona mea, sic state in Domino.* 130

vlt.18. *Ego enim habeo omnia, & abundo.* 318

ibid.11.12. *Ego didici, in quibus sum, sufficiens esse, scio & humiliari, scio & abundare vbique: in omnibus institutus sum, & satiari, & esurire, & abundare, penuriam pati. Omnia possum in eo qui me confortat.* 318

EX EPIST. AD COLOSS.

1.13. *QVia eruit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ, seruitutemque peccati illius à nobis cruor abstersit.*

1.16. *In ipso constant omnia.* 230

ibid. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* 230

1.24. *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius quod est Ecclesia.* 430

2.3. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scienciæ absconditi.* 223.623

2.5. *Nam & si corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum, gaudens & videns ordinem vestrum.* 219.472

2.9. *In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis.* 143

2.16. *Nemo diiudicet vos in cibo, aut potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ, aut in sabbato, quæ sunt vmbra futurorum.* 374

3.1. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens.* 714

3.3. *Mortui enim estis, scilicet mundo.* 447.

3.3.4. *Cùm Christus apparuerit vita nostra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* 224

3.8. *Nunc autem deponite & vos omnia, iram, indignationem.* 380

3.19. *Tempus est, ut qui habent uxores, tanquam non habentes sint.* 416

EX I. AD THESSAL.

4.4. *VT sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione & honore. Hac est enim sanctimonia sine qua nemo videbit Deum.* 553

4.15. *Ipse Dominus in jussu & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo: & mortui qui in Christo sunt, resurgent.* 548

5.12. *Rogamus autem vos fratres, cum noveritis eos, qui laborant in vos, & præsunt vobis in Domino, & commonent vos, ut abundantius habeatis illos in charitate propter opus illorum.* 423

5.17. *Orate sine intermissione.* 491.733

5.19. *Spiritum nolite extinguere.* 326

EX II. AD THESSAL.

1.8. *IN revelatione Domini nostri Jesu Christi de cœlo cum Angelis virtutis eius in flamma ignis dantis vindictam: ijs qui noverunt Deum, & qui non obediunt Euãgelio Domini nostri Jesu Christi.* 708.

2.4. *Qui adversatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus.* 617

2.7. *Mysterium jam operatur iniquitatis.* 67

2.8. *Tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet Spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui.* 287.507.509

3.10. *Qui non laborat, non manducet.* 519

EX I. AD TIMOTH.

1.17. *REgi seculorum immortali, invisibili, soli Deo honor & gloria.* 231

1.19. *Sunt homines reprobi, naufragi circa fidem.* 260

2.1. *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominib. pro Regib. & omnibus qui in sublimitate sunt constituti.* 617

2.1. *Ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate.* 617

2.4. *Deus omnes vult salvos fieri, & neminem vult perire.* 429

2.4. *Nemo militans Deo, implicat se sæcularibus negotijs: ut ei placeat, cui se probavit.* 477

2.5. *Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus.* 224

2.8. *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira & disceptatione.* 304.626

3.1. *Qui Episcopatum desiderat bonum opus desiderat.* 119

ibid. 2. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse.* 119

3.7. *Oportet Episcopum testimonium habere bonum ab his, qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, & laqueum diaboli.* 318

3.15. *Ut scias quomodo oporteat in domo Domini conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna, & firmamentum veritatis.* 325.445

4.8. *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est: patientia autem ad omnia utilis est.* 580

4.12. *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.* 531

ibid. 13. *Dum venio, attende lectioni, exhortationi, atque doctrinæ.* 491.531

5.1. *Senem ne increpaveris, sed obsecra ut Patrem.* 524

5.5. *Quæ autem verè vidua est, & desolata, speravit in Domino, & perstitit in oratione nocte ac die.* 733

ibid. 9. *Quæ autem in delicijs agit, vivẽs mortua est.* 733

5.22. *Manus citò nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis.* 346.361

5.23. *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino vtere propter stomachũ, & frequentes tuas infirmitates.* 544.

6.7.8.9. *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid possumus: habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. & c.* 124

ibid *Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetẽtes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* 67.124.125.504.588

EX II. AD TIMOTH.

2.4. *Nemo militans Deo, implicat se negotijs secularibus, vt ei placeat cui se probauit.* 148

2.11. *Si compatimur, & conregnabimus.* 447.453

2.12. *Si commorimur, & conuiuemus.* 453

2.14. *Noli verbis contendere: nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium.* 570

2.16. *Profana autem & vana eloquia deuita; multum enim proficiunt ad impietatem.* 570.267.458

2.23. *Stultas & sine disciplina quæstiones deuita, sciens, quia generant lites: seruum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes.* 446.570

3.1.2. *Hoc autem scito, quod in nouissimis diebus erũt tempora periculosa: & homines seipsos amantes, cupidi, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, voluptatum amatores magis, quàm Dei, habentes quidem speciem sanctitatis, virtutem autem eius abnegantes.* 117

4.2. *Occide, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* 182.305

4.4. *Omnis creatura Dei bona, & nihil reyciendum quod cum gratiarum actione percipitur.* 154

ibid. *Erunt nonnulli qui sanam doctrinã non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, & auertent quidem auditum à veritate, ad fabulas autem conuertentur.* 181

ibid.5. *Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple.* 181

4.6. *Ego enim jam immolor, & tempus meæ resolutionis instat.* 463

5.22. *Manus cito nemini imposueris* 137

ibid. *Nec communicaueris peccatis alienis.* 137

EX EPIST. AD TITVM.

1.16. *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorũ, in immunditia, vt contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis.* 361

EX EPIST. AD PHILEM.

1. *Obsecro te pro filio meo, quem genui in vinculis Onesimo.* 455

EX EPIST. AD HEBR.

1.14. *Sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* 75.304

3.12. *Videte fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malū, incredulitatis, discedendi à Deo viuo & vero.* 703
4.9. *Relinquetur ergo sabbatismus populo Dei.*
4.12. *Viuus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus.* 262
ibid.13. *Omnia autē nuda, & aperta sunt oculis eius.* 52.62.
6.4. *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cæleste, & participes sunt facti Spiritus sancti: gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutésque sæculi venturi, & prolapsi sunt. rursus renouari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.* 329.363.
7.3. *Rex Salem, quod est Rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia, nec initium dierum, neque finem habens.* 142.143
7.7. *Absque vlla contradictione qui minus est, à meliore benedicitur.* 473
7.18. *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius, & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex.* 321
7.23. *Plures facti sunt sacerdotes secundum legem, eo quod morte prohiberentur permanere, Iesus autē eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium.* 400
8.2. *Est tabernaculum verum quod fixit Deus, & non homo.* 407
8.3. *Qui enim offert, necesse est eum aliquid habere quod offerat.* 412
8.6. *Nunc autem Christus tanto melius sortitus est ministerium, quanto & melioris testamēti mediator est.* 322
9.14. *Christus eripuit nos ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti.* 306.
9.25. *Summus Pontifex in Sancta per annos singulos ingrediebatur in sanguine alieno,* 106
10.1. *Vmbram habet lex futurorum bonorum, nō ipsam imaginem rerū.* 325
10.14. *Rapinan bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis.* 583
10.27. *Terribilis quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ cōsumptura est aduersarios.* 326.410.708
10.27. *Iusti qui Fide viuunt, incendium damnationis euadent.* 730
10.31. *Terribile est incidere in manus Dei viuentis.* 330.384
11.1. *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* 286
11.36. *Iusti ludibria & verbera experti: insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tētati sunt, in occisione gladij mortui sunt.* 563. 583.
11.37. *Circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis.* 449
12.1. *Habentes itaque tantam impositam nubem testium, deponentes omne pondus, & circunstans nos peccatū per patientiam curramus ad propositum nobis certamen.* 583
12.4. *Necdum sane vsque ad sanguinem restitistis.* 583
12.12. *Remissas manus & dissoluta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris, ne claudicans quis erret, magis autem sanetur.* 464
12.21. *Omnis disciplina in præsenti quidem non videtur esse gaudij, sed mœroris.* 159
13.7. *Mementote Præpositorum vestrorū, qui nobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem.* 583

13.13. Exeamus ad eum extra castra, improperium eius portantes. 505.633
13.14. Non hic habemus manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. 59.375.633.

EX EPIST. IACOBI.

1.2. OMne gaudium existimate fratres mei cum in tentationes varias incideritis. 583.699.732
1.15. Peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem. 160
1.17. Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. 243
1.20. Ira viri justitiam Dei non operatur. 379.
2.10. Si quis totam legem obseruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. 409.578
2.13. Misericordia superexaltat judicium. 197.661.
2.16. Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. 64
3.1. Omnis natura bestiarum & volucrũ domabilis est, linguam autem nullus hominum domare potest. 268
ibid. Omnia siquidem ferarum genera in lingua reperiuntur. 268
3.15. Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. 515.712
ibid. 17. Quæ autem desursum est sapientia, primũ quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia & fructibus bonis, iudicans sine simulatione. 712
4.4. Quisquis amicus est huius mundi, inimicus Dei constituitur. 148
5.1. Agite nunc diuites, & plorate vlulãtes in miserijs quæ aduenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. 127.341.502.710
ibid. 5. Epulati estis super terram, & in luxurijs enutrijstis corda vestra, in die occisionis adduxistis. 341.710

EX I. PETRI.

1.4. REgenerauit nos Deus in spem viuam per resurrectionem Jesu Christi, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem, conseruatam in cœlis. 503
1.10. De qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in nobis gloria prophetauerunt, scrutantes in quod vel quale tempus significaret, qui in eis erat Spiritus Christi, prænuncians eas, quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias. 287
1.12. In quem desiderant Angeli prospicere. 672
2.5. Ipsi tanquam lapides viui superædificamini domus spirituales. 412
2.12. Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam, vt in eo quod detractant de nobis, tanquam de malefactoribus ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis. 318
2.13. Siue Regi quasi præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis: ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. 646
2.20. Si enim refugientes coinquinationes mundi, in cognitionem Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi, his rursus implicati superantur. 703
2.21. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. 457
2.22. Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. 457
3.3. Quarum sit non extrinsecus capillatura, aut circundatio auri vel argenti: aut indumenti, vestimento-

rumque cultus, sed qui absconditus est cordis homo in incorruptibilitate quieti, & modesti spiritus qui est in conspectu Dei locuples. 503
3.9. In hoc vocati estis, vt benedictionem hæreditate possideatis. 138. 194. 305. 703.
3.16. Cum modestia & timore, habentes conscientiam bonam, vt in eo quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conuersationem. 318
4.1. Eadem cogitatione armamini: & mala mundi per patientiam vincite. 738.
4.15. Nemo vestrum patiatur tanquam homicida aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. 458. 589. 733.
4.16. Si autem vt Christianus non erubescat: glorificet autem in isto nomine Dominum, quoniam tempus est vt incipiat judicium de domo Dei. 589
5.8. Quoniam aduersarius noster diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. 13. 164. 260. 361. 409.

EX II. PETRI.

1.13. Iustum arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitionem: Certus enim sum quod velox est depositio tabernaculi mei. 59. 60. 301
2.3. Quibus judicium jam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat. 207
2.9. Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum. 686
2.22. Canis ad vomitum. 250
3.7. Cœli autem qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt, igni reseruati in die judicij, & perditionis impiorum hominum. 675
3.8. Vnum hoc non lateat vos, charissimi, quia vnus dies apud Deum, sicut mille anni, & mille anni sicut dies vnus. 231
3.10. Adueniet dies Domini sicut fur in quo cœli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur. 338. 674. 706.
ibid. 11. Cum hæc omnia igitur dissoluenda sint, quales oportet esse vos in sanctis conuersationib. & pietatibus expectantes & properantes in aduentum diei Domini, per quem cœli ardentes soluentur, elementa verò ignis ardore tabescent. 338. 674. 706.
3.16. Charissimus frater noster Paulus, secundũ datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus Epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles deprauant. 219

EX I. IOANN.

1.1. Quod manus nostræ tractauerunt de verbo vitæ. 367
1.8. Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est. 369
2.11. Quisquis odit fratrem suum, in tenebris est: & in tenebris ambulat, & nescit quò eat, quia tenebræ excæcauerunt oculos eius. 378. 448
2.13. Vicere malignum. 245
3.2. Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus: scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. 224. 286
5.6. Hic est qui venit per aquam & san-

guinem Iesus Christus. 542. 543
ibid. Tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sãguis. 543

EX EPIST. CAN. IVDÆ.

c. vnic. v. 9. Dominationem spernunt, majestatẽ autem blasphemant. 725.
ibid. Cum Michael Archangelus cum diabolo disputans, altercaretur de Moysi corpore, non ausus est iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit: Imperet tibi Dominus. 725. 726
c. vnic. v. 15. Ecce veniet Dominus in Sanctis millibus suis facere judicium contra omnes, redarguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt, & de omnibus duris quæ locuti sunt contra eum peccatores impij. 338. 674. 675. 706.

EX APOCALYPSI.

1. 5. PRimogenitus mortuorum, & Princeps Regum terræ: qui diligit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. 139. 308. 494. 672. 686.
1. 7. Ecce veniet cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt, & plangent se super se omnes tribus terræ. 338. 488. 675. 706.
1. 8. Ego sum Alpha & Omega, initium & finis. 231. 509
1. 13. Vestitus podere, & præcinctus Zona aurea ad mamillam. 310. 370
1. 16. In eius ore gladius ex vtraque parte acutus. 433
1. 20. Mysterium septem stellarum, quas vidisti in dextera mea, & septem candelabra aurea. Septẽ stellæ, Angeli sunt septem Ecclesiarum: & candelabra septem, septem Ecclesiæ sunt. 118
2. 5. Memor esto vnde excideris, & age pœnitentiam. 102
2. 6. Odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi. 12
2. 9. Qui dicunt se Judæos esse, & non sunt, sed sunt Synagoga Satanæ. 138
2. 20. Habeo aduersum te pauca, quòd permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit Prophetam, docere, & seducit seruos meos fornicari. 334
2. 24. Qui non cognouerunt altitudinem Sathanæ. 250
2. 25. Non mittam super vos aliud pondus, tantum id quod habetis tenete. 626.
3. 11. Teneant qui habent: & nemo accipiat coronam eorum. 662
3. 16. Vtinam frigidus esses aut calidus: sed quia tepidus es, & nec frigidus, neque calidus, incipiam te euomere ex ore meo. 261. 702
4. 11. Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, & honorem, & virtutem, quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erãt, & creata sunt. 224
5. 1. Vidi in dextera sedentis supra thronum librum scriptum intus, & foris, signatum sigillis septem. 718.
ibid. 5. Ecce vicit Leo de tribu Judá, radix Dauid, aperire librum, & soluere septem signacula eius. 718
5. 8. Phialas aureas plenas odoramentorũ, quæ sunt orationes Sanctorum. 310. 460
6. 8. Erat equus pallidus, & qui sedebat super eum nomen illi mors. 432. 731

7.7. *Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentib. & tribubus, & populis, & linguis stantes ante thronum.* 302

7.9. *Omnes Angeli stabant in circuitu throni, & seniorum.* 302

7.17. *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum.* 700

12.7. *Factum est prælium in cœlo: Michaël & Angeli eius præliabantur cum dracone.* 152

ibid. 9. *Et proiectus est in terram draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus & satanas.* 152. 262

13.16. *Faciet omnes pusillos, & magnos habere characterem bestiæ in dexterâ manu, aut in frontibus suis.* 330

14.1. *Hi, qui erant supra montem Sion cum agno, habebant nomen eius, & nomen Patris eius, scriptum in frontibus suis.* 330

14.9. *Si quis adorauerit bestiam, & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua, & hic biberit de vino iræ Dei, qui mixtus est mero in calice iræ ipsius, cruciabitur in igne, & sulphure.* 256. 331

16.11. *Qui missi sunt in stagnum ignis ardentis, commanducauerunt linguas suas præ dolore, & blasphemauerunt Deum cœli & terræ in doloribus, & vulneribus suis.* 332

17.4. *Babylon circundata purpura, & cocco, inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis: habens poculum in manu sua plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius.* 503

18.7. *Quantum se exaltauit, & in delitijs fuit, tantum date illi tormenta & luctus.* 680

19.20.15. *Quia pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure, quod est mors secunda,* 31

21.4. *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum* 48

21.18. *Structura muri eius ex lapide Iaspide: ipsa verò ciuitas ex auro mũdo simul, & vitro mundo, fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioso adornata.* 150

21.22. *Singulæ portæ eius erant ex singulis margaritis, & platea ciuitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum.* 683

21.22. *Templum non vidi in ea, Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, & agnus.* 146

ibid. 23. *Non eget Sole neque Luna, sed claritas Dei illuminat eam, & lucerna eius est Agnus.* 683

22.11. *Qui nocet, noceat adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc.* 434

ibid. *Qui iustus est iustificetur adhuc & qui sanctus est sanctificetur adhuc.* 434

22.17. *Qui audit, dicat, veni.* 420

22.28. *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto: & si quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate sancta, & de his quæ scripta sunt in libro isto.* 324

FINIS.



INDEX GENERALIS RERVM ET VERBORVM NOTABILIVM, QVÆ IN HOC OPERE continentur.

A

AAron summus sacerdos 15. quid significet, 285. summorũ Pontificum figura. 84
Aaron filij diuino igne consumpti, cur 410. vide Abiu, & Nadab.
Ἀβαὶρ quid. 114
Abarim contra Nabo, mons 276. quadragesima prima Israëlitarum mansio quid denotet. 167
Abbadir, quid. 114
Abbas Papiensis S. Saluatoris. 151
Abbas Perusinus dignitate se abdicans, sanctitate manifestatus. 550. 551
Abbas qui B. Bartholomei vigiliam violauerat, in festo die coactus jejunare. 608
Abbatis cuiusdã Galli pro possessione contra quendam sæculi prępotentem contendentis exemplum. 353
Abbatis eleemosynarij præclarum exemplum. 39
Abbatis excelsarum machinarũ structoris pœna. 689
Abbates in quibusdam Monasterijs tres juxta mensam suam pauperes semper habere soliti, cur. 203
Abbatum misera conditio. 476. 477. judicium futurum quale. 478. vitia. ibid.
Abdias, domus Achab dispensator, Prophetici spiritus gratiam meritus, cur. 467
Abel à Caïn trucidatus. 78. 173
Abela, oppidum. 657
Aber maritus Iahel. 657
Abigail vxor Nabal à domo sua cædis interitum remouit, quomodo. 611. 657. 666.
Abimelech filius Ierobaal septuaginta fratres peremit. 174. 175. figura luxuriosi Clerici 174. 175. Antichristi 138. 176. 177. fragmento molæ oppressus. 176. 657
Abinoen pater Barach. 655
Abiron à dehiscente terra degluti-

rus, 178
Abisag Sunamitis. 101
Abitunensis Ecclesia diœcesis Africanæ. 32
Abiu filius Aaron incendio cælitus misso exustus, cur. 12. 326. 362.
Abner filius Ner, princeps exercitus Israël. 14. 277
Abortuum causa vndenam procedat. 65
Abraham fidelis benedictus à Deo. 194. ab accipiendis muneribus auersus. 122. fratrem Loth de manu Amalechitarum liberat. 366. quid significet, & cur ab eo prima Christi generatio numerata. 157. volucres à sacrificio suo abigens, quid designet. 212. Saraæ vxori factus obediens ex Dei præcepto, cur: vide Sara.
Abraham filij ex concubinis paternæ hæreditatis successione exclusi 402.
Acacius Cæsareæ Palestinę Episcopus 35. contra Cyrillum Hierosolym. Episc. machinatus eum dignitate sua deposuit, quomodo. ibid.
Accipitris natura. 61. 264. 265
Aceos filius Berzellai. 508
Aceruus Mercurij quid. 85. nummorum item. ibid.
Aceruus testimonij à Laban & Iacob de lapidibus factus in Galaad quid designet. 193
Achab Rex Israël diuini furoris sentētia perculsus, quod Assyriorum Regi pepercisset 13. 641. corripiētem se Prophetā non audiens, vltionis gladium non euasit. 50. 503.
Achar filius Charmi 131. lapidibus obrutus 465. 659. auaritię signum. ibid.
Achias Propheta. 615
Achillas Pompeij interfector. 628.
Achilles multi sanguinis reus. 560.
Achis Rex Geth. 424
Achitofel. 659
Adalais Italiæ Regina ab Ottone Imp. compatre ducta in vxorem. 213. 532
Adalais Comitissa. 173
Adalbertus Episcopus Bohemiensis monachum induens martyr efficitur. 17. 36
Adam, terra rubra interpretatus, cur. 131. in muliere peccatum suum excusat. 78. à Monachis inobedientibus imitatus. 587
Adam, eremita. 95
Adamantis proprietas. 238
Adamus Sempronienſis Episcopus, Monachus fieri ex voto differens, subita morte percussus. 438.
Adelais Ducissa & Marchionissa Alpium Cottiarum 655. eius humilitas. 656
Adeodatus filius saltus quis. 273. 274.
Adeodatus Papa, Monachus. 448.
Adherbal à Iugurtha interemptus. 173.
Adolescentium Regum in tuenda Religione fortitudo. 614
Adonias filius Agith. 101. 335. Regnum patris sibi pollicitus, eius etiam thalamos incestare concupiscit 101. damnatus à Salomone. 335
Adonibezech manuum ac pedum summitate præcisus 464 Dominus fulminis, vel Dominus con-

tentus vani interpretatus ibidem. Septuaginta Reges captiuos habebat colligentes reliquias ciborum sub mensa sua ibid. & 500. eorumque omnium allegoria declarata. ibid.
Adraldus Abbas Monasterij Bremetensis. 210. 661. Sancti Doctoris in Regno Burgundiæ. comes. 212
Aduersa, Christi exemplo fortiter ferenda 583. contra ea remedium. ibid.
nec Aduersa, nec prospera nos à Dei, seruitio impedire debent. 737.
in Aduersis gaudendum, in prosperis timendum. 503
Adulantis linguæ tanquam auis ramo dæmon insidet. 677
Adulatio, munus à lingua 119 133. in Clericis est simonia. 134.
Adulationes excæcant oculos interiores. 186
Adulatores, in Scriptura peccatores dicti, cur. 134
Adulter quidam adulterio commisso à maligno spiritu interemptus. 240. 241.
Adulterij spiritualis Sacerdotum deploratio. 103
Adulteria Magnatum acrius persequenda. 9
Ægyptius quidam à Moyse percussus, absconsusque sabulo 181. quid mysticè denotet, ibidem & 182.
Ægyptij submersi in mare rubrum. 235.
Ægyptiorum thesauri in tabernaculum Dei conuersi quid mysticè designent. 168 169
Aegyptus. 421. 628. 669. muscis cauinis, siue cynomia percussa 147. quid significet, ibidem, & 148. grandine, 74. 493. ranarum abũdantia 490. ciniphe 491. morte omnium pecorum 492. vulneribus ac vesicis turgentibus atque feruentibus 492. 493. locustis ibidem densitate tenebrarum. ibidem, & 494. cruore fluuiorum in sanguinem versorum 75. 492. morte denique primogenitorum. 494.
Ægypti plagæ decem animæ decem vulnerum figura; 490. 491. & seq. contráque illa remedia præsentissima. ibid. vide Anima, itemque Plagæ.
Aerij heresis. 386
Aetas tenera apta ad virtutis studium 555.
Aetherius Episcopus 32
Aethiopia. 75
Aethnæi vapores. 132. fumi. 152.
Afflictio spiritus in laboribus cunctis hominum 62. 63. mentes & ipsa reprobas delectat. 63
in Afflictionibus ad preces & lacrimas confugiendum. 738
Affligit Deus electos suos vt cælestia appetant, terrena despiciant. 738.
Africa 419. 666. à Vandalis vastata. 32.
Agag Rex Amalech. 641. à Saule conseruatus citra Domini præceptum. 641. in frustra concisus ad confusionem Saul. 335. 656
Agarenus eleemosynę virtute à Leone liberatus. 720
Agareni quid significent, & quosnam mysticè designent. 431
Agareni duo qui eleemosinam negauerant peregrinis, à Leone

occisi. 720
sanctæ Agathæ apparitio Romæ. 314
Agith paret Adoniæ. 101
Agius Eremita. 663
S. Agnelli cœnobium apud Parthenopen. 313
Agnes Augusta. 618. 620. ex Imperatrice sanctimonialis. 631. qualis Romam venerit, & cur 623. eius pietas & humilitas qua Christi D. præsepe adorauit. ibid. consilium in dedicando se Deo. 624. profusa munificentia. ibid. comparatio cum Regina Saba. 620. mira abstinentia 625. scrupulus mentis eius candorem patefacit ibid. confessio generalis. 626
S. Agnetis apparitio Romę. 314
Agrigentum, Siciliæ oppidum. 358
Ahab Rex Samariæ, 358
Alæ Seraphim in Ezech. quid designent. 349. de Monachorum vestimentis interpretatę. 449. 450
Alaricus Gothorum Dux ditissimus, subita morte defunctus 111. in Alueo Barenti amnis sepultus. ibid.
Albericus Cardinalis. 279
Albericus Pariensis Episcopus. 313
Albericus Senator. 693
Alberici Episcopi concubinarij infelix exitus. 347
Albertus Episcopus. 317
Albertus Hugonis Regis pater. 647
Albertus vir potentia & nobilitate insignis. 690
Albizo & B. Petrus Dam. quanta cum difficultate sunt intra limen Monast. admissi. 569. rursus vterque quàm in honestè fuerint eliminati. 570
Albugo in oculis quid. 386
Albuinus Pariensis Episcopus. 313. eius intemperantia diuinitus punita. 313
Alcyonis natura. 259. S. Ecclesiæ typus. ibid. & 260
Aleæ ludus Ecclesiasticis interdictus. 45.
Alexander I. Papa & Martyr. 152
Alexander II. Romanus Pontifex. 34. 46. 47. 51. 56. 57. 58. 68. 70. 77. 87. 691. eius commendatio. 294. tenebras à Cadaloo Antipp. excitatas leuauit. 152
Alexander Imp. militaribus gladijs prostratus. 62. 617
Alexandri Regis somnium, ne somnijs crederet. 195
Alexandri nominis interpretatio. 151. 152.
Alexandria totus mundus factus sub Alex. II. Papa, quomodo. 152
Alexandrina sedes Petri nomini à B. Marco dedicata. 101. secunda ordine dignitatis. 121
B.B. Alexij & Bonifacij Basilica Romæ. 32
Alfanus Salernitanus Episcopus. 383 696.
Aliena cur nobis displicent. 578. non consideranda, sed nostra ibid. cáque appetere quàm graue crimen. 589
Alienatores rerum Ecclesiasticarum quot pœnis sunt obnoxij. 358
Alienigenæ quinam in Scriptura. 431
Alliorum quinam eluriunt acrimoniam. 63
Almericus Archidiaconus. 398
Almificus Otton. Imp. filius, Ecclesiæ Maguntinæ Præsul. 213. patrem reprehendens quod commatrem duxisset vxorem, in vincula conjectus ibid. & eius obitus ibid.
Alpes Cottiæ. 655
Alpium prærupta juga. 35
Altare incensi reconditum in mon-

te Abarim. 276
Altare de terra Deo facere, quid. 149
Altare de lapidibus sectis à Deo reprobatum, cur. 412
Altizo Abbas. 474. equum à B. Doctore mutuatus. 475
Amalech quid significet, & quosnam allegoricè designet. 431
Amalechites glorians se peremisse Saul, gladio Dauid percussus. 641
Amalechitę hostes Israël 56. à Iosue prostrati 56. orante Moyse 71. non orante victores ibid. ab Abraham cęsi 366. à Dauide. 303. interfecti in Cades 369. quid spiritualiter. ibid.
Amalphitanus Episcopus salutarem hostiam in carnem conuersam vidit. 206
Amasa filius Iether, Princeps exercitus Israël. 277
Amasias Rex cur de generationis Christi ordine abjectus. 444. 445.
Ambitionis remedium. 557
Ambitiosi pœna. 516
Ambrosius præclarus Ecclesiæ doctor. 304. quomodo orare solitus. ibid.
Aman suspendio interemptus, cur 657.
Amicitia sine muneribus inter religiosos viros comparanda. 584
Amnon à fratre Absalon extinctus. 173.
Amon quid significet, & quosnam spiritualiter denotet. 431
Ammonitæ à Saule cæsi. 469
Amor diuinus in populosa vrbe solitudinem reperit. 636
Amor virtutis, principatum tenere debet in corde. 716. æternæ vitæ, præcellere curæ rerum terrenarum. ibid.
Amor carnalis à spirituali sæpè vincitur. 358
Amor mundi quando vertitur in amaritudinem. 188
Amor inutilis qui sit. 185
per Amorem proximi peruenimus ad amorem Dei. 185
Amore Dei feruens sæcularibus negotijs se implicare non debet. 250.
Amorrhæi interfecti in Cades, quid spiritualiter. 369
Ana siue Ona, custos asinorũ, aquarum in deserto repertor, quid spiritualiter designet. 287
Anacletus Papa, quintus à B. Petro 324. eius sententia contra Simoniacos. 55
Ananehel, filius Sella. 357
Ananias Propheta punitus à Deo propter mendacium. 209.
Ananias corporeæ mortis sententia per Petrum Apost. percussus cur 106. 408. 641
Anastasius Imperator, impius. 18.
Anastasius Princeps. 268.
Anathema Pontificum quàm justè timendum, 207. 213
Anathema contra bona Ecclesiastica diripientes. 400
Anathematis pœna frequentius decretis Pontificum apponi solita. 48. nimis inculcata dat occasionẽ peccandi ibid. raro subnectenda nisi in causis fidei ibid. & 99.
Anathoth viculus, in tertio miliario ab vrbe situs, Hieremiæ Prophetę natali celebris. 180. 357. 397
Anatolius Constantinopolitanus Subdiaconus, 31
Anconitana vrbs. 18. 37
Anconitani à Catholica cõmunione summoti. 13. 14
S. Andreas Apostolus quanto populi obsequio reueritus in Cruce pendens. 422. Episc. Ficocl. mortis

horam nunciat 17. 36. verberat Monachum ad seculũ reuersum. 29
Andreas Archipresbyter. 388
Angelus quid significet, 450
Angelus custos, & eius officium, 75
Angelus Christi natiuitatis nuntius, Prædicatorum perfectorum symbolum. 686
Angeli per aquas, quæ supra cælos, designati. 144. thronus Dei vocati. 145
Angeli custodes religiosorum vita irregulari offenduntur. 587. per totum mundum discurrunt in auxilium hominum 75. custodes suorum clientum, quantum abhorreant sordes & peccata ibid.
Angeli contra homines indignantur in Ecclesia sedentes. 301. nullibi frequentius quàm in Ecclesia conueniunt. 304. 305
Angeli & dæmones morituris adsunt. 166. 674
Angelorum præsidium tentatis pręsens. 570
Aniciensis Episcopatus 196. Ecclesia B. Virgini dicata ibid. magnæ deuotionis peregrinatio ibid.
Anima hominis tripartita. 380. quando primum in corpus infundatur 53. per eius corruptionem aggrauata, 75
Anima sola ad vsum Creatoris seruit in hoc mundo; reliqua ad vsum hominis. 596
Anima fidelis per Lunam designata, 374.
Anima sancta, paradisus, & quomodo 146. 147. delitiarum hortus. 150. 288. ciuitas in Apocalypsi designata. 150
Anima sacerdotis, spõsa Christi. 129
Anima reproba infernus. 146
Anima virorum magis à mulieribus amanda quàm corpus, 636
Animę tres principales virtutes. 470 spiritualia indumenta. 274. rubigo rebus aduersis purgatur. 246
Animæ peccatoris morientis miserabilis angustia. 395
Animę vitia languores; mors eiusdem peccata criminalia. 160
Animę vulnera decem, per plagas Ægypti designata, 490. per decem legis pręcepta sanata. 490. 491. 492 & seq.
Animę fidelium per pisces designatæ 248
Animæ gehennę supplicijs traditæ Dominicis diebus refrigerio potiuntur. 19. 20. 198
Animæ purgatorio deputatæ in specie volucrum visę. 344. 345
Animę defunctorum, quantum eleemosynis iuuentur. 201. 202
Animæ non solum, sed etiam corpora nostra debent esse Spiritus sancti templa. 326
Animarum lucra, thesauri sacerdotum. 132
Animarum salus sic curanda, vt popularis existimatio non quęratur. 421.
Animalia terrena in vespertino Abrahæ sacrificio diuisa quid designent. 97
Animalia diuersis humanæ seruitutis obsequijs deputata. 73
Animalia quænam ab hominibus in coitu imitanda. 65
Animalium triplex species Monasterij claustris spiritualiter congruens 248
Animi quánam puritate sanctorum reliquię venerandæ. 626
Animi desideria in phrenesi aperiuntur. 557
Animo perturbato non est feren-

dum judicium. 661
Anna viduarum exemplum. 657. 733 meruit esse Christi Euāgelista ibid.
Anna Henrici Galliæ Regis vxor, Philippi item Regis mater, 635
Annę matris Samuelis pietas. 694
Annibal, Dux audax & robustus 560. eius adhuc pueri fortis animus 614. de Saguntinis victor 113. de Romanis apud Cannas 304. 628. tandem vt veneno se perimeret compulsus. 628
Annon filius Naas mediam partem barbæ seruorum Dauid, vestesque pręscindēs, quid designet. 471. 472
Annon Archiepiscopus Coloniensis 296. eius virtutes, ibid.
Anni quatuor tempora. 73
Annorum centum pœnitentia quomodo expleatur. 575
Annulus S. Arnulphi Metensis Præsulis. 27
Annuli Senatorum Ro. ab Annib. modio mensurati. 304
Annuli Pontificales 128
Anso Eremita. 91
Anthaplon quid. 350
Anthemius Imp. gladio percussus 628.
Antichristus Synagogę filius futurus. 138. per Abimelech designatus. 176. quo tempore aduenturus: & quot annis regnaturus 509. in quo loco interficietur. 510
Antichristi adjutores qui dicātur. 107
ab Antichristi morte ad Christi Domini aduentum quot dies intercurrunt. 510
Antiochena Ecclesia 18. 101. tertiā ordine dignitatis. 221
M. Antonius ab Augusto nauali pręlio apud Actium superatus. 8
Antonius Imp. militaribus gladijs perfossus. 627
Antonius eremita, sine litteris illustris, 515
Aoth fortis, Eglon interfector 465
Apes, virgines, etsi sobolem successuræ posteritatis enutriant 65. castitatis ac virginitatis fœcundæ typus 258. quid mysticè designent, 168. 171. 172.
S. Apollinaris monasterium. 140. 506
Apologus facetus de Sole & Euro. 69.
Apostoli ad prędicandum missi, proprium quid habere vetiti. 83. per duodecim fontes Helim designati 120. 121. 174. 409. duces populi Christiani 159. primitiua Ecclesia. 35
Apostolica sedes, caput omnium Ecclesiarum 103. onus onerum. 104. 399.
Apostolicæ sedis calamitas & ærumnæ 7. duæ consuetudines prauæ. 48.
ex Apostolica sede totus orbis pendet. 272
Apostolorum seculum aureum. 2
in Apostolorum omnium vigilijs ex sacris Canonibus jejunandū. 607
Appio Patricius presbyter per violentiam consecratus, factus Prætorij Præfectus. 18
Apsarensis Ecclesia. 18. 37
Aptalon, quid. 250
Apulia. 19
Aquę merita in homines 541. vtilis ac necessaria est terræ & animantibus ibid. impedit ne solis ardores terrā exurant 542. eius proprietates admirandę ibid. vlui est artibus liberalib. ibid. factiuis itē ibid.
Aquæ inferiores, populi; superiores Angeli. 143. 144
Aquę in sanguinem versæ, prima Ægypti plaga, quid designet. 490
Aquas calidas in deserto inuenire, quid. 187. 188

Aquilæ renouatio 264. proprietas. 257. & quid per eam significetur. 258
Aquilino vngue palpare, quid. 35
Aquilonis cum Sole faceta contentio. 69
Arapha, quid. 274
Arborum insulæ Thilon proprietas. 238.
Arca Noë. 267
Arca Domini à Philistinis capta. 10. 112. in monte Abarim recondita per Ieremiam. 276
Arcadici lapidis proprietas. 238
Archiepiscoporum dignitas & sollicitudo. 305
Archigenes medicus antiquissimus. 501.
Archipresbyter quidam à suis Episcopus electus, Romam vt à Pontifice confirmetur, accedit. 2.3.
Arderici Mediolanensis indigenæ maxillam matris percutientis diuina castigatio. 691.692
Arduinus damnatus, quod monasticum habitum vt vouerat, non suscepisset. 436
Area Ornan Iebusæi sexcentis auri siclis empta à Dauide. 275
Arelatensis Ecclesia. 666
Arena, fragilium typus. 181
Aretina Ecclesia. 25
Argentum, impotens liberare possessorem à furore Dei. 111.123
Argento sacra prædicatio comparata. 622
Argillosa terra quid in Scriptura significet. 59.60
Arialdus Clericus. 432.434
Arietis immolati sanguine tangi extremum auriculæ, manus, & pedis sacerdotis, quid. 308
Ariminensis Episcopus cathedram deserit permittente B. Gregorio 33.
Arioth è regione Beelsephon, quid. 158.159.
Ariprandus Monachus [illegible] 519.526. à secretis S. Doctori. 520
Arma militiæ spiritualis 545
Arma ferrea pro fide capere non licere, quomodo intelligendum. 353.
Arnaldi Episc. Aretini Calicem Dominicum alienantis, & ab Ecclesia subtrahentis exemplum terribile 206. eiusque mors repentina. 207.
S. Arnulphus Metensis Episcopus. 27 Pippini pater, & Carolimanni auus ibid. ad eremum properans annulum in flumen projicit ibid. qui diuinitus ei facto Episcopo restituitur ibid. rursus eremum petit. ibid.
Arrogantiæ tumor Monachis in vrbe manentibus, obrepere solitus. 571.
Aromata terere, quid allegoricè 736
Aruernorum Episcopalis cathedra. 17.18.36.
Asason-thamar, Amorrhæorum ciuitas. 369
Ascida, quale animal 259. eorum figura qui spem suam in cælestibus ponunt. ibid.
Asdrubal Annibalis frater occisus à Rom. eiusque caput in fraterna castra projectum. 628
Aseroth, decimaquarta Israëlis mansio quid figuratè designet. 161
Asida, vide Ascida.
Asinus, luxuriæ symbolum 23
Asini mandibula quâ Sanson mille Philistinos interfecit, quid mysticè designet. 424.425
Asinos pascere in solitudine quid. 187.188
Asiongaber trigesima secunda Israëlitarum

litarum mansio quid mysticè denotet. 165
Aspis in Aegypto mansuefacta. 268.
Aspidis proprietas 259. inobiétiæ typus ibid. eorum qui res terrenas auant ibid.
Assentatores fugiendi. 188
Assentatorum vitia execranda 133. 134. vide supra, Adulatores.
Assumptio B. Mariæ Virginis quo ritu celebrata Romæ. 313
in Assumptionis vigilia cur jejunamus. 602
Assyriorum regnum. 616
Athalia vxor Ioram. 296
S. Athanasius Episcopus Alexandrinus 32. Ecclesiam deserit per nouem annos. ibid. fit Monachus. 448. 449
Atticus Episcopus. 23
Atto ciuis Auximanus mortuus, per vxoris eleemosynam redemptus. 201. 202
Atto legum doctor & causidicus votifragus. 700. 701
Auaritia, nihil aliud quàm amare pecuniam 124. idolorum seruitus ibid. biceps coluber ibid. eius effectus 125. quàm frequens in omnibus 64. radix omnium malorum 67. diuisionem parit 408. in manu suscipientis viscus est 585. quę mala afferat. 588
Auaritia, pręcipuè in accipiendis muneribus, quantas clades & ærumnas olim genuerit in Christiana Republica 121. 122. & seq. eius finis & intentio. 122. exhortatio contra eam. ibidem. Deo quàm sit exosa 123. igni comparata 123. omnia scelera superat 124. primùm Principes, deinde subditos inuadit. 247
Auaritia Sacerdotum in sepulturis. 300
Auaricię detestatio in Episcopis. 2. in Clericis. ibid. & 3.
Auarus quicquid boni fecerit, donec erit auarus, amittet. 124. aut sua nimis amat, aut aliena desiderat. ibid.
Auaro nihil scelestius. 124
Auarorum triplex genus. 124
Auditor studiosus dicentem reddit eloquentem. 398. 399
Auditores Rotę, quinam. 98
Auditus supplet videndi defectum. 203
Auellani fontis Monasterium 212. 291.
Auernus æstuans. 171
Augustinus Hipponensis Ecclesię Antistes. 17. 36. monachus. 449
Augustinus, Anglorum præsul, Monachus. 449. 450
Augusti Imperatoris laus. 616. vide Octauius.
Auiculæ teterrimæ propè Puteolos videri solitæ Dominicis diebus, quas nonnuli perhibent esse animas vltricibus gehennæ supplicijs destinatas. 19. 20.
S. Aurea Virgo & martyr. 28. in mare projecta apud Ostiam 28. à B. Nono tumulata. ibid. sed post in ciuitate Portuensi sepulta. 28
Aurelianensis Ecclesia ab improbis multis vexata 46. eius Episcopus Alexandro II. Papæ per literas à Dam. commendatus. ibid. & 47.
Aurelianus Imp. gladio percussus 627.

Aurelius Carthaginensis Episcopus. 322. 426
Aurum, sterquilinium possidenti. 111. 123
Ausarensis eccle. 37. Vide Apsarensis.
Austeritas mira quorundam Monachorum & eremitarum. 89. 92. 93
Authalopus, quale animal, & quid mysticè designet. 250. eius proprietas. 268
Auximum vrbs. 98
Auximanus Episcopus. 336
Auximanus Clerus & populus. 399
Azarias Rex sacerdotale vsurpans officium lepra perfusus. 352. qui & alio nomine Ozias: vide Ozias.
Azymorum festiuitas, quæ; & quid designet. 374. 20

B

Baal idolum. 68. 103 335. 614
Babel turris & ciuitas, eiusque ædificatio 728. quid mystice designet ibid.
Babylonis Rex, antiqui hostis typus. 147
Baculus pastoralis. 53. 54
Baculi pontificales auro gemmisque conspicui. 128
Bala ancilla Iacob. 177. quid denotet. ibid.
Balaam filius Beor pecuniæ inhians de ruina populi Israelitici consilium dat. 125
Balæna insignis magnitudinis. 270
Balsami reditus magnus in Babiloniç partibus ad Sedem Apostolicam olim pertinens 106. à Papa distractus ibid. 39
Balthazar rex Babylonis à Medis & Persis diademate spoliatus. 209 303. cur. 615. 627
Baptizati per pisces in scriptura designati. 144
Baptismus per Iordanis fluenta designatus, cur. 192
Baptismatis lauacro num vinum aut oleum possit admisceri. 446
Bara rex Sodomorum. 122
Barach etymon & allegoria 626. 657
Barba in contumeliam radi solita 471
Barentus, amnis. 111
Barjeu cæcitas. 69
Barrus idem qui & Elephas 65. vide, Elephas, infra. 13
Barnabas Apostolus quam humilis in vitanda diuini honoris reuerentia. 422
Barnabas & Paulus App. cur ab inuicem discesserunt. 184
S. Barnabç Monasterium Gamugni. 568
S. Bartholomei Apostoli vigilia obseruanda. 608
B. Bartholomei monasterium. 537
Baruncij Eremitæ sanctitas & reuelatio. 311. 312.
Basilius Episc. monach. 448. 449
Bassus Aniciensis licet peccator B. Virginis intercessione saluatus. 196
Bathurim, vrbs. 277
Beatæ vitæ status. 684
Beatitudo, quibus in spe sit in hac vita. 162
Beatitudo sempiterna cælestis Ierusalem. 683
Beatitudini Sanctorum omnia seruiunt. 684
Beatitudines octo. 153
Beatrix, Ducissa 425. Gothifredi Ducis Tusciæ vxor. 650
Bedæ venerabilis testimonium de pœnitentia. 408

Beelphegor, Moabitarum idolum. 370
Beelsephon quid significet. 158. 159
Behemoth piscis 248. diaboli typus. 186
Belamin; vide Benjamin. 411
Belial, idolum. 84
Bella sanctimonialis, eiúsque sanctitas. 697
Bellatoriç artis disciplina vbi discenda, & quando docenda. 121
Benadab Assiriorum Rex ab Achab superatus 13. honorificè tractatus. 641
Benaëim, vigesima octaua Israelitarum mansio quid designet. 164
Benedictio Archiepiscopalis 305. Episcopalis Monasteria debet firmare. 565
Benedictio consecrationis per Papam Episcopis conferri solita. 3
Benedictio & Maledictio in sacra Scriptura quomodo accipiantur. 274. 725
Benedictionis sacerdotalis effectus vnde procedit. 724
Benedictione digni qui culpas corrigunt. 10
S. Benedictus Abbas 33. sine literis illustris. 515. Monachorũ præceptor 450. cœnobitas tantum instituit 496. eremitas laudat ibid. ad horum vitam illos dirigit 497. fuit ipse eremita. 498
B. Benedicti apparitio 344. regula 97. limen 195. monasterium in Salernitana vrbe. 537
per S. Benedictum adiuratus lupus, puero Benedictino parcit. 537
Benedictinorum eremitarum Regula ante S. Romualdum. 517
Benedictus Abbas religiosus in Gallia. 329
Benedictus VIII. Papa nigro equo post mortem insidens ab Episcopo Caprearum visus. 20
Benedictus IX. Benedicti VIII. nepos in monstri specie visus post mortem 21. Apostolici se culminis administratione viues priuauit. 33
Beneficiorum à Deo acceptorum grati esse debemus. 652
Bene-jaacan quid 164. 165. vide Benaëim.
Beneuentum vrbs 31. 43
Beneuolentia Monachorum in B. Petr. Damianum. 528
Benignitatis diuinç exemplum. 551
Benjamin etymon & interpretatio 93. 217. Pauli Apost. typus ibid.
Benjamin scelus, & bellum contra Israelitas. 411
Benoni, (idem cũ Benjamin) quid significet. 217
Beor: vide Balaam suprà.
Berengarius ab Ottone regno spoliatus. 532
Berzellai Galaadites 36. 191. 308. senex valde transducens Dauid Iordanem quid spiritualiter designet, idid. illius familiaritate ut prolis auxilio præposuit 498. eius etymon. 193
Bestiarum proprietetes considerare, summa vtilitas. 266
Bethel interpretatio 156. quidque sit in eo Sacerdotem Domini habitare. 365. 366
Bethlehem 274. vrbs Christi natiuitate celebris. 274
Beselehel arcç Dei fabricator. 274 659. 695
Bisantei. 425
Bisuntinus Archiepiscopus 298. eius

magnificentia in ædificandis Ecclesijs. 299.300
Blanca ex Comitissa Sanctimonialis. 94.667.668
Blasphemi contra Dei omnipotentiam lepra perfusi. 240
Bohemiensis Ecclesiæ cathedra. 17.36.
Bona tribulationis. 738
Bona temporalia cur dentur hominibus. 319
Bona incipere omnium est, electorum benè cœpta perficere. 695
Bona esse simul & non esse non possunt, cur. 234.235
Bona iniquorum Deo oblata non placent. 343
nec Bona nec mala ex ore Altissimi procedere, quid 276.277
Bona non pro meritis habentium, sed ex proprijs qualitatibus cõsideranda. 353
Boni malorum societate peruertuntur. 411
Bonifacius S.R.E. Cardinalis 14. Episcopus Albanensis. 132.140
Bonifacius Thusciæ Marchio. 647.
Bonifacij IIII. Papæ decretum de Sacramentis per Monachos administrandis 450. aduersus Symoniachos. 54.55.
BB. Bonifacij & Alexij Basilica Romę. 32
Bonitatis ac beneficentiæ diuinæ admiratio. 72
Bonitus Aruernorum Episcopus cathedrá cõtempsit, cur. 17.18.36
Bonizo Eremita 663
Bononia vrbs Italię. 240
Bonorum oblationes in pauperum vtilitaté recipi possunt. 589.
Bonorum Ecclesiasticorum origo 356.357. alienatio quàm periculosa. 357
Bonorum Ecclesiasticorum direptores excommunicati. 408
Bonorum Ecclesiasticorum injusti possessores quid potissimum aduertere debeant 26. & cur ea distrahi non possunt. 54
Bonushomo legisperitus Cænatensis. 705
Booz, quid significet. 168
Bremetense monasteriũ. 210.661.
Britannia, quæ nunc Anglia. 653
Bruta etiam animalia hominem edocent. 268
Bur, Madianitarum Rex. 367
Burgundiæ regnum. 655
Buthan, vide Etham, infrà.
Buz, secundus filius Nachor. 125

C

CAath, quid significet, 163
Cadalous Episcopus Parmensis Antipapa 100.614. Mintio 37. draco teterrimus 68. in Romana Ecclesia turbas concitat 100. Pontifex eligitur ibidem. & 103. à quibus 105. à Catholica communione summouetur 101. ter in Patrum conuentibus publicè damnatur ibidem. Ecclesiam adulterijs constuprat 103. gregem Dei dispergit tanquam malus pastor 104. eius nominis interpretati. oibidem. & 152. factus gladius aduersus Ecclesiam. ibidem. fur & latro 107. Ecclesiæ Dei dissipator 108. Sichem. Dinæ corruptor 108. mons pestifer 109. inuadit Ecclesiam. ibidem. triste tristichon de eo 110. Vesuuius gehennæ flammas eructans 110. pecunijs milites ad sua signa in-

uitat III. Ecclesiam partitur inter duos Papas ibid. draco de cœlo projectus 152. eius vita turpissima descripta 293. 294. litterarum imperitia 294. vitiorum catalogus 297. insana ambitio 334. mors à B. Dam. admirabiliter vaticinata 335. omnium nequissimus descriptus. 617.
Cades quid significet. 165.369
B. Cęciliæ canonica trans Tyberim. 330. Ecclesia Romæ 314. apparitio. ibid.
Cæcus secus viam clamans à Christo illuminatus. 24
Cælestium rerum desiderium per volucres designatum. 144
Cælibatus ab omnibus qui Altari deseruiunt, custodiendus 322. 323. à Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis. 173
Cęli cum homine pulchra comparatio. 74
Cælum in die judicij auferetur è medio, vt in melius reparetur. 359.
Cain fratricida, 173. primischolus discipulus. 78. de fratricidio se excusat. 78. quando, & à quo interfectus. 442
Caius Imp. gladio trucidatus. 72
Calabria. 30
Calcis natura. 237
Calix in fine Missarum perfundi, vel non, quando solitus. 446
Calicis Dominici alienatio ab Ecclesia terribili exemplo punita. 206. 207.
Callensis Ecclesia. 29
Camaldulensis eremus. 530
Camerini Marchia. 646
Camporizani Monasterium. 551
Cancri proprietas 268. 269. diaboli figura. 269
Canicula ante lectulum B. Gregorij perempta. 30
Canis rabidi natura. 61
Canes excommunicati hominis panes dedignantur. 37
Canonici significatio. 407.408
Canonicorum conquestiones de communione à Monachis non suscipienda. 448.449
Canonicorum odium in Monachos, & eius causæ. 451
Canonicorum Regularium regula tempore B. Petri Damiani 82. vnde prodijt. ibid.
Canonicorum Velitrensis Ecclesiæ emendatio & profectus. 311
Canonicis vtrum proprium quid habere liceat. 78. 79. 80. eorum friuola defensio 81. & quanta mala ex peculio inter eos oriantur. 84
Cantalenæ, muscarum genus. 61 rabidi furoris virus egerunt. ibid.
Capellanorum Gothifredi Ducis hæreticæ assertiones. 424. 425. explicatio & confutatio primæ 426. secundæ 428. tertiæ 429. 430.
Capilli quid mysticè designent. 186.
Cappadocia. 238
Capra quid allegoricè significet. 261. peccati figura, cur. 186
Capratum greges de monte Galaad ascendentes quid designent. 186.
Caprearum Episcopus. 20
Capua, vrbs. 30. 31. obsessa captaque ab Hugone Rege. 647
Capuanus Princeps à suis peremptus. 646. 647
Carbonum natura. 237

Cardinales Episcopi S. R. E. septem 117. dignitate antecellunt Patriarchas & Archiepiscopos 102. Rom. Pontificem eligunt, ibid. & 106. oculi septem super lapidem vnum 102. 117. 118. lucernæ septem 102. 118. candelabra, ibid. septem stellæ 118. eorũ authoritas 120. sacerdotum magistri 121. æditui, Senatoresque vniuersalis Ecclesiæ 130. Consulibus Roman. comparati ibid.

Carnales homines per vasa Templi de aurichalcho significati 181.

Carnalis hominum præsentia Spiritus sancti impedit aduentum 631.

Caro sphæræ cæli comparata 74. 75. in tentatione subijcienda Spiritui tanquam equus sessori, 163. delicatius nutrita, mortua magis fœtet. 679.

Carnis illecebræ in eminentioribus personis durius vindicandæ. 8. 9.

Carnis rationes, vt excusetur à jejunio. 64. maceratio per scopas quàm sit salutifera. 311.

Carnis proles. 715.

Carnis illecebris medetur mortis memoria. 678.

Carni domandæ quemadmodum student sancti homines. 97.

Carpenta ferrata quid significent in scriptura 131. quidque sit ea super captos homines circumagere ibid.

Cartago Hispaniæ. 628.

Cartago Africæ à Scipione expugnata. 666.

Cartaginense Concilium 322. 426.

Casinense Monasterium. 30. 182. 194. 347. 452. paradisus quidam 266. 267. arca veteris testamenti 267. vas è cælo Petro allatum. 267.

Casini montis peregrinatio quanti facienda. 195. 196. cœnobium sacratissimum. 244. 245.

Castellanæ Ecclesiæ status perturbatus. 2.

Castigatio corporis per disciplinam 601. vide Flagellatio, Verbera.

Castigatio iniquorum est Deo sacrificium. 641.

Castitas, turris eminens 175. 176. à quibus potissimum expugnetur 176. in sacerdotibus & clericis necessaria. 175. 178.

Castitas corporis sine mentis puritate nihil prodest. 734.

Castitatis virtus junioribus difficilior 531. Eucharistiæ susceptione roborata 532. sobrietate. 553.

Castitatis adjumenta non prætermittenda. 587.

Castitatis seruatæ ratio admirabilis in duabus puellis 532. eius cura 553. seruandæ feruor. 554.

Castitatis meritum vxorem ab Euæ maledictione liberat. 651.

Castoris ingenium. 70. natura 251. quid mysticè designet, ibid.

Cathedræ S. Petri festiua celebratio. 102.

Cayphæ filij qui dicantur. 106.

Ceelatha decimanona Israelitarum mansio quid significet. 163.

Cedri Libani sublimes & erectæ, superborum symbolum. 676. 677.

Cellæ atque internæ inquisitionis commoda. 467.

Celsitudinis culmen, occasio peccandi. 107.

Ceparum & porrorum quinam esuriunt acrimoniam. 63.

Cerethi bellator Dauid, quinam. 273.

Cerinthi hæresis. 430.

in Certamine spirituali non abjiciendus animus. 545.
Ceruus languidus quomodo conualescat. 265.
Cesareæ vrbes à quibus conditæ. 486.
Ceti magnitudo ac proprietas. 270.
Chananæi à Iosue oppugnati, passionum nostrarum figura. 591.
Chaos Phitonum atque Magorum quid. 166. 171.
Charadaath, quid significet. 163.
Charadrij natura 253. figura Saluatoris. 253. 254.
Charitas, Dei præceptum. 378. communionem facit 408. tunc extollitur, cùm propter necessitates proximorum se deprimit. 189.
Charitas Phitonissæ admiratione digna. 189. 190. Pauli Apostoli feruentissima, 218. 219. B. Petri Dam. mirabilis erga fratres Monasterij Casinensis 244. erga suos. 508.
Charitatis Christianæ præclarum exemplum. 534. 535.
Charitatis virtus admirabilis in cæco Monacho. 580.
in Charitatis vnanimitate viuentes per pecora designati. 248.
à Charitate fraterna sese diuellentes pro Schismaticis habendi. 408. 409.
Charus Imp. cælesti fulmine peremptus. 627.
Cherubin figuram habent Monachorum indumenta. 450.
Chrisma conficiendi qui potestatem habeant. 363.
Chrisma Baptismale. 723.
Christus vnde denominatus. 723. quando conceptus, & quando natus 279. 280. num duobus diebus diutius quàm Ioannes intra materna viscera mansit, & cur. 280.
Christus, duas virtutum gemmas de cœlo nobis attulit, & quænam illæ sunt. 352. 353.
Christus 40. diebus jejunauit in deserto 155. totidem horis iacuit in sepulcro ibid. totidémque post Resurrectionem diebus cum Discipulis degit 155. per generationes 42. in mundum inductus. 155.
Christus Dauidi assimilatus 274. Adeodatus, filius saltus, Polimitarius, Bethlehemites dictus cur 274. Sapientia Dei. ibid.
Christus, propter peccata populi à Patre percussus 276. impiorum manibus traditus 277. morte sua Gentilem populum & Iudaicum redemit 276. per Samsonem in cæde Philistinorum figuratus. 424. 425.
Christus Rex & Sacerdos. 686. Leo de tribu Iuda 249. pelicanus 257. panthera 261. petra 253. Hydrus. ibid. charadrius ibid. & 254. phœnix 254. Sol iustitiæ 374. Agnus qui tollit peccata mundi; ibid. pascha nostrum ibid. oriens. 728.
Christus, sub Augusto Imp. natus 71. 113. 199. quanta Iudæorum reuerentia cultus 422. ab eis tamen freneticus appellatus 424. mulierem fluxum sanguinis patientem curauit cum domum Principis Synagogæ, filiam eius ressuscitaturus aggrederetur 26. 148. à populo Iudæorum ad mortem vsque persecutus 190. per Dauidem Regem

designatus.192. quo die crucifixus 608. Rex & sacerdos 616. in bonis Regibus regnat & honoratur 612. passus vt eius exẽplum sequeremur. 457. solus crucifixus audiendus 458. per sanctos Ecclesiæ doctores triũphat. 471

Christus duobus diebus amplius mansit in aluo quàm Ioan. Baptista, 376, 377. & cur posterius natus quàm ille. 377. mortalis per Dauidẽ figuratus, immortalis per Salomonem 622. per Sabbatum intelligendus. 142. 143. per Apostolos suos de humana Sapientia triumphauit. 713. septem sigilla libri soluit, 718. nobis Dauid in via, in patria Salomon 278. Veritas 286. Sapientia Dei 287. os patris. ibid.

Christus D. sub Agni figura visus in sacramenti speciebus 551. quantopere diligat floridi pudoris integritatem ac munditiam 11. clamanti cæco lumen reformat 24. amanti est instar rerum omnium. 632

Christus terrenam consuetudinem seruare non dedignatus est. 520. autor Regibus ac Moderatoribus inquirendi de se aliorum opiniones. 648

Christi stola Iudæi; pallium Gentes. 139

Christi mysteria periuris nihil prosunt. 718

Christi exemplum efficax ad superandos labores 633. præsentis consideratio cũ virtutum exercitijs vtilis. 632

Christi vulnera, sensuum nostrorum medicamenta 456. 621. quibus precibus veneranda. 621. eorumque mysteria. 670

Christi clementia erga suis alienæ furem. 439

Christi & Salomonis sapientia comparata. 621. 622

Christi ad iudicium aduentus qualis. 707

Christum habere vt signaculum super brachium, & super cor quid. 671

Christiani, sunt Christi sacerdotes. 686.

Christianorum nobilitas vnde petenda. 560

Chusai Arachites. 71

Ciborum nimiorum effectus 63 copia, causa libidinis. 65.

in Cibis non modo pretiosis, sed etiam vulgaribus peccari potest. 553

Cibos nimios curare, est ventrem colere. 592

Cidaris, seu corona sacerdotalis: quam nos mitram dicimus. 105

Cilicium pœnitentiæ signum. 503

Cimex in qua re saluti humanæ probetur vtilis 73. 265. eiusque natura. 237

Ciniphes, tertia Aegypti plaga, quid significent mysticè. 491

Cinis pœnitentiæ signum. 503

Cinthius vrbis Romæ præfectus, 685. 688.

Circumcisio per lapideum cultrum. 465

Cison torrens 335. 431. eiusque interpretatio mystica. 432

Cisterna, ciuitas Appula. 27

Ciuitas à B. Ioanne in Apocalypsi descripta, sanctę animæ typus. 150.

Clangoris festiuitas, quæ inter Iudeos. 375

Classense Monasterium. 187. 506

Clauenna mons. 201.

Clementia diuina præsens in humani solatij diffidentia. 661.

Clemens II. Pontifex Romanus. 3.

Clementis Papæ testimonium de continentia Clericorum. 426.

Cleopatræ Reginæ gaudia à morte occupata. 628. 629.

κλῆρος quid. 80.

Clericus luxuriosus cum pellice incendio absumptus. 440.

Clericus quotidie B. Virginis horas recitans diuinitus à pia matre morbo liberatus. 566. 567.

Clerici cuiusdam pugnacis, insolentis & blasphemi cædes. 209. 210.

Clerici num quid proprium possidere debeant 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. cur sic nuncupati 80. & vtrum cum victu & vestitu etiam partes eleemosynarum possunt suscipere. 81. 82.

Clerici septuaginta Discipulorum ordinem repræsentant 409. proprietatisque, vt illi, peculium habere non debent. 410. 412.

Clerici ad Episcopatus officium quondam eligi soliti. 2. debent esse casti cur. 173. luxuriosi per Abimelech figurati. 174.

Clerici lumbare lineum arctiori diuino corpori familiaritate connexum 179. 180. 396. 397. in foramine petræ reclusū, quando. ibi l. in humecto loco. ibid.

Clerici curis sæcularibus oppressi, difficile, vt dignè valeant sacris mysterijs assistere. 410. 411.

Clerici non alia de causa à populo segregantur, nisi vt diuersam à populo viuendi regulam teneant 321. per Leuitas designati. 321. magis intimè Deo sunt copulati, quàm cæteri homines 396. 397. Episcopos eligebant olim. 413.

Clerici cælibes esse debent. 322. 323. eorum inepta defensio. ibid. & 324.

Clerici fornicarij, mãzeres ac spurij, filij, siue Iacob, siue Abrahæ. 177.

Clerici qui sibi licere affirmant vxorem ducere, ex hæresi Nicolaitarum. 334. non habent proprietatem rerum, quas possident. 406.

Clerici qui se continere non possunt, melius esset, si à sacris ordinibus cessarent 328. quidam à sacro ministerio cessant, & hoc modo putant se posse impunè luxuriari ibid. ordines sacros non amittunt, etiamsi eis non vtantur ibid. & 329.

Clerici omnes incontinentes à Stephano Papa de conuentu & choro Ecclesiæ expulsi. 330.

Clericorum ordo, proprium Dei peculium 28. per Leuitas figuratus 84. tenet Ecclesiæ principatum. 176.

Clericorum mores tempore Petri Damiani 2. intemperantia 7. incontinentia 65. scandala. 61.

Clericorum flagitijs Episcopus ignoscere non debet, sed tenerè ea punire. 365. 370.

Clericorum criminalium pœna ex decreto Ss. Patrum. 451.

Clericorum habitatio juxta Ecclesias esse deberet 407. prouentus non debent in vsum proprium conuerti 318. conuersa-

tio cælestis esse debet. 401.
Clericorum incontinentium pœnæ. 317. 328.
Clericorum qui de sepulturis Ecclesiæ commodum sperant, auaritia detestanda. 300.
contra Clericorum libidinem & incontinentiam. 320. 321.
de Clericis obsequio sæcularium Principum deditis. 132. 133
Clericos, dum diuina celebrantur officia, sedere, praua consuetudo est. 301
in Clericos impudicos 173. 174. & seq. eorumque defensiones & excusationes prauæ. 177
Cliuus Scauri, monasterium vbi & à quo conditum. 29
Cluniaci nominis origo & explicatio. 462. 463
Cluniacense Monasterium 203 212. 214. 215. eiusque laudes 462 obseruantia. 468
Cluniacensis Abbas. 169
Clusini Episcopi pœna propter gulæ vitium. 437
Cœnobitæ qua ratione ad eremiticam vitam se debeant comparare 496. 497. ad eam directi à S. Benedicto. 497.
Cœnobitarum regula non habet perfectionem. 498
Cœnobiticæ ac eremiticæ vitæ cõparatio ex S. Bened. regula. 499
ad Cœnobium rediens Monachus de Eremo, per immunditiam lapsus, interijt. 678
Cogitationes impuræ molestius affligunt conuersationem sæcularem fugientes. 734
Cogitationũ certamen Christi militibus deesse nũquã potest. 369.
Coloniensis Episcopus 68. 69. Ecclesia. 210
Columba pacis nuncia. 2
Columba Noé, Spiritus sancti figura. 549
Columbarum Indicarum natura 260. quidque mystice per eas designetur. ibid.
Columnæ duæ in templi vestibulo à Salomone erectæ, quid mysticè designent. 168
Comanus lacus. 201
Comes quidam Teutonicus damnatus propter possessionem Ecclesiæ quam tenebat. 25
Comitatus Ostiensis. 66
Comites possessores rerum Ecclesiæ damnati ad inferos. 25
Comitissæ cuiusdam mors infelix, quæ porcum viduæ sublatum comederat. 666
Cõmatres nõ ducẽdæ vxores. 213
Commenta hominum differunt à sententijs per Spiritum sanctum prolatis. 324
Commiaclensis episcopi pœna propter gulam. 437
Communio à Monachis recipienda, contra Canonicos. 448. 449
Comparatio pulchra mentis humanæ cum aluta seu pelle, monte Horeb & vasis templi ex argilla 59. 60. vitiorum cum caligine 67. Papæ cum Sole 72. Angelorum custodum cum Regis filijs 75. 76. Clericorum cum Leuitis 84. Cadaloi Antipapæ cum Sichen Dinæ corruptore 108. Episcoporum cum specularũ turriũque custodibus 116. auaritię cum igne 123. diaboli, cum aucupe 126. Melchisedech cum sabbato 142. 143 carnis cum equo 163. hæreticorum cum apibus 166. 167. 171 generis humani ante Saluatoris

aduentum cum equo infræni 309. cordium vanorum hominum cum lebetibus 310. diaboli cum perdice 507. oraculorum propheticorum cum turtulis 547. prudentis cum stulto 561. 562. offendentium alios, cum sanguisugis 582. tribulationum cum Tyro serpente ibid. hypocritarum cum mure 596. Agnetis Imperatricis cum Regina Saba. 620 Christi sapientiæ cum sapientia Salomonis 621. prædicationis cum argento 622. hęreticorum & malorum sacerdotum cū vulpibus 658. dæmonis cū aue 677. inobedientis cū igne 690 sanctorū virorum cum stimulis 705
Compaternitatis necessitudo 240.
Completorium in lecto nec salus est, nec profectus. 212
Compunctionis veræ effectus. 187
Cōcilium Romanum sub Nicolao II. Papa. 722
Conciliorum decreta de cōtinentia clericorum. 426
Cōciliorum decretis Religiosæ vitæ proposito renunciantes, qua pœna multati. 704.
in Concionatore quid requiratur. 514
Concordia inter fratres seruanda. 609
Cōcubinarij Episcop. infelix exitus. 347
Concubinariorū Presbyterorum pœnæ. 327.328.329.330
Concubinæ à Tēplis arcēdæ. 657
Concubinæ decem Dauid ad custodiendam domū dimissę quid designēt 191.193.194. ab Absalone pollutæ, item. 278
Concubinæ Clericorum, Ecclesijs Episcop. adjudicatæ. 331
Concupiscentia regnat in cunctis hominum membris. 63.64
Concupiscentia carnis ad quid pertinet 64
Concupiscentia mundi, vanitas vanitatum. 368
Concupiscentia oculorum qua in re posita. 64.
Concupiscentiæ sepulchra, decimatertia Israelitarum in deserto mansio quid significet. 161
Confessio peccatorum hyssopo designata. 621
Confessio Dauidis cur veniam merita, non Saülis. 556
Confessio sacramentalis, remedium puritatis. 734
Confessio generalis ab Agnete Augusta peracta. 626
Confessionis sanctæ contemptus quàm sit cauendus. 214
Confusio propria vitiosorum hominum. 368.
Confusio peccatorum in die judicij. 710
Conger prolixæ magnitudinis 270. puerū aquis immersit. 271.
Consanguineæ non ducendæ vxores. 213
Conscientia, testis locuples. 5
Conscientiæ cruciatus ob munus acceptum. 585
Consecratio penes quos in Ecclesia. 363
Consecratio Episcopalis. 430
Consecrationis sacerdotalis verba. 449
Consensu omnium recepta sine vitio ac pœna violari non possunt. 593
Consentia, regio. 111
Cōsiderare debemus nō quid sumus, sed quid futuri sumus. 654.

Consideratio pœnæ peccatis debitæ tribulationes frangit. 379
Consideratio Christi præsentis cum virtutum exercitijs vtilis est. 632
Consiliarij Regum non solum pij, sed etiam prudentes esse debent. 642
Constantinopolitana ecclesia, 19 quarta ordine dignitatis. 221
Constantinopolitanum cœnobium S. Mariæ. 500
Constantinus magnus 113. Imp. 15 eiusque in ecclesiam Hierosol. liberalitas. ibid.
Constantinus Gaetanus, Monachus Casinensis. 379
Constantius Imperator. 15. Arrianus 32. cum Galerio diuisit Imperium. 113
Consuetudo quorundam execrabilis in morte Episcopi. 399. 400.
Consuetudo se verberandi vnde nata. 562
Consuetudo in Missarum solemnijs celebrandis. 446
Consuetudinis vis. 97
Consuetudinis antiquæ necessitas aliquando excusat. 36
Consuetudines regulares exemplo Christi seruare debemus. 520
Consuetudines duæ prauæ apud Apostolicam sedem 48. contra primam ibid. cōtra secundā. 49.
Consultores mali Principibus perniciosissimi. 614
Consulum Romanorum victoriæ ac triumphi. 130
de Consumptione mundi allegoria. 61.
Contemplatio terrenis negotijs impeditur 59. eius dulcedo 60.
Contemplatio Dei, perfectio æterna gaudiorum. 224
Cōtēplationis studiū per volucres die quinta creatos designatū. 144
Contemplationis quies animas de tentationibus eripit. 470
Contemptor quisque seculi ad hoc debet semper eniti, vt perueniat ad amorem Dei. 671
Contemptus rerum externarum nos ad Deum dirigit 627. humanâ miseriâ roboratur. 629.
Continentia Clericorum canonibus & concilijs asserta. 426. 427
Conuentus religiosi correptione indigent ad regularem disciplinam. 523
Conuersionis initio cur Deus tentationes nō permittat in suis 673
in Conuertendo se ad Deum non est procrastinandum. 336. 337
Cor ab impuritate custodiendum. 73;.
Cor carneum, vel potius cereum, à Deo pollicitum. 24
Cor humanum pelli simile 59
Cor sacerdotis, Dei Templum, Christique sacrarium. 129
Cor Principum in manu Dei. 5
Cordis duplicitas fugienda. 558
in Corde Deus non habitat, in quo odium latet. 735
Corda vanorum hominum lebetibus assimilata, cur. 310
Corda nostra vasis tabernaculi, vbi quæ emuncta erant, extinguebantur, comparata. 394
Cornelientium Comitatus 529
Cornelius Gentilis 49. gentium primitiæ. 284
Corona gloriæ nobis per bona exempla cumulatur. 614
Corpus humanum quo die plena formetur distinctione membrorum. 58

Corpus Christi sacrosanctum impollutis manibus tractari debet 363.
Corporis sensus: vide Sensus.
Corporis verberatio 563 682. vide Flagellatio, Scopæ, Verbera.
Corporis nostri vilitas ac fœtor. 457.
Corporis Dominici particula in carnem conuersa. 206
à Corpore Christi fauillæ tres prodire, sacrificantisque pectus terribiliter impetere visæ. 383.384
Correctio fraterna & amicabilis audiēda 188. amplectēda 183.184.
Correptio necessaria ad regularem disciplinā in religiosis conuentibus 519. purgat animum à labibus 555. moderata esse debet 569.
Correptionem qui non sustinet, perfectum se non esse demonstrat 486. eam amare sapientis est, stulti odisse 521. feruentissime culpa ad aliorum profectū amplecti. 524
Correptiones æquo animo ferentium emolumenta 520. impatientibus sunt quasi gladij. 522
Corrigere nos ipsos prius debemus, quàm alios, 411
Coruus instar vulturis diebus Dominicis propè Puteolos apparere, & post auiculas quæ cruciatorum animæ creduntur, grauiter crocitare solitus. 20
Cozbi filia Sur à Phinée sacerdote confossa, cur 8. 180. 335 vide Madianitis.
Creaturæ per malum vsum malæ nobis fiunt. 587
Criminatoribus non est fides facile adhibenda. 5
Crocodili natura 253. 268. quid designet. ibid.
S. Crux per laminam auream in veteri lege figurata. 309
Crux nobis tollenda cur præcipitur. 403
Crux argentea ante quos gestari solita. 114
Crucis sacrificium. 730
Crucis signo diaboli dolus cognitus 534. in eo virtutes omnes expressæ 538. Moysis lex adumbrata. 539
Crucis victoria Christi vulneribus prædicatur. 621.
Crucis Dominicæ die cæsa animalia in macello Rauennali, canibus proiecta. 417.
Cruci Christi quanta sit habenda reuerentia 383. & cur illi feria sexta adscripta. 198. 199.
Culpa subditorum in præpositos redundat. 371
Culpam confitentes multi, cur non emendentur. 556
Culpam humiliter expiantibus & Virginis Horas persequentibus, pax orta. 595
Culpæ subditorum à Rectoribus ac Moderatoribus corrigendæ. 184.
Cumana Ecclesia. 532
Cunibertus Taurinensis Episcopus 319. eius conniuentiā in toleranda libidine Clericorum. 320.
Cupiditas omnium malorum radix. 125
Curiositatis vitium quàm latè pateat. 526
Currus Christi, doctrina Apost. & Euang. 621
Cynomia, quarta Ægypti plaga quid designet. 492
Cyri Regis vesana iracundia 382

Cyrillus Hierosolymorum Episcopus 15. quàm misericors in pauperes ibid. Episcopali dignitate depositus, cur ibid. quid de pœna temporali senserit. 646.

D

DÆmon, quibus artibus impugnet eos qui se à prælaturis abdicarunt 481. Eucharistię sacrosanctæ susceptione exterretur 532. adulantis linguæ, vt auis ramo insidet. 677

Dæmon ab Episcopo potenter eiectus. 38

Dæmones, S. Eucharistiam frequenter suscipientes quantum reformident. 671

Dæmones morientibus apparere soliti in Æthiopum forma sæpe visi. 215. 196. 207. 674

Dæmonũ insidiæ & laquei 44. illusiones. 246

Dæmonum astutię contra huius vitę amantes 437. 453. insidiæ in euitabiles. 481

cum Dæmonibus pugna per Iosue pugnam contra Chananæos designata. 591

Dæmoniacus hominem necans liberatus. 313

Damasci Ecclesia 32

Damasci facies contra turrẽ Dauid dimicans, quid mysticè designet. 331

S. Damasus I. Papa 619. eiusque decretum de continentia Clericorum. 427

Damianus Cardinalis, vide Petrus Damianus infrà.

Damianus Monachus, S. Doctoris ex sorore nepos 47. 199. 531. 536. 566. in Galliam ad liberales artes perdiscendas missus 461. Archipresbyter Rauennas. 392

Damnatorum pœnæ quales 679. 680. mors. 680

Daniel vir desideriorum dictus 30. 105. impios senes perperam iudicasse Susannam conuincit 105. 106. intactus à leonibus. 235

Dathan à dehiscente terra deglutitus, cur. 178

Dauid à Samuele vnctus in Principem, 46. ter 101 à Propheta Nathan correptus pœnitentiam agit 50. leonicida 366. viuente Saül regij culminis apicem non ascendit cur 112. filiam Saul Michol centum sibi Philistinorũ prępután depõsat 135. Amalechitas percutit 303. de ciuitate Rabbath victor, 130. quãti emit aream Ornam Iebusæi, simul & boues eius 275. sese proprijs vestimentis exuit vt saltaret ante arcam 303. 456. 504 à filio Absalone persequutus fugit 71. 101. 191. Christi typus. 192. Miphiboset innocentem proscribit 5. furiosus apud Regem Geth habitus 424. cur viuens Ioab & Semei indulsit: moriens Salomoni perdendos mandauit 277. 278. Christum figurauit mortalem, Salomon immortalem 622. Euangelicè vixisse creditus, cur 352. pietatis ac justitię exemplum imitãdum 661. quot annis regnauit 71. eius mansuetudo 601. confessio cur veniam meruit, non Saulis 556. filij cur sacerdotes fuisse dicuntur 273.

Dauid adeodatus, filius saltus, Polimitarius, Bethlehemites dictus, cur. 274

Deborę bellum contra Sisaram 655.656
Dealbatio aliquando pro crimine in scriptura 162. pro veræ lucis splendore ibid.
Decimæ 37. à conjugatis Deo persolui solitæ. 412
Decimæ quorumdam prouentuũ in Monasterijs & Eremis dari solitæ. 203
Decius Imp. qua morte peremptus. 72.627.
Decollatio B. Ioannis Bapt. cur vigiliam non habeat. 608
Decretum Damasi Papæ circa ordinatos Metropolitanos in petitione pallij. 619
Decretum B. Petr. Damiani, vt inter suos concordia post suum obitum seruaretur. 609
Delectationum carnalium mortificatio necessaria illis qui ad perfectionem aspirant. 520
Deliciæ carnales cælestesque, quid inter se differant. 550
Deodatus Treuerensis Episcopus, renunciat sęculo. 28
Dephtea nona Israelis mansio quid designet. 160
Desideria animi in phrenesi aperiuntur, 557
Desiderius, Abbas sacri monasterij Casinensis S. R. E Presbyter Cardinalis tit. S. Cæciliæ 20.30. 182. 185. 189. 194. 205. 221. 246 384.697. qui & B. Victor III. Papa 697. B. Petri Dam. opuscula Notarij manu exscripsit 183. eius laus. 284
Desperati cuiusdam hominis ac seipsum interficientis exemplũ terribile. 214
Detractores non audiendi: neque etiam detrahendum. 560
Deuotio humilis cum sæculari potentia rarò inuenitur. 651
Deus, simplex, vna, distincta tamen omnium rerum scientia 230. cur mundũ creauerit ibid. vna notione omnia comprehendit, distinctè tamen ibid. & 231. non est ei heri vel cras, sed hodie sempiternum 231. intra præsentiæ suæ sinum, omnia simul & tẽpora, & loca cõcludit 229. quo pacto existat in omnibus rebus 230. eius localitas illocalis ibid.
Deus populo suo per deserta gradienti cur tot mandata propo. suit 468. non credere eum omnipotentem, quam sit scandalosum 223. non posse eius vel nescire quomodo debeat intelligi ibid. & 224. omnibus est causa vt existant 224. 225. cur Moysẽ voluit occidere 411. nullũ peccatum impunitum relinquit 210. verba etiam vlciscitur 209. lacrimas Sanctorum abstergere solitus. 48
Deus regnorum largitor & conseruator 616. ad quid pauperes permittit. 719.720
Deus cur electos in hac vita affligi sinat 669.670.738. in corde habitare non potest, in quo odium latet 735. pupillorum patronus. 665. sinit aliquãdo hæreticos esse, vt probet fidelium constantiam. 433
cui Deus parum est, nihil illi satis esse potest 407. sanctorum spes & requies 548. quomodo in nobis quiescat 549. cur alios juuenes, alios senes ad se vocet 512. 513. cur per viros idiotas ac simplices mundum instituit

513.514. cur cõuersionis initio tentationes non permittat in suis 672..Templorum ædificationes curat 695

Deus à quibusnam irritari dicatur 368. verè cuius vult miseretur, & quem vult indurat 215. vtrũ instaurare possit virginem post ruinam 222. 223. & seq. cur non faciat 225. quod potest absdubio 225.226. potest multa quæ non vult 222. potest facere fa'tum infectum 243 omnia potest, siue faciat, siue non faciat 235. potest virginitatis corruptæ carnem & meritum reparare 226. orandus vt sua voluntas nobis per suos Vicarios innotescat 560. Cristi caput 187 animarum pius amator 739 Clericorum pars & hereditas. 80.84

à Dei ore quomodo euomamur, 702

Deo inimicus & odibilis, qui Dei inimicis fauet 637. illi filiũ offerens vteri fœcunditatem meretur, 695

Deum timere, & eius mandata seruare quid 76. secundum legem colere, 149,150

ad Deum accedentes humanis disciplinis non indigent. 518

a Deo quomodo & quando recedamus. 704

Dexterâ amplexari quid mysticè, 218

Diabolus, castitatis inimicus 176 in fluminibus ac locis humentibus commorans 180. deorsum fluens, Ægyptius, mortuus 182. improbis tãquam pabulo vescitur. 729

Diabolus per Naas Ammonitem designatus, quomodo vincendus 470. interiorem sanctitatẽ prius adimit exteriore relicta 471. per Ibidẽ. figuratus 260. caput & initiũ totius iniquitatis 186. literis sacris studentem timet. 567

Diabolus, incautos bonorum operum fructu priuat 252. vulpis species ibid. polypi 252.253. trãsfigurat se in Angelum lucis vt Monachum decipiat 533. humilitate & flagello repellitur. ibid.

Diabolus per Absalon designitus 191.278. per Cancrum 269. & eius etymon ibid. Rex Babylonis 147. autor idoli, princeps mundi 148. perdici similis. 507

Diabolus, leo rugiens 13.361.409 Lucifer 22. Draco 41. auceps. 126. serpens jejunio superandus 184. lupu 431.432. Æthyops 30. vide Dæmones.

Diaboli dolus signo Crucis cognoscitur 534. artes vertuntur in sui ignominiam, & hominum vtilitatem ibid.

Diaconus & Monachus eadem pœnitentia mulctati à Canonibus. 534

Diacones à S. Petro Apostolo consecrati 12. debent esse cœlibes. 173

Dialecticæ vsus in rebus diuinis. 228

Dianæ simulacrum à Zeusi depictum. 557

Dibongatrigesimanona Israelitarum mansio quid mysticè designet. 166.167 171

Dilectio spiritualis carnalem amorem sæpe superat. 398

Dij Gentium, Dęmonia 148. & quinam

quinam eos cum Domino colere, conuincantur. 148
Dina Liæ filia 108. à Sichen adamata & corrupta ibid.
Diocletianus Imp. regalis fastigij insigni deposito vsque ad obitum in hortuli cultura permansit 113. eiusque præclarum super hoc responsum. ibid.
Diogenes Cynicus vxori publicè mixtus. 414
Dionysius Papa, Monachus. 448
Discendium ab inferioribus, non modo à maioribus. 203
Disciplina culpis emergentibus confestim adhibenda. 184
Disciplina siue Flagellatio in Monasterijs: vide Flagellatio.
Disciplina humana ad Deum accedentibus inutilis. 518
Disciplinæ Ecclesiasticæ puritas ex dialecticæ artis ignorantia perturbata. 228
Disciplinæ regula in castigatione corporis. 601
Disciplinæ regularis necessaria correptio in religiosis conuentibus. 23
Disciplinam cantui Psalmorum adiungendi consuetudo. 682
Discipuli septuaginta per septuaginta palmas Helim figurati. 120.121.409. etiam Apostolorum nomine comprehensi. 159.160
Discretionis tenendæ admonitio necessaria. 577
Diuisio rerum vbi est, ibi non est vnitas animorum. 408
Diuitiæ non comitabuntur de seculo redeuntem 124. 125. iram Dei pariunt 127. non appetuntur ad indigentiam, sed ad luxũ ibid. 128.
nullum vsum afferunt, præter solum aspectum. 128. coaceruatæ in malum Domini sui. 111
Diuitias appetere quàm sit perniciosum. 125
ex Diuitijs fructus capitur, cum dispensantur pauperibus. 123
Diuites sunt pauperum ministri. 589
à Diuitibus malis & iniquis munera non accipienda 589. à volentibus & bonis contrà, in pauperum vtilitatem. 589
Doctores Ecclesię per bellatores fortes designati. 471. per oculos. 175.186
Doctrina vbi non sufficit, sanctitas abundare debet. 687
cum vitę sanctitate Prędicatori necessaria. 686
Doctrina App. & Euang. est currus Christi. 622
Dominicus dies quid denotet. 597
Dominici dies animabus in purgatorio detentis, quid refrigerij conferant. 19.20
Dominicus Patriarcha Gradensis. 283
Dominicus Loricatus prior S. Mariæ Sitrię. 581. Vir venerabilis 90. eius vita sanctissima ibid. fit Monachus eremita ibid. manet virgo ibid. eius magister 91. arduum vitæ institutum ibidem. silentium diuturnum ibid. mira inedia ibid fit B. Petri Dam. discipulus ibid. ferrea lorica ad carnẽ indutus. 92. 94. ei9 vitę austeritas 92. Benjamin vocatus, cur 92. 93. magnus feruor in eo jam sene. 93. lautior cibus eius panis cum feniculo 93. nouem psalteria dixit

intra 24. horas meditando. 94. eius vita efficacior quàm oratio 94. duobus circulis ferreis circumcingitur ibidem duodecim psalteria continenter absoluit virgis interim se cædens, ibid. & 682. tertium decimum cœpit ibid. multi eius exemplo flagellationis purgatorium arripiunt 95. labor eius quotidianus difficillimus ibid. diutissime orat extensis brachijs 96. scutica se mirè flagellat ibid. à iudice sacri Palatij spernitur, in quem mox vltio diuina desæuit 98. cautela magna vtitur in verbis suis 98. 99. magna eius humilitas 99. longe ante obitum à vino abstinet 99. laborat dolore stomachi & capitis ibid. felix eius excessus à vita ibidem & 100. post nonum diem manet corpus eius incorruptum 100. tota vita parasceue Crucis sibi fuit. 100

Dominici Loricati feruor maximus in exercitijs spiritualibus 576. eiusdemque abstinentia admirabilis idid. iudicium de corporis flagellatione. ibid.

de Dominico Loricato 574. 575

Dona ab iniquis suscipiens, seipsum maculat 588. vide Munera.

Donati Episc. Aret. & Martyris studia 518. 519 festiuitas. 207

Dorcadis natura & significatio 262. vide Capra.

Draco magnitudinis enormis, qui hominē integrū deglutijt. 41

Draco ab Angelis pugnantibus è cœlo projectus. 152

Draconis carnes ab Episcopo quodam innoxiè comestæ. 73

Dracones Babyloniæ auri argentique custodes. 124

Drudus, vir nobilis. 391

E

Ebionis hæresis. 430

Ebrietas edacitatis filia. 63. 64

Ebrietas spiritualis quid in anima faciat. 669

Ebrona, trigesima prima Israelitarum māsio quid designet. 165

Ecclesia primitiua vbicumque Apostoli 55. Romana vbi Papa. 55

Ecclesia nouiter ad fidem veniēs sub Apostolis, quem viuendi ordinem teneret. 82

Ecclesia per Michol figurata 730. per Alcyonem auem designata 260. per Rubum significata. 190

Ecclesia, Christi sponsa 637. vestis 179. in petra fondata nō in arena 181. Spiritus sancti donis repleta 278. quibus vestibus maximè delectetur 502. 03

Ecclesia, regnum Dei 12. Castra Dei 409. tabernaculum Dei 407. lapis. 174. 175

Ecclesia per Rachelem designata 217. à Saulo persequuta ibid. per lunam expressa cur. 374

Ecclesia à Monachis, non à Canonicis fundata. 447

Ecclesia per malos Episcopos & Abbates confusa 4. sanguine Christi redempta. 6

Ecclesia in Imperatorum & Regum protectione sita 614. 638. Christi vestis 615. quare orat pro Regibus. 617

Ecclesia Catholica, sceptrum Filij

Dei 105. à malis Pastorib. dissipata 108. per Garizim montem designata. 138.139
Ecclesia gentium in prima vocatione facta aduena, per incrementum gratię domestica. 139
Ecclesia Lateranensis Ecclesiarum Princeps, & Sancta Sanctorum 117.118. Saluatoris insignita vocabulo. 117
Ecclesia Rom. lapis super quo septem oculi 102. candelabrum aureum 102.118 adulterijs spiritualib. constuprata 103. caput omnium Eccles. 103.118. onus onerum 104. piscatoris sagena 117. excellentioribus præ cæteris orbis Ecclesijs priuilegijs ornata ibid. septem Spiritus S. Donis præfulgens 117.118. in mundi totius culmine constituta 109. ab Antipapa Cadaloo inuasa 309. atque diuisa 111. tunica Christi inconsutilis, eiusque corpus 111.112. Arca Dei Israel 112. vænaliter distracta quale peccatum 112. sedes Apostolorum 130.
Ecclesiæ Rom. calamitas 37. consuetudines prauæ duæ 48. tranquillitas sub Nicolao II. Papa. 16.
Ecclesię Sanctę scissio diuisionem minatur regiæ potestatis. 615
Ecclesiæ ritus non mutandi. 445
Ecclesiæ sacramenta, num à malis, & à simoniacis conferri possint. 722
in Ecclesiæ rebus alienandis quãta sit adhibenda cautio 357.358. quibusque pœnis sint obnoxij qui illas alienant. 358
Ecclesiæ Petri & Pauli App. Romæ. 118
Ecclesiarum superioribus congruunt ornatæ vestes, & sermorum copia. 286
Ecclesiarum prędia injustè possidere quàm periculosum 25.26. & cur ea vendi aut alienari non possunt. 54
Ecclesiarum calamitas. 61
in Ecclesijs non sedendum, dum diuina celebrantur officia. 301 302.303
Ecclesiastici negotij causæ legibus, non armis dirimendæ. 353.354
contra Ecclesiastici peculij dilapidatores. 37
Echinus, piscis, eius proprietas & significatio mystica. 255. 256
Edacitas sanguisugæ comparata. 63.64
Eglon Rex Moab 659. luxuriæ typus 465. Aoth sicca perfossus ibid. & 659
Eleazarus, Aaron filius, & eius in sacerdotio successor 15. 364 pater Phinees. 9
Electi à Deo affliguntur, vt terrena despicientes, appetant cælestia. 738
Electorum tantum est benè cœpta perficere. 695
Electis ipsa percussio est cõsolatio 698.
Electos cur in hac vita cruciari permittat Deus 669.670. quantumque illos amet. 672
Eleemosina quantum animis defunctorum prosit 101. 102. fructuosior pauperibus data quàm

oblatio carnalis à sacerdote carnali celebrata. 202. Fortis armata. 656
Eleemoysina erga pauperes mirabiliter a Deo remunerata. 39
Eleemosynę virtus 528. fructus. 535
Eleemosynę virtute Agarenus à Leone liberatus. 720
Eleemosinam peregrinis negantes Agareni duo, à Leone occisi. 720
Eleemosinæ ab Episcopis suæ diœcesis pauperibus in primis distribuendæ. 318
Eleemosinæ in pauperes quantum animabus defunctorum vtiles. 20
Eleemosinæ quomodo secularibus à Religiosis petendæ. 588
Eleemosinæ laïcis pro pœnitentia iniungi solitæ cur. 404
Elemosinis, adiungendæ cæterę virtutes 319
Elementum quódnam nobiliorē locum in homine habeat. 543
Elementa omnia soli homini seruire compulsa. 74
Elephas quantopere castitatis munditiam diligat 65: & eius pudor in coitu. ibid.
Elephantis natura. 264
Elephantes turres & viros armatos in prælia portare soliti 266. quomodo capiantur. 266
Eli sacerdotis mors 370. vide Heli
Elias Propheta miraculis coruscus, ipsisque Regibus & omni populo venerabilis 421. 422. cur se solum relictum dicat, cum Deus è contra septem millia virorũ superesse respondeat. 68. à vidua pastus in Sarepta 295. quadraginta diebus jeiunans ad montem Horeb peruenit. 155. igneis equis & curru translatus in cælum 9. 13. idem qui & Phinees ibid. cur sic nuncupatus ibid. & quàm diu vixit. ibid.
Elim quid 174. vide Helim.
Elisæus duplicem consecutus gratiam, cur 468. quantũ proximis sua prædicatione profecit. 421. 422
Elizabeth vxor Zachariæ. 325. Ioa. Bapt. mater. 372
Eloquentia humana quàm parui fit à viris sanctis. 711
Emunctoria lucernarum, quid mysticè. 393. 394
Endor quid significet: & quinam spiritualiter in eo corruere dicantur. 432
Enoch qua in generatione natus 442
Ephraim montis etymon & allegoria. 659
Ephron filius Seor. 300
Epiphaniæ vigilia. 604
Episcopatus quam arduum munus 22. semel susceptus num rite dimitti possit 17. 18. & seqq. 36.
Episcopatus à principibus mercari hęresis, licet consecratio gratis accipiatur 52. 53. 54
Episcopij domus, Episcopo defuncto consuetudine quadam execrabili olim inuadi solita, facultatesque omnes eius diripi 399. 400
Episcopus qualis esse debet 119. suorum diocæsanorum pater 11. 12. ecclesię suæ vir & sponsus. ibid.

Episcopus qualis esse debet. 119
Episcopus quidam miraculo arguitur Simoniacus in Gallia. 25
Episcopus cibis deficientibus, mirabiliter pastus. 38
Episcopus alter dæmones ex obsessis corporibus effugare solitus. 38
Episcopus item alius in pauperem misericords, miraculosè à Deo remuneratus. 39
Episcopus in Æthiopia draconis carnibus fame fauces obdulcante pastus. 73
Episcopus percussus in gutture quod pauperculæ porcum abstulisset, religioni se dedit. 437
Episcopus alter paralysi percussus ob gulæ vitium. 437
Episcopus inopinato mortuus, quod Religionis ingressum distulisset. 438
Episcopi sobrij præclarum facinus 39.
Episcopi non rectè ordinati peccata in promotoris caput redundant. 137
Episcopi Cardinales: vide Cardinales, suprà.
Episcopi Apostolorum obtinent primatum 120.409. per duodecim fontes Helim figurati. 120.121.
Episcopi à Clero quondam eligi soliti 413. vxorati esse non debent, sed continentes 322.323. frustra casti, si Clericos incontinentes esse permittunt 320. ab Archiepisc. ordinati. 305
Episcopi qui indignos sacerdotes promouent, eorum se peccatis inuoluunt 362. cauere debent ne ad eos illorum vitia redundent. 363
Episcopi vigilantes esse debent in castigandis Clericorum flagitijs 365. ea seueriter punere debent 370. de sacerdotibus indignis quid constituere tenentur. 365
quòd Episcopi ab Ecclesiarum suarum filijs accusari possunt. 49, 50.
Episcopi scortatores ac fornicarij incidunt in hæresim Nicolaitarum 12. canonico vigore plectendi. 12
Episcopi mali à quibus defenduntur. 612
Episcopi tres Ecclesias suas permittente B. Gregorio deserunt. 32.
Episcopi sex ab Hildeprando depositi in Gallia, ex Apostolicæ sedis authoritate. 25
Episcoporum dignitas. 120. auaritia 2. scandala 61. incontinentia ac luxuria 7. 8. quàm acriter à Metropolitanis vindincanda 10. 11. 12.
Episcoporum à Clero & populo eligendorum mos antiquus. 3
Episcoporum magnus numerus qui susceptum regimen intentione rectâ dimiserunt. 17. 18. 19
Episcoporum causæ ad Romanum Pontificem pertinent. 722
Episcoporum malorum deploratio. 36. 37
Episcopis quàm cauenda Simoniæ hæresis. 54. 55
Epulonis Euangelici inhumanitas. 565.
Equarum Cappadociæ natura. 23
Eremita quidam superbus flagellis correctus. 91
Eremitæ cuiusdam pij ac religiosi jucundum & prudens factum. 643.

Eremitæ à S. Benedicto laudati. 496.
Eremitæ in vrbibus conuersari amantes arguuntur. 571
Eremitæ S. Mariæ Sitriæ 581. Monasterij Gamugnensis 566. congregationis B. Petr. Damiani. 596. 600. 601. 609.
Eremitica vita perfectior quàm cœnobitica 497. 498. earumque comparatio ex S. Benedicti regula. 499
Erlembaldus, Clericus. 432. 434
Ermelinorum pelles in pretio. 128.
Ermilina Alberici senatoris vxor. 693.
Esaias triennio nudus. 504
Esau, venandi studio per saltus discurrens primogenitis à fratre spoliatus. 408. 504
Esculani episcopi fastus & depositio. 129
Esebō, vrbs præcipua Amorthæorum 369. ex eorum ditione in Israelitarum jura translata ibid. quid mysticè. ibid.
Esther pro salute populi sui morti se viriliter objecit. 657
Eth filij eorumque sepulchra. 300
Ethai fugientis Dauid indiuiduus assecla. 71
Ethan siue Buthan tertia Israelitarum mansio in deserto, quid designet. 158
Euangelistarum & App. doctrina, currus Christi. 622
S. Euangelium per manna ac fermentum significatum. 161
Eucharistiæ frequens susceptio, præsidium castitatis 532. dæmonis terriramentum. ibid.
Eucharistiam qui frequenter suscipit, dæmonibus est terribilis. 671
Eucherius Episc. Lugdunensis. 449.
Eufrates, fluuius. 390. 396. 397
Eugubium ciuitas & eius etymon. 89.
Eugubina Ecclesia à B. Dam. gubernata 56. 57. confusa & abiecta. ibid.
Eugubinæ Ecclesiæ status tempore Mainardi Episcopi. 346
Eui, Madianitarum Rex 367. iracundiæ typus. ibid.
Euodius Petri in Antiochena sede successor. 101
Eurus idem qui & *Aquilo* ventus. 69. vide Aquilo.
Eusebius Paschalis computi Author. 281
Excessus mentis quid. 195
Excommunicati hominis panes attingere canes dedignati. 37
Excommunicatio mors animæ 14. Petri gladius. ibid.
Excommunicationis neglectæ pœna diuinitus irrogata. 37
Excusatio in peccatis quàm perniciosa. 78
Exempla bona coronam gloriæ nobis cumulant 624. magnorum virorum & mulierum quantum valeant. 624. 625
contra Expilatores domorum Episcopalium: vide Episcopium.
Ezechias solem decem lineis ad orientem reuocauit, 135

F.

FAbri dignum supplicium diuino judicio constitutum. 455
Fabri in Christo commendati. 659
Fabricius licet pauper, diuitias tamē Pyrrhi paupertati suæ postposuit. 126
Facies Dei quid, 549

à Facie Dei celari quinam dicantur. 453.
Factum quomodo potest fieri, vt non sit factũ. 226. 227. 242. 243.
Facti culpam habet qui negligit emendare quod fecit. 334
Fauensis Ecclesia. 405. eius status corruptus. 2
Fanẽsis Episcopus excommunicatus 4. eius vita criminosa. 292
Fanenses Clerici. 405
Farfense Monasterium à quo constructum. 17
Farulphus, siue Farnulphus Cisternensis Episcopus, cathedræ renunciat 27. ferreis duobus circulis se constringit. ibid.
Fauentina vrbs. 529. studijs celebris. 580
Fauentina Ecclesia bonis Clericis referta. 413
Fauẽtinus Clerus & populus. 412
Fauentinorum damnatorum spectra ostensa Diacono cuidam. 42. 43.
Fauor popularis imperfectis non mediocriter nocet. 419
Faustinus Episcopus. 426
Faustinus Pontianæ Ecclesiæ Episcopus Legatus Rom. Ecclesiæ. 322.
Fel piscis, quo liniti sunt oculi Tobiæ quid significet. 186
Felicitas mundi memoriâ judicij extremi contemnitur. 706
Felicitas improborum dolenda. 699.
Feminarum quodnam gen⁹ Deus agnoscat, & quod non. 657
Feminarum aspectus fugiẽdus 251 cum Feminis qua modestia colloquendum. 554
Feria secunda, defunctis ascripta cur 198. sexta Cruci Domini ibid. & 199. & in ea jejunare quàm laudabile. 199
Fermentum quid in Scriptura significet. 161
Festa quænam nos à jejunio excusant. 607
Festiuitates Iudæorum mysticè interpretatæ: prima, juge sacrificium 373. secũda Sabbatũ ibid. tertia, Neomenia 374. quarta, pascha ibid. quinta, nouorum ibid. sexta, Tubarum 375. septima, mensis septimi ibid. octaua, Scenophegia. ibid.
Ficoclensis Ecclesia. 17. 36
Ficus, sacræ legis imago in Scriptura 139. quíque per eas possunt intelligi. ibid.
Ficus Ægyptiæ, & earum proprietas. 238
Fides, per lucẽ prima die creatam designata. 143. charitati juncta exaudiri meretur. 38
Fidem frangentium opera Deo non grata. 703
pro Fide núm liceat arma capere. 353.
Firmamentum secunda die creatum quid significet. 143. 144
Flagella malis sunt primitiæ tormentorum, bonis materia præmiorum. 698. 699
Flagellatio purgatorij genus 683. iucundum Deo spectaculũ. 458
Flagellatio spontanea optimum pœnitentiæ genus. 404
Flagellatio feria sexta in Monasterijs ac Eremis quibusdam assueta. 198
Flagellationis & disciplinæ purgatorium. 93. 94. 95. 96
Flagellationis vsus in Velitrensi Ecclesia 311. & eius vtilitas. 312
Flagellationem suscipere propter

nuditatem corporis nó erubescendum. 453. 455. 456
de Flagellatione corporis iudicium S. Dominici 682. non debemus in ea nostræ infirmitati diffidere ibid. & 683
Flagello Monachico diaboli tela destruuntur. 533
Flagellis cur se Monachi sponte mactare debeant. 403
Flandria. 27
Fletu momentaneo emitur perpetuus risus. 393
Ss. Floræ & Lucillæ Monasterium in Aretino territorio. 652
Florentia, vrbs. 87. 170
Florentina Ecclesia. 28. 402
Florentinum Concilium. 101
Florentinum Monasterium. 568
Florentini Clerici. 402
Florentini ciues cum suo Episcopo dissidentes. 721
Fons de medio Paradisi egrediẽs, & in quatuor capita diuisus quid designet in homine. 146
Fontis Auellani monasterium: vide Auellanus.
Fontis Garamantum natura. 238
Fontis Epiri proprietas. 238
Fontes duodecim Elim quid designent. 120. 121. 174. 409
Formicæ proprietas. 264
Fornicatio quomodo per Phineem sacerdotem ac Moysen vlta in Principibus. 8. 9
Forosemproniensis Episcopus, vide Semproniensis. 355
Forum Corneliense. 529
Fossor saxorum ruderibus per annum obrutus, vixit propter Missæ sacrificium. 201
Fragilitas rerum humanarum. 654
Fridericus Archiepiscopus Rauennas sub Ottone III. Imp. 33
Fructuariense cœnobium. 661. & eius laudatio, regularibus domibus communis. 658
Fulicæ auis natura 257. quidque per eam intelligendum. 258
Fur miraculosè compulsus ad satisfactionem. 439
Furtum furto diuinitus punitum. 439.
Futura contingentia. 228

G

Gad semitribus à cultu Dei transijt ad idola 9. armata petrexit ante filios Israel. 35
Gadgad, vigesimanona Israelitarum mansio quid designet. 165
Galaad mons, quid significet, & quomodo Christi typus. 186
Galaad terra in possessionem data tribubus Gad, Ruben, & Manasse. 157
Galaaditis etymon quid mysticè designet. 193
Galba Rom. Imp. in foro gladio percussus. 627
Gai quid 166. 171. vide Gebarim.
Galerius, Imp. creatus 113. cum Constantio diuisit Imperium. ibid.
Galgalis, quid. 465
Galli à Marcello superati. 549
Gallorum regnum. 213
Gallienus Imp. militarib. gladijs interemptus. 627
Galilæorum sanguinem cum sacrificijs exemplo Pilati miscere, quid. 211
Gallus Imp. qua morte peremptus 72. 627.
Gallus gallinaceus in diuersas partes sectus miraculose redintegratus apud Bononiam. 240

Gamugnense Monasteriũ. 586. 596
Eremus. 97
Garganus mons. 663
Garizim mõs 138. dandis per Moysen benedictionibus deputatus ibid. quid significet. ibid. & 138 quidque per ipsum designetur. ibid.
Gaudentius Apsarensis Episcopus, Episcopatum dimittit. 18
Gaudiosus Episcopus fugit è cathedra. 32
Gebal quid significet, & quidnam mysticè designet. 431
Gebarim in finibus Moabitarum, trigesimaoctaua Israelitarum mansio quid mysticè designet. 166. 171.
Gebehardus Rauennas Archiepiscopus 291. 292. 419. eius laus. ibid.
Gebellinorum pelles in pretio 128 turiti pilei. 119
Gebizon Abbas 483. 486. eius ficta humilitas. ibid. & 484
Gedeon de Madianitis victor. 303 659. Christi typus. 138
Gehennæ expauenda consideratio. 31. 42
Genebaldus Laudunensis Episcopus, cathedram deserens, à B. Remigio redire compellitur. 17. 36.
Generatio spiritualis maior carnali. 11
Generationes septem ab Adam vsque Lamech, quomodo intelligendæ 442. quatuordecim à transmigratione Babylonis ad Christum. 448
Generationes quadraginta duæ Christi 155. ab Abraham prima, cur 157. in Virgine vltima. ibid.
in Generationibus supputandis quæ regula seruanda. 442
Gentilis populus impius dictus, cur 276. Christi morte redemptus. ibid.
Genus humanum equus infrænis ante Saluatoris aduentum. 309
Gera filius Gemini de Bathurim. 277.
Gerardus Ecclesiæ Florentinæ Canonicus. 345
Gerardi Monachi de Balæna relatio. 270
Gericina fruticis genus ad Eufratem. 250
Ss. Geruasius & Prothasius martyres, extensis manibus a B. Ambrosio orare visi 304. eorum basilica apud Parmense oppidum. 241
Gezonis Eremitæ pia exercitatio. 303.
Giezi munera Naaman accipiens, leprâ mulctatus 125. 126. 318. 343. 589. Simoniæ autor in veteri testamento. 125
Girbald' Leuchæ vrbis Præsul. 28
Gladius Goliath. 429
Gladium à sanguine prohibere, quid. 335
Gloria in excelsis Deo, cur in Vigilia Resurrectionis Domini canatur. 605
Gloriæ cælestis perfecta descriptio 683. spes patientiã generat. 700. ad Gloriam cælestem comparandam rebus temporalibus vtendum. 716
Gnydes fluuius in quadringentos & sexaginta riuulos à Cyro Rege diuisus, cur. 382
Gob, vbi bellum tertium contra Philistæos, quid significet. 273 274. 275.

Goliath percussus in Gob quid designet 274. 275. Christi typus. ibid. & 276. superbiæ. 659. à Dauide prostratus. 172. 273 274
Gomer filia Debelaim, vxor Oseæ Prophetæ. 307
Gomorrhæ excidium. 175
Gomorrhæorum peccatum 5. 520. 251.
Gondebertus Senonum Archiepiscopus, commissam dimittens Ecclesiam fit Monachus. 28.
Gordianus Imp. qua morte peremptus. 72. 627
Gothi à Valente, dogmatis Arriani erroribus inuoluti 137. ab Hunnis ex antiquis sedibus eiecti. ibid. Valentem ipsum examinis diuini æquitate prosternunt. ibid.
Gothifredus Dux & Marchio Tusciæ 51. 52. 636. 6,9. 644. 649. pietatis eius opera 637. humilitas. ibid.
Gothifredi senioris ducis Tusciæ justitia 689. præmiumque pro ea. ibid.
Gothifredus junior Dux Tusciæ. 689.
Gothifredi Ducis Capellani duo simoniacæ hæreseos conuicti. 424. 425.
Gradensis Ecclesia. 283
Grammatica sanctis viris non curanda 705. Christianis incongrua. 519
Grandiauium, cœnobium Senonense, à quo constructum. 28
Grando, septima Ægypti plaga, quid misticè. 493
Gratia diuina quo pacto possit acquiri. 60. eiusque vis & effectus. 380.
Gratianus qui & Gregorius VI. Papa. 33
Gratianus Imp. qua morte peremptus. 627
Gratitudo bestijs etiam non ignota. 472. 473
S. Gregorius Magnus 519. sacrarũ Missarũ ordinis author. 604 ex Monacho Pontifex Max. 448. 450.
Gregorius VI. Papa 1. 2. Gratianus ante dictus 33. depositus. 33
Gregorius VII. Papa. 99
Gregorius Ottonis Imp. consanguineus ab Antipp. Ioan. dejectus. 115
Gregorius Nazianzenus Episcopus 19. Deiloquus appellatus. ibid. Constantinopolitanam Ecclesiam contemnit. ibid.
S. Gregorius verberat monachum ad seculum reuersum. 29. eius crypta, fons, & lectus in Monasterio Cliui Scauri. 30
Gregorij Papæ decretum de continentia Clericorum. 427. sententia de dimittendo Episcopatu. 18
Grues quo ordine incedant 38. Episcopum quendam cibis deficientibus vna in terram demissa mirabiliter pascunt. ibid.
Guaimarius Princeps crudelis suorum gladijs interemptus. 31
Gualterus Iuonis B. Doctoris magistri socius. 515
Guarimpotus senex, vir honestissimus. 439
Gubernator populorum quos imitari debeat. 687
Gubernatores Reip. cum alijs cõmunicare debent rerum pondus, ne neglıgẽtiæ pœnas dẽt. 639.

Gubernatorum negligentia in subditos difficile expiatur. 641.
Guido Comes. 170. 171. 345. eius mors. ibid.
Guido Comes Fori Corneliensis. 529
Guilla Bonifacij Marchionis filia 647. Raynerij Marchionis vxor 664. Hugonis mater ibid. innocens ab adulterio jucundo miraculo declarata. ibid.
Guillæ Marchionissæ pietas ac liberalitas in Dei genitricem. 653.
Guillelmus Monachus. 540
Guillelmus Comes in Liguria 270 à Maimone extinctus. ibid.
Guinizo Monachus, astutus, & callidus. 579
Gulæ vitium. 64. polutionem procreat 592. qualiter in duobus Episcopis punitum 437. 438
Gulæ moderandæ remedium. 553

H.

HÆresis vnde orta. 78
Hæresis Capellanorum Ducis Gothifredi 425. confutata. 426. Ebionis & Cerinthi. 430.
Hæresis Nouatianorum & Luciferianorum 727. Ærianorum. 389.
Hæresis Nicolaitarum 12. 334. Simoniacorum quàm execrabilis. 721
Hæreticus quisnam dicendus 446 704. quid sit 56. in quo à peccatore differat. 78
Hæretici apibus similes. 166. 167. 171. vulpibus. 658
Hæretici quandóque à Deo sinuntur esse, ad quid. 433
Hæretici omnes habendi qui cum Ecclesia Rom. non concordant. 104
Halus decima Israelis in deserto mansio quid significet. 160
Harada, vigesima prima Israelitarum mansio quid significet. 163.
Hebræi cur tot legibus ac sacrificijs obligati. 468
Helena Constantini Imp. mater, stabularia 653. pietate gloriam acquisiuit. ibid.
Heli sacerdos filijs peccantibus male pius indulgens perijt 9. 10 11. 148. 303. 370. 615. 616. idem qui & Phinees existimatus à quibusdam. 10
Helim sexta Israelis mansio in deserto, quid signratè designet. 120. 121. 159. 409. vide Elim.
Heliodorus Episcopus. 80.
Heliopolis ciuitas, Phœnicis renouatione celebris. 254
Heliu de progenie Buz 125. amicus Iob ibidem. Propheta ibidem, conuersus in magum. ibidem.
Helmondeblathaim quadragesima Israelitarum mansio quid mysticè denotet. 167
Hemor Heuæus, pater Sichem. 108.
Henoch, vide Enoch.
Henricus II. Imperator 33. 439. 610. 612. eius in Ecclesias prouidentia. 3. mors. 629
Henricus, Henrici II. Imp. filius, Romonarum Rex. 613.
Henricus I. Galliarum Rex. 635.

Henricus Archiepiscopus Rauennas 293. consulit B. Doctorem de legitimo Romanæ sedis Antistite. ibid.
Henricus Abbas Ss. Floræ & Lucillæ in Aretino territorio. 652
Henricus quidam illustris vir, qui spretis humanis rebus ad Christi militiam confugerat, à quibusdam injustè vexatus & oppressus. 6
Herculius, Princeps Rom. Diocletiani tempore. 113
Herinacei natura 251. quid mysticè designet. 252
Hermisindis Sanctimonialis. 728
Herodes vrbem ad honorem Augusti condidit. 486. veste regia indutus, Angelo feriente percussus. 504
Herodis carcer. 45
Hesmona vigesima sexta Israelitarum mansio quid designet. 164
Hiempsal à Iugurtha interfectus. 173.
Hierobaal: vide Ierobaal.
Hieronymus sacræ legis interpres Monachus. 449. Deo præside flagellis mactatus. 403. cur. 519 quid de Episcopatu dimittendo sentiat. 18. 19. eius item sententia de signis judicij diem præcessuris. 510. 511
Hierosolymitana Ecclesia, cur cunctis alijs non præcellat, cùm ibi passus sit Christus. 221. quinta nunc ordine dignitatis. ibid.
Hierosolimitana peregrinatio 41. 212. 663.
Hierusalem ab Assyrijs & Chaldæis obsessa. 179. 180. instaurata 659.
de Hierusalem cælestis beatitudine sempiterna. 683
Hilarion eremita. 498
S. Hilarius Rom. Pontifex. 281
Hilarij Episcopi Arelatensis pietas admirabilis. 666
Hildeprandus S. R. E. Card. Archidiac. 14. 15. 25. 34. 35. 38. 46. 68. 69. 140. 151. 153. 169. 170. ordinis S. Benedicti 533. Subdiaconus adhuc in Gallias Apocrisiarius missus. 25. fit mox Gregorius Papa VIII. 99. in lectione Poetarum & Philosophorum versatus 168. eius abstinentia. 154
Hildeprandus Comes Tusciæ 343. quàm diues. ibid. vestem donat cuidam Presbytero, quæ illi vertitur in lepram 344. pœnis grauissimis addictus ob crudelitatem. 344
Hildulphus Treuerensis Archiepiscopus. 27. 28. vir mirificæ vitæ, monasterium petit. 28
Hippolytus Paschalis computi author. 281
Hippolytus Episcopus, idem qui & Nonus: vide Nonus.
Hipponensis ecclesia. 17. 36
Hiram vasorum templi fabricator. 59. 181.
Hobia filius Accos. 308
Holda vxor Sellu. 390
Homo die sexto creatus ad sui similitudinem creatoris 145. princeps super omnia constitutus. 145.
Homo primus per concupiscentiam carnis & oculorum; itemque per superbiam vitæ tentatus. 64
Homo, minor mundus 74. 143. rite perfici poterit si mundi majoris creationem contempletur. 143. cum sphæræ cæli com-

paratūs ibid. & 75. ingratus in Deum. 75
Homo quot mensibus maneat in materno vtero 279. 280. quid debeat anxiè perquirere, & intra se assiduè cogitare. 395. 396
Homo non debet mortem optare aut perhorrescere pro varietate fortunæ, sed pro fraterna charitate. 301
Homo omnis mendax, quomodo intelligendum. 195
ad Hominis vsum in hoc mundo omnia seruiunt. 596
Homini omnia seruiunt: animalia 73. elementa 74. Angeli 75 etiam infernus. 76
Homines nihil habent quo superbia efferri possint 349. etiam à brutis animalibus discere possunt. 249
Homines mundani in delicijs mortem abhorrent, in aduersitibus verò exoptant. 300
Hominum duorum à Draconibus duobus deglutitorum miserāda historia. 40. 41
Honestus Petri successor in Ecclesia Rauennali. 19
Honestus Monachus. 546
Honoris terreni breuitas considerata ad illius contemptum nos excitat. 654
Honorius II. Antipapa 100. 110. Vide suprà, Cadalous.
Hor mons, trigesima quarta Israelis mansio quid denotet. 165
Horæ canonicæ momentis temporum distinguendæ 211. non sunt in lecto dicendæ. 212
Horas B. Virginis quotidie recitare, quàm pium ac meritoriū 566. eas persequētibus pax orta. 595
Horeb, mons Dei 155. quid significet. 57
Horror tenebrosus qui super Abraham irruit, caliginis vitiorum figura. 67
Hospites non sunt per humiles personas excipiendi. 652
Hugo Cluniacensis Abbas, sanctitate clarissimus 214. vide Vgo
Hugo Fanensis Primarius non dans honorem loco sacro terribiliter punitus. 208
Hugonis Ducis & Marchionis Tusciæ prudentia in renunciando Ducatu 646. zelus in vindicanda Capuani Principis iniuria 647. prudentissimum factum 648. mors ibid. per visum a Marino Abb. petit, vt cadauer eius in supinum volueretur. 649
Humbertus S. R. E. Cardinalis 14. 314. Archiepiscopus. 19. 20
Humiles exaltantur. 484
Humilitas apparet etiam sine studio, vbi superbia ex corde euulsa est 485. numquam mera de superba voluntate procedit 485. diaboli telam destruit. 533
Humilitas magna 99. Ioseph 421. Moysis, Iosue, Samuelis, ibid. Ioannis Bapt. Petri & Pauli Apost. Ioan. Euang. Iesu Christi. 422
Humilitas & mortificatio moribundi cuiusdam Monachi. 559
Humilitas nostra eo gloriosior, quanto maiores nobis honores cumulantur. 422
Hunni Gothos ex antiquis sedibus eiecerunt. 137
Hyænę proprietas 261. tepidorum hominum typus ibid.

Hydri natura 253.268. quid mysticè designet ibid.
Hymenæus prædicationis Pauli hostis. 52
Hypocrisis qnomodo fugienda. 558
Hypocritæ niui similes cur. 590
Hyssopus quid designet allegoricè. 621

I

IAbes Galaad ciuitas 469. eius etymon & allegoria. 470
Iabin quid significet; & quos mysticè denotet. 431
Iachim quid. 168
Iacob in tabernaculis residens, plenitudine paternæ benedictionis cumulatus 408. 504. pro vxoribus soceri pecora custodiuit 135. iratum fratrem terrenis muneribus placauit. 71.
Iachob Patriarcha. 108
Iacob Leuchæ vrbis Episcopus. 28
Iacob, Monasterij sancti Apollinaris Rector. 140
B. Iacobus Apostolus quomodo mortuus 607. eius vigilia 606. dies festus in alium translatus cur. 607. frater Domini. 322
Iacobus Alphæi vinum ignorauit 543
Iaculi serpentis vis & proprietas. 263.264
Iambi Thaletis ancilla, magistrum prolapsum irrisit, cur. 239. 389
Iambicum carmen vnde dictum. 239.389
Iamnes veritatis hostis tempore Moysi, 52
Iatbatha, quid 165. vide Ietbatha.
Ibidis natura, 260. figura diaboli. ibid.
Idumæi qui dicantur. 431
Ieiunare feria sexta quàm laudabile. 199
Ieiunium interdum iras accendit & lacrimas minuit. 738
Ieiunium trium dierum apud Monachos cur institutum. 597. 598
Ieiunium vigiliarum, assumptionis B. Virg. & Ioan. Bapt. 602. natalis Domini 603. Epiphaniæ 604. Sabbati resurrectionis eiusdem 604. Litaniæ maioris ex decreto Concilij Moguntini. 606
Ieiunium, B B. Philippi & Iacobi. 606. omnium Apostol. 607. B. Bartholomæi. 608.
Ieiunium Sabbati cur institutum 604. 606. cælesti visione celebratum. 606. miraculo approbatum. 598. eo Christi sepulchrum adoratur, 598
Ieiunij vis. 184.
à Ieiunio quænam festa nos excusent. 607
Ieiuna aliorum priuata non sunt reprehendenda in monasterijs. 555
Ieiuniorum vsus in Monasterijs. 311. 312.
à ieiunijs qualiter sæculares excusare sese soliti. 64. 65
Ierico vrbs, mundi typus. 167. 464. subuersa. 173. 464. clangentibus tubis. 235
Ierobaal septuaginta virorum pater 174. Christi typus. 176
Ieroboam decem tribuum Rex

constitutus. 615

Iesus Naue populi Israelitici dux. 160

Iesus Benum de Amorrhæis victor. 659

Iesus sacerdos vestibus sordidis indutus quid designet. 298. mediatoris Dei & hominum Christi figura. 505

Iesus Christus: vide suprà, Christus.

Ietebatha, trigesima Israelitarum mansio quid designet. 165

Iether primogenitus Gedeonis 172

Iezabel cruenta 334. fornicationum magistra ibid. Prophetarum inimica. 647

Iezrael Osee filius 307. eius etymon & interpretatio. ibid.

Ignatius S. Petri in sede Antiochena successor. 101

Ignis natura. 237

Ignis trucis incendij reprobis hominibus debiti per fœnum designatus. 30.31

Ignorantia sacerdotum quam sit omnibus perniciosa. 361

Impatientibus correptiones sunt quasi gladij. 522

Imperator quilibet ad Papæ pedes corruit. 71.72

Imperatori visus restitutus vxoris pietate in sanctum Laurentium Martyrem. 695

Imperatores quomodo creari soliti apud Græcos. 77

Imperatores Rom. qui violenta morte periere. 72

Imperatores Ecclesiæ defensores. 614

Imperiales equi quales. 128

Imperij sacerdotijque discordia 350

Imperiti non sunt ad sacerdotium promouendi. 361

Impij spes qualis. 710

Impij per quercus frugiferas designati quomodo. 677

Impij & sacrilegi vilissimis ac tenuissimis rebus in Scriptura comparati 227

Impositio manuum. 430

Improbi, diaboli pabulum. 729

de Improborum fœlicitate dolendum. 699

Impuræ cogitationes, vide Cogitationes.

ab Impuritate non solum manus, sed etiam cor custodiendum. 735

Inaniter nihil, sed omnia cum ratione sunt gerenda. 368

Incâtator quid in sacris literis designet. 62

Incarnatio Domini per terram repromissionis significata. 149

Incestuosi pœna. 11

Incipere nihil prodest, nisi perficiatur. 372

Inconstantia quàm sit perniciosa Monachis. 4

Incontinentia coniugalis in quo consistat. 65

Incontinentia Clericis prohibita 322.323.324. & seq. eius pœnæ 327

Incontinentia sacerdotum non vindicata in Synodis 7. 8. testimonijs sacræ Scripturæ confutata 11. corrigenda. 655

per Indulgentiam permissis non obedire non est peccatum. 544
Infantium puerorum mors maximum Dei beneficium 693. de ea lætendum. 694
Infernus in mente hominis reprobi 146. in Vesuuio monte: vide Vesuuius: per Crocodilum designatus. 253
Infirmitates à Deo cur mittantur, 377
Ingratitudo extrema hominis in Deum. 75
Inimicis ignoscendum. 378. 382
Inimico ignoscens, à Christo crucifixo salutari meretur. 382. 383
Iniqui viri in die judicij seipsos accusabunt. 710
de Iniquis plectendis concors Sacræ Scripturę ac SS. Patrum sententia. 646
Iniquitatem bibere qui dicantur. 85
Injuriarum obliuio quanta virtus 467
Inobediens parentibus, igni similis. 690. in hac vita confunditur. 691
Inobedientia per Aspidem signata. 259
Inquietudo in Monacho quàm perniciosa. 579
Insanus reputatus quidam mentis compos, justo Dej judicio. 209
Insatiabilitas hominum. 63
Insidias hominum fugere possumus, non autem dæmonum. 481
Insipienti non tribuendus honor 85
Intemperantiæ Clericorum causę. 7. 8.
Inuestitura Episcopatuum per baculum. 53. 54. 430
Ioab militię Dauidis princeps 14. 182. 657. messes suas ab Absalone passus exuri. 183
Ioab filius Saruiæ. 277. 661. a Dauide toleratus vt à Salomone condemnaretur, quid designet. 273. 276. 661
Ioachin filius Iosiæ. 330
Ioannes Baptista, quando, & quo die cóceptus 279. 280. 376. 487. quomodóque diebus duobus minus mansit in aluo quàm Christus ibid. & 377. legis antiquæ typus 370. vinű ignorauit 543 eius Natali cur jejunamus 602. in decolatione nō itē 608. humilitas in vitanda diuini honoris reuerentia 422. doctrina de misericordię operibus antiquis Prophetis conformis 565. octauis maior reuerentia debita quàm alicuius alterius sancti, cur. 372
Ioannes Apost. & Euangel. contemplatiuam vitam designat, cur. 220 à nuptiis vocatus 416. quanta reuerentia ab vniuerso populo honoratus 422. vbi didicit. 519
Ioannes & Petrus App. claudum compellunt currere. 141
Ioannes de monte Feretri Dominici Loricati magister, 91
Ioannes Eremi Luceoli Abbas. 91
Ioannes alter Eremi juxta Suauicinum montem Prior. 95
Ioannes Episcopus Placentinus Antipp. 114. ejecto Gregorio cathedram Romanam inuadit 115. quam male habitus ibid. exēplumque notabile diuinæ justitiæ in eum ibid.
Ioannes Prior Monasterij Fontis

Auellani. 212
Ioannes Abbas. 486
Ioannes, presbyter religiosus. 313
Ioannes Laudensis B. Doctoris discipulus. 488
Ioannes Marsicanæ Ecclesiæ Archipresbyter, in Casinensi cœnobio monachus. 347
Ioannes Episcopus. 342
Ioannes Monachus, miraculo celebris factus. 187
Ioannes alter Monachus. 55
Ioannes Commiaclensis Episcopus gulosus, eiusque pœna. 437.
Ioannes Imp. qua morte peremptus. 627
Ioãnes XX. Papa, Benedicti VIII. successor 20. solium Pontificale deserit. 20
Ioannes Romanus Patricius 314. misericordia B. Virginis à pœnis liberatus ibid. & 315. sanctorumque cœtibus aggregatus. ibid.
Ioannes Magister Militum Neapolitanæ vrbis in inferno damnatus. 30.31
Ioãnis sacerdotis natione Veneti hæresis simoniaca. 51.52
S. Ioãnis Baptistæ Monasteriũ. 649
Ioanni Eremitæ à Dæmone impositum, quomodo. 212
Ioas filius Ochoziæ Regis surreptus, & intra templi septum per septem annos seruatus 296. Rex super Israeliticum populum constitutus. ibid. & 297. cur de generationis Christi narratione abiectus. 444.445
Ioathan, quid significet 138. & quid per eum designetur. ibid.
Ioiadæ sacerdotis prudentia. 296. 297.
Ioppe, vrbs. 284
Iordanis, fluuius in Palestina 36. 181. quid misticè 167. baptismi typus. 192
Ioseph à fratribus perdendus, talari tunica prius nudatus. 15. in tota Ægypto dominator factus, vt periculosam populi subleuaret esuriem 421. vir sanctus ac mansuetudinis maximæ. ibid.
Ioseph, verus B. Virginis sponsus. 416. 443. virgo. 11
Iosias Rex Iuda 330. 390. occisus ab Ægyptijs in Magedo ibid. eius zelus & iustitia. 665
Iosue, Moysis minister, Israeliticę gentis post eum rector factus. 421. in terram promissionis. 168. Christi typus 168. Vrbem Ierico subuertit 173. prostrauit Amalechitas 56. orante Moyse 71. Solẽ stare fecit 235. eiusque pugna contra Chananæos quid spiritualiter designet. 591
Iosue filius Iosedech, vrbis Ierusalem restaurator. 659
Ira dæmonium habet 380. 381. reddit amentem 381. sæpe ieiunio accenditur. 738. sapientiam perdit 379. lucem veritatis ibid. S. Spiritus splendorem excludit. ibid. & 380
Ira Dei iracundo maximè timenda. 384
Ira Dei placata super Israel propter ir.m & commotionem Phinees. 9
Iracundia cohibenda. 367
Iracundiæ vitium quanto studio vitandum. 378
Iracundiæ tria obstacula remediaque. 385
Iracundus homo effodere peccata dictus, cur 379. à dæmonio

possessus. 381.382
iracundi hominis consuetudo nobis prohibita. 379
irath, quid 158. vide Osiraath.
irritare Deum, quid. 368
Isaac, Abrahæ filius & hæres. 402.
Isboseth, leuir Dauidis. 135
Ismaëlitæ quid significent. 431
Israelitæ stimulo gulæ prurientes cæpas & porros mannæ præferunt. 63
Israelitarum fornicationes cum filiabus Moab. 8
Israelitarum triginta quatuor milia à Philistæo trucidante prostrata. 10
Israeliticus populus per quadragenarium numerum terram promissionis ingressus. 155. in 42. locis moratus in deserto 156. 158. & seq. figura Christi. 157
de Iubileo, eiusque mysterijs. 546 548.
Iudæorum populus diues dictus cur 276. Christi morte redemptus ibid. per decem concubinas Dauid designatus. 194.278 per filios pelicani. 257. patris pax dictus, cur 190. per Absalonem figuratus ibid. diuina prouidentia ad maiorem Christianæ fidei conseruationem seruatus. 191
Iudaici furoris in Christum origo vnde. 726
Iudas Israelitarum dux contra Benjamin 411. quid designet, ibid.
Iudas Iscarioth per Absalon designatus, cur. 191. pecunijs inhians traditor euasit 126. Dominum suum vendens triginta denarijs, maledictionibus triginta subditus. 112.113
in Iudicando cautela magna adhibenda. 8
Iudex quali zelo & pietate præditus esse debet. 660
Iudex qui malè agentes non punit diaboli minister est. 640
Iudicis extremi diei sapientia 707 708. aspectus formidabilis 709. apud eius majestatem nullam excusationem habebunt peccatores. 708
Iudices sacri Palatij, quinam olim. 98.
Iudices ne gratis quidem accipere possunt dona. 122
Iudicium non ferendum animo perturbato. 661
Iudicium non expectat, qui seipsum perfectè judicat. 369
Iudicium quod de animarum Rectoribus fiet. 478.479
Iudicij dies timendus. 706
Iudicij dies quibus signis præcedetur. 510.511.707
Iudicij formido in diuitijs salubris. 711
Iudicij diuini seueritas. 350
Iudicij dies extrema tanquam in conspectu mentis præ oculis habenda 337.338. qui eam serio meditatur, huius mundi felicitates tanquam somnia putat. 338. in ea auferetur cœlum è medio, vt in melius reparetur. 339. homines magno terrore afficientur ibid. non poterit à domino quisquā mereri quod petet, qui noluit audire quod jussit 340.341. mali perturbabuntur. 341
Iudicij terribilis comminatio. 456.
Iudicij extremi memoria vtilis

contra omnes tentationes 674. mundi blandimenta extinguit. 677. eius cogitatione mundi fœlicitas despicitur. 706
de Iudicij die Scripturarum sententiæ. 674.706
ad Iudicium, Christi aduentus. 707.
in Iudicio non exaudientur, qui Deum hic præcipientem aut vocantem non audierunt 709. iniqui seipsos accusabunt. 710. quinam securi erunt, 711
Iudicia Dei abyssus multa 42.313
Iuditha.109. viduarum exemplum 736. eiusque laudatio, ibidem. & 737. fortis ac magnanimus animus. 666
Iugurtha fratres adulterinos peremit. 173
Iuliani Apostatæ studia. 518. 519. mors 627
Iulius Cesar de Ptolemæo Rege Ægypti victor 111. quàm crudelis in Rom. ciues, cum Pompeio dimicans. 114
Iumenta in stercore suo computrescere, quid. 397
Iuo S. Petri Damiani magister. 515.
Iupiter in imbrem aureum versus, ad quid. 297
Iurantis falsum, veritatemque supprimentis pœna. 719
Iuris studia qua moderatione tractanda sunt. 713
pro Iuribus Ecclesiasticis num liceat litigare. 351
Iusti ab injustis aliquando permittuntur affligi, vt statuant ad Deum vel ex necessitate conuerti. 669
Iustis sæpe aduersa accidunt. 41.
Iustinianæ primæ Episcopus 32. Ecclesiam deserit permittente B. Gregorio. ibid.
Iustinus Imp. pijssimus Anastasij successor. 18
Iustinus Imp. ditissimus 111. se ipsemet perdidit. 111
Iustitia Iosiæ regis 665. Scipionis. 666.
Iustitia Gothifredi senioris Ducis Tusciæ. 689
Iustitiæ rigor regna conseruat. 640. pacem & felicitatem acquirit 643. bonis & malis vtilis. 645
Iustitiæ Ottonis III. imp. fructus. 644.
Iustus Lugdunensis Episcopus, Pontificatus officium deserit, cur 19. in Ægypti partib. eremiticam vitam ducit. ibid.
S. Iuuentius Eremita. 312

L.

LAban fœdus cum genero suo Iacob. 193
ad Labores superandos Christi exemplum efficax, 633
in Laboriosis rebus pro Deo suscipiendis paucos, in voluptatibus sequendis multos comites inuenimus. 602
Lacedæmonum regnum 616
Lachrimæ in afflictionibus vtiles. 738. jeiunio sæpe minuuntur. ibid.
in Lachrymis vberrimus profectus. 577
Lacus igneus, serpentibus plenus à fratre quodam per somnium visus, Inferni typus, 208.

à Lætitia spirituali facilè in vanam declinatur. 395
Læua sub capite quid mysticè. 218
Laici in Ecclesijs inter diuina officia sedere non debent. 304.
Lambertus Florentinus Episcopus, monasticæ se disciplinæ subijcit. 28
Lamech septimus ab Adam 442. Cain interfector. ibid.
Lamina aurea quam summus Sacerdos gerebat in capite, S. Crucis typus. 309
Lampas aqua pro oleo impleta mirabiliter ardere visa. 43. 44
Landulphus Clericus Mediolanensis. 435
Λάος Græcè quid. 104
Lapis super quo septem oculi, Romanæ Ecclesiæ figura. 102. 174. 175.
Lapis in aceruum Mercurij mitti solitus quid designet. 85.
Lapides secti, quid in Scriptura designent. 412
Lateranensis Ecclesia quàm excellens. 117. 118
Lateranense Palatium. 99. 118. 332
Lateres in Scriptura quid significent. 131
in Latronem vltio diuina. 663
Latrunculi etiam contenti nomine aleæ 45. ludus eorum Ecclesiasticis illicitus. 45
Laudes diuinæ, aromata in labijs iustorum. 736
Laudensis Ecclesia. 323
Laudunensis Ecclesia. 17. 36
Laurentius Sabinensis Episcopus; solium Pontificale deserens, Monachum induit. 17. 36
S. Laurentij martyris Ecclesia Romæ 696. virtus in restituendo visu. ibid.
S. Laurentij Monasterium. 484
Lazarus in sinu Abrahæ. 166
Lazarus fidelium sororum precibus ressuscitatus. 739
Leænæ partus, qualis, & quid significet. 250
Lebetes in scriptura quid designent, & quid sit illos in Phialas verri. 310
Lebna, decimaseptima Israelis mansio quid designet. 162
Legati Apostolici foris pallium Metropolitanis concessere aliquando. 619
Lenitas plus agit quàm violentia 69. 70.
Leo IX. summus Romanæ Sedis antistes 4. 5. 38. 104. 535. crudelitatis excusatus à P. Dam. 5. ordin. S. Benedicti. 533. sanctus, licèt bellicis vsibus se frequenter implicuerit. 353
Leo, Eremita. 574
Leo alter, Præsensis etiam eremita 574. eiusque vita longæua. 574.
Leo Rauennas Archiepiscopus paralyticus cathedram spreuit. 33.
Leo Puteolanus Episcopus, Eremita factus. 313
Leo Nonantulanus Abbas 33. miraculum ad eius sepulchrum. ibid.
Leo æger quomodo conualescat 265 coram scorpione pauidus. 266.
Leo rugiens illos percutit, qui negligunt in subditos exercere disciplinam. 13
Leo terribilis presbyterum peregrinum deuorat. 41
Leonis Papæ decretum contra

concubinas Clericorum 332. de eorum continentia. 427
Leonis Sitriæ, & aliorum trium Monachorum austeritas. 573
Leonis inclusi cælestis sapientia & sanctitas. 517
Leonis natura 249. 250. quid mysticè significet. ibid.
Leonis gratitudo notatione dignissima. 473
Leones ab hominibus domiti, caueisque velut catti debiles inserti. 73
Leones habitatorum Samariæ interfectores. 148
Leonibus quantus terror insit. 73
Leopardus quomodo vim languoris euitet. 265
Leprosi quidam in famulatum Ecclesiæ B. Petri Apost. apud Bononiam subacti cur. 240
Leucha vrbs, nunc Tullus dicta. 28.
Leui à patre Iacob reprobatus, cur & ad quid. 108
Leui tribus cum cæteris in deserto non perijt. 156
Leuitæ ministri summi sacerdotis. 84. 303. Deo pro primogenitis filiorum Israel consecrati. 406. de cunctis tribubus à Deo electi, vt, per legales cerimonias Israeliticam regerent plebem 321. Clericorum in nouo testamento typus 84. 321. 406. 407. castra sua iuxta tabernaculum habebant 407. ministrabant coram sacerdotibus ibid. tempore quo ministrabant, non miscebantur vxoribus. 325
Lex Moysis in signo Crucis adumbrata. 539
Lex diuina medicamentum plagarum 489. eius promulgatio in die Pentecostes. ibid.
Lex corporis humani, diuinæ legi contraria. 324. 325
Lex Domini charitas 59. in monte Horeb data, cur. ibid.
Lex Euangelica quando incœpit. 565.
Legis diuinæ obseruantia qualis esse debet. 150
Legi diuinæ seruandæ attendere, salutare sacrificium. 689
Lia vxor Iacob. 177. fœcunda. 188 Dinæ mater. 108
Libri Euangelici sigilla à Christo soluta. 718
Licinius Imp. qua morte peremptus. 627
Lignum vitæ quid. 146. scientiæ boni & mali item. ibid.
Ligna Regem petentia, rhumbum super se constituunt 138. & quid hoc designet. 139. 140
in Lingua, ferarum omnia genera continentur. 268
B. Linus Papa. 433
Linum quid in Scriptura designet 397.
Litteræ quàm parum conferant ad sanctitatem. 515
Litterarum studia sine virtute sunt infœcunda. 517. qua moderatione tractanda 713. virtutibus postponenda. 714
Litteris sacris studens Diabolo formidabilis. 567
Liutulphus Callensis Episcopus, Episcopali se dignitate deijcit. 29.
Localitas Dei illocalis. 230
Locustæ; octaua Ægypti plaga, quid significent. 493
Longobardia. 207. 551
Loth Abrahæ consortium dimittens, seruituti barbarorum

addictus. 408. de iugo captiuitatis ab eo eductus. 366
Lotharicum regnum. 27
Lotharius Comes pube tenus in purgatorio cruciari visus. 345
Lucæ Euangelium a Petro & Paulo censitum. 356
Lucensis moneta. 551
Luceoli, regio vbi eremus. 91
Lucernæ tabernaculi septem cum emunctorijs & vasis quid significent. 393
Lucidus Ficoclensis Episcopus dimisso regimine conuolat ad cœnobialis ordinis portum 17. 36. mortis suæ horam relcit a B. Andrea ibid.
Lucifer, diabolus. 22
Luciferianorum hæresis. 727
Lucij Papæ decretum contra Simoniacos. 55
SS. Lucillæ & Floræ Monasterium in Aretino territorio. 652
Lugdunensis Ecclesia. 19
Luitprandus venerabilis eremita cælesti auxilio roboratus, ne ieiunium posset violare. 312
Lumbar Hieremiæ mysticè non literaliter intelligendum: & quidnam designet. 179. 180. 396. 397
Luminaria in firmamento die quarta creata quid designent in homine. 144
Luna Ecclesiæ typus, 374. cuiuslibet item fidelis animæ ibid.
Lunæ eclypsis Victoris II. Papæ & Henrici II. Imp. mortem portendens. 629
Lunæ in sanguinem versæ prodigium. 629
Lupus, reclusus eremita. 574
Lupus, per S. Benedictum adiuratus puero Benedictino parcit. 537
Lupi proprietates. 266
Lux prima die creata, quid significet. 143
Luxuria edacitatis filia 63. 64. fomes auaritiæ. 66
Luxuria in Episcopis perperam tolerari solita potius quàm in minoribus sacerdotibus 8. in vtrisque quàm acriter persequenda 10. 11
Luxuriæ efficax præsensque remedium. 679
in Luxuriam Clericorum. 173. 655
Lyncium natura 34. 262. & eorum significatio mystica. 262

M

MAathica quid 164. vide Methca.
Maccioth vigesima secunda Israelitarum mansio quid designet. 163
Macarius Hierosolymitanæ ciuitatis Pontifex. 15
Macharij pœnitentia. 404
Machir filius Amichil. 191. 192
Macrinus Imp. militaribus gladijs confossus 72. 627
Madelmi inclusi virtutes & lapsus 43
Madian quid significet 368. & quósnam spiritualiter designet. 431
Madianitis mulier cum Israelite fornicans à Phinée sacerdote coram multitudine confossa. 8

Madianitæ Regi Dauid præbentes stratoria, quid significent. 192.
Madianitarum Reges quinque sensuum corporis typus. 367. 368.
Magdalus, 358. quid significet. 159.
Magnetis natura. 238
Mago frater Annibalis à Scipione captus. 628
Maguntina Ecclesia. 213
Maimo Simiæ mas 270. vxorem Guill. Comitis lacerat post execrandum cum ea concubitum. 270
Mainardus Episcopus Eugubinus. 346.
Mainardus Abbas. 501
Maiolus Cluniacensis, Monachus Abbati suo quantum obediens. 203. 204.
Maiorianus Imp. qua morte peremptus. 628
Maledictio & benedictio in sacra Scriptura quomodo accipiantur. 724
Maledictione digni qui peccantibus blandiuntur. 110
Maledictiones triginta Iudæ Iscarioth. 112. 113
Malum aliquod Deum non posse, vel nescire, quomodo intelligendum. 224
Mala non pro meritis habentium sed ex proprijs qualitatibus consideranda. 353
Mala dicenda potius non esse quàm existere 233. 234. à Deo non facta ibid. sæpe videntur esse, & non sunt. 234. 235.
nec Mala nec bona ex ore Altissimi egredi, quid 276. 277. 281
Malorum societas mundos ac bonos polluit. 411
Malorum perturbatio in die judicij. 341
Malis, flagella, tormentorum primitiæ. 698. 699
Malitia cisternæ comparata. 24
Mambres hostis veritatis tempore Moisi. 52
Mammona. 80
Manasse semitribus enormis magnitudinis altare Dijs alienis construit. 9
Mandata Dei obseruare, quid. 76
Mane, quid in Scriptura. 145
Mane nostrum quid, & quando futurum. 224.
Mane lucis nostræ, lex & Prophetæ. 375
Manna vbi datum Israeli, quidque significet. 161. 547. quid fuerit. ibid. diuini verbi symbolum 469. pro cibo leuissimo deputatum ab Israelitis. 63
Mansio & iter, licet dissona, terram tamen viuentium intrare contendentibus, qua ratione debent conuenire. 157. 158.
Mansiones Israelitarum 42. in deserto spiritualiter intelligendæ. 156. 157. & quidnam illæ designent. 158. 159. & seq.
Mantua, vrbs. 68. 69
Mantuanum Concilium sub Alexandro. II. 69. 70. 101
Manus impositio in consecrandis Episcopis. 12
Mara quinta Israelis mansio quid significet. 159. 174
Marcelli victoria de Gallis. 549.
Marcellinus Comes. 268

Marcuardus Abbas Cluniacensis 203. quod nam Maioli obediētiæ experimentum fecerit. 203. 204
Marcus Scipio de Gallis victor. 549
S. Marcus Euangelista Præsul Alexādrinus. 101. eius Euangeliū à Petro & Paulo censitum. 356
Mare Rubrum, quid mysticè designet. 160
Maria soror Aaron lepra perfusa cur 657
Maria Magdalene à sorore accusata, cur 50. dum Christi humanitatem reuereretur, ad diuinitatis cognitionem meruit peruenire. 187
Maria virgo, Ioseph nullatenus coniuncta. 443
S. Mariæ partus miraculis omnibus, virtutibusque sanctorum præcellentior. 97
S. Mariæ Monasterium in Constantinopoli. 500. Florentiæ. 568. Sitriæ. 581
Marinianus Rauennas Episcopus 32. Monachus. 449
Marinus Monachus, se tamquam mancipium B. Virgini offert 200. eius ægrotatio ac pius obitus. 199. 200
Marinus B. Doctoris patruelis, Monachus Classensis. 552.
Marozia mulier, in die assumptionis B. Virginis à purgatorij pœnis liberata, 314
Marsicana Ecclesia. 347
Marthæ ministerium. 107
S. Martinus Episcopus Turonensis 32. à Synodalibus Concilijs se absentat 15. annis ante obitum suum. ibid. sine literis illustris 515. Monachus 448. 450
Martinus Eremita. 417
Martinus alter Eremita Camaldulensis. 530
de Martino Storaci, Eremita. 572
Martorum pelles in pretio 128. & ex eis Cardin. flammantes submentales rosæ. 119
Martyrius Antiochenus Episcopus, abrenunciat Episcopatui coram omni Clero, cur. 18
Martyrum gloriosa vulnera. 403. 456
Mater quæ Deo filium offert, veteri fœcunditatem meretur. 693
Matris piç in filium impium clementia. 692
Matrimoniū verum, inter B. Virginem & Ioseph intercessit. 415
Matrimonia contrahendi tempus 414
B. Mauricij Ecclesia multis inclyta prædijs. 209
Maurus presbyter apostata amne absorptus. 440
Maxillam matris percutientis castigatio. 692
Maximinus Imp. gladio trucidatus 72
Medicinæ diuersorum animalium 265
Mediolanensis ciuitas. 435. 584. Ecclesia 434
Mediolan. Clerus & populus. 401
Mel in ore prædicatorum. 171
Melchisedech sacerdos, Rex Salem, cum Sabbato comparatus 142. 143. Christi typus. 366
Mello oppidum. 140
Mens vertitur in illud quod

cogitat. 129.130
Mens nostra debet esse, non quasi vitrum, sed pretiosi vena metalli. 385
Mens humana calcei alutę comparata. 59. monti Horeb. ibid. vasis templi de argilla. 60
Mens viri perfecti, templum Dei. 146
Mens sancti sacerdotis phiala aurea. 310
Mens Christi militis retiaculum debet esse. 371
Mensis septimi festiuitas apud Iudæos, quæ 375. quidque mysticè significet ibid.
Menses apud antiquos triginta dierum tantum, 280
Mentiri quid sit. 349
Mercurius lucri Deus apud Gentiles. 85
Meretrices duæ eò quòd Saracenos nollent admittere martyrio coronatæ, 535.536
Metensis Ecclesia. 26.27
Methca vigesima quinta Israelitarum mansio quid significet. 164
Metropolitani ordinati qua ratione petere & vbi recipere possunt pallium. 619
Metus quo affecti erunt homines, tempore iudicij extremi, descriptus. 339.340
Michæ matris argentum in idolum conuersum. 111
Michael Polensis Monachus miraculum facit 97. multis se vinculis ferreis per diuersa membra coarctat ibid. quę diuinitus tandem resoluuntur. 98
B. Michaelis festiuitas. 95
B. Michaelis Archangeli Ecclesia iuxta Sipontum in Gargano monte. 663
Michan dijs suis à filijs Dam spoliata 152
Michol filia Saul 135.335.430 Dauidi iuncta ibid. Ecclesiæ figura. 730
Michol filiæ Saul superbæ pœna. 456
Μικρόκοσμος. homo 74.143
Milesius Episcopus & Martyr 26. qualis miraculorum operator ibid. Episcopatum deserit. ibid.
Miphiboset à Dauide sententiæ proscriptionis addictus. 5
Miraculum, quo ieiunium sabbati approbatum est. 598
Miraculum pro Guillæ Marchionissæ innocentia. 647
Miracula, vitæ sanctorum postponenda. 97
Miseria humana ad mundi contemptum nos roborat. 629
Misericordia veritati præposita, cur 279
Misericordiæ fructus. 535
Missa presbyteri qui pellicem habet, non audienda. 322
Missæ sacrosanctum sacrificium sæpius offerendum. 184. 185, fossoris lapidibus obruti alimentum, per annum integrum. 201
Missarum solemnia per omne Sabbatum ad B. Virginis honorem celebrari solita. 196
in Missarum celebratione consuetudo. 446
Moab, quid significet. 431
Moab super Iordanem contra Iericо, quadragesima secunda & vltima Israelitarum mãsio quid mysticè designet. 167
Moab filiæ cum Israelitis fornicantes. 8

Moderatio in correptione seruanda. 569
Moderatores quem aliorum de se opiniones inquirendi authorem habeant. 648
Moderatorum obligatio & curæ. 596. misera conditio. 476. 477
Moderatorum nouorum vitia 478 iudicium quod de illis fiet 478. 479
Modestiæ commendatio. 580
Modestiæ & humilitatis exemplum in Damiano. 44
Monachus & Diaconus eadem pœnitentia mulctati à Canonibus. 334
Monachus per Ostreum designatus. 269
Monachus mediocriter perfectus præstantior est sæculari homine etiam pio. 282
Monachus inobediens Adamum imitatur. 587
Monachus quidam damnatus in inferno postea liberatus, quomodo. 21. 22
Monachus alter ad seculum rediens à SS. Andrea & Gregorio verberatus. 29
Monachus, Abbas fieri concupiscens phrenesi correptus ac defunctus. 557
Monachus quidam pessimè mortuus quod pœnitentiam distulisset. 594
Monachus Cluniacensis ex inobediente obediens factus leprosum osculo sanat. 204
Monachi significatio. 407. 408
Monachi peregrini diuinitus à naufragio liberati exemplum. 664
Monachi cæci charitatis ac patientiæ virtutes admirabiles, 580
Monachi cuiusdam visio terribilis. 200
Monachi alterius sobrietas in potu. 559
Monachi moribundi humilitas ac mortificatio. 59
Monachi abstinentiam regularem transilientis mors. 592
Monacho feruenti nihil præstantius, frigido nihil vilius. 681
de Monacho, qui de Eremo ad cænobium rediens, per immunditiam lapsus perijt. 678
Monachi Ecclesiæ fundatores, non Canonici. 447. patientes esse præ omnibus debent 580. de mundi naufragio subtracti 247. 248
Monachi tribus in hebdomada diebus ieiunio adstricti, cur 597. litigiosi ac contumaces esse non debent. 579. quinam veri dicendi. 408. quique gyrouagi, vel sarabaitæ. ibid.
Monachi non debent esse aulici 212. non syncere diliguntur à sæcularibus. ibid. eorum familiaritatem vitare debent 528. ab illis inobseruantes irridentur. ibid.
Monachi presbyterij honore decorati potestatem habent ligandi & soluendi. 448. 449. 450
Monachi dum flagellis atteruntur stolis albis ornari videntur. 312
Monachi Cluniacenses 466. & seq. Pomposiani. 474. & seq.
Monachorum quorumdam temeritas. 723

Monachorum exercitia. 267. vestitus qualis. 449. 450. conquestio de Canonicis. 448
Monachorum sanctorum exempla. 448
Monachorum beneuolentia in B. Petrum Dam. 528
Monachorum Casinensium virilis virtus à B. Doctore commendata. 244
Monachis in vrbe morantibus arrogantiæ tumor obrepit. 571
Monasterium diuinitus afflictum ob intermissum B. Virginis officium. 595
Monasteria viuaria animarum. 248. auiaria volucrum captabulaque pecorum. 248
Monasteria Episcopali debent benedictione firmari. 585
Monoceros qua ratione capiatur. 70
Morbum simulare reprehensibile. 556
Moricus legum Doctor. 717
Mors per Crocodilum significata. 253. qua in re optanda aut perhorrescenda. 300. 301. alijs incerta, senibus est certo propinqua. 194
Mors damnatorum. 680. 681
Mors infelix Comitissæ, quæ porcum a vidua sublatum comederat. 666
Mors puerorum infantium cum gaudio ferenda, cur 693. 694
Mors B. Virginis num sine corporis dolore fuerit. 602
Mors Pontificum Rom. quid à morte sæcularium Principum differat. 72
Mors victoris II. Papæ & Henrici II. imp. 629
Mors Antichristi vbi, & quando futura. 509. 510. quótque dies ab ea ad Christi aduentum intererunt. 510
Mortalium omnium idem initium ac finis. 629
Mortis cogitatio & memoria turpes abigit motus. 554. ambitionis remedium. 557. clypeus validus contra mundi certamina 673. carnis & gulæ illecebris medetur. 678
Mortificatio indiscreta, est causa morborum. 600
à Mortificatione delectationum carnalium incipiendum, in perfectionis studio. 590
Mortuorum resurrectio. 706. 707
Mosella, flumen. 27
Moseroth vigesima septima Israelitarum mansio quid significet, 164
Moyses totius Israeliticæ plebis princeps 181. 421. Ægyptium interficit. 181. 182. percussum sabulo abscondit. 335. quàm seuerus culparum corrector 10. 40. diebus ieiunat ante legis acceptionem. 155. oratione sua plus iuuit Israeliticum populum, quàm Iosue armis 71. ex Madianitarum cohabitatione pollutus, iram Dei incurrit. 411. à suscipiendis muneribus mundus. 122. 123. quantæ mansuetudinis fuit. ibid. 421. vbi sepultus 276
Mulieris bonæ ac malæ discrimen 652
Mulieris exemplum insigne, quæ defuncti viri animam eleemosyna redimere conabatur. 201
Mulieris execrandus coitus cum Maimone, Simiæ mare. 279

Mulieres in viris suis animam magis amare debent quā corp⁹.636
Mulierum memoria difficile labitur. 665
Mulierum fortissimarum exempla 957. quarum gaudia mors occupauit. 628
Mulierum Redemptoris nostri hospitarum querela inter se. 50
Mulieribus virilibus obediendum. 666
Mundus, cur à Deo creatus 230. contra naturā ibid. per diluuiū subuersus. 227. in ciuitate Ierico designatus. 464. amatores suos obcæcat. 469. similis pelago. 350. eius finis propè. 350. per Naas Ammonitem designatus, quomodo vincendus. 420. per simplices ac idiotas institutus, cur. 513
Mundi maioris creatio in fauorem minoris, nempe hominis interpretata 143. primus dies fides ibid. secundus rerum discretio. 144. tertius sanctorum operum exercitium ibid. quartus splendor virtutum ibid. quintus desiderium rerum cælestium. ibid. sextus rectum de singulis iudicium 145. septimus quies in Deo ibid.
Mundi huius conditio qua moderationis arte disposita. 74. vitia frequentiora. 64. felicitas infelicissimo sæpe exitu perditur. 627
Mundi conflagratio ante, vel post judicium futura. 510
Mundi contemptum quænam in nobis excitent ac roborent. 629
in Mundo hoc omnia seruiunt ad hominis vsum. 596
Munera non accipienda à litigantibus. 584. peruertunt iudicium 122. errare faciunt à fide Dei 125 & ea excerpere quàm periculosum. 126. 127
Munera prauorum hominum nō suscipienda ab illis qui Deo seruiunt. 475
Munera & oblationes prauorum hominum & accipientibus nocent, & dantibus non prosunt 344. non omnia quæ dantur sunt accipienda, sed prius videndū est à quibus dentur. 345
Munerum tria genera 119. 133. quæ, & quid significent. ibid.
sine Muneribus amicitia comparanda. 584
Murenarum cū viperis coitus 264
Musæ etymon. 542
Muscæ quid in scriptura designēt 147
Musica vnde dicta. 542. in luctu importuna narratio. 152
Mustela, obedientiæ typus. 258 eiusque natura ibid.

N

NAaman Syrus leprosus 69. ab Heliseo sanatus 125. non deliquit munera offerendo seruo eius, & quare ib. 127. & 345 generis humani typus 149. in Iordane purgatus à lepra ibid. terram postulauit ab Heliseo, ad quid ibid.
Naas Ammonites à Saule cæsus 969. mundi ac diaboli symbolū 470. & quomodo illi vincendi. ibid.
Nabal ab vxore morti subtractus quomodo. 657. 666
Nabo quid, 167. vide Abarim.
Nabuchodonosor cum feris & bestijs deputatus, cur. 209
Nachor frater Abraham. 125
Nadab & Abiu filij Aarō igne cęlesti consūpti, cur. 12. 326. 362

Natalis Domini. 663
In Natali Ioan. Bapt. cur jejunamus. 602
Nathan Propheta Dauidem Regem corripit. 50
Nathinæi quinam fuerint ex Hieronymo. 429. 660
Natiuitas Ioannis Baptistæ, qualiter honoranda. 372
Natura nostra corrupta per transgressionem Adæ, per gratiam Christi reformata. 380
Naturæ conditor, naturæ est etiam imitator. 236
Naupreda piscis charissimus. 39
B. Nazarij Martyris virtus. 692
Nazianzena Ecclesia. 19
Neapolitana ciuitas. 30
Nectarius ad Episcopatum vrbis Constant. prouectus recusante Gregorio Naz. 19
Negligentia majorum exemplo etiam posteris nocet 598
Negligentia Regum & Principum in subditos 615. difficile expiatur. 641
Negotijs sæcularibus qui se implicat, lumen contemplationis amittit. 470
Neomenia, tertia Iudæorum festiuitas 374. quid spiritualiter designet. ibid.
Nepos Imp. qua morte peremptus. 628
Nepotianus presbyter. 80
Neptalim, tribus. 656
Nero Imp. retibus aureis piscari solitus sibimet intulit interitum. ibid. 72. & 627
Neroniana pietas. 35
Neuernensis ecclesia, 566
Nicæna ciuitas. 18
Nicænum Concilium. 323. 426
Nicolaus II. Romanus Pontifex. 7. 13. 15. 16. 584. 635.
Nicolai Diaconi, itemque Nicolaitarum hæresis 12. 334. 433. 434.
Niniue post prædicationem Ionæ conuersa 110. ad suam prauitatem redijt. 110
Niniuitarum pœnitentia. 404
Nobilitas Christiani ex Christo, non auis petenda. 560
Nocturnæ laudis officium. 241
Noë bibens vinum inebriatus ac nudatus. 543
Noemi. 274
Nolana ecclesia. 18
Nomen vniuersale quomodo in sacris litteris accipiatur. 429
Nonantulanum Monasterium. 33 201.
Nonus episcopus & Martyr 28. millia Sarracenorum 30. ad fidem conuertit ibid. Pelagiam item insignem meretricem, ibid. Auream virginem & martyrem tumulauit. ibid.
Northmanni cuiusdam exemplum, qui sacris litteris, sanctorumque patrocinijs Diaboli artes delusit. 567
Nostra nobis consideranda, non aliena. 578
Nostra quia nobis placent, aliena displicent. 578
Nouariensis Ecclesia. 38
Nouatianorum heresis. 727
Nouissima meditari quàm vtile sit. 509
de Nouissimis rebus loqui difficile. 508
Nouorum festiuitas apud Iudeos, quæ 374. & quid mysticè designet. ibid.
Numerianus Imp. qua morte peremptus. 627

Nummorum aceruus quid significet. 85
Nuptiæ antiquitus ad propagandam sobolem institutæ 416. nunc autem ad euitandam fornicationem ibid. sine concubitu esse possunt. ibid. & 418
Nuptiæ quo tempore celebrandæ ex sacris Canonibus. 414
Nuptiæ cælibes quænam sunt. 416.
Nuptias celebrãtium quadragesimali tempore, pœna. 417

O

OBlata in opus pietatis, in proprium commodum transferre indignum est. 590
Oblatio carnalis à sacerdote carnali celebrata defunctorum animis inutilis. 202. 203
Oblationes bonorum in pauperum vtilitatem recipi possunt. 589.
Oblationes pro defunctis qui vanas ac friuolas esse impudenter affirmant, hæretici sunt 389. 390 391.
Obediens verus jubentis mores non disquirit. 555
Obedientia per mustellam designata. 258
Obedientia parentum, cur primum in promissione mandatum. 492
Obedientia subjectionis, munus ab obsequio. 119. 133
Obedientia mira Maioli Abb. Cluniacensis. 203. 204
obedientiæ mira vis & effectus. 204. 205.
obedientiæ virtus quanti debeat æstimari, in Monacho quodam, miraculo manifestatum. 187
obedientiæ in parentes præmium 690. causæ. 691
obedientiæ & patientiæ exemplum mirabile. 88
non Obedire ijs rebus, quæ per indulgentiam permittuntur, non est peccatum. 544
Oboth, trigesimaseptima Israelitarum mansio quid mysticè denotet. 166
obsequia hominum pretio donantur. 134
obstinatio quàm sit perniciosa. 368.
occasiones peccandj fugiẽdæ. 251
oceanus *Galliarum*. 460
Ochozias filius Ioram 296. rex Israel ibid. cur de generationis Christi ordine abjectus 444. 445.
octaua festiuitatum insigniorum cur celebretur. 373
octaua Ioannis Baptistæ natiuitatis, sicut ipsa natiuitas honoranda. 372
Octauius Augustus quot annis regnauit 71. eius abstinentiæ vsus 199. quantum à suis dilectus. 113
oculi columbarum quid significent. 286
in oculis albuginem gerere quid sit. 185
odij cæcitate quisquis percutitur, inter Christi fideles superfluò numeratur. 378
Odoramenta perdita Offæ sanctimoniali per Angelum reddita 697.
Odoramẽta phialarum aurearum, quid. 319
Offa sanctimonialis odoramenta perdita per Angelum recepit 697. eius sanctitas. ibid.
qui Offendunt alios, sanguisugis

similes. 582
Officia humana in hospites non sunt humilibus personis deputanda. 652
officia Ecclesiasticæ institutionis momentis temporum distinguenda. 211
officium B. Virginis non intermittendum. 595
officium mortuorum quotidie persoluens in cæleste regnum introductus. 315.316
Oldericus Episcopus Firmanus. 348.
oleum num baptismi lauacro possit admisceri. 446
oleo caput ac manus Sacerdotis inungi, quid designet. 306
oliua signum pacis, quid in Scriptura designet. 139
omnia quando, & quomodo sunt hominis. 76
omnipotentia Dei contra sacrilegos quosdam homines defensa 226. 227. 235. à nullo Philosophorum vnquam negata. 229
Ona Iudæ filius à Deo percussus, cur. 483
Ona, siue Ana, quid significet: vide Ana.
onagri natura. 264
per opus vnum bonum Dei pietas peccatores saluat. 535
operis boni fructus sine perseuerantia perditur. 637
opera misericordiæ. 565
opera bona eleemosynis jungenda. 319
opera bona fidem frangentium Deo minus placent. 703
opera hominum sola, siue bona, siue mala, non pereunt, cum cætera pereant. 342
operum sãctorum exercitium per terræ creationem designatũ. 144
operibus bonis non est nimis audaciter confidendum. 579
operibus efficacius quàm verbis prædicatur. 575
Ophni sacerdos. 11
oracula Prophetarum in quo turturis similia. 547
cum oramus, tunc contra malignos spiritus quasi in acie decernimus. 301
oratio feruens quàm efficax. 514. vigilijs moderatis juuatur. 560
oratio B. Doctoris super Cluniacenses. 473
orationis potentia & efficacia maxima. 22
orationes & suffragia sunt alimenta defunctorum. 201. qui eas defunctis prodesse negant, hæretici sunt. 389. 390. 391
orationes Sanctorum per odoramenta significatæ. 32
ordinum Ecclesiasticorum metuenda moles. 12
Oreb quid significet, & quos allegoricè designet. 431
oriens, Christus dictus. 728
Ornam Iebusæus. 275
Osee fornicationum vxorem præcipiẽte Domino cur sũpsit. 307
Osiraath quid 158. vide Phiairoth.
Ostia ciuitas. 28
Ostiensis Comitatus. 66
Ostiensis Episcopi Cardinalis munus. 46
ostrei natura 268. 269. Monachi typus. 269
Otho Imp. violenta morte peremptus. 72. 627
Otto I. Imp. 19. Italiæ regnum Berengario eripuit. 532
Otto Tentonicorum Rex 215. Imp. post modum creatus Romano.

ibid, commatte ducta in vxorem lamentabiliter interit. 213.
Otto II. Imperator. 30
Otto III. Imperator. 33. & eius justitiæ fructus. 644
Ouis proprietates. 266
Oza humerum supponens ne Arca Domini corruat, moritur. 112.
Ozias Rex quomodo genitus à Ioram dicatur. 444
Ozias sacerdos à Iuditha correptus cur. 666

P.

PAlatium Romuli B. Virgine pariente prolapsum. 239
Palea calida & frigida. 237
Pallium non potest tribui nisi Romam venientibus 619. concessum aliquando foris per legatos Apostolicos 619. deque eo petendo decretum Damasi. 619
Palmæ Septuaginta Elim quid designent. 174
Pambonis Romani furtum furto diuinitus punitum. 439
Pandulphus Capuæ Princeps in inferno damnatus. 30. 31
Panis sacratus diu seruatus in buxide caro repertus. 532
panem sanctum qui debent edere, maximè à mulieribus mundi esse debent. 178
Pantheræ natura, ac etymon 261 Christi figura in multis. ibid.
Papa, vide infra, Pontifex.
Papales infulæ. 128
Papiensis moneta. 551. 552
Papiense Concilium. 101
Parabola in ore stultorum indecens 85. quasi spina. 86
Paradisus spiritualiter interpretatus de homine sancto. 146
Paralysis Clusino episcopo propter gulæ vitium inflicta. 437
Pardi varietates. 107
Parentes legibus Dei resistentes extranei reputandi. 213
Parentum obedientia: vide Obedientia.
Parentibus obedientes filiorum obedientiam merentur 690. inobedientes igni similes ibid. & 691. in hac vita confunduntur 691. & cur illis obedire teneamur. 691
Patiensis ecclesia. 313
Paris vxori publicè mixtus. 414
Parmense oppidum. 240. 440
Parthenope, ciuitas. 32. 313
Partus Dei genitricis sine dolore. 603.
Pascha cur sexto Kal. Aprilis non celebretur, cum in eo die Christus resurrexerit. 608. cum amaritudine celebrandum. 156
Pascha, Iudæorum quarta festiuitas 374. nostræ paschalis festiuitatis typus. ibid.
Paschalis computi Authores. 281
de Passionis Christi die dubitatio cum solutione. 280. 281
cum Passionibus pugna per Iosue pugnam contra Chananæos designata. 591
Pastores veri quinam. 107
Pastores mali gregem Dei dispergunt 104. sunt ruina populi. ibid. vineam Eccl. demoliuntur. 108
Pater noster, qui es in cælis, quare dicatur à nobis. 401. 402
Patientia regina virtutum 582. à Scriptura tota docetur. ibid. per Salamandram designata. 262

Patientia Monachis præ omnibus appetenda. 580
Patientia in morbo admirabilis & imitatione digna. 526 527
Patientia Monachi excæcati. 579. 580.
Patres filios debent corripere. 521
Patriarcharum dignitas 102. Cardinalatu inferior. ibid.
Paulinus Ecclesiæ Nolanæ Præsul, ministerium pontificale deponit, cur. 18
Paulu & Petrus App. Euangeliorum Marci & Lucæ censores. 356.
Paulus App. præ cæteris omnibus priuilegio admirabili insignitus. 219. Euangelica mysteria didicit, non ab hominibus, sed à Deo 219. 220. cur propriam non habeat cathedram 220. cum Christo habet quandam similitudinem. 221. per Ananiam Sanatus ad quid. 160. de tribu Benjamin 217. in ipsius persona significatus ibid. & 218 eius feruens charitas 218. 219. quàm inflexibilis in suæ humilitatis arce 422. cur nollet se ab auditoribus contemni. 425. cur ad dexteram, Petrus ad sinistram collocari solitus 217. 218. & seq. mundi Iudex 108. virgis in publico cæsus 403. 456. boui comparatus, cur 463. B. Petrum reprehendit, cur 524. & an eum obiurgans peccauerit. 525. Romæ martyrij gloria coronatus. 101.
Paulus Æmilius ab Annibale apud Cannas stratus. 628
Pauonis diuersitas naturalis à quibus imitanda. 183. fimus ad quid vtilis. 265
Pauperis cuiusdam mira in paupere misericordia. 39
Pauperes sunt fidele diuitiarum depositarium 736. quid Deo debent offerre. ibid.
Pauperes Deus permittit ad salutem nostram. 719
Pauperes tres juxta mensas Abbatum haberi soliti in Monasterijs quibusdam. 203
Pauperum felicitas. 590
Pauperibus quod datur, Deo transmittitur. 39. 40
Paupertas non excusat nos à Dei seruitio. 737
Peccator resurgit ad maiorem gratiam. 226
Peccatoris & hæretici differentia. 78.
Peccatores nullam apud Majestatem judicis excusationem habebunt 708. accusabuntur à sanctis. ibid.
Peccatores lactare aliquem quid sit. 154
Peccatorum arma quæ sint. 680.
Peccatorum dolor atque confusio in judicio. 710
Peccatum nullum impunitum. 210.
Peccatum peccatorum quid sit. 112.
Peccati remedium quódnam. 556.
Peccata omnia non sunt paria, 48. 727. proptereáque diuersis vltionibus plectenda. 48. eleemosynis redimuntur 404. per spinas in scriptura designata. 488. 489
Peccata excusare quantum malum. 78

pro Peccatis alienis quidam in purgatorio pœnas pendens, qua ratione liberatus. 535
Pecora quid mysticè designent 248. & quid ab illis homines possint addiscere. ibid.
Pecorum mors, quinta Ægypti plaga, quid significet allegoricè. 491
Pecunia, fomes auaritiæ 123. 124. errare facit à fide. 125. munus à manu. 119. 133. possessoribus ad quid vtilis. 111. 112
Pecuniæ amore nihil iniquius. 124.
Pecuniæ proprietas Clericis prohibita. 79. 80. 81. 82. 83. 84.
Pedes Dei quid. 349
Pelicani natura & filij 257. quid mysticè significent. 257
Pelagia meretrix à Nono Episc. conuersa. 28
Pellices Clericorum 330. 331. Madianitidis comparatæ 331. dæmonum victimæ ibid. vasa iræ ibid. tygrides impiæ ibid. harpyæ, leænæ, Syrenæ, viperæ, ibid.
Pellis colubri ad quid vtilis 265. & eius proprietas. 237
Pellis Behemoth piscis typicè. quid. 288
Pennensis Episcopus Cathedram deserit. 28. 29
Pentapolis vrbs per ignis incendium consumpta. 227. quinque sensuum corporis typus. 367.
Perdicis natura, 507. diaboli symbolum. 507
Peredixion, arbor Indica, qualis. 260. Scripturæ sacræ figura. ibid.
Peregrinatio quibus expediat? 662.
Peregrinus quidam miraculose adjutus in necessitate, piscis empti beneficio. 551. 552
Peregrinus alter diuinitus à naufragio liberatus. 664
Peregrini pij in prouidentiæ diuinæ protectione positi. 662. 663. 720.
in Perfectionis studio vnde incipiendum. 590
Perfectioribus etiam viris in via semper timendum. 267
Perfectorum est, vt cum viuant justè, se nocenter viuere existiment. 369
Perjurio alienant se homines à Christi corpore, & diuinis mysterijs. 718
Periuro nihil prosunt Christi mysteria. 718
Perseuerantia operis boni fructum conseruat. 637. terram viuentium intrare contendentibus necessaria. 157
ad Perseuerantiam exhortatio. 630.
Pertinaciæ effectus. 78
Pertinax Imp. à militibus Prætorianis occisus. 627
Perturbationes & tempestates sæculi B. Petr. Dam. 350
Perturbationum origo. 62
Perusium, vrbs. 579
Perusinus Abbas: vide Abbas.
Petra, Christus. 253
Petræ foramen, Ecclesia. 397
S. Petronilla virgo & martyr, filia S. Petri Apostoli. 635
Petrus & Paulus App. Euangeliorum Lucæ & Marci censores. 556
B. Petrus Apostolus dimissis om-

nibus Christum sequutus. 6. 80. donorum cælestium incomparabili virtute suffultus, ac miraculorum ostensione conspicuus 49. accusatus quòd cum alienigenis comedere præsumpsisset, quomodo satisfecit ibid. & 50. à B. paulo reprehensus, & objurgatus, cur 524 525. principalis & summus Ecclesiæ magister à Christo constitutus 284. cur ad sinistram, Paulus ad dextram in picturis collocatus 217. 218. 220. actiuam vitam designat cur, 220. non sibi, sed suis viuere, & mori volebat 301. tres sedes obtinuit, & quænam illæ sint 101. Romanæ quot annis præsedit 71. & 101. eam suo sanguine purpurauit ibid. mundi Iudex 108. infulis sacerdotalibus ornati, nocturnumque officium exordiri Romæ per somnium visus à quodam presbytero 315. apparuit votifrago quem dæmones deferebant, illumque ab eorum possessione liberauit. 215. 216.

Petri Apostoli humilitas in vitando popularis reuerentiæ fauore. 422

B. Petri Apost. Ecclesia apud Bononiam. 140

Petrus S. R. E. Diaconus Cardinalis & Cancellarius. 271. eius eximia virtus. ibid.

Petrus S. R. E. Cardinalis Archipresbyter Lateranensis. 172.

S. Petrus ex Abbate mox Anagninus Episcopus. 537.

Petrus Apsarensis Episcopus. 37.

Petrus Archiepiscopus Rauennas Ecclesiam dimittit. 19

Petrus S. Rodulphi frater, factus monachus 87. 88. eius obedientia mirabilis & patientia. 88

Petrus Cerebrosus Monachus. 561. 564.

Petrus Eremita. 374

Petrus Sacerdos ex Monacho Nonantulano Eremita. 201.

Petrus Senator Romanus. 694.

Petrus de Burgo vir clarissimus. 455.

Petrus Damianus Cardinalis, Episcopus Ostiensis. 1. 118. tacitè Gregorium VI. papam hortatur, vt Pisaurensem pseudo episcopum abdicet. 2. consulit Clementem II. pontificem 4. eius charitas & zelus 4. purgat se de quibusdã criminibus sibi obiectis, apud Leonem IX. 5. excusat crudelitatem pontificis. ibid. eius modestia, & inuicti animi robur ibid. conscientiam testem aduocat. ibid. exhortatur summum pontificem, vt in Episcopos fornicarios canonicum exerat vigorem 12. 13. omni supellectile, & sacerdotij ornatu spoliatus, conqueritur apud Nicolaum II. 15. Episcopatus onus deponere cupit, cur 16. 17. eius deuotio & contritio ante episcopatum. 24. eius humilitas profunda 33. vrbana & modesta expostulatio 34. duorum

Episcopatuum, alterius regendi, alterius visitandi curam habuit 35. quanta ei ob dimissos Episcopatus injuncta pœnitentia 35. eius Senectus 40. modestia & humilitas 44. morbus grauissimus 47. Alex. II. exprobrat sua merita & labores pro Sede Apostolica exantlatos 57. deprecatur pro Rauennali Episcopo 57. contemplationis studio vigilanter inhæret 58. eius inquietudo 59. Comitatu Ostiensi priuatus, vt se Episcopatu etiam abdicare possit, obnixè rogat 66. respondet ad quæstionem Alex. II. Pontificis 71. deplorat sui seculi prauos mores 117. 118. nō verè Episcopatu se abdicauit, licet voluerit 126. deplorat calamitates Ecclesiæ 152. quæ & quanta pro Sede Apostolica pertulerit 452. eius obsequium in Hildeprandum Card. 169. renunciare vult Episcopatui 170. falsa crimina in eum ibid. zelus eius in luxuriam Clericorum 173. quæstionem de zelotypa muliere sibi propositam soluit 206. prior monasterij Fontis Auellani 291. consulitur ab Archiepiscopo Rauennate de legitimo Rom. Sedis Antistite 293. eius prudens responsio in Cadaloum Antipp. ibid. mira animi constantia 294. integritas 298. gratitudo in Archiep. Mediol. 299. contra pellices clericorum inuehitur 331. eius vaticinium de morte Cadaloi Antip. admirabiliter impletum 335. modestia suas laudes in se non agnoscentis 349. in Eugubinam Ecclesiam beneuolentia 355. cur libros conscripserit ibid. authoritatem concessit Theodulpho & Rodulpho Episcopis, de ijs expurgandis 356. instat cum V. Episcopo, vt cum inimicis se reconciliet 378. ad iracundiam pronus 386. libidinis domitor ibid. eius sententia ab imperitis calūnijs impetita 389. modesta eiusdem responsio ibid. quàm demisse de se sentiat. 392. eius inuictus animus in cōtemnenda pecunia 425. qua modestia interdum à *sanctis Patribus discedat* 443. quanti faciebat cælestia 460. in Gallia sedis Apostolicæ legatus 461. 465. eius oratio super Cluniacenses 473. somniū 486. 487. animaduersio in Epist. 16. lib. 4. 487 humilitas ibid. charitatis admirabilis affectus in suos 508. imitatione digna in morbo patientia, & indifferentia 516. 527. diuinitus valetudinem recuperat 527. antequam Cardinalis esset, Priorat[9] officio fungebatur 527. eius etiam ægroti à carnibus abstinentia 528. pro Apostolica sede & Nicolao II. in Italia Legatus 584 quā humiles sēsus & demissos habuerit 581. Fauē tiç studuit 580. Monasterio S. Saluatoris Perusij præfuit 579 ei[9] regula in castigatione corporis per disciplinā 601 decretū vt inter suos cōcordia post suū obitū cōseruaretur 609 studiū admirabile in Rom. Ecclesiam 618. sancta libertas 638. quando natus. 644

Phalaridis tyranni crudelitas. 195

Pharao Rex Ægypti. 74 235. demersus. 182

Pharao Nechao Rex item Ægypti 390.
Pharam, quid significet. 161.162
Pharulphus Vrbis veteris Comes. 528
Phelethi bellator Dauid, quinam 273
Phiaroth quarta Israelis mansio in deserto quid significet. 158
Phialæ aureæ plenæ odoramentorum quid significent. 310
Philetus prædicationis Pauli hostis. 52
Philippopoleos Ecclesia. 23
Philippi App. vigilia. 606
Philippus I. Galliarum Rex. 635. Roberti nepos. 213
Philippus Imp. militaribus gladijs interemptus. 627
Philippus Rex vrbem ad honorem Tyberij condidit. 486
Philistijm quinam, & quos mystice designent. 431
Philistini à Samsone cæsi. 172
Philosophiæ vsus in sacris disputationibus. 227.228
Philosophorum nullus tam insanus, vt Dei negauerit omnipotentiam. 229
Philosophorum lectio quid intelligentiæ sacræ scripturæ conferat. 168.169
Phinées æterni fœdere sacerdotij remuneratus quòd Israelitem cum Madianitide fornicantem in locis genitalibus confodit. 8. 9.180.184. 1335.370. idem qui Elias 9. & cur eo nomine dictus ibid. filius Eleazar etiam tempore Dauidis superstes ibid. quamdiu vixit ibid.
Phinon trigesima sexta Israelis mansio quid designet. 166
Phitones & Magi, malefici & incantatores. 166
Phitonissa quàm benigne Saul Regem tractauerit. 189.190
φλόμος, herbæ genus, eiusque proprietas. 265
Phœbi oraculum. 133
Phœnicis natura 254. nostri Saluatoris typus. ibid
Phogor, idolum. 331
Phrenesis animi desideria patefacit. 557
Piceni prouincia. 426
Pietas per Vpupam significata. 257
Pietas incomposita meretur iram Dei 13
Pietas S. Hilarij Episcopi Arelatensis. 666
Pietas regum in Deum, conseruatrix regnorum. 616
Pietas vxoris cuiusdam Impp. cæci protecuperãdo mariti visu. 696
sub Pietatis specie ad sæculum reuerti non debent Sanctimoniales. 677
Pietatis inordinatæ incommoda. 642
contra Pietatem simulatam. 677
Pilati nominis etymon, & interpretatio. 211
Pisana diœcesis. 42
Pisaurensis Episcopi vita criminosa. 292
Pisaurensis Ecclesiæ status peruersus à pseudoepiscopo. 2
Pisces die quinto creati, 144. quid designent mysticè. 144.248
Placentia, vrbs. 114.
Placẽtinus & Versellinus episcopi Cadaloum in Antipapam eligunt. 105

Plagæ decem Ægypti decem animæ vulnera significantia, per decem Dei præcepta sanata 490.491.492.& seq.
planetę septem 74. enitentes ad ortum quid designent. ibid.
Podium, vrbs. 196
pœnæ peccatis debitæ consideratio tribulationes frangit. 739
per Pœnam temporalem reus ab æterna liberatur. 646
Pœnarum octo diuersa genera ex Tullio. 153
Pœnitentia non differenda. 594 per quinquagenarium numerum designata. 488. 489. per emunctoria lucernarum tabernaculi figurata. 394
Pœnitentia Florentino Episcopo iniuncta à B. Petro Dam. 45
Pœnitentia centum annorum quomodo expleatur 92.575
Pœnitentiæ exempla ex sanctis Patribus petita. 404
Pœnitentiæ laicis in eleemosynas commutantur. 404
Poetarum lectio ad penetranda sacræ Scripturę mysteria vtilis. 168 169
Polensis vrbs. 97
Pollutio gulæ vitium sequitur. 592
Polypi astutia 252.253. hominis dolosi typus. 253
Pomorum Sodomæ natura. 238
Pompeius quàm clemens erga ciues Rom. cum Cæsare dimicans 114
Pomposianum Cœnobium quanto affectu prosequutus fuerit S. Doctor. 474
Pomposiani Monachi sobrietas in potu. 559
Pontiana Ecclesia. 322.426
Pontifex, id est Sacerdos maximus: vide sacerdos.
Pontifex Romanus Imperatoris pater 6. Vicarius Christi super vniuersali Ecclesia ibid. & 14. Romani imperij vacantis iura possidet 6. iustitiæ legalis est defensor. 7. Rex Regum, Princeps imperatorum 71.72. communis mundi pater 72. omnium Ecclesiarum vniuersalis Episc. ibid. sacerdotes oẽs priuilegio transcendit 102. à quibus & quomodo eligẽdus. 102.106
Pontifex quidam S. Petri possessionem alienans vltione diuina punitus. 106.107
Pontifex Iudæorum in sancta per annos singulos ingredi solitus in sanguine alieno. 106
Pontificis Rom. authoritas summa. 284. dignitas & officium. 4. 6. eligendi authoritas penes quos. 294
Pontifices Anachoritæ, qui sedem Apostolicam gloriosissimè gubernarunt. 448
Pontificum Romanorum vita cur breuis. 71. 72. anathema quam sit formidandum. 207.213
Popiliensis Ecclesia. 283
Portus, ciuitas 28
Potentes raro sunt bonæ opinionis & innocentis vitæ. 25
Potentia singularis humili deuotionę raró comitata. 651.
Potentiana Ecclesia. 322
Potus nimij effectus. 63
Prępepta decem, totidem remedia decem animæ vulneribus per decem Ægypti plagas designatis. 490.491.492. & seq.

Pręceptorum diuinorum emolumenta & pręconia. 495
an Pręcepta Euangelica sint strictiora quam Moysis. 564. 565
Prædia cur conferantur Ecclesijs 356. vide Bona, & Ecclesiæ.
Prædicatio sacra argento comparata. 622
Pręd[i]catio operis efficacior quàm sermonis. 575
Prædicatio feruens quàm efficax. 514
Prædicationis officium quibus committendum, quibus non 85. & quinam ad illud sunt idonei. 86
Prædicatoris exhortatio cantalenis muscis comparata. 62
Prædicatori necessaria sunt doctrina & sanctitas vitæ. 686
Prædicatores sancti, oliuæ ac vites 139
Prædicatores sola vitæ probitate clari per stellam Magorum ducem designati. 687. omnes scientiam & operationem habere necesse. 149
Prædicatores qui ea quæ docent non faciunt, cui similes sint. 371
Prædicatores per septuaginta viros ab Abimelech occisos designati 173
Prædicatores perfecti in Angelo, Christi natiuitatis nuncio expressi. 686. sunt cæli 687.
Prędicatores carnales & mali, claudi 85. iniquitatem bibere dicti, cui ibid.
Prędicatoribus suis Deus cur prohibuit terrenum aliquid possidere. 410
Prælati quantæ mansuetudinis & humilitatis erga subditos esse debent. 421. 422. subditorum animas mira sollicitudine debent custodire. 317. eleemosynas suæ diœcesis pauperibus in primis distribuere 318. cauere ne pecuniæ ambitu alicui culpam opponant. 318
inter Prȩlatos & subiectos quantum interesse debeat. 187
à Prȩlaturis se abdicantes quibus dæmonum artibus impugnentur. 481
Præsepe Christi qua pietate & humilitate ab Agnete Imp. adoratum. 623
Prȩsidendi ars facillima ad discendum. 479
Præterita pro futuris sȩpe in scriptura posita. 232
Preces in afflictionibus necessáriȩ 738
Preces pro ijs qui in purgatorio cruciantur 211. pro defunctis ad Sanctos, quàm efficaces. 314. 315
presbyter quanto maior monacho in dignitate, tanto deterior in peccato. 334
Presbyter ob acceptam vestem ab homine malo leprosus effectus. 334
Presbyter quidam pellici morienti, pœnitentiámque flagitanti prohibet, seséque pro ea soluturum spondet. 333
presbyter quidam in Vesuuio monte absorbtus. 31
Presbyter alius in eiusdem montis flammis matris vocem lugentis recognoscit. 31
presbyter peregrinus deuoratus à leonibus. 41
presbyter quidam propter iracundiam Diabolo mancipatus. 381

Presbyter Salernitanus Missam celebrans à tribus fauillis ex ipso cęlesti sacramento prodeuntibus in pectore impetitus. 383. 384
Presbyter lapsus in luxurię fœdam voraginem ante sanctam Missarum celebrationem, ab Angelo cum spongia visibiliter purgatus. 43
presbyter apostata qui & peregrinationis meritum amisit, & amne mersus interijt. 440
presbyteri cuiusdam galli incontinentia & pœna. 329. 330. alterius in eadem culpa, non dissimilis. 330
presbyteri vxorati esse non debent, sed cœlibes & continentes 173. 322. 323
presbyteri mali vel imperiti quàm grauiter peccant 363. qui sacrosanctum Christi corpus pollutis manibus tractant participes Crucifigentium Christum sunt. 363
presbyterorum qui pellices habēt Missæ non audiendæ. 322
Pridexion: vide peredixion.
primatum dignitas 102. Cardinalatu inferior. ibid.
primitiæ de nouis frugibus. 374
primogenita Ægyptiorum nocte percussa. 157
primogenitorum mors, decima & vltima Ægypti plaga, quid significet. 494
principis officium 640. inordinata pietas est perditio. 642
principes Sacerdotum de tribu Leui. 108
principes viri potestate à Deo tradita ad Ecclesiæ suę fauorem vti debent. 638
principes bonos malus populus non meretur. 247
principum sanctitate pollentium præsentia ciuitatibus vtillima. 634
principum magnorum infelicitas est fucatam rerum veritatem habere. 639
principibus perniciosissimi mali Consiliarij. 614
probus Imp. cælesti fulmine peremptus. 627
professionis sacræ habitus. 678
promissum reuocare non licet. 701
prophetarum oracula: vide oracula.
prosper paschalis computi author. 281
in prospera fortuna timendum. 732
nec prosperę res, nec aduersæ nos à Dei amore impedire debent. 737
in prosperitatibus mens ad futura consideranda dirigenda est. 337
S. prothasius, vide geruasius.
prouidentia magna Christi erga furem. 439
prouidentiæ diuinę in peregrinos exempla 551. 662. 720
prouinciarum ruina ex schismate. 615
prudentis & stulti comparatio. 561. 562
prudentius versificator nobilis. 20
psalterium cum disciplinis meditandi consuetudo apud monachos ac eremitas. 93. 94. 682
ptolomæus Ægypti Rex, Iulio Cæsari perfidus 111. enecatus fluctibus. 111

publicanus

Publicanus de Telonio factus Apostolus. 80
Puer Maimoni similis. 270. alter à congro aquis immersus ibid. & 271
Puer quidam clausis foribus intromissus a quo & quomodo. 245
Pupilli in Dei protectione positi 665
Purgatorium. 211.344.345
in Purgatorio cruciatus quidam pro peccatis alienis, qua ratione liberatus. 530
Puritas mentis ad corporis castitatem necessaria. 734
puritatis remedium. 734
puteloi, vrbs. 19
puteolana Ecclesia. 313
pyroboli natura. 251
pyritis natura. 238
pyrrus Epirotarum Rex, hostis Rom. Reipub. 126

Q

QVadragenarij numeri misteria & prærogatiuæ 154.155 & seq. 562
Quadragesima duplex in Monasterijs. 311-312
Quadragesimæ tempore duriores pœnitentiæ imponi solitæ. 93. gulæ indulgere, quàm periculosum. 437.438
Quadragesimale ieiunium. 154. 155. in eo matrimonium contrahere prohibitum. 414.417
Quadragesimalis initij cerimoniæ 593
Quadraginta duæ generationes vsque ad Christi aduentum. 155
Quadraginta duo loca in quibus morati sunt Hebræi antequam ad terram promissionis peruenirent mysticè interpretata 156. 157.158.159. & seq.
Quęstio dę reparatione virginis post ruinam. 222
Quęstio de picturis petri & pauli Apost. & cur hic à dextris, ille à sinistris. 216.217. & seq.
Quæstio de zelotypa muliere B. Doctori proposita : & egregia eius solutio. 206
Quæstiones ex sacris litteris & Docturibus enodandę. 272. 273
Quercus frugiferæ impios quomodo significent. 677
Querela omnis non protinus dicenda est accusatio. 50
Quinquagesimus numerus pœnitentiæ dedicatus. 488.489
Quinque sensus corporis : vide Sensus. 215
Quintilius Imp. qua morte peremptus. 627
Quoduultdeus Episcopus Africæ. 32

R.

RAab gladijs Iericontinę cędis liberata, cur. 468
Rabbath ciuitas à Dauide obtenta 130. quid significet ibid.
Rachel vxor Iacob. 177. venusta 188. Ecclesiæ typus. 217
Rainaldus Episcopus Cumanus. 314.532
Rainerius presbyter. 344
Rainerius Marchio 662.664
Rama quid significet. 656
Ramatha vrbs, Ecclesię typus. 723
Ramese, prima Israelitarum in deserto mansio, quid figuratè designet. 158

Rami arborum quid designent in Scriptura. 175
Ranarum abundantia, secunda Ægypti plaga quid designet. 490.491
Raphaca quid significet. 160
Raphael Archangelus dæmonium à Sara filia Raguel expulit 616
Raphidim vndecima Israelitarum mansio quid designet. 161
Rauenna vrbs. 97.417.419
Rauennatica Ecclesia, 19. secunda per Italiam sedes. 291
Rebe, Madianitarum Rex. 367. quid significet. 368
Reblatha quid 147. & in ea Sedechias cæcus effectus quid designet. 147
Recem, Madianitarum Rex 367. quid designet. 367
Rector vrbis qualis, tales inhabitantes in ea. 688
Rectores dum incerti quid faciũt, ad orationem confugere debent. 189
Rectores animarum quàm vigilantes esse debeant. 256. quo iudicio iudicandi. 478.479
Reges qui sensualiter viuunt ad damnationem tendunt. 368
Reges & principes qua ratione simoniacam hæresim incurrere possint. 55
Reges quinque à Iosue deuicti, quid spiritualiter designent. 464
Reges quinque Madianitarum, quinque corporis sensuum typus 367.368
Reges septuaginta præcisis pedum ac manuum extremitatibus captiui apud Abimelech, quid significẽt, vide Abimelech
Regiæ potestatis cum ecclesiastica connectio. 615.616
Regina Saba. 620
Regnum & Sacerdotium inuicem sunt annexa. 297
Regnum Dauid, sæculi præsentis typus 278. Salomonis futuri. ibid.
Regnum Deo patri tradi à Christo, quid. 221.222
Regni deprauati curam suscipientibus quid faciendum. 665
Regna per iustitiam conseruantur 640. in manu & conseruatione Dei sita. 616
Regum pietas in Deum regna conseruat. 616
Regum non modo aliena non rapere, sed etiam aliorum fraude direpta, restituere. 666
Regum potentissimorum finis qualis. 654
Regum adolescentium fortitudo in religione tuenda. 614
Regum consiliarij non solum pij sed etiam prudentes esse debent. 642
Regum filij quomodo nutriendi. 636
Regum ac Ducum exempla qui mundi felicitatem infelicissimo euentu perdiderunt. 627
in Regibus bonis Christus regnat & honoratur. 612
Regula Benedictinorum eremitarum ante S. Romualdum in vsu 517
Regula B. Petr. Damiani in castigatione corporis per disciplinam. 601
Regulus Consul Rom. oculorum palpebris orbatus à Carthaginensibus cur. 128
Relicta repetere, indignum. 681

Religio in Regum protectione. 614
Religionem mentientes suggillantur. 403
Religiosus ordo totus paucorum indisciplinatis moribus contemnitur. 586
Religiosi quasi oues de lupi faucibus ereptæ. 147. quomodo se gerere debeāt in petendis eleemosynis à sæcularibus. 588
Religiosorum vita irregularis sęcularibus perniciosa 587. pœnis digna, & Deo, Angelisque odibilis. ibid.
inter Religiosos sine muneribus amicitia comparanda. 584
Religiosę vitæ propositum relinquentes Conciliorum decretis damnati. 704
Reliquię Sanctorum qua puritate animi venerandę. 626
Remonphares, decima sexta Israelitarum mansio in deserto, quid designet. 162
Res varia exigunt tempora. 415
Rerum discretio per firmamenti creationem designata. 144
Rerum temporalium instabilitas. 342. ijs vtendum ad gloriæ cælestis comparationem. 716
Ressa decima octaua Israelitarum mansio quid figuratè significet. 162. 163
Resurrectio mortuorum 706. 707
Resurrectio Christi: vide Pascha
Resurrectionis Iesu Christi vigilia 604. & cur in ea Gloria in excelsis Deo canatur 605
de Resurrectionis Christi die dubitatio cum solutione. 280. 281
Resurrectionis Dominicæ mysteria. 729
Rethma, decima quinta mansio Israelitarum quid significet. 161. 162
Rex qualis tales ministri. 649. negligens esse non debet. 615. Dei minister 616. tunc honorandus cum suo obtemperat Conditori. 617
Rex quomodo sacerdotem, sacerdos regem tueatur. 616
Rhamnum lignis regē petentibus accedere quid significet 138. 139. 140.
Rhaphidim locus, Amalechitarum cæde celebris. 71
Richardus Abbas Camporizani. 551
Richardus prior Monasterij B. Petri Damiani. 718
Richardus Monachus. 663
Risu breui emitur sempiternus mœror. 395
Robertus Gallorum Rex excommunicatus, cur 213
Roboam coæuorum suorum superbiæ credens, sublimen regni potentiam humilem fecit 70
Rocon, vide Recem.
Rodelinda B. Doctoris soror. 732
Rodulphus Eugubinus Episcopus 87. 355. librorum B. Petri Dam. censor. 356. fit monachus 87. nihil de rigore monastico deponit in Episcopatu 88. lectus eius ibid. abstinentia. 89. circulus pectoralis ibid. gaudet disciplinis ibid. eius modestia & humilitas in Episcopatu ib. instar sanctæ prædicationis ibid. quotannis Synodum celebrabat. ibid. felix eius obitus. 90

Rodulphus abbas. 345
Rodulphus Clericus. 432.434
Rodulphus presbyter. 684
Rogelim, ciuitas, 36.192. eius etymon. 193
Roma num fieri potest vt facta conditáque non fuerit. 243. à Gothis obsessa captáque. 114. ferax febrium 24.25. sedes Apostolica. 37.38
Romana sedes quot annis à S. petro gubernata. 101. cunctis prę posita cur. 221. ab Antipapa inuasa. 351. eius authoritas 606. vide, Ecclesia Romana.
S. Romualdus Benedictinus eremita. 517. eius modestia ac prudentia. 554. consilium vt sobrietatem seruemus, & hypocrisim fugiamus. 558. sanctitas commendata. 570
Romulus vrbis Romæ conditor. 239
Ruben semitribus Deum reliquit vt sequeretur idola 9. armata perrexit ante filios Israel. 35
Rubus ardens. 235
S. Ruffinæ Ecclesia. 314
Rythmus de Eccl. Rom. ab Antip. inuasa. 351

S.

SAbaudiæ regio. 655
Sabbatum Iudæis quàm frequenter indictum 142. Chrysti typus ibid. tertium in prima mandatorum tabula scriptum, cur ibid. sine initio & fine ibid. cum Melchisedech comparatum. ibid. & 143. septimus dies quo Deus in homine, & homo in Deo quiescit. 145
Sabbatum quid denotet. 597. & eius ieiunium item 598. B. Virgini dicatum, cur 199
Sabbatum vltimæ resurrectionis vita nostra. 599
Sabbatum mensium quid. 375
Sabbatum sabbatorum. 375
Sabbatum, secunda Iudęorum festiuitas 373. quid spiritualiter ib.
Sabbatum Christiani viri, ab omni rerum humanarum cupiditate feriari, & in sola rerum spiritualium meditatione conquiescere. 373
Sabbatum Domino veraciter celebrare quid. 373
Sabbatũ celebrantes Iudæi ignem non accendebant in domo. 373 pondera non portabant in via ibid. in loco denique suo residebant ibid. & quid hæc omnia mysticè designent. 373.374
Sabbati ieiunium cęlesti visione celebratum. 606
Sabbati Resurrectionis Iesu Christi ieiunium. 604
in Sabbato cur ieiunandum ex B. Siluestri sententia. 604
Sabulum, quid, & eius interpretatio mystica. 181
Sabinensis Ecclesia. 17.36.
Sacerdos maximus vnctus oleo in capite & manibus cur 306. vestitus sanctis vestibus ibid. caput suum discoopetire prohibitus ibid. vestimenta scindere ibid. ad mortuum ingredi. ibid. super patre & matre contaminari ibid. de sanctis egredi, cur ibid. commiscere stirpem generis sui vulgo gentis suæ, ad quid. 308
Sacerdos quomodo regem, rex sacerdotem tueatur. 616
Sacerdos coniugatus quinã dicatur 428 & quòd eius officiũ spernentes cõmunione non debeãt priuari, cõtra errorẽ Capellanorum Gothifredi ducis. 428

Sacerdotis etymon & officium 11. 640. vxor quæ sit. 307
Sacerdotis sancti mens, phiala aurea. 310
Sacerdotis auriculam, manum ac pedem in extremo tangi sanguine arietis immolati, quid 308. 309.
Sacerdotis anima Christo spirituali conjugio fœderata 129. cor eius sacrarium. ibid.
in Sacerdotem luxuriantem inuectio. 11
Sacerdotes qui verè sint 364. quique verè patri succedant. ibid. vocati Angeli, cur. 450
Sacerdotes, curis sæculi nimis deditì 362. sacris altaribus appropinquantes ab omni peccato mundi esse debent. 362. indigni non promouendi. ibid.
Sacerdotes quàm perniciosè peccent 366. 70. discipulorum ordinem repræsentant 120. per 70. palmas Helim figurati 120. 121. 174. casti esse debent, cur. 178. duces & antesignani exercitus Domini. 309
Sacerdotes tempore quo ministrabant in veteri lege, non miscebantur vxoribus. 325
Sacerdotes imperiti Leonum dentibus sese exponunt, quomodo. 361
Sacerdotes mali vulpibus similes 658. sunt ruina populi 104. gladij acuti & limati 105. num Sacramenta conferre possint. 722.
Sacerdotes qui lacerant, Sacramenta blasphemant. 724
Sacerdotum ignorantia accusata 360. quàm sit omnibus perniciosa 361. aliud vitium 362. incuria circa res sacras 361. negligentiæ frequentes in offerendo sacro sancto Missæ sacrificio. 365
Sacerdotum vestes quæ, & quales 298. 306.
Sacerdotum nobilitas, vita sancta. 308.
Sacerdotum dignitas & officium, quantáque est ei qui tam sublime munus sustinet præstanda innocentia 120. 305. 306. 307
Sacerdotum thesauri quínam. 132
Sacerdotibus dantur facultates Ecclesiæ, vt pro populo orent. 364.
Sacerdotibus maioribus cauendum ne ad eos inferiorum vitia redundent. 363
de Sacerdotibus indignis quid ab Episcopis constitui debet. 365
Sacerdotalis benedictionis effectus vnde procedit. 724
Sacerdotium & Regnum inuicem sunt annexa. 297
Sacerdotij, Imperijque discordia. 350.
Sacramentum in altari positum, à spiritus S. virtute viuificatum. 173.
in Sacramento vera Domini præsentia miraculo manifestata. 206.
Sacramenta à Monachis percipienda contra quosdam Canonicos, sanctorum Monachorum exemplis confirmatur 448. authoritate 449. ex sacris Concilijs 449. ex modo consecrandi ibid. ex modo vestimentorum ibid. ab authoritate Bonifacij Papæ. 450
an Sacramenta ecclesiæ per malos sacerdotes conferri possint 722

& an à Simoniacis ea suscipere liceat. ibid.
Sacramenta blasphemat, qui Sacerdotes obtrectationibus lacerat. 725. 726
Sacramentalis confessio, remedium puritatis. 734
Sacrificium juge, prima Iudæorum festiuitas. 373. quid designet. ibid.
Sacrificium matutinum & vespertinum offerre Deo, quid. 373
Sacrificium crucis. 730
Sacrificia pro ijs qui in purgatorio cruciantur. 211
Sacrificia qui defunctis prodesse negant, hæretici sunt. 389. 390 391.
Sæculares non syncere amant Monachos 222. inobseruantes irrident. 528
Sæculares viri quomodo se habere debent in amore rerum terrenarum & spiritualium. 715
Sæcularium familiaritas monachis perniciosa. 528
de Sæcularibus rebus sermo Monacho debet esse alienus. 559
Sæculi huius effectus. 4?2
Sæculi quisque contemptor ad hoc debet semper eniti, vt perueniat ad amorem Dei. 671
Saguntini ab Annibale famis inopia capti. 113
Salai pater Zambri. 8
Salamandræ natura 237. 262. quidque per eam designetur. ibid.
Salernitanus Archiepiscopus. 696.
Salernitani Principis miserandus exitus. 31
Salis Agrigentini natura. 238
Salmana Rex Madian 172. quid significet, & quænam spiritualiter denotet 431. à Gedeone trucidatus. 303. 659
Salmona, trigesima quinta Israelis mansio quid designet. 166.
Salomon Dauidis Regis filius & successor 277. 339. Christi typus 278. 620. 622. templum Domini ædificauit. 659. pro ea ædificatione quali præmio affectus 695. decem tribuum regno priuatus, cur. 615
Salomonis & Christi sapientia comparata. 621. 622
Salonæ. 113
Salphaat quinque filiarum pater 371. eius interpretatio, significatióque mystica. 371
Saltus qui plures consumpsisse, quàm gladius vorasse legitur, quid significet. 275
S. Saluatoris Monasterium Papiæ 151. Perusij. 579
Samariæ habitatores à leonibus interfecti eo quod ignorarent ritum Dei terræ. 148
Samson quid significat, 424. mille Philistinos in mandibula asini interfecit ibid. & 172. Christi typus ibid. & 425. crinibus spoliatus, ac oculis orbatus. 24.
Samuel adhuc puer post ablactationem circa templi ministerium relictus 406. in principatu publico excelsus, in occulto humilis 421. quàm inuitus suscepti regiminis locum deseruit 421. de principatu deiectus 46. 51. vnxit tamen Dauid in Principem 46. 112. in Ramatha cum eo prophetabat. 723
Samuelis integritas 122. filij à principatu deiecti, cur. ibid.

Sancti accusabunt peccatores in Iudicio. 708
Sancti viri sunt mortui mundo 167. quanto perfectiores, tanto humiliores 167. aliorum potius ædificationi student, quam legibus Grammaticorum 705. eloquentiam non curant 711. sunt libri. 676. cedro Libani similes. 621
Sanctitas, sacerdotum indumentum 471. 472. abundare debet, vbi doctrina non sufficit 687.
Sanctitas vitæ cum doctrina, prædicatori necessaria. 686
Sanctitas indiscreta periculo & errori proxima. 727
Sanctorum verba stimulis comparata, cur 705. spes & requies in solo Deo 548. vitæ libenter audiendæ. 83
Sanctorum apparitio pulcherrima Romæ, in Ecclesia S. Conciliæ 314.
Sanctorum beatitudini omnia seruiunt. 684
Sanctorum præcedentium æquiparare triumphos, gloriosum 653. exempla nobis ad imitandum proponenda. ibid.
Sanctorum Reliquiæ: vide Reliquiæ.
Sanctuarium polluere, quid sit. 307.
Sanguinis Dominici virtus 532. 533.
Sanguisugis quinam similes. 582
Saphira spiculo de Petri ore prodeunte perculsus, cur. 408
Sapientes sæculi simplicitatem seruorum Dei contemnunt. 712. diaboli corona 130. in diadema Christi conuersi, ibid.
Sapientia, lignum vitæ. 146
Sapientia humana à spirituali qua in re differat 712. à Christo per Apostolos suos deuicta 713. eius effectus ibid.
Sapientia humana multis periculis subjacet. 515. 516
Sapientia vera, ac virtus, in solo Deo sunt. 733
Sapientia nimia periculo & errori proxima. 727
Sapientia per iram perditur. 379
Sapientia Salomonis & Christi comparatur. 621. 622
Sapientiæ mundanæ effectus. 516.
Sapientiæ cælestis conditiones 712. discrimen à terrena ibid. effectus. 713
Sapor Persarum Rex, quàm inhumanè Valerianum Imp. captiuum tractauerit. 628
Saraceni Hispanienses. 515
Saracenorum 30. milia ad fidem conuersa. 28
Sara vxor Abrahæ, vbi sepulta. 300.
Saraæ subiectus Abraham, ex quo castitatis cœpit habere propositum. 651. 667
Sara filia Raguel. 616
Sarcinas Episcopus. 359
Sardanapalus inter delicias. 52
Sarepta Sidoniorum. 295
Sartæ marinæ bestiæ proprietas 255. quidnam designet. ibid.
Sarthan quid significet. 59. 60
Sathanæ primogeniti qui dicendi 106.
Saturnus filios deuotare confictus 114.
Saül quàm benignè à Phitonissa tractatus. 189. 190.

eum filium fuiſſe vnius anni cum regnare cœpiſſet, duobus autem annis regnaſſe ſuper Iſrael: quomodo intelligendum 273. qua lege filiam ſuam Michol Dauidi deſponſat. 135. in Ramatha veniens, veſtibus ſe exuit ac prophetauit, cur 723. diuini iudicij ſententia reprobatus 112. 659. cur Regnum perdidit. 615
Saulis ſuperbi pœna 457. confeſſio cur veniam non meruit. 556 chlamydis ora à Dauide ſilenter abſciſſa. 298
Saulus Eccleſiæ perſequuntor 217 vide Paulus.
Saxenas Eccleſia. 359
Scachorum ludus, vide, Latrunculi ſupra. 45
Scenophegia, quænam apud Iudæos ſolemnitas 375. & quid myſticè deſignet ibid. & 376.
Sceptrum Filij Dei, quod. 105
Schiſma, vrbium & prouinciarum ruina. 615
Schiſmatici non ſolum qui Fidei vnitatem diuidunt, ſed etiam qui ſe à fraterna charitate diuellunt. 408. 409
Schiſmaticorum noua & ridicula hæreſis. 52. peſſimus finis. 614.
Schiſmaticis fauentes aut non reſiſtentes pœna digni. 615
Scientia & prouidentia Dei ſimplex & vna, diſtincta tamen. 230. 231.
Scientiæ cupiditas quàm perniciosa. 512
Scientiæ humanæ imperfectio. 349.
Sciffena, caſtrum. 665
Scipionis juſtitia. 666
Sclauonicum regnum. 18. 57
Scoparum vſus in maceranda carne. 311. 403. vide Flagellatio.
Scoria metalli quid myſticè. 486
in Scoriam verti, quid. 377
Scorpio leoni formidabilis. 266
Scotigenæ pauperes. 29
Scribæ Iudæorum de tribu Simeon. 108
Scriptura ſacra per arborem Indicam deſignata 260. non literaliter tantum intelligenda. 155
Scripturæ ſacræ librorum ordo, & eius myſterium. 681
Scripturæ diuinæ ſtudium quàm dulce. 469
in Scripturæ ſacræ ſenſu literali quando nulla eſt vtilitas, ad ſpiritualem confugiendum. 187
Scripturarum meditatio per iuge ſacrificium deſignata. 373
Scripturarum diuinarum volumina propter ſalutem animarum exarata. 420
vt Scripturarum ſtudium ſapiat, terrenæ delectationes deſpiciendæ ſunt. 558
Scyllæa vorago. 45
Sebeon Onæ pater, quid ſignificet. 187
Sedechias filijs ac oculis orbatus 24. eiusque captiuitas myſticè declarata. 147
Sedere in Eccleſia quàm praua conſuetudo 301. 302. 303. 304.
Sedulitas in miniſtrando alijs. 555
Segetum alia primitiua, alia ſerotina. 74
Selenitis natura. 238
Sella Ieremiæ Prophetæ patruelis 357.
Selmon mons. 175
Semei, filius Gera 277. Dauid inimicus ab eo quam æquanimiter toleratus 661. non ab eo, ſed à

Salomone condemnatus quid denotet. 278. 279
Semiramidis vita mor∫que qualis. 629.
Sempronien∫is Epi∫copus 354. infe∫to in P. Dam. animo. 355
Sempronien∫is Epi∫copi religionis ingre∫∫ũ differẽtis pœna. 438
Sempronien∫is Eccle∫iæ Clerici. 3
Senarij numeri præclarum my∫terium in Chri∫ti conceptione & ortu. 280
Senectutis effectus. 40
Senes, morti proximi. 194
Seniores viginti quatuor ante ∫edentem in throno procidentes 31. 32. coronas ∫uas mittentes 31 phiala∫que aureas habentes, quid ∫ignificent. 32
Senna, quid ∫ignificet. 164
Sennaar etymon & allegoria. 728.
Senonen∫is Eccle∫ia. 28
Sen∫us quinque corporis quàm ∫int cautè cu∫todiendi 367. per quinque Madianitas Reges de∫ignati ibid. & 368. ab illis omnia corporis vitia dependent. 368.
Seon Amorrhæorum Rex 369. quid ∫piritualiter. ibid.
Sephar, ∫iue Sepher mons, vige∫ima I∫raelitarum man∫io quid ∫ignificet. 163
Sephora Moy∫is vxor, filium circumcidit, cur. 411
Septenarius numerus quid ∫ignificet 470. in ∫eptuaginta quid de∫ignet. 174
Sepulchrum Chri∫ti, jejunio Sabbati adoratur. 598
Sepulchrum Archiep. Bi∫untini 300. Saræ vxoris Abraham. ibid.
pro Sepulturis nùm pecunia à Clericis ∫u∫cipienda. 300
Seraphim ∫enas alas habentium interpretatio. 349. 449
S. Sergius Dama∫cenus Metropolita Eccle∫iam pro Chri∫ti amore de∫erit vt mona∫terialẽ Regulam con∫tituat. 32
Sermonum inutiliũ effect⁹. 44
Serpens bibiturus venenum euomit 263. illudque ni∫i re∫umat illico moritur. ibid.
Serpens biceps trabalis magnitudinis hominem ∫piritis in antrum a∫portat. 40. 41
Serpentis natura. 61. 184. 262
Serpentes ab homine po∫∫unt etiam edomari. 268
Serpentes duo familiariter cum Martino Storaci commorantes 572.
Serpentium ∫ignificatio alegorica 262. 263. 265.
Serra, vide Sarra.
Seruus Dei quidam ciuitatem conflagrandam prædicit, ∫ibi verò ip∫i non con∫ulit. 42
Serui Dei ∫ollicitudo quæ debet e∫∫e. 472
Sethim ligna, arcæ Dei materia 659.
S. Seuerini Colonien∫is Archiepi∫c. purgatorium ob intempe∫tiuè coaceruata Horarum Canonicarum officia. 211
Siba ∫eruus Saul 170. Dauidem compellit mentiens à ju∫titia declinare. 170. criminator innocentis Miphibo∫et. 5
Sibæ filij Borri mors. 65
Sichem ciuitas 140. quid my∫tice de∫ignet. 175. 176
Sichen filius Hemor, 108. Dinæ corruptor ibid. à Simeone & Leui gladijs impetitus. ibid.

Sichimorum turris obsidio 175. quid mystice denotet. ibid.
Signa præcessura judicij diem ex Hieronymi sententia. 510. 511. in eo terrorem incutient hominibus. 707
Sigilla septem libri Euangelici à Christo soluta. 718
Silentium loquendi magister 555. eius bona. 631
Siloë nominis interpretatio. 210
Siluanus Philippopolensis Episcopus vitæ monachicæ amator 23. Troianis Præsul datus ibid. miraculo sibi reuerentiam conciliat. ibid.
Siluestri papæ decretum de continentia Clericorum. 427
Simeon à Iacob Patriarcha reprobatus cur, & ad quid. 108
Simeonis tribus. 8
Simia quomodo capi possit 269. quidque mysticè significet ibid.
Simon arroganter altra petens in gehennæ profunda demersus 55. 106. 318. author Simoniæ 125
Simoniæ triplex genus 133. 134. assentationis pessimum. 135
Simoniæ hæresis attingit etiam Principes, & sæculares, non tantum clericos 55. etiam in minimis beneficijs Ecclesiasticis committitur. 56
Simoniæ duo Autores, vnus in veteri Testamento, alter in nouo. 125
Simoniaca hæresis 433. 434. quàm execrabilis 721. eius notæ tres. 119. 120.
Simoniacæ negociationis detestatio 2. officina in vrbe Roma. 35
Simoniacus quidam Episcopus, non potest nominare Spiritum sanctum. 25
Simoniaci non solum qui paciscuntur, sed etiam qui pecuniam non pactam postulant. 126
Simoniaci qua pœna plectendi. 54. 55.
per Simoniacos etiam spiritus sanctus datur. 715
à Simoniacis vtrum Sacramenta suscipere liceat. 722
Simonis & Iudæ festiuitas. 98
S. Simpliciani Monasterium. 584
Simplicitas seruorum Dei sapientibus sæculi despicabilis. 712
Sin, octaua Israelis mansio, quid mysticè repræsentet. 160
Sin Cades trigesimatertia Israelitarum mansio quid designet. 165
Sinai mons, duodecima Israelitarum mansio, quid mysticè designet. 161
Sinai montis etymon, & allegoria. 488
Sinus Abrahæ. 166
Sion filiæ qualiter ab Esaia propheta comminatæ propter lasciuiam. 334
Sipontum. 663
Sisara in manus Deboræ traditus. 656. eiusque mors 465. 657. interpretatio, significatióque allegorica. 431
Sobi filius Naas. 191
Sobrietas, castitatis præsidium. 553. quomodo seruanda. 538
Sobrietas insignis in potu. 559
Sochot, secunda Israelis in deserto mansio, quid significet 59. 158.
Societas fidelium communis Apostolorum tempore. 357
Socrus B. Petri febre liberata, ad quid. 160
Sodomorum clamor 250. 251 multiplicatus. 5.

Sodomæ excidium. 175
Sol totam terram exureret, nisi aqua temperaretur. 542
Solis cum Euro contentio faceta. 69.
Solis occubitus quid in Scriptura designet. 67
in Solatij humani diffidentia, præsto est diuina clementia. 662
Somni victoria. 517
Somnijs non credendum. 195
Sophia, Marchionum Rainerij & Vguzonis filia 678.679. eius sepultura, fœtorque intolerabilis ibid.
Spes impij. 710
Spinæ, peccatorum symbolum. 488.489.
in Spirituali militia nonnulli feruenter incipiunt, sed torpentes postea deficiunt. 255
Spiritus sanctus etiam per Simoniacos datur 723. perque improborum ministerium sua cōferre potest charismata. 723
Spiritus sanctus cur apud Latinos à patre Filioque procedere, cū apud Græcos à solo Patre procedere credatur 283. 284. 285. & seq. quæ sit origo Græcorum erroris 285. autoritates quę pro ipsis facere videbantur 285.286. dubitationum quarundam remotio 288. 289. autoritates Patrum Latinorum ibid. & 289 Græcorum. 289
Spiritus sanctus virtute sua Sacramentum altaris viuificat. 173. super iracundis non requiescit 379. quomodo dicatur à Patre proprie procedere in Nycæno Symbolo 290. baptizatis superuenire consuetus. 49
Spiritus sanctus digitus Dei dictus, cur 489. 490. quomodo nos doceat 515. in columba Noë designatus. 549
Spiritus sanctus verbis exprimi non potest à Simoniaco. 25
Spiritus sancti septiformia charismata 24. 74. 117. 175. 278. lucernæ septem tabernaculi. 393
Spiritus S. fructus. 716
Spiritus sancti aduentus in die Pentecostes. 489
Spiritus sancti aduentus carnali hominum præsentia impeditur. 631
Spoletana monarchia. 97
Spoletanus Ducatus. 646
in Sponsi cęlestis amplexibus semper requiescendum. 672
Standi tempus, dum sumus in hac vita: postea tempus erit sedendi. 302
Stare oportet Clericos in Ecclesijs non sedere. 301.302
Stella Magorum Dux, Prædicatorum sola virtute clarorum typus. 687
Stephanus Monachus Casinensis, S. R. E. Cardin. Presbyter 19. 46. 140. 141. 151. 196. 454. repentina morte cur sublatus. 454
Stephanus Monachus. 566
B. Stephanus Ecclesiæ Metensis Præsul. 26
Stephanus Iudex sacri Palatij 98. S. Dominicum spernens vltione diuina punitus. ibid.
Stephanus X. Papa. 16
Stephanus Papa Monachus. 448
Stephani Papæ zelus in Clericorum incontinentiam. 330
Stephani X. Papæ decretum de eligendo Rom. Pontifice. 294.
Stoicorum opinio de peccatis. 48

Strix alienum sanguinem sugens, suis tamen pignoribus parcit. 114.
Studia nostra esse debent, vt soli Deo placeamus. 714
Studia literarū quanta cum moderatione tractanda 713. virtutum studijs postponenda. 714
Stulti & prudentis comparatio. 561. 562.
per Stultitiam prædicationis salui facti credentes. 424
Stultum Dei, sapientius hominibus. 424
Stupa lini ante nouum Imp. comburi solita apud Græcos, ad quid. 77
Suauicinus mons, juxta quem Eremus. 95
Subdiaconi debent esse cælibes. 173.
Subdiaconi omnes Siciliæ prohibiti ne vxorib. miscerentur. 427.
Subditorum diuersæ voluntates. 479.
Subditorum malitia in Regem negligentem redundat. 615
Sufficia B. Petri Dam. soror. 732
Superbi humiliantur. 484
Superbia vitę quid. 64
Superbia latere non potest 484 vbi ex corde euellitur etiam sine studio humilitas apparet in verbis. 485
Superbiæ effectus in humana mente. 486
Superbię fastus, in sacerdote præcipuè, quàm indecens. 129
Superioris optimi est in se ipsum seuerum esse, in alios benignum. 577
Superiores ab inferioribus accusari posse probatur exemplis. 49
de Supplicijs damnatorum. 679
Sur, Madianitarum Rex 8. 367. obstinationis ac peruicaciæ typus. 368
Susanna ab injustæ damnationis sententia per Danielem absoluta. 105. 106
Sybillinum os. 133
B. Syluestri monasterium in Vrbinate territorio. 21
Synagoga per concubinam designata 138. stola Christi dicta. 139
Syrtium discrimen remigibus periculosum. 62

T.

Tabernaculum in mōte Abarim reconditum Ieremiæ manibus. 276
Tabernaculum ingredi & egredi quid sit. 189
Tabernaculorum festiuitas: vide Scenophegia, suprà.
Talio, nostris temporibus ignorata. 61
Tauri, ciuitas 422
Taurinensis Episcopus. 173. 655
Taurus æreus Phalaridis. 195
Tedaldi Episcopi terribile exemplum. 207. 208
Telesphorus Papa, Anachorita. 448.
Templum Domini à Salomone ædificatum. 659
Templorum ædificationes Deo curæ sunt. 695
Tēpora non sunt peruertenda. 415
Temporum varietates. 73
Tenebrarum densitas, nona Ægypti plaga, quid designet. 493. 494.
Tentatio quare virtuti admisceatur 165. etiam in visionibus interuenit. 160
Tentationes cur conuersionis ini-

tio Deus non permittat. 673. per contemplationis quietem vincuntur. 470
contra Tentationũ insidias semper accincti esse debemus. 672 673.
Tepidi homines per hyænam designati. 261
Theriaca ex Tyri cruore. 582
Terra die tertio creata, quid designet in homine. 144
Terra lacte & melle manans mysticè quid. 671
Terra repromissionis dicta melle & lacte fluere, cur. 149
Terra Naaman Syri quid designet 149.
Terrenæ delectationes despiciendæ sunt vt studium Scripturarum aliud sapiat. 558
Terrenarum rerum amatores, Aspides imitantur. 259
Testudinis proprietas. 265
Tethgrimus Guidonis Comitis patruus. 171
Teutones Galli. 515
Teutonicum regnum. 213
Teuzo Episcopus Vrbinas. 381
Teuzo Monachus Monasterij Florentini S. Mariæ 568. beatorum virorum numero aggregatus. 578
Teuso reclusus. 92
Thaath vigesimatertia Israelitarum mansio quid designet. 163
Thales syderum cursus considerans in limosum prolapsus puteum. 239. 388
Thare vigesima quarta Israelis mansio in deserto, quid designet. 164
Thebes turris, quænam, & quid denotet. 176
Themar filius Aaron. 364
Theobaldus Abbas. 486
Theodosius Senogalliensis Episcopus 355. librorum P. Dam. censor. 356
Theodosius Imp. Princeps Catholicus 19. à religioso quodam Eremita consilium petere solitus 641. 643.
Theodosij Imp. vxor operum misericordiæ studiosissima 652 beneficiorum à Deo acceptorum grata ibid. mariti salutis sollicita. ibid.
Theophilus paschalis computi Author. 281
θεωρία quid. 276
vbi Thesaurus, ibi & cor. 412
Thilon Indiæ insula. 238
Thimelicus saltator. 15
Thracia frigoribus maximis infestata. 23
Thus de Saba afferri solitum. 327
Thiatiræ Ecclesia. 334
Tiberius Imp. Biberius cognominatus, cur 151. vitri flexibilis artificem decollari præcipitur 385.
Tigris mansuefacta. 268
Tigridis sũma velocitas in cursu 78 proprietas 256. & quid per eam mysticè intelligendum. ibid.
Timor Domini quasi aculeus. 463
Tobias justus, cæcus factus à stercore hirundinum, cum fessus jactasset se juxta parietem & obdormisset 185. & quid hoc mysticè designet ibid. & 186. felle piscis illuminatus 186
Totila Rex Goth. tyrannus 114. Romam capit 114. ciuibusque parcere cupiens quid agit. 114
Tranensis Episcopi fastus & depositio. 129
Treuerensis ecclesia. 28

Triblathon pallium quale, curque sic nuncupatum. 345
Tribulatio, signū diuinę dilectionis, pignus cælestis gloriæ. 732
Tribulationis bona. 738
Tribulatione momentanea æternum præmium acquiritur. 699
Tribulationes cōsideratione pœnæ peccatis debitæ sæpe franguntur. 739
in Tribulationibus quid nobis præstandum. 699
ex Tribulationibus nobis medicina præparatur. 582
Troiana Ecclesia. 23
Troilus Sophista. 23
Tudetchini presbyteri natione barbari hæresis simoniaca. 51.52
Tullus vrbs Episcopalis. 28
Tunica Domini inconsutilis, non diuisa 111. Ecclesiæ Catholicæ figura. ibid
Tubarum festiuitas apud Iudæos, quæ 375. quidque spiritualiter denotet. 375
Turba foras eiecta dum Christus filiam Principis resuscitat, quid designet. 148
Turturæ, quid mysticè. 547
Tusciæ Ducatus & Marchia. 646
Tyri interpretatio, significatióque mystica. 431
Tyro spiritualis ne prosternatur indiget magistro. 552
Tyronis feruor in profligandis moribus libidinis. 537
in Tyrocinio spiritualis militiæ laudabilius est excedere quàm tepescere. 537
Tyrus serpentis genus, ex cuius cruore Teriaca. 582

V.

Valens Imp. Episcopos Arrianos pro Orthodoxis ad Gothos mittens, postmodum ab ipsis vltione diuina prostratus 137. ignibusque concrematus ibid. & 627
Valentinianus iunor qua morte peremptus 627. tertius item. 627 628
Valerianus Imp. à Sapore Rege Persarum captus quamque crudeliter tractatus. 628
Valerius Hipponensis Episcopus sibi viuens adhuc prouidet successorem. 17.36
Vaniloquij temeritas frænanda. 267
Vanitas in rebus omnibus. 62. 63 368
Varro Consul apud Cannas prostratus ab Annibale. 304
Vas è cœlo Petro Apost. submissum omni bestiarum genere repletum. 267
Vasa templi in argillosa terra de aurichalco fabricata, cur 59. & quid significent. 60.181
Vasa vbi quæ emuncta erant, extinguebantur, quid allegoricè designent. 394
Vasculum plenum ossibus mortuorum ante nouum Imp. præferri solitū apud Græcos, cur 77
Vbaldus Comes. 622
Vbertus presbyter. 445
Vbertus Marchio pater Hugonis Regis. 647
Vbertus Comes 665. exemplumque diuinæ vltionis in eius vxore 665.666
Velitrensis Ecclesiæ Canonici emendati. 311
de Veneti Ducis vxore, quæ prius nimium delicata, demum toto corpore computruit. 679
Ventri indulgere est hostibus adi-

tum aperire. 592
Verberatio corporis voluntaria & antiqua est & sacris Canonibus sanctisque Patrib. probata. 563. eius vtilitas. 564
Verberatio sui studium est & species martyrij. 563
Verberandi se consuetudo vnde nata. 552
Verbum diuinum per manna significatum. 469
Verba etiam vlciscitur Deus. 209
Verba sanctorum stimulis similia, cur. 705
Verba scurrilia ac facetiæ vitandæ 561
Verba Dei quasi ignis 130.131. gladius. 131
Vercellinus & Placentinus Episcopi Cadaloum in Antipapam eligunt. 105
Veritas pro iudicio in Scriptura. 279
Veritatem supprimentis, falsúmque iurantis pœna. 719
Vertumnus Deus apud Gentiles, qualis. 491
Vesicæ turgentes, atque feruentes sexta Ægypti plaga, quid designent. 491.492
Vespere quid significet in scriptura. 145
Vesperum lucis nostræ, Euangelium. 373
Vestis sacra, dignitatis sacerdotalis signum. 15
Vestis auro sericoquê contexta Hierosolymorum Ecclesiæ à Constantino Imp. data. 15
Vestes in luctu ac dolore scindi solitæ 503. in contumeliam. 471
Vestes Christi, quæ & quales. 274
Vestes quibus gaudet Ecclesia, quænam 502.503. & quæ à Deo in sponsis suis requirantur. 503
Vestes sacerdotum quæ, & quales 298.306.471
Vestibus splendidis indui, quàm sit animæ perniciosum, & Deo odibile. 504
Vestimenta Monachorum Apostolicis similia 449. ad imitationem Seraphim cælestium instituta ibid. & 450
Vestimentorumq speciositas quàm sit Monachis indecora. 502.503. & seq.
Vesuuius mons, flammas eructare solitus quoties sceleratus aliquis diues moritur. 31
Vgo Abbas Monasterij Cluniacésis. 459.461 465.467 vide Hugo
Vguzo, Marchio. 665
Victor II. Romanus Pontifex. 625. 356. eius mors. 629
Victor III. Papa 697. prius desiderius Abbas Casin. ibid.
Victoria perfecta qua in re sita sit. 611
Victorius Aquitanus Paschalis cursus reformator. 281
Vido Mediolanensis Archiepiscopus. 298
Vidua Sareptæ Prophetæ Dei alumna. 295
Viduæ Euágelicæ misericordia. 40
Viduę carnalium colloquia, & aspectus vitare debent. 736
Viduę sequuntur agnum per patientiam. 733
Viduarum studium debet esse, vt placeant Deo. 733
Vigilia moderata orat. iuuat. 560
Vigilia natalis Domini 603. Epiphaniæ 604. Resurrectionis, 605 B. Bartholomæi apost. 608
in Vigilijs Assumptionis B. Virg. & B. Ioannis Baptist. natalis

cur ieiunamus. 602. B. Philippi & Iacobi App. item 606. omnium generaliter Apostolorum 607
S. Vincentij ex Petra-pertusa Monasterium. 436. 593. 654
Vindictæ diuinæ artificiosa mensura. 436
Vinea Domini Sabaoth, domus Israel 139
Vinum, vtrum baptismi lauacro possit admisceri. 44[illegible]
Vinum ad valetudinem conseruandam inutile 543. animi corporisque munditiem destruit 544. immodicum sacris literis damnatum. ibid.
Vinum ex aqua factum in Cana. 668
Vino abstinebant vt plurimum Eremitæ. 99
Viperarum proprietates: earumque significatio mystica 263. cũ Murenis coitus. 264
Vir sanctus est Dei thronus 145. templum, paradisus 146. reprobus contra infernus. 146
Virdomarus, Gallorum Rex à Rom. cæsus cum copijs. 549
Virga Aaron. 235
Virgarum disciplina 404. vide Flagellatio.
Virgo, plebs fidelium dicta, cur 226
B. Virgo, vera sponso suo nuptiarũ fœderatione conuenit. 415. 416. cur ab hominibus colenda 566. præbendam Clerico sui deuoto ablatam restitui iubet. 197. 198. Marinum item sui deuotum in extremis laborantem inuisit. 199. 200. in suæ festiuitatis Assumptione innumeros liberauit à pœnis Purgatorij. 31; Ioann. Patricium sanctorum cætui aggregauit. 315. an corporis dolores moriẽs senserit. 602
B. Virginis officium recitandi, & Missarum sollemnia ad eius honorem singulis Sabbatis celebrandi pia deuotio. 198
B. Virginis intercessio quàm fructuosa peccatoribus illam deuotè rogantibus. 196. 197. misericordia & authoritas apud Deum. 314. singularis partus sine dolore. 603. qui & prima mansio quæ nobis ex hoc Ægypto exire volentibus occurrit. 157
in B. Virginis assumptionis vigilia cur ieiunamus. 602
B. Virginis horæ, & officium: Vide Horæ, & Officium.
B. Virginis ecclesia Romæ, in Campitello. 313
B. Virginem Mariam laudanti gaudium nunciatum. 315
Virginitas vtrum reparari possit à Deo post ruinam, 222. 223. & seq. cur hoc non fiat. 225. quòd absque dubio potest. 225
Virginitatis corruptæ caro & meritum possunt à Deo reparari. 226
Virginum apparitio præclara Romæ. 314
Viri sancti sine literis illustres. 515
Viri sancti in hac vita habent beatitudinem in spe 162. vide, Sancti.
Virtus & voluptas, duæ hominis vxores. 715
Virtus diuina Syllogismorum robur sæpe dissoluit. 235
Virtutis dulcedo præferenda vitæ

huius

huius voluptatibus. 715. amor principatum tenere debet, in corde. 716
Virtutes cardinales, per quatuor paradisi fluuios designatę. 146 omnes in signo crucis expressæ. 538. post tergum habendæ. 183. hominum pennæ quibus se ad cælum subleuare possunt. 255
Virtutum duæ gemmæ nobis à Christo de cœlo allatæ. 352 353
Virtutum splendor per stellas cæli designatus. 144
in Virtutum studium maiori diligentia incumbendum quam disciplinarum. 714
Vita nostra, Sabbatum vltimæ resurrectionis. 599
Vita contemplatiua per Ioannem, actiua per Petrum App. designata cur. 220
Vita sanctorum fructuosior quàm miracula. 97
Vita Rom. Pont. cur breuior quam sęculi Principum. 71. 72
Vitæ in melius renouatio per serpentem designata. 263
Vitæ communis societas Apostolorum tempore. 79. 82. vide suprà, Communia.
Vitæ instabilitas ante oculos habenda. 360
Vitæ beatę status. 684
Vitæ æternæ amor, præcellere debet curæ rerum terrenarum. 716
Vitæ sanctorum libenter audiendæ. 683
Vitalis presbyter. 684
Vitalis Clericus. 432. 434
Vitellius Imp. a ducibus Vespasiani interfectus. 71. 627
Vitia nobis insita superantur per diuinam gratiam. 380. caligini ac fumo comparata. 67. ob oculos habenda. 183
Vitia vt penit⁹ extirpentur, amputandę etiam occasiones. 251
Vitia omnia tunc superamus, cùm nos innocenter viuentes tanquam peccatores accusamus. 369
Vitia omnia corporis à quinque sensibus pendentia. 368
Vitia nouorum Moderatorum. 478
Vitiorum execratio quibus mundus inseruit. 64. 67
Vitiorum ac prauorum morum deploratio. 117
Vitis quid in scriptura significet. 139
Vitrum ex arena fieri solitum. 385 vilius omnibus metallis, cum sit lucidius, cur 183
Vitri condendi egregius artifex quod a Tiberio Imp. pręmium repartauerit. 385
Vitromarus: vide Virdomarus.
Vlpias persequutor. 28
Vnicornis ingenua proprietas. 264. & quomodo capiatur. 70
in Voce mulcenda quorundam abusus vt melius canant. 603
Volatilia non diuisa in vespertino Abrahę sacrificio, cur, & quid significent. 67
Volucres quid mysticę designent. 249. quarto die creati quid item 144
Volucres à sacrificio abigere, quid 212
Volucres ex arboribus nascentes in India. 238
Volucres intersusa nigredine variatæ, typus animarum varijs

purgatorijs deputatarum. 344. 345
Voluntas Dei omnibus rebus causa est vt existant. 224.225
Voluptas & virtus hominis vxores. 715
Voluptates huius vitæ virtutis dulcedini posthabendæ. 75
in Voluptatibus sequendis multos, in rebus laboriosis pro Deo suscipiendis paucos comites inuenimus. 602
Volusianus Imp. qua morte peremptus. 72.627
Vosagi saltus. 28
Votum nulla excusatione licet non implere 435. etiam necessitate, vel metu mortis emissum, obseruandum. 435.436
Votum soluere contemnens, infelicis lapidis ictu de tecto cadentis obtritus. 384
Vota qui non perficit, Deum videtur irridere. 702
Vota ac promissa Deo violare nefas est. 701
Votifragus infirmitate correptus vt resipiscat 215. à dæmonibus abreptus à S. Petro Apost. liberatur ibid. rediuiuus votum persoluit. 216
Vpupæ natura 257. figura pietatis. 257.
Vr quid significet. 285
Vrbes ad honorem Impp. conditæ. 486
Vrbium ruina ex schismate. 615
Vrbinale territorium. 21.419
Vrsa, lambendo foetum efformat 21. carnalis vitæ symbolum. ibid. eius proprietates. 265
Vrsus æger quomodo conualescat 265.
Vuandali Africam deuastarunt. 32
Vvibertus Archiepiscopus Rauennas 295. asperior in B. Petrum Dam. ibid.
Vuilla: vide Guilla. 647
Vulnera Christi quibus precibus veneranda 621. nostrorum sensuum medicamenta 621. prædicant Crucis victoriam ibid. eorum mysteria. 670
Vulnera decem animæ per decẽ Ægypti plagas designata per decem legis præcepta sanata 490.491.492. & seq.
Vulnera Martyrum gloriosa 456. Christi, sensuum nostrorum medicamenta. 456
Vulpeculæ natura, 252. quid mysticè designet. ibid.
Vulpes quomodo sibi jam seni mederi solita 265. hæreticorum ac malorum sacerdotum symbolum. 658
Vulpinæ pelles in pretio. 128
Vultures juxta legem immundi 73. tot habent medicamina, quot membra. 73. se per coitum non corrumpunt 65. eorum natura. 258. vita longæua ibid. quidque per ipsos intelligendum. ibid.
Vxor quænam propriè dicenda. 414.
Vxor merito castitatis liberatur ab Euæ maledictione. 651
Vxor dilecta, vel odiosa quid in sacris litteris innuat. 494
Vxor cuiusdam Imp. cæci visum illi pietate sua restitui merita. 696.
Vxor Veneti Ducis toto corpore computrefacta, cur. 679
Vxoris Theodosij Imp. exemplum pro misericordia in pauperes: vide Theodosius.

Vxori publicè misceri, quàm inhonestum ac pudore plenissimum. 414
Vxorum contactu pollutis Ecclesiam ingredi relligio. 241

Z.

ZAbulon, tribus. 656
Zacharias sacerdos de vice Abia. 325
Zacharię, Ioan. Bapt. patris os in circumcisione filij apertum. 372.
Zambri filius Salai cum Madianitide fornicans interfectus. 8. 180.
Zeb, quísnam dicatur mysticè. 431.
Zebee Rex Madianitarum 172. à Gedeone cæsus 303. 659. quid significet, & quid spiritualiter designet. 431
Zelpha ancilla Iacob 177. quid denotet. ibid.
Zelus ac pietas in Iudice moderata esse debet. 660
Zelus justitiæ faciendæ in Pontifice necessarius. 6.7
Zelus Phinées in vlciscenda fornicatione 8. & præmium eius. 9
Zelus Iosiæ regis. 665
Zelus B. Petri Dam. in luxuriam Clericorum 173. erga Ecclesiam. 4
Zelus Hugonis Tusciæ Ducis in vindicanda Capuani Principis injuria. 647
Zeno Imperator. 18
Zeusis exemplum in pingenda Diana. 557
Zeuzolinus Clericus luxuriosus cum concubina combustus. 440.
Zodiacus. 74
Zona aurea circa mamillas Christi in Apocalypsi, quid significet 310. 370.
Zonæ pelliceæ Eliæ & Ioannis Baptistæ 309. quid designent 310 370.
Zonæ pellicinæ Monachorum. 449.
Zorobabel filius Salathiel, murorum Hierusalem restaurator, 659.

FINIS.

